HISTORIARUM CLERICORUM REGULARIUM A CONGREGATIONE CONDITA. PARS...

Giuseppe Silos



HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

A Congregatione Condita

PARS PRIOR

AVTORE IOSEPHO SILOS BITVNTINO
Eiuſdem Congregationis Clerico Regulari.







ROMAE,
Typis Vitalis Maſcardi. Anno Iubilei.
M. DC. L.

SVPERIORVM PERMISSV.





BEATO
CAIETANO THIENAEO
PAVLO QVARTO
PONT. OPT. MAX.
BONIFACIO A COLLE
PAVLO CONSILIARIO

Congregationis Cleric. Regul. Conditoribus

IOSEPH SILOS C. R. D. D.



QVÆ Vos, Animæ magnæ, in commune Orbis bonum, clademque vitiorum centuriastis Regularium Clericorum agmina; quæ Duces ipsi antesignani, abdicato fastu mortalium, ac Infulis, strenua gessistis manu: hæc ego meis hisce Commentarijs explicaui; ea quidem mente, quam ipsi mihi indidistis; ea religione, ac fide, quæ præclaros actus vestros deceat; ea dictionis grauitate, & cultu, quem rerum vestrarum momenta, & splendor fecerint. Honestando verò magnificentiùs huic Operi, quo potius nomine inscripserim, quàm Vestro? Nec vlli sanè congruentiùs poteram. Vestro nimirum afflatu hoc mihi, vti persuasum habeo, scribendi munus delatum: Vos segetem, ac materiam scriptioni, Vos scriptori alacritatem, viresque suffecistis; erudita insuper styli infantia, erectaque ad historiæ dignitatem, ac decus humilitate ingenij. Vestra igitur hæc: perenni, vt narrationis filo, ita ope vestra ad vmbilicum perducta: atque adeò nuncupari ea Vobis sponte sua postulant. Planè, vigiliarum pretium erit, excepisse Vos æqua fronte; ea nimirum, quam nunc gloriæ faustitas, haustumque intimè Numen exhilarat. Nec fauoris vestri corollarium exoptauerim ipse splendidius, quàm ab ista Arce æternitatis dignari aspectu vestro Annales meos. Ades igitur, Parens inclyte, Caietane: ades terrarum olim amor, ac

 terror,

terror, Maxime Pontificum, Paule: Vos hìc etiam, gemina, ac ſpectata morum lux, Conſiliari, ac Bonifaci, appello. Priorem hanc veſtra indole, rebuſque à Vobis præclarè geſtis nobilitatam, mearum lucubrationum partem veſtro nunc patrocinio fouete; alteram, quam cudit ſtylus, iuuate. Fauete interim hiſtorico, & clienti veſtro minimo, qui flagrantiore quodam ſtudio commune Clericorum Regularium votum poſtremò concipit: ſcilicet, vt quem ſemel Ordinem perſanctè, ac ſapientiſsimè inſtituiſtis, eiuſdem ſemper habenas indefeſſa, conſtantique manu temperetis: eòque agnoſcat Orbis, in ſuccedentium ſubindè Moderatorum virtute adeſſe mores veſtros; ac præfecturam illos quidem tenere, Vos regere; æternos nempè, ſanctoſque diſciplinæ veſtræ Rectores, ac Genios.

PIO

PIO LECTORI.



SOLENNE cuique hominum cœtui est, sua, ac suorum facta memoratu digna, litteris consignare. Quod, vt est ex se honestissimum, ac planè laudabile institutum; ita nunquam sine acriore quodam virtutis incitamento accidit. Oblectant quidem vehementer externa, ac mouent; ardescitque æmulatio ab rerum præclarè gestarum commemoratione; etsi exterarum gentium, ac cœlo, cultuque longè dissitarum facta, ac virtutes narres. At enimuerò, nescio quonam pacto pulsare mortalium animos domestica, ac propria vehementiore quodam impetu solent; vritque ardentiùs, ac pulchriùs flamma gloriæ, si gentilis clarorum operum splendor vibret, incurratque in oculos posterorum. Nam præterquàm quòd audere nos perfacilè posse arbitramur, quæ populares nostros, eiusdemque sortis, aut ordinis homines egregiè ausos conspicimus; tùm pudor ipse, acer nobilium animorum stimulus, acerbè vellicat, accenditque nepotum studia; ne si non eadem ipsi conentur, quæ maiores cum laude nauarunt; cogantur degeneres animæ ad illustria illorum gesta erubescere; fitque ignauæ sobolis dedecus, ac splendidum quoddam conuicium generosa Patrum virtus. Atque hinc sanè è domestica historia longè maior, quàm è peregrina virtutis æmulandæ ardor. Enimuerò, qui causari cœlum, mores, institutionem possumus, si insistere exterorum vestigijs pigeat; cùm Nostratium virtutes nostris moribus minimè repræsentamus, nulla profectò excusatio in promptu est: quando vna, eademque est morum institutio, ijsdem legibus viuitur, idem est terrarum, & cæli genius, qui corporis habitudinem, animique indolem format. Igitur cùm gentium omnium, rerumque publicarum cura ea sit, vt excepta scriptorum monumentis sua facta in populorum vtilitatem deriuent; tùm id in primis Religiosorum hominum disciplinis, sacrisque eorum Ordinibus propositum est; idque eò intentiore studio, quòd solida in eiusmodi commentarijs virtus, non vmbra virtutis recensetur. Scilicet non illic Cæsarum, Regumque magnificentia, aut fastus; non Ducum in speciem fortitudo, siue temeritas; non cruenta præliorum consilia, fœdatæque humanis cædibus palmæ; non terrarum imperia, allata, ablata fortunæ lusu: sed diuinitatis instinctu actæ mentes; culta eximijs religionibus pietas; exacti ad priscam sanctitatem, ac seueritatem mores, humanorum contemptus, cælestium commercia, hausta cælo sapientia; denique omnigena virtutum, ac magnarum animarum exempla memoriæ commendantur. Quæ quidem, cùm vsurpari nequaquam possint sine præclaro, communique animorum motu; tùm illorum maximè inflammare, atque vrgere pectora videntur, qui eiusdem disciplinæ, ac moris cùm sint, sua potissimùm adhortamenta ea esse, ac sibi loqui putant expressa ijs litteris, ac veluti facundè declamantia præclara suorum exempla. Itaque more, institutoque præstantissimorum Ordinum habes hic, lector, nostram Clericorum Regularium historiam; in qua quidem concinnanda id ipse expertus sum, quod & alijs suarum rerum Scriptoribus accidisse, mihi facilè persuadeo. Planè, non perindè est sua, ac peregrina recensere. Externa quippè sedato plerunque animo, vacuique ab studio, affectuque aggredimur: ac facilè vni veritati supplicat, litatque, qui scribit aliena. At enim qui popularium, qui gentis suæ acta stylo persequitur; næ illi non vnus obijcitur in scribendo scopulus, qui veri fidem frangat, Scriptorisque iudicium transuersum agat. Tempus siquidem, & occasio, (vt suæ sunt vel cælestibus ipsis corporibus, astrisque defectiones,) ea interdum adportant enarranda, quæ non dignitati, sed probro esse Ordini quodammodò videntur. Quid tum autor? euulgabit ad historiæ leges vmbras hasce, ac dehonestamenta disciplinæ? an pro studio dissimulabit? Ad hæc, non minùs planè negotium facessunt splendida, ac magna. Nam si, ne nimis magnifica de tuorum virtute in medium attulisse, ac proinde seruisse affectui videaris; temperare stylum, aut infuscare præstantium actio-

num magnitudinem, ac splendorem velis: corrumpitur sanè non minimùm historiarum religio, & candor. Quòd si pro argumenti sublimitate memorare magnificè ea institues; ecce tibi amplificasse te supra modum res tuas; atque accersito cultu facundiæ afluisse narrationi, & factis splendidiorem, maioremque vero Laciniam Lector affirmabit. Adeò quippè ardua res est rerum domesticarum enarratio; vt nec vberiùs tutè explices, nec strictim cum laude censeas: improbetque vulgus à familiari calamo cultum perindè, ac neglectum: ita vt nec dictionis pompa placeat, nec parsimonia: abrogetque interdum veritati fidem ipsa veritas. Obluctandum mihi in hoc Euripo sæpiùs fuit; vt optarim in externa exemplorum segete versari calamum meum, ne in violatæ, læsæque historiæ crimen, aut suspicionem incurreret sincera mens, ac manus: quibus prior omninò libertas, quàm affectus, aut studium semper fuit. Qua quidem in re imitari pro viribus studui ex ijs, qui suorum Ordinum historias, & commentarios conscripsere, prudentiores; & quos iam publicus mortalium consensus, ac judicium probat.

Iam, quæ me potissimùm causæ impulerint, vt hanc ipse scribendi prouinciam susceperim, abundè in Operis vestibulo explicauisse me puto. Quod videor mihi prætermisisse, hìc interim opportunè subdam. Cùm in Ioanne Baptista Tuso, Acerrarum Episcopo, Viro ex Nostris integerrimo, qui primus nostram historiam scriptis Italicè commendauit, multa vniuersim de communi re Theatina desiderarentur; tùm satis plura de Pauli Quarti Maximi, eiusdemque Optimi Pontificis, atque inclyti nostræ Congregationis vnà cum B. Caietano Thienæo, ac duobus alijs Conditoris, rebus sanctissimè gestis desunt; quas planè accuratè recenseri amantissimæ posteritatis suæ studio, atque extare ad æui memoriam in nostris commentarijs æquum erat: eò vel maximè, quòd summi Viri famam, cùm non adeò fauerent præclaræ eius memoriæ tempora, corruperant confidentissimè plerique eius æui Scriptores: quibus lenocinari seruilem quendam in modum offensis auribus mutila, detorta, venalique, (ambitiosius, an turpius?) scriptione, pretium fuit. Vnus hic Onuphrius Panuinus, vt alios consultò omittam, sistendus; qui seruire tempori, quàm historiæ religioni stylum suum maluit; nomenque Pauli augustissimum, quod transmitti sanctè, insignique cum innocentiæ elogio in posteritatem debuit, quà imminuta, quà dissimulata eximia virtute, atque animi magnitudine nimiùm quantùm inumbrauit. Ac licet ad mentem, frugemque mox redierit vir egregius, mutatoque subindè Principe, mutauerit stylum; non adeò Scriptoris hæc inconstantia Paulo fauit, quin laborauerit ab eo calamo inclyta eius virtus, ac fama. Eapropter vindicari domestica suorum scriptione venerabilis, sapientissimi, ac pientissimi Pontificis memoria debuit; ac detersa iam temporum inuidia redire in nostris historijs sua Paulo Quarto maiestas, ac splendor. Rem intrepidè, ac perstudiosè aggressus est Ioannes Baptista Castaldus, Vir ex nostris hominibus grauissimus, conscripta, excusaque Romanis Typis eius Vita. Id quod scriptis collectaneis, ac signatis veluti tabulis confecerat non ita pridem Antonius Caracciolus, Vir cùm de vniuersa nostra Congregatione, tùm de eximia Pauli Quarti fama, ac dignitate optimè meritus. Qui tamen Caracciolus, cùm non omnia adhuc, quæ summa contentione, ac labore collegerat, producenda in medium duceret; pressisse plura voluit, quæ postea fusè, tustamque in historiam lucubrauit; delineato egregijs curis integro Paulo. Opus multarum planè vigiliarum, ac spissum: quod vtinam lucem aspiceret; vt optimi Principis, atque absolutissimi Pontificis præclara quædam idea prostaret Aulæ, ac Orbi. At enim, quæ hi accuratè quidem, sed proprijs, priuatisque voluminibus consignarunt, oportuit profectò in communes, fusosque nostri Ordinis Annales conijcere; vt integrum esset Theatinæ historiæ corpus, ac moles, tanti capitis accessione. Atque hos quidem Annales recudere Maiorum imperio, ac nutu mihi contigit: iuuatque sisti à me non Nostratium modò animis, sed publico etiam conspectui communem olim Orbis, ac nostræ familiæ Parentem, ab æui vitio, à liuore vulgi, à Scriptorum iniuria, à partium studijs, à suorum etiam quà metu, quà nimia prudentia, ac modestia vindicatum. Nec planè vereor, ne in explicandis

Pauli

Pauli actibus in aliorum odium incurram. Etenim quisquis hæc leget, intelliget sanè nihil ab eo Pontifice profectum, nisi quod æquitas, magnanimitas, zelus dictasset: proindèque immunem ab inuidia Historicum esse, qui spectandam præstantissimam, ac propè diuinam indolem præbet. Tum, quæ est res maximè lubrica, nempè Campanum bellum, quod inter Hispaniarum, atque Orbis vtriusque Regem Philippum, & Paulum exarsit, ita à me traditur, vt cùm nihil afferam, nisi quod est gentium omnium historijs decantatum; nec Augustorum Principum pietatem, nec clarissimorum Ducum, atque Administrorum operam læsisse me arbitror. In his autem belli motibus exponendis, vt in reliqua Pauli Quarti vita adornanda, vsus ipse sum Caraccioli nostri fide, & quas modò vigilias dixi: quippe qui excussis Italiç fermè totius tabularijs, ac principum scrinijs: res quidem non à turbida scribentium vena, sed à suis fontibus hausit. Præcipuè non pauca Scriptorum monumenta à Flaminio Philonardo, Aquini Episcopo habuit. Fuere hæ magni cuiusdam naufragij reliquiæ, ac dissipatæ veluti tabulç, quas in ea Carafarum procella, & clade Paulus Philonardus, Flaminij Pater, inclytç eius Gentis familiaris, raptim collegit: planè non sine Numinis consilio; vt esset, qui annis labentibus, concepto historicç veritati voto, ad posteritatis documentum dedicaret æternitati, ac memoriæ eius Pontificis: qui vt dignitate, ita & præcelsa quadam mente sua tempestate summus, sanitati seculum, sanctitati mores, venustati, ac formæ virtutem, obseruantiç leges suç sedi iustitiam, suo fastigio Romanç Ecclesiæ maiestatem, suo splendori orthodoxam religionem, Ecclesiasticos ritus suo ordini, Dei cultum suæ dignitati restituit: quique districto zeli fulmine scelera, hæreses, portenta vitiorum, hominumque omnia profligauit, vindicauitque.

Porrò in hisce Commentarijs moliendis, vt qui in genere quodam argumenti, vt grauissimo, ita non admodum iucundo versatur calamus; exhilarari profectò orationis contextus, & cursus styli quadam venustate deposcebat. Nam si in ijs historijs describendis, quæ materiæ splendore, & magnitudine, ex se quidem oblectant, quendam dictionis florem, & cultum, atque emendicatam è Panegyricis maiestatem, historicæ artis præceptores non suadent modò, sed iubent; & sunt, qui ad poeticam etiam granditatem, atque elegantiam assurgere historiarum characterem velint: eò magis, ne tædio regularis isthæc disciplinæ monumenta tristi quadam religiosæ virtutis specie afficiant; erigere legentium animos quæsitis interdum ab elocutione lenocinijs oportuit. Verùm, cùm id ipse ab exigua mea dicendi facultate, ac studio impetrare minimè potuerim; in eo totus fui, vt illicium isthuc, ac panegyricam sermonis pompam, compensarèt scriptionis fides, ac natiuus rerum candor, & color: præsertim cùm non desint è celebriore schola, qui seuerè moneant, attemperandum rebus ipsis stylum; adeò vt, è grauissimo opere, cuiusmodi hoc nostrum est, veluti omninò intempestiuam, illecebram, ac festiuitatem orationis omnem ablegent. Illud non negauerim, vt à continenti, ac prolixiore rerum nostrarum narratione auocarem nonnunquam animos, ne languerent; attexuisse me quædam identidem peregrinæ historiæ corollaria, atque adnotationum parerga. Nec sanè præter instituta, ac præceptiones maiorum. Dionysius nanque Hilicarnaseus, cùm Herodotum, & Thucydidem, summos historicos summè dilaudet, atque inter se comparet; idcircò in eo historiarum certamine primas tulisse Herodotum, pronunciat, quòd hisce veluti interstitijs, ac spiramentis sermonem intercidat: cùm Thucidides nimis anxiè institutam orationis seriem, ac filum prosequatur: ac semper idem, nulla interspiratione, ac mora: pugnas pugnis, (Halicarnassei verba sunt) apparatus belli apparatibus, orationes orationibus congerat; vt mens, & cognitio eorum, qui audiunt, laborare cogatur.

Postremò, te monitum velim, Lector, me, si quando in concertationem cum Scriptoribus descendisse conspexeris, coactum id egisse; & nonnisi vbi locus, ac vindicandç nostræ disciplinç necessitas postulauit. Planè, si stylum, quoties inuitasset occasio, euibrassem; excreuisset non modicç liber. Neque profectò

erat, cur in istiusmodi pugnis diutiùs immoraretur historias quando abundè in arena hac militauerit Nostratium calamus; & quidem intra modestiam, & quam Religiosos decet, caritatem. Nam excessisse modum quendam antagonistam vel sui ipsi fatentur; qui mallent omni satyræ morsu, ac vngue carere libros suos. Vale, mi Lector, & post primam hanc Operis partem, alteram, si adspirauerit Deus, & dies, expecta. Admota iam secundis hisce vigilijs manus. Vrget nanque, vt Maiorum imperium; ita & genius, & benè de mea Sodalitate merendi studium.

AV-

AVTOR AD HISTORIAM.



AGNORVM monumenta Patrum, spirantia & ora
Aspice, quæ gelida non vna nocte, nec vno
Impigra sudauit mordente industria sole.
Pulchriùs artifici dextra quod fingitur aurum,
Aut interrasum Pisæo pollice viuos
Expressisset ebur vultus. Nam facta perenni
Digna auro, & pretio, sculpi seu diuite gemma,
Par erat, æterno bimaris siue ære Corinthi.
At quæ longa sibi metitur tempora, luce
Fulgurat atque sua virtus, haud indiget auro
Inscribi solido, sectoque adamante: renidens
Ipsa sibi gemma, & cedrus: facit ipsa papyro
Pertenui pretium, & factis fugientibus æuum.
Ergò renascenti Gens fluxerat inclyta mundo,
Æterno Gens lecta Deo bissena, theatrum
Cui Solyme primum: terras tùm fusa per omnes
Nuntiat humano velatum corpore Numen.
Magni Christiadum Patres; queîs contigit olim
Flos morum, niueus candor, tenuique lacerna
Splendida pauperies, prior auro, & Perside gaza.
At labente æuo lapsa est norma aurea morum;
Et nitor, & vitæ pietas fluxere. Quid Orbi
Sanctius, & septemgeminæ quid pulchrius Vrbi,
Quàm priscum rediisse decus, pretiumque sacrorum,
Et posuisse suam moresque, & templa senectam?
Euenere: Virùm flos, & pars pura ruentis
Æui, relliquiæ recti, Patrumque quadriga
Nobilis, instaurat detritas tempore leges.
Paupertas rediit pretiosa, repubuit ætas
Purior, & tumulo virtus caput extulit ardens.
Magnum opus. Ille tulit nempè hæc exempla Thienes,
Æui Numa sui magnus, quem miscuit astris
Publica Relligio, Romano & thure beauit.
Fronte pari subiit, triplicis sed honore Tiaræ
Grandior, ille hominum Censor, Dominator & Aulæ
Romuleæ, mundique potens Carafa, sequitur.
Collius his, decus Insubriæ, mox additus; impletque
Egregium Paulus Romani nominis agmen.
His recti, sanctique tenor, primæuaque virtus
Strictior; his prisco redeuntia secula ritu,
Culta auro Attalico Templa his debentur, & aræ.
Vos, nunc perpetuò quæ ductis Ordine rerum
Tempora: Vos studiis vigilata volumina nostris,

Et cœpti

Et cœpti pars prima Operis: quà se explicat Orbis,
Ite gradu volucri: pridem quæ Numine dextro
Inuexere Orbi Patres, spectante Senatu
Romulidum, pronaque Aula plaudente Quiritum,
Pandite; & æternum transcribite nomina in æuum;
Ingentesque animos, aususque, & grandia facta
Ingenuo seris narrate nepotibus ore.
Addite & his sobolem, magnum quæ fusa per Orbem
Igne pari caluit. Gens impigra, paupere cultu
Diues, magnanimus, quam Spiritus imbuit idem:
Numine Progenies innixa, & pensilis astris.
Iam, quod nulla Venus dictis, aut aurea fandi
Copia, magnifico nec splendes pagina luxu:
Ne te, neglectamque gena, incomptamque capillo
Ferre gradum pudeat. Niueis stet candida chartis
Simplicitas, puroque fluat facundia riuo:
Hoc decus historiæ; Sarranum hoc illius ostrum;
Hæc chlamys; hæc gemma splendente lacinia diues.
Mundicies peregrina fidem corrumpit; & ora
Quod minium pinxit, natiuum absorbuit ostrum.
Mens fuit, eximijs accendere pectora factis.
Æmula si pulchræ correpta cupidine laudis
Posteritas laudata premat vestigia Patrum,
Iam sua præstanti laus est, mercesque labori.

D. Ioan-

D. Ioannes Gonzaga Præpositus Generalis Congreg. Cleric. Regul.

HOC Opus inſcriptum, *Hiſtoriarum Clericorum Regularium à Congregatione condita Pars Prior, Autore Ioſepho Silos, Bituntino, eiuſdem Congregationis*, cùm aliqui ex noſtris PP. quibus id commiſimus, reuiderint, & approbauerint; vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras propria manu ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas damus. Romæ VIII. Kal. Ianuarij MDC.XXXXVIII.

D. Ioannes Gonzaga Præp. Gen. Congr. Cler. Reg.

D. Ioannes Montoya Secr.

Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. S. Pal. Apost. Mag.

Ascanius Riualdus Vicesg.

PRæclarum hoc Opus, cui titulus (Historiarum Religionis Clericorum Regularium Pars Prima. Autore D. Iosepho Silos) Iussu Reuerendiss. Patris Fratris Vincentij Candidi Sac. Palatij Apostolici Magistri, à me recognitum, nihil continere vel absonum à fide orthodoxa, vel ab optimis moribus alienum attestor. Imò, aureo stylo ab Autore exaratum Lector intelliget. Adeo enim facili, feliciquecursu momenta rerum etiam maximarum expendit, vt eloquentiæ Rhodanus videatur; tantæ Religionis decora, ita proponit, vt admirationem extorqueat; tot piorum hominum gesta percurrit, vt legentium animos ad pietatis affectus inflammet: Apostolicæ vitæ rationem, quam eius tesseræ profitentur Alumni, ita suauem ad viuum exprimit, vt ad ipsam ineundam, plurimorum amorem conciliet; tàm modestè de domesticis, tàm magnificè de exteris stylum versat, vt eam semper modestiam præseferat, quæ veluti propria in omnium eius instituti hominum vultu conspicua prælucet. Totam denique rei seriem tali veritatis candore, soliditate doctrinæ, ac pondere sententiarum prosequitur, vt omnes absolutissimæ historiæ partes expleuerit. Vt igitur tam gloriosæ Familiæ, tantorumque Virorum merita, quorum opera, Vniuersa Christiana Respublica, quà supremæ Infulæ fastigio, quà Purpuræ splendore, quà Ecclesiarum Tiaris, quà monumentis litterarum, quà vitæ illibatæ sanctimonia mirificè illustratur, insignior vbique fama loquatur; immortalibus typorum characteribus, posteritati consignandum censeo. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam Nonis Augusti 1649.

Frater Hyacinthus Balada Sac. Theol. Mag. Ord. Præd.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Magister, & Reuerendiss. Sac. Pal. Apost. Mag. Socius Ord. Præd.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM LIBER PRIMVS.



LERICORVM Regularium Congregatio anno Christiani Orbis quarto,& vigesimo supra sesquimillesimum, in ipso Principis, sacræque Vrbis sinu edita,non hominum numero frequens, sed paucorum capitum virtute, vt nata, ita propagata subindè fuit, paulò supra millenarium cohors: nec eductis, sparsisque immensum per Orbem longè, latèque colonijs amplissimat sed intra Alpes, ac mare, ijsdemque Italiæ finibus inclusa; vix postremis hisce temporibus in alio calentes sole terras, patrio veluti è lare concessit. Ea tamen in illam Dei Maximi liberalitas, ac beneficentia fuit; vt celestium munerum affusione locupletata, conferre aliquid è suo censu in communem Orbis vtilitatem, Romanæque Ecclesiæ incrementum, ac decus exigua, ac omnium minima Sodalitas potuerit. Et quidem, vt in hisce nostri Instituti progressionibus summam Numinis munificentiam, amoremque cognoscimus, ac veneramur; ita profectò subijt sapientibus nonnunquam viris admiratio, quòd adeò pusillus Grex in eam nominis, ac virtutum celebritatem, splendoremque euaserit. Enimuerò, quòd amplissimi Ordines, qui incredibili quadam fœcunditate infinitam propè in sobolem succreuere; per omnes iam mundi plagas, & climata, & quà currit vtrumque sydus diffusi, Ecclesiæ tabulas, fastosque magnis nominibus impleuerint, & Infulas, ac purpuras suas penè syderibus exequarint; & omnigenis litteraturæ monumentis, diuinarum, humanarumque rerum studia nobilitauerint; quanquam magnum id quidem, ac splendidum: attamen, subducta ratione, non admodum plerique putant admirandum; quippè è frequentissimo, ac florentibus vbique terrarum, ac gentium familijs ingentem clarorum virorum, laudumque segetem existere necesse est. At enim, quòd modicus, breuique ceu linea circumscriptus, Clericorum Regularium Ordo vsque adeò inclaruerit; vt in ipso statim suæmet lucis tyrocinio Christiano Orbi Maximum, eundemque optimum Pontificem dederit, ac plures amplissimo Senarui Augustos Patres; quòd Infulas hæreditario penè iure, ac successione induerit; quòd Beatorum syllabum, censumque adauxerit, ac tot præstantium Virorum exemplis obiecerit mortalibus quid imitarentur; quòd disiunctissimas ab nostro Orbe regiones subindè adiuerit, tanto quidem cum ardore fidei, vt illarum gentium Apostoli audiuerint nostri homines: Ad hæc, quòd publicam rem Christianam scriptis voluminibus illustrarit; eximios sacræ eloquentiæ antistites, ac prçcones enixus pari quidem fructu, plausuque fuerit; cœnobia è præcipua Italię nobilitate oppleuerit; templa excitarit quàm mgnificentissima; quòd sacrorum denique cultum, ac vsum, temporum virio imminutum, ac labefactatum, non modò instaurauerit ipse egregiè, sed & alijs facem insigni documento præluxerit: hoc sanè, nec perfunctoriè quidem prudentes viri suspiciunt: & qui sapientum mos est, ab exiguo muscæ opificio magis, quàm ab ingentis leonis maiestate, vastaque elephantis mole Dei sapientiam, artemque dilaudare; huiusce potiùs minimæ nostræ Sodalitatis, quæ demum illa fuerint, incrementa, ac virtutum decora; quàm inclytos Ordines, grandi quadam mole corporis spectabiles, ac nullis montibus, nulloque terrarum tractu, marique definitos, admirantur. Verùm, non isthæc nos in hoc Historiarum nostrarum aditu ita legentibus obtrudimus; ceu consilium sit, magnificentia, cultuque dictionis res nostras amplificantes, paruas illas cum ingentibus aliarum disciplinarum historijs, exemplisque, æquata veluti lance, componere. Aberit profectò, vt à stylo fucus, ac pompa; ita ab animo fastus omnis, atque ambitio. Commemorauimus non hominum ornamenta, sed Patris luminum dona, à quo omne datum optimum; vtque pios legentium animos ad Dei laudes excitaremus, qui nos, quæ singularis eius est beneuolentia, vndecima velut

Clericorum Reg. virtus supra numerum.

Comparatio cum alijs Ordinibus Cler. Reg. Sodalitas.

Viris sapientibus cur magis admiranda Theatina Sodalitas, quàm cçteri Ordines.

 incli-

inclinantis iam diei, mundique hora delectos, ac vineæ destinatos, non segnes, atque omninò inutiles fecerit. Itaque, præsenti scriptione ea fide, & candore animi, quo & historicum, & religiosum virum decet; eo sermonis, linguæque cultu, quo longè diuersis occupationibus, studijsque antehac implicitus poterit, moliri Clericorum Regularium historias aggredior. Planè, cùm non vnius hominis indolem, ac res preclarè gestas, sed vniuersitatem tùm capitum, tùm virtutum proponamus; præterquàm quòd non minimum voluptatis afferret multiplex ea exemplorum sylua: tùm maximè pulcherrima morum varietate facilè quisque offendet, quid fuerit genio suo accomodatum; atque inter omnigena integræ virtutis simulacra deligere erit, cui se potissimùm, moresque suos conformet. Id quod cum aliorum Ordinum historijs commune cùm sit; illud ad animorum commodum, ac fructum, peculiare hisce rerum nostrarum monumentis videtur; quidam videlicet veteris cum recenti disciplina consensus, ac foedus. Plerique mortalium difficillima priscorum Patrum, eorumque virtutum imitatione deterriti, insistere tàm arduis se posse vestigijs desperant: & quòd imbecillitatis, aut animi vitium est; iniqua temporum criminatione, in æuum refundunt; onerantque segnitie sua seculum, & Cælum. Validiora, inquiunt, tunc ipsamet fuisse tempora; alia tunc ferè Cælo sydera robustiores longè animos, mentesque ingenerasse mortalibus grandiores. Nunc non ijs neruis, non ea vi constare humana corpora. Elanguisse, defluxisse æui vires. Ea propter seueram illam, duramque exactæ ætatis disciplinam deuouentes; nuperas virtutes amant, ceu mitiores, & defatiscenti iam naturæ attemperatas. Est & aliud hominum genus, qui quantum vetustati tribunt, tantundem recentibus exemplis, moribusque detractum eunt. Nostra fastidiunt; & quæ seculo huic innascuntur, etsi æstimatione, ac pretio suo magna; ceu posita infra omnem dignitatem, ac laudem, nec probant, nec quicquam pensi habent; cùm laudata prolixiùs antiquitate, inueterata maiorum decora, veluti inducta cursu temporum, atque à canicie maiestate, venerentur. Ergo, siue recentia, & quæ nostro æuo, nostrisque moribus proximè accedunt, illustrium exempla factorum placent: & illorum virtutes, laudesque lucubramus, qui nostrorum ætate Patrum viuentes, integro nondum seculo memoriam nostram anteuertunt. Siue prisca suspicimus, & quæ senio vetustatis venerationem excutiunt; & Clericorum Regularium Institutum describimus, haud quidem nouitium nostrorum Patrum inuentum; verùm, vt in loco dicemus, quod ab ipsismet Apostolis excitatum vetustissimos autores habuit, eandemque cum ineunte Ecclesia cunabula. Quod postea Institutum, quę est temporum vicissitudo, & clades, toties collapsum, ac toties sanctissimorum Patrum labore, studioque redintegratum; superiore demum seculo à nostris Conditoribus assertum, Orbique restitutum, auspicatissimè refloruit: vt diceres profectò iurè meritò, priscos illos Clericorum Regularium Ordinis assertores, Augustinos, Eusebios, Fulgentios, fuisse illorum temporum Caietanos, Carafas, Colles, Consiliarios: atque hos quidem excellentis virtutis Parentes nostros clarissima illa Orbis lumina, ac regularis obseruantiæ Antistites, spiranti quadam imagine ad viuum repręsentasse. Quare, vt in nupera hac nostra Sodalitate antiquissimum Ordinem agnoscimus; ita & tenere videmur recentia, & imitari prisca; ac vtrique simul tempori interesse, antiquo, & nostro.

Voluptas, & fructus ab hac historia.

Et perutilis in ea vetustatis cum nostris temporibus nexus.

Recentis plerique amant.

Quidam antiqua.

Vtramque laudem complectitur Cleric. Reg. Institutum.

Iam verò, quæ me huic historiarum scriptioni addixerint, atque impulerint causæ, in vno omnes meorum moderatorum imperio collectas habeo: & qui virium conscientia detrectare opus debui; erectus obsequij necessitate non ingenium, stylumque æstimare, sed imperium volui; ratus non tam laudi religioso viro esse accuratè, ac luculenter commentari; quàm vitio, probroque minùs promptè obtemperare. Eorum porrò, quorum ego nutibus in hac adornanda historia sum obsequutus, non vna, vt arbitror, huiusce consilij, atque imperij ratio fuit: tùm quia scripta olim nostræ Congregationis fuere commentaria; cùm, etsi non indiligens quidem Scriptor cum laude in ea cura insudauerit, tamen eam rerum notitiam assequi minùs potuit, quàm postea, excussa omni antiquitate, ac peruolutatis quàm diligentissimè & nostris, & exteris tabularijs habuimus: tùm verò quia Italica, patriaque dialecto exaratæ res nostræ, fuere nunc latinis litteris cõsignandę: vt cùm iam vltra montes, ac mare pedem nostra Sodalitas extulerit; eò ille pertingant, quò iam ipsi peruenimus; ac fruatur exacti æui fructu gentes, quas recenti nunc studio, ac disciplina ad pietatem informamus. Nec leuis enimuerò stimulus fuit latinè historias conscribendi; quòd cùm non ita pridem honesta Principum legatione quidam è nostris hominibus in Germania fungerentur; audito nostræ congregationis instituto, ac laudabili viuendi ratione,

Scriptionis causæ.

Latinè scribendi necessitas.

tione, admiratique prçclarum impetum in vetustissimo hoc Clericorum Regularium Ordine condendo, ac instaurando, efflagitauerint plerique Germanorum impensiùs nostras historias, quæ nisi latinæ illuc dictionis tessera concesserint, nullus planè peregrino, atque alienissimo eo Cælo illas agnouerit. Illud verò huic me operi moliendo minùs solicitum admouit, quod nullum est famæ, fideique periculum pertimescendum; quippe cum non disceptantium Principum, aut gentium arma, non aulæ dissidia contexamus, nulla hic partium studia, non inuidia, non fauor, nec vlla calami, ac facundiæ nundinatio; quorum sanè causæ, & historicorum animum, & historiæ religionem fœdè commaculant: sed qui pertractamus sancta, nullis affectibus obnoxij, intactum, serenumque animum ad scribendum appellimus, veritati solummodò ingenium, manumque consecrantes. Vacuus ab affectibus Auctoris animus.

Igitur in cuiusque ædificij molitione ea præcipua cura est, vt firma præiaciantur fundamenta: nam regiam quidem domum magnifice excitasse, parietes, & conclauia peregrinis marmorum crustis, inductoque auro ambitiosè exornasse, nisi ad structuræ veluti æternitatem prægrandia in fundamentis locentur saxa, eò profectò sumptuosius ille ædium cultus, ac marmora spectabunt, vt ruinam, casumque festinent suum. Sapientissimus Regum Salomon magnum maximo Numini Templum extructurus, nihil habuit antiquius, quàm vt parietum pretio, & reliquarum partium splendori par fundamentum foret. Præcepitque Rex, ait diuinus sermo, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos. Magnificentior profectò illa Apocalypsios Ciuitas; quam, vt Ioannes memorat, margaritarum, gemmarumque vis ingens, aurumque per omnes velut angulos dissipatum illuminabat. Sed antequàm in partes eius singulas excurrat, describatque, quo decebat verborum apparatu, in fundamenta oculos, narrationemque demittit. Fundamenta, inquit, muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata; fundamentum primum Iaspis, secundum Chalcedonius, & deinceps. Imago scilicet cælestis hæc Vrbs fuit catholicæ Ecclesiæ, quam Cælo tenùs exurgere, æternamque voluit Numen, fundauitque sumptuosiùs, iactis primum ad eius firmamentum, ac decus grandibus æquè, ac pretiosis lapidibus, nempè Apostolis, vt Ioannes ibi, Murus, inquit, Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Itaque, cum mens sit in hoc historiarum cursu nostræ Congregationis profectus omnes, atque incrementa, ceu surgentis cuiusdam ædificij molem exactè describere, pretium eius operæ erit, fundamenta prius inspicere, hoc est, Institutores ipsos, lapides grandes, solidæque virtutis, ac verè Apostolici spiritus Viros, qui opus hoc opinione omnium maximum, ac plane arduum magno ausu, ac fiducia designarunt. Iucundum nempè erit, antequàm Clericorum Regularium collapsum toto Orbe institutum instaurarent, ac publicè nuncupatis votis profiterentur, cognoscere, cuius notæ homines fuerint, qua natalium conditione, ac luce, qua indole virtutis, quo rerum vsu, qua denique Romana in aula existimatione. Exornabit satis luculenter primam hanc historiæ faciem egregia illa Fundatorum virtus, certis non dum regularis disciplinæ legibus illigata: reliquam eorum vitam in ipsa Congregatione exactam, resque pulcherrime, sanctèque gestas, posteritatis fructu dignas, prout occasio, ac temporum exiget ratio, in loco narrabimus. Interim coniectari facilè erit, qua tandem morum sanctitate, ac laude floruerint, postquàm nouam hanc viuendi rationem inierunt, qui antequàm eximiam illam mentem conciperent, tanta virtutum conspiratione, concentuque inclaruere. Ergò, quatuor omninò magnæ virtutis, ingentisque animi viris iniecta diuinitùs mens fuit, hunc Regularium Clericorum Ordinem instituendi: scilicet, vt tantæ prouinciæ subeundæ plures simul singulari quodam animorum consensu, parique contentione auxiliaram sibi manum darent, mutuaque sese difficillimo in negotio iuuarent ope. Fuere hi Caietanus Thienæus, Vicentinus, in Beatorum postea numerum ob præclaram vitæ sanctimoniam ritè adscriptus; Ioannes Petrus Carafa, Neapolitanus, Episcopus Theatinus, postea Romanus Pontifex inauguratus, vocatusque Paulus Quartus; Bonifacius à Colle, Alexandrinus, & Paulus Consiliarius, Romanus. Summa profectò hominum capita. Narrationi, quam instituimus, initium, omenque dabit Thienæus; tùm quia præcipuus cum Carafa Institutor, vt dicemus in loco, tùm verò, quia spectata eius vitæ innocentia, ac sanctitas non vno planè miraculo comperta, certissimoque Romanæ Sedis iudicio, ac suffragio comprobata, priores has poscere videtur

Cuiusque ædificij præcipua in fundamentis cura.

Reg. 3. cap. 5.

Apocal. c. 21.

Agendum prius de Ordinis fundatoribus.

Quatuor Institutores, & qui.

historiæ partes; & assentitur facilè, conceditque locum Caietano Carafa, sanctissimus Pontifex Beatorum ordinibus iam adscripto.

Vrbis Vicentiæ laus.

Vicentia in Veneta Prouincia Vrbs est ornatissima. Ab indole, genioque soli, ab aëris clementia, ab amnium adlabentium fluxu summa illi commendatio, & commodum. Subobscurior vetustæ Vrbi origo est, adaugentque nobilitatem incerta initia. Nec defuere præstantes omni æuo, strenuique viri, qui cùm in omni virtutum genere, tùm bellica in primis laude, clarisque ingeniorum monumentis posteritatem sibi, famamque Vrbi suæ promeruere. Hac in Patria natus est Caietanus, è vetustissima quidem, ac principe eius gente, Thienæa nimirum stirpe, cuius incunabula vel ab antiquissima, ac celeberrima Græciæ Vrbe, nempe ab Athenis sunt repetenda, augetque fidem ea stemmatis nomenclatura, nam ab Athenis Thienæos dici volunt: ni mauelis illorum opinioni adstipulari, qui ab Athenio, Arcadio, ac Honorio imperantibus, Consule, Thienæum genus, nomenque deriuarunt. Vetustati reliquus magnarum familiarum apparatus respondet. Nam Infularum splendor, amplissimæ Quiritium purpuræ, suprema præfecturarum nomina, Ducum trabeæ, tituli, fasces nunquam non in ea Domo fulsere. Porrò, excellentium ex ea gente domi, forisque virorum inire numerum, superuacaneum putamus. Habes Vgutionem à Cælestino Pontifice Tertio Summo Purpuratorum Patrum Senatui adoptatum, qui Innocentio Pontifice item Tertio in Picenum allegatus, egregiam in Marcuualdum Tyrannum operam nauauit. Alterum Vgutionem, qui ad Venetos, mox ad superiores Pannonios Orator, Romanæ aulæ ingenium, suamque in agendo dexteritatem insignitei probauit. Adde Ioannem ob res præclarè, ac fortiter bello gestas cognomento Taurum Vgutionis Cardinalis germanum fratrem, qui Caroli Tertij à Consilijs, mox à Ladislao filio in Tuscos profecturo, Regno Neapolitano præficitur; nec post multò eiusdem Ladislai nomine Pannoniam administrauit: tandem Insubriæ fascibus admotus, donec Philippu Maria Vicecomes adulta ætate, ac indole imperio suo par foret. Floruit insuper ante annum ferè ducentesimum Robertus, excelsi vir spiritus, compertæque satis apud plerosque Europæ Principes virtutis. Recentior est Caietani tertij memoria, ac fama, qui apud Ferdinandum primum, & Maximilianum Secundum Augustos, Regni Pannonici magnu Vexillarius, atque alæ equestris Dux fuit. Nec sanè inter postremos recensendus erat Caietanus ille magni nominis Thienæus, qui quod Caietæ natus, dum Pater apud Ladislaun Regem ea in Vrbe ageret, Caietanus est appellatus, fuitque Caietani, de quo dicimus, Patruus magnus. Hic omnes propè Aristotelis libros interpretatus, summique theologi laudem promeritus, celebritatem suo nomini, ac lucem fecit: Virique suo æuo magni eruditionem singularem ad sempiternam fidem testatam voluit Gymnasium Patauinum, inscripto ad eius tumulum nobili elogio, quod in Templo principe videre est Patauij. Paucos hosce ingenti è numero censuisse, carptimque delibasse, sit satis. Mittimus namque Ferdinandum, Adrianum, Simonem, Georgium, Octauium Thienæos, qua ciuili, qua militari prudentia laudatissimos: quando neque hic Thienæorum historiam attexere est animus, neque lacinijs hisce, externaque generis pompa onerari se Caietani virtus patitur. Quamuis hæc auorum insignia, vt ignauis nepotibus, qui aliena in luce apricantur, pudori, ac probro, ita cum magnæ cuidam animæ adsunt, illustris quædam sunt virtutum appendix, & vel ipsam vitæ sanctitatem, ingenti licet pectore, contemptuque aspernata, amplificant, cumulantque. Igitur, summo loco, spectatisque cum paucis Parentibus, nempe è Gaspare Thienæo, egregio seu belli seu pacis artibus Viro, & Maria Porta, lectissima fæmina, ac nobilitate Viro non impare, natus est Caietanus, anno à Virginis partu octuagesimo supra millesimum quadringentesimum: tres scilicet non amplius ante annos, quàm publica illa religionis fax, hoc est, Martinus Lutherus, malo quodam astro aurigante, ad morum perniciem, luemque in Orbem est inuectus: quo bonitas illa summa Numinis demonstraret, maturiùs iugulandis malis curare præsidia, quàm mala ipsa existant: nam vt in loco explicabimus, ad effrænem Lutheri insaniam compescendam, opem non exiguam, momentumque attulit hæc Clericorum Regularium à Caietano, & socijs instituta Sodalitas, eadem ipsa tempestate, qua ille mutato habitu, impietatis Roscius, fabulam exhibuit Christiano Orbi oppidò luctuosam. Porrò Caietani nomen Parentes eo consilio nato imposuere, vt in ipso alterius Caietani, Patrui magni, quem modò memorauimus, eruditio, & ingenium ad vmbram tanti nominis refloresceret. Et quidem, vt in diui-

Caietani Thienæi Patria.

Genus.

Caietani Parentes.

Tempestiuus ortus, vt Luthero opponeretur.

Caietani nomen.

in diuinarum, humanarumque rerum scientijs eandem Patrui orbitam pressit Thienæus; ita puriori ingenio de contemptu mundi philosophatus, lauream que feliciori in Athenæo consequutus, illum longè superauit. Sed prætereundum id loci non est luculentum maternæ pietatis argumentum. Enixa nanque filium Parens, statim à puerperio suamet illum manu ante Virginis Deiparæ imaginem stitit; obtulitque eius vitæ primitias, ac summa veluti libamenta magnæ Matri. Nempè, vt primam statim indolem, atque illibatam puero mentem instillaret, propinaretque lacte suo Virgo; ac feliciter quidem mortalis vitæ diem auspicaretur filius ab ea luce. Id quod & illustrem illam, non tàm generis claritudine, quàm filiorum Septemuiratu fœminam, nempe Aletham, Diui Bernardi Matrem, factitasse legimus. Siquidem quos in lucem edebat filios, tanquam non sibi, sed Deo peperisset, singulos ipsamet prona manu offerebat Numini. Hinc factum, vt omnes ceu iam indè ab incunabulis authoritati, Bernardo generosi agminis Duce, ac vexillario, stipendia in Dei Castris meruerint. Egregium sanè vtriusque Parentis factum, eodem ferè successu memorandum. Et quidem, quod ad Caietanum attinet, annuisse Virginem pientissimæ matris votis, & facili in eius pectore pietatem, atque omnigenam virtutem altiùs impressisse; sequuti subindè in puero, atque in adolescentia mores ingenui, compositi ad omnem modestiam vultus, innocentia, ac ipsa in Beatissimam Virginem obseruantia commonstrarunt. Scilicet, siue è maiorum indole, siue è Cælo proseminata in animo virtus cum ipso flore ætatis statim floret. Erupere in primis in puero maturæ iam pietatis indicia. Summa enim in pauperes munificentia, & commiseratione stipem ipse à domesticis, exterisque corrogare, ipse erogare, paupertatis eximius quæstor; futurus deindè grandiori æuo tantus tantæ virtutis assertor, & cultor. Elementa, ac summa fidei capita mirum qua memoriæ celeritate arripuit: vtque propugnaturum se olim contra capitones, ac frontones hęresiarchas fidem maturè ostenderet; eiusdem argumenti disceptatiunculis oblectabatur. Ingenio facili, præsentique fuit. Emensus humanarum litterarum studia in Philosophiam auspicatissimè velificauit: mox in Ciuilis, Sacrique iuris prudentiā ingressus; vtraque laurea publicè fuit inauguratus. Verùm, ceu forensem hunc disciplinarum apparatum nihil pensi habuerit; continuò ad scientiarum principem facultatem, sacramque Theologiam se contulit: vt hoc rerum cælestium lumine, ac sapientia actiùs arderet, qui egregio in pectore calere iam cœperat æternorum amor. Enimuerò, vt scientiarum cultu expolire ingenium præclarum esse duceret; illud præstantius, ac sanctius existimabat, exornare virtutum insignibus animum. Quare flagrantissimo quodam, acrique purioris vitæ desiderio inflammatus, adultam exercere iuuentutem pietatis operibus impensiùs cœpit. Hinc excellentium virorum exempla per vrbem studiosè peruestigare, & sequi; Templa, quà mysterijs frequentandis, quà fundendis precibus assiduò terere: fori celebritatem, ac frequentiam deprecari: secretiora deligere diuinis rebus commentandis loca; vt breui, meritòque manauerit vulgò fama, Comitem Thienæum bonis incitamento, malis terrori esse; illis quidem exemplar, his frænum. Sed & certæ fidei autores tradidere, tanta apud Vicentinos existimatione in illo ætatis veluti tyrocinio fuisse Caietanum; vt laude ter maxima audierit, consentione, ac linguis omnium, Spiritualissimus, deuotissimus, sanctissimus. Auxit hanc pij Iuuenis opinionem Templum illud, quod Diuæ Mariæ Magdalenæ, erecto etiam ad egregium hoc opus Fatre, suo, ac Fratris ære excitauit, dotauitque. Quo & erga sanctissimam Mariam Magdalenam suum interioris animi affectum testatum voluit; & populis, qui eo in pago, Rampazzum vocant, Thienæorum latifundium, morabantur religiosè, ac sapienter consuluit; vt templo nimirùm viciniore animarum negotia propensiùs, atque opportuniùs accurarent. Quæ sanè sacrarum Ædium substructio rudimentum Thienæi fuit, templa quidem maiora, ac sumptuosiora facere condiscentis: concipiebat nanque animo, fore, vt nouæ olim Congregationis Fundator, plures diuino Numini Ædes fundaret, ac magnificè dedicaret. Extat nunc Templum hocce Magdalenæ Sacrum, inscriptamque germanorum fratrum pietatem ad æui memoriam legendam refert in hæc verba.

Matris pietas Infantem à partu Deiparæ statim obtulit.

Imitata Aletham D. Bernardi matrē.

In vit. D. Ber

Caietani in prima ætate indoles.

Ingenium.

Et studia.

Pietas.

Extructam D. Mariæ Magdalenæ Ædem dedicat.

Baptista, & Caietanus de Thienæis fratres Iuris Consulti à fundamentis erexere.
An. Domini M.D. v. die x. Iulij D.O.M. ac D. Magdalenæ.

Tantæ indolis incrementa, vt parem iam puluerem, stadiumque nanciscerentur, Romam concessit Caietanus; eo planè diuini Numinis consilio, vt spectare propiùs incipe-

 ret,

ret, quo esset loco res Romana, & qua tabe totius Christianæ Reip. Corpus laboraret; lātutus ipse annis voluentibus fatiscenti seculo opem. In ea luce Quiritium florentissimus Iuuenis, etsi tegi opes animi, præstantesque egregiæ mentis impetus peruellet, non diù latuit: hoc enim veræ, solidæque virtutis est proprium, & latere velle, & simul effundi, ac spargi. Perspecta statim, in eo flore æui, consilij maturitas, morum probitas, factumque ad omnia ingenium; quæque iam de Thienei laudibus gliscebat inter aulicos admurmuratio, ad ipsum Pontificem Maximū peruenit. Iulius is erat, eius nominis secundus; qui singulari illum beneuolentia complexus, Pontificiæ Aulæ adlegit; nec post multò inter Apostolicos, quos vocant Participantes Protonotarios, adoptauit: quæ planè perhonorifica tunc temporis erat appellatio, ac Infula, maiorique fortasse in pretio, quàm nunc est. Et verò, summo nunc honori ducit hic Ordo Præsulum tantæ virtutis, ac sanctimoniæ virum fuisse aliquando in suo ipsorum Cœtu adnumeratum. Quocirca hoc ipso, quo hæc scribimus, anno voluentis seculi sexto, & quadragesimo peculiari quadam honoris testificatione inclytam eius memoriam, ac solemnia prosequi decreuere. Festa siquidem, sacraque Thienæo luce in Æde nostra D. Andreæ à Valle, instructo agmine adesse solenni ritu, habituque, sacris, ac panegyricæ eius laudationi occœpere; veneraturi anniuersaria religione hunc eundem Beatissimi Viri festum diem. Excepta verò communi plausu fuit instituta hæc Protonotariorum celebritas; visusque iure omni honestari Caietanus ab eo Ordine, in quem ipse non minimum splendoris, ac dignitatis refundit claritudine nominis, ac sanctitatis. Porrò in Aula nihil moris aulici Thienæo, ad solida contendenti, adhęsit. Non adsectata fronte hilaritas ad comitatis imitamentum; non quæsita verborum lenocinia ad mendacia inumbranda; non officia magnificè venditare, non vultu tenùs seruire tempori: quæ prima, ac frequentiora sunt Scholæ illius, Aulicæque disciplinæ rudimenta. Verùm, nihil non in sapientissimo Iuuene ingenuum, sanctumque: & cùm amplissimo in Vrbis theatro, omnium oculis expositus, præstantiorem vitæ rationem ineundam esse sibi persuaserit; statim censeri in eo, quod Romæ erat diuini Amoris Lararium, cogitauit. Excellentium planè Virorum celebritate, ac virtute longè clarissimus is erat cœtus; de quo fusè erit nobis dicendum, quòd in ea veluti officina, nostra fuerit procusa Congregatio. Quo autem studio admitti in hoc sodalitium postulauerit Caietanus, qua alacritate inierit; ardor ille eximius, quo in egregias, piasque eas curas incumbere visus illicò est, liquidò demonstrauit. Tanta siquidem contentione, conatuque animi, illo veluti in Circo, cursum cœpit; vt sanè non modò æquare alios merito, natuque grandiores; verùm etiam longè præteruolare videretur. Erudiebatur hic ille ad magna; vbi qui nescit tarda molimina, diuinus amor, gustumque excitat veræ laudis, statim fastidium Aulæ magno pectori ingenerauit; sensitque Thienæus maiorem Infulis, ac rerum amplissimarum titulis se indolem gestare. Quare diuino quodam igne medullitùs correptus, adeò Incaluit, vt florentes summæ dignitatis spes, Principis beneuolentia, fauor Aulæ adblandimentis, atque opulenta ipsa, quæ iam obtinuerat, Sacerdotia, sordere iam cœperint; totumque se Dei cultui mancipare cogitauerit. Sacerdotio initiari id esse potioris cuiusdam vitæ initium, & causam, sibi persuasit. Nec mora: quod in votis iam diù habuerat, sanctiore eo gradu inauguratur. Quod quidem Sacerdotij munus, qua mentis puritate, animique demissione vir pijssimus cæperit pertractare, coniectari à litteris libet, quas sub id fermè tempus ad Lauram Mignanam illibatæ vitæ, famæque Virginem, in Cœnobio Sanctæ Crucis Brixiæ commorantem, Roma dedit. Vbi, quòd doleat, se non eo cultu, atque apparatu, qui incruentam Aram decebat, accedere; hoc ipso, quo interiore animi sensu litaret, ostendit. Non hic vacat, singulas, atque integras eius epistolas exscribere; vnam, aut alteram Latinæ fidei redditam, quod è re, fructuque sacerdotum fuerit, summè delibauerim. Sic igitur ille ad Mignanam. [Etsi velim, tuum, Mater, nomen ex animo nunquam excidet; ac tùm maximè meminerim, cùm exiguus ego vermis, ac lutum in medio Paradisi, ac Sanctissimæ Trinitatis, Solis illuminatorem, & conditorem Orbis audeo contrectare. Hem cæcitatem meam. Horum profectò alterum foret iam mihi deligendum, aut sacris consultò abstinere, velut indignus; aut ceu fidus dispensator, thesaurique quæstor, Deo quàm humillimè ministrare. Quotidiè à me sumitur, qui altè inclamat, Disce à me, quia mitis sum, & humilis corde; nec superbiam ipse meam abijcio. Illuminatorem, ac viam sumo, dicentemque audio, Ego sum via; nec viam tamen corpo-

Noti statim Aulæ Caietani mores.

Et tulio II. Pontifici.

Apostolicus Protonotarius designatur.

Protonotarij Caietani memoriam solenni ritu prosequuntur.

In Aula non exprimit mores Aulicos.

Diuini Amoris Sodalitio adscribitur.

Sacris Ordinibus initiatur.

Insigni diuinorum sensu sacris operatur.

Hæc de re ad Lauram Mignanam litteræ.

fugam-

fugamque è mundo. Ardet meo in ore, ac manibus diuinus ille ignis, qui dicit, Ignem veni mittere in terras; & tamen pigro quodam gelu torpeſcit pectus.] Hæc Thienæus; qui & quotidie illo ſe recreari epulo, alteris ad eandem Virginem litteris, dicit; precaturque prolixiùs, vt oret, ne tàm continuæ litationis audaciam auerſetur ille, qui ſumitur, (nam ſine vita, ait, mors eſt.) Iam, ex his ad Mignanam litteris pleraque etiam colligere eſt collata in ipſum à Deo beneficia. Illud in primis memoratu dignum. Se nempè natalitia, feſtaque nocte Virginei partus ad Diuæ Mariæ Maioris Templum, Domini Præſepe inijſſe, ſacris fortaſſe operaturus: ſed audi qua ſorte, ac deliciarum affuſione; ſic enim ad eandem. [Audax ipſe nimiùm, ipſa ſanctiſſimi puerperij hora, adorandum illud, verumque Præſepe adij; animos mihi abundè ſuffecit Beatiſſimus Hieronymus, cuius oſſa propter felicia ea Cunabula benè iacent. Eoque mediatore è pauentis Virgunculæ, nouæque Parentis, Dominæque meæ manibus Infantulum arripui, complexus æterni Verbi carnem, ac veſtimenta. O verè durum meum cor; nam, quòd ſuauiſſimè colliquefieri tunc minimè contigerit, adamas profectò erat.] Hæc ille, quo non obſcurè quidem innuit, ſe ad veros ipſos recētis Pueri amplexus, raro quodam fauore Numinis, admiſſum ea nocte. Quod & ſanctiſſimo Franciſco Aſſiſinati, hæc ipſa æterni Infantis incunabula celebranti, contigiſſe, memoriæ proditum eſt: vt mirari meritò poſſimus, id Caietano in ipſo ſuæ vitæ ſanctioris tyrocinio impertitum; quod Franciſcus, ad ipſum ſanctitatis culmen iam euectus, impetrauit: libetque hinc conijctari, qualis poſtea, cuiuſque notæ fuerit Vir egregius, cui tantis iam largitionibus aderat Deus. Illud poſtremò ex his nunc epiſtolis excerpimus, ereptam Caietano Matrem fuiſſe ſub hæc ſui ſpiritus rudimenta; verùm, quo ſucceſſu, ac precum fructu, eius mortem iuuerit filius, libet hinc luculenter cognoſcere. Elara ſiquidem optima fœmina, vt Thienæi deſiderium, mœroremque temperaret Mignana, ſtatim illum litteris appellauit; diſertèque monuit, fuiſſe iam pijſſimæ Parentis animam Deiparæ Virgini oblatam, idque Diui Archangeli Michaelis, ac D. Monicæ manibus. Cui ille quàm modeſtiſſimè reſpondit, gratulari ſe bonæ Matris ſortem; illud verò negare minimè poſſe, iiſdem ipſis Cœleſtibus, nempè Archangelo Michaeli, ac Diuæ Monicæ laborantem eius ſpiritum commendaſſe. Ex quo planè eius orationis efficaciam intelligimus; ac non aliud ſciuiſſe, ac nunciauiſſe Mignanam perſpicimus, quàm quod ipſe iam impetrauerat.

Ad Domini præſepe Infantis amplexibus dignatur.

Matri ſupremo ſpiritu laboranti Cælitum patrocinium impetrat.

Diſcedentem nunc illum Roma proſequamur. Sacerdos, vti diximus, initiatus, ea frequentatione ſacrorum creſcente eius in pectore vi Numinis, intendi etiam Aulæ faſtidium ſenſit: ita vt ſatis ſibi, conceptiſque incrementis conſultum iri exiſtimauit, ſi ab ea Vrbe, in qua ab aulicis officijs, ac functionibus non vnam in partem animus, curæque ſcindebantur, Vicentiam ſe, tanquam tranquilliorem in ſtationem poſtliminiò reuocaret: ibique quod in domeſtico lare ordiri iam cœperat, vitæ inſtitutum, faſtu omni, pompaque abdicata, flagrantiore quidem ſtudio redordiretur. In Patriam igitur reuerſo; & in quibus potiſſimùm pietatis ſtudijs operam poneret, circumſpicienti, Sodalitium occurrit, cui à Diuo Hieronymo nomen; frequens illud quidem, ſed gregarij in eo, minutaque è plebe homines. Verùm, qui non genus, & proauos, ſed virtutum profectus, ac momenta expendebat Caietanus, adſcribi inter Hieronymianos huiuſmodi ſodales magnanimo ſuorum natalium, atque obtrectantium contemptu, poſtulauit. Idque eò libentiùs, quòd à Romano iam memorato diuino Amoris Sodalitio deriuatum, expreſſumque, iiſdem ferè legibus temperatum cerneret hoc Vicentinum. Iam, quantùm ea tanti Viri acceſſione Sodalitas illa excreuerit; quænam è ſubacta, excultaque, accurata eius opera, atque Infulato illo vomere, tellure meſſis, prouentuſq; breui extiterit; quantum eximia illa virtus vulgarium virorum ſtudia nobilitauerit; qui æmulandi ardor repentè excitatus; vt Sacramētorum vſu frequentiore, ventilatis Thienæi, quà adhortamentis, quà acri exemplorum vi flammis, ea pectora exarſerint, præclarum, diſertumque eiuſdem Sodalitij de Caietani actis Commentariolum memorat. In quo narratur in primis, diuinum Epulum ter, aut quater in anno ſumi ſolitum; bis, & ter qualibet in hebdomada Caietani incitamento ſumptum. Ipſum præterea ſua manu cæleſtem Dapem Sodalibus impertiri conſueuiſſe; & quò audiùs, affectuque acriore accederent, ea dicendi vehementia, ac vi lacrymarum inter ipſam ſynaxim perorabat; vt & præſenti illi Epulo intimè ſuerentur, & aliud mox flagrantiſſimè anhelarent. Verùm, vt erat Caietanus aliorum bono natus, fortuniſque, ac proximorum neceſſitatibus ſubleuandis egregiè animatus; ne ipſe, ac Sodales cæteri

Roma Vicētiam diſcedit

Hieronymianum Sodalitium init.

Sacræ Eucharistiæ frequētiam inducit.

hisce tantummodò clandestinis virtutum exercitamentis oblectari videntur, ac proindè
nulla hinc aliorum commoda permanarent: illud in primis vrgere cœpit impensiùs, vt

Insanabilium Nosocomiū Sodalitio annectendum curat.

Hieronymiano huic Sodalitio Insanabilium, quod erat Vicentiæ, Nosocomium annecte-
retur. Id verò ex animi sententia cùm successisset; dedit præterea operam, vt Diui Iacobi
Augustano, vt vocant, Xenodochio Vicentinum hoc, tanquam suo capiti membrum
adiungeretur. Virtuti segetem dari in hac publici Valetudinarij area non exiguam intimè
gratulatus; mirum quàm acriter inflammare alios, quàm alacriter ipse ea pietatis officia
obire cœperit. Fouere ægrotos, ac medeti sua manu videbatur; eorum saluti insudare,
malo impallescere; nec labori lentus parcere, nec somno; haurire è morborum insolentia,

Eius in Nosocomio studia, & caritas.

atque vlcerum sanie delicias; fulcire animos tolerantiæ laude; denique nihil prætetire
Caietanus, quo decumbentium saluti, ac solatio, quà munificentia, quà sermonis lenimen-
tis consultum iret. Instillato insuper, quod caput erat, per eam corporum curationem,
valetudinis longè pretiosioris desiderio, atque æternorum spe. Quo fiebat, vt qui acciso
interdum, luxatoque corpore lecto surgere diffiderent, confirmato intetim animo ad æter-
na altiùs eniterentur.

At enimuerò, qui arduum Christianæ perfectionis iter corripere statuerat; primo loco

Moderatorē vitæ deligit.

deligendum sibi, ne via aberraret, sui moderatorem, ducemque in animum induxerat
suum; cuius ipse nutibus cœptum vitæ institutum, rerumque suarum omnium momenta
temperaret. Habet nanque ad Cęlum velificatio Euripos suos, ac sub vndis crispantibus
scopulos, quos eluctari, ac fallere, nisi cum expertissimo rectore non possumus. Id quod
opportunè Serapion ille apud Cassianum monuit, [Nullo, inquit, alio vitio tam præcipi-
tem diabolus Monachum trahit, quàm cùm eum, neglectis consilijs seniorum, suo iudi-
cio persuaserit, definitionique confidere.] Ergo eximium è Dominicana familia virum
nactus est Caietanus, cui ceu prima militiæ stipendia facientem, totum se informandum
tradidit. Et verò impleuere ambo, ille magistri, hic tyronis partes omnes peregregiè. Etsi
nihil præterea tyronis in Caietano esset, nisi quòd effingere se, suasque vitæ rationes ad
alterius nutum sponte sua vellet. Et Rector quidem præclaros eius ad tes magnas impe-
tus admiratus; vt pulchrum interea adultæ virtutis periculum faceret, daretque ille egre-
gium triumphati iam plenissimè arbitrij documentum; iubet imparato, vt relicta statim
Patria, ac Xenodochio, cui strenuè insudabat, Venetias concederet. Ille, etsi magnope-

Iussus Venetias discedere.

rè vereretur, ne præclara ea pietatis studia, quę ipso incentore Vicentię mirificè incalue-
rant, magna cum inopum, atque ægrotantium incommodo deferuescerent: parendum
tamen huic Numinis interpreti censuit; pressoque Patrię sensu, omniaque post obedientię
laudem habens, noua in castra miles iam emeritus inuolat; nec perfunctoriè, tanquam
reuersurus; nanque importato domestico cultu, ac supellectili, fixo statim domicilio,

Omnium animos occupat excellenti virtute.

Venetię euasere illi in Patriam. Prçiuerat virum ingens fama; illumque, ceu delapsum
Cælo, atque integerrimę vitę hominem omnium Ordinum beneuolentia, ac fauor exce-
pere. Grauissima oris species, ac dignitas, flexanimus quidam dicendi lepor, verbis non
admodum quęsitis, nec neglectu nimio minùs cultis: ad hęc illibatus morum candor, ac
ardens animarum studium facilè Caietanum adeuntibus persuasere, quę de illo rumor
enulgauerat, inferiora vero esse. Nullum porrò temporis spatium absque proximorum
fructu, ac sui labore passus dilabi; continuò Xenodochio, quod Nouum Venetijs appellāt,
accuratam operam impendere; tùm alios strenuè animare, ac lapsam eo loci disciplinam,

Xenodochiū nouum Venetijs frequētat, instauratque.

pietatemque instaurare: vt breui, & decumbentium numero, & virorum certatim ad id
operis confluentium studio, ac liberaliore piorum munificentia tantùm excreuerit, vt exu-
to veluti senio, in alterum, nouumque Valetudinarium abijsse videretur. Vidit ea Vrbs
insolens planè à nobilitate exemplum. Virum nempè illustrem, ac Infulatum, damnato
corporis cultu, vulgarique contentum tunica, velut alterum Ouinium Gallicanum, gemi-
no Consulatu nobilem, consilia, fortunas, opesque suas, ac studia deuouisse ægrotis, in-
terdiù, noctùque illis inseruire, ac vilia quæque munera quàm diligentissimè, ac mode-

Publicum eius est monumentum.

stissime obire. Et verò vsque adeò in eo Nosocomio præclara reliquit suæ pietatis mo-
numenta, ijsque insuper institutis, ac legibus adornauit; vt perindè atque si excitasset ip-
se opus, eius dici Autor, ac fundator meruerit. Quapropter adscitus postea in Beatorum
Concilium, ornatus luculentissimo egregiæ caritatis testimonio fuit. Nam, cùm impen-
sam inibi tanti Viri operam in eius loci existimationem, atque honestamentum non me-
diocre

diocre meritò Rectores computarent, id futuræ olim posteritati testatum magnificè voluere: eiusque integram quidem effigiem regulari habitu ad portam principem ad viuum appingendam curarunt, dedicaruntque veluti Conditori Operis publicæ gratitudinis argumentum, apposita hac inscriptione.

Beato Caietano Thienæo Clericorum Regularium, huiusque Xenodochij Auctori, Gubernatores grati animi ergo. P. C.

Cœptum ab his pietatis operibus eius nomen, ac virtus prolixiùs commendari, atque vt erat frequens de illo sermo, ac passim admiratio, ita eius quoque limen, petendo in spiritu consilio, præsentique eius pietati efflagitandę, iam ab omnibus terebatur. Porrò, illum adire, nulli sine magno quęstu virtutum contigit, vt qui rerum diuinarum sensum, ac flammam opportunissimè adflare, ac in obuia quæque pectora inijcere apprimè nouerat. Quapropter haud multo interiectu temporis non è vulgi modò numero, verùm è pręcipua plerique nobilitate, ac quàmplurimę lectissimarum fœminarum exarsere ab eo igne: qui quidem Caietano, veluti conflabellante, adeò inualuit, ac per ea Venetorum pectora est propagatus, vt numquam deindè, eo etiam absente, aut subsedisse in cineres, aut successu temporis quoquo pacto tepuisse visus sit. Quod Vicentinus ille Commentarius, quem diximus, accuratè adnotauit, ijs pręsertim verbis, quæ ad finem leguntur. [In eamet, inquit, Vrbe excitauit animos virorum, fœminarumque nobilium, atque plurimorum è plebe. Denique igniculi ab eo iacti ardent in dies magis, magisque. Ea, opinor, opera pijssimè instituta causæ extitere placandi irati Venetę Vrbi Numinis.] Quo loco postrema hæc etiam verba, quę consultò scriptor apposuit, videntur perstringenda. Nempè ob instituta Venetijs Caietani opera, pleraque pietatis officia placatum illi Vrbi Numen fuisse. Enimuerò qui ex nostris de Thienęo luculenter scripsere, pręcipuè Antonius Caracciolus, funestissimam illam bellorum tempestatem innui volunt, quę totius ferè Europę metu, ac ruina eo tempore detonuit. Nam capta, direptaque à Turcis Rhodo, fugatisque, ac contrucidatis è Hierosolymitano Ordine militibus, Cretę, ac Cypro, finitimisque Venetorum prouincijs interminari ea procella videbatur. Ad hęc, Germanorum, Gallorumque alluuione penè obruta Italia fuit. Venetis tamen sine metu, siue motu terra, marique sua tranquillitas stetit, nec vllum irati Numinis fulmen sensere, Turca nimirum aliò armorum impetum flectente, & quassata miserrimè externorum barbarie, atque excursionibus reliqua Italię regione. Quod sanè, vt fortissimis Venetorum Ducibus historiarum monumenta tribuant; religiosiùs tamen, ac verius pijs operibus, ac supplicationibus, quibus Caietano molitore Deo Venetijs litabatur, acceptum referendum hic Diarij auctor putat. Scilicet eo ardore animi, ijsque exercitationibus tunc temporis insudabat Thienęus, tantumque in ea Vrbe pijssimi Viri existimatio excreuerat; vt credi facilè potuit, propiorem illam cladem, ac fere ineluctabilem eius ope, ac virtute propulsatam.

Venetijs dum hęc ageret, iamque omnium animos sui admiratione compleuerat Caietanus, Dominicanus Rector, qui & Venetias se transtulerat, excellentius quiddam, ac sublimius in eo conspicatus, iterùm vt Romam concederet, iussit. Enimuerò, qui magni pectoris adyta iam introspexerat; haud priuatę indolis hominem, aut vni tantummodo Vrbi parem esse, sed ad publicam rem Christianam grandioribus consilijs exaugendam à Deo destinatum illum putabat. Fortè & ipse Thienæus iam maiora animo conceperat: quarè nec imperio moram, nec profectioni excusationem vllam prętexere; & confestim alius quidem, vt ętate, nam annum quadragesimum iam excesserat, & Christi annus agebatur vigesimus supra sesquimillesimum, ita & virtutum apparatu Romam venit. Vbi nullis, vt antea, aulæ officijs, curisque distractus, discerptusque, in perlustranda illa templorum non tàm magnificentia, quàm sanctitate, in litandis per ea monumenta martyrum precibus, in quæstu animorum procurando totus erat: donec in memorato diuini amoris larario, superiore quodam lumine concepto, maius opus moliri cœperit, atque ad Cleri, Orbisque emendationem cogitationes omnes, neruosque intenderit. Quæ communia fuere vota, ac studia cum egregio illo Viro Ioanne Petro Carafa Episcopo Theatino, cuius modo vitæ rationes, antequàm seculo, ac Infulis vale diceret, stylo paulò diffusiore sunt enarranda.

Crescit hinc Thienæi virtutis fama.

Mortalium ad illum concursus.

Venetiarum vrbem Caetani pietas tutatur.

Iterum Thienæus Romã.

Pijs operibus Romæ vacat.

Et in diuini Amoris Sodalitio cũ Ioanne Petro Carafa.

Et verò,

Et verò, hic ille est, cuius si fortunæ, atque animi dotes numeres, cum paucis sui æui, ac superiorum temporum compares: quippe cui summum genus, ac summa indoles contigit; quique mutato sæpius velut in proscenio vultu, sapientis aulici, optimi Præsulis, sanctissimi ascetæ, egregij Principis partes vnus ad miraculum repræsentauit: atque adeò mixtura illa officiorum, ac morum habuere vno in Carafa quid imitarentur Principum aulæ, & cœnobitarum claustra. Nam, vt eximius artifex, quamuis materiam operi mutet, eadem nihilominùs artis præstantia pulcherrimas excitat rerum formas, eademque elegantia spirant vultus ab ea manu, siue aurum formet, siue argillam. Ità profectò Ioannes Petrus Carafa, seu pauperiore sub toga, abdicatis magnorum natalium, fortunæque splendoribus clàm mundo vixerit, siue amplissimas inter purpuras, ac summo loco, eadem orbi obiecit monumenta, atque exempla virtutum. Itaque, vt à cunabulis exordium repetamus, ea Gente natus is est, cuius amplitudo, vt neminem lstet, ita anxiùs, atque exacto narrationis filo non est recensenda. Origo tanti stemmatis vltra memoriam, ac notitiam nostri iacet. Quidam ad nobilissimam Gismundorum stirpem reuocant, quæ à Gismundo, inter Germanos spectatæ virtutis Principe, qui Pisis sexcentis abhinc annis Henrici Cæsaris summo cum imperio vices gessit, ea in Vrbe propagata, Neapolim subindè fortunam, lucemque inuexit. Scriptores alij vetustissima ab Gente, quæ in Poloniæ Regno multis retro seculis Russiæ floruit, deriuant, quam Korczakam vocant, non Vrbium modò præfecturis, ac titulis, sed amplissimis ipsis Regni fascibus, sceptrisque honestatam. Suadent familiarum insignia, quæ vtrobique eadem. Fauet præterea ea Generis appellatio, nam vernacula Polonum lingua, Korczak, idem est, quod apud Italos, Carafa; acceditque postremò constans Regni illius fama, quæ inclytas hasce tam dissito Cælo familias vnam, eandemque esse, vulgò iactat. Sed nec defuere, qui propiores fortasse vero Genti Caracciolæ, tanquam suæ stirpi, prægrandem hunc Carafarum ramum annectunt. Planè, si communicatis mutuo Infulis, purpuris, Regum gratia, Ducum titulis, fama, rerumque gestarum gloria geminum hoc Neapolitanæ nobilitatis decus vnam in Gentem cogeretur, quantum vtrique familiæ accederet lucis, gloriæque? Cum aureus hic Carafi nominis surculus eam in arborem per se ipse iam excreuerit, vt nulli Europæ fermè totius maiorum gentium prosapiæ concedat. At fuerit nobilissimi Stemmatis caput vetustate sua obscurum, certè quà pulcherrimis pacis artibus, quà fortuna belli adeò subindè inclaruit, vt eius decora, Virosque, qui ea promeruerint, adnumerare, spissior profectò, atque operosior res esset, quàm vt breui nunc styli properantis tractu percurramus. Enimuerò nostrorum ferè Patrum memoria, vt antiqua prætermittantur, eo numero effloruit, vt continenti, breuique temporis spatio vnum dederit Vaticanæ Sedi Pontificem Maximum, quo de sermo nunc erit: Purpuratorum Senatui Cardinales omninò nouem; & dum hæc scribo additus ab Innocentio Decimo, Decimus; nempè Petrus Alousius Carafa, ex Antij Marchionibus, qui lectus in amplissimum Ordinem longè antea communi suffragio fuerat; præstantissima virtute, prudentiæ in primis laude splendorem purpuræ promeritus: Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopos octo: Comites, Marchiones, Duces, Principes Regno huic Neapolitano ad duos, & septuaginta supra centum, vel eò ampliùs. Tùm supremi exercituum Ductores, Magistri Equitum, summi militarium ordinum moderatores, Hispaniæ Magnates, aurei velleris Equites, Romani Imperij Principes, Proteges, Thalassiarchæ, legati syluam faciunt quàm densissimam. Mitto Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Prouinciarum Præfectos, nam sydera hyberno, sudoque Cælo prius numeres, quàm stirpis huiusce titulos, atque appellationes. Illud non dissimulandum, quod facit maximè ad eius decus, ac nescio, an vlli vnquam contigerit illustriori familiæ; postremis scilicet hisce temporibus tres ex ea Gente viros principes non quidem successiuè, sed vno, eodemque simul tempore ex inclyto aurei velleris Ordine fuisse: nempè Aloysium Hostiliani Principem, Antonium Principem Roccellæ, & Tiberium Bisiniani, & Scillæ Principem: quos paruo quidem interuallo præcesserat Montis Nigri Marchio, præliati vir ingenio bellorumque peritia, ac laude nulli secundus.

Multiplex Carafæ indoles.
Gens Carafa.
Origo à Gismundis.
Angel. Const. histor. familiæ Carafæ.
Fran. Sanct. de famil. nob. Ital.
A Regno Poloniæ.
Bonfiol. Hist. Vngar.
Fabr. Camp. de insign. nob.
Franc. Marco Scipio Ammir. Sommõt. hist. par. 2. li. 4.
Eadem cum Gente Caracciola.
Præstantium virorum numerus.
Syluest. Petra Sancta de sym. heroicis.
Petrus Aloysius Carafa x. Cardinalis ab Innoc. Dec.
Quatuor eodem tempore aurei velleris Equites in Carafis.

Atque hoc quidem fœcundo, populosoque à stipite paternus Ioanni Petro natalium splendor, quem maternum Camponescorum Genus magnoperè cumulauit. Ea Gens in Ve-

Maternum Io: Petri Carafæ genus.

in Vestinis armorum gloria, ac præstantissimorum operum æstimatione, celeberrima. Origo, vt magnis passim, vetustisque familijs contigit, incerta. Illam non leui quidem coniectura è Romanorum Cæsarum sanguine, quidam ducunt. Exploratum quippè habent, postquam Fridericus Imperator Secundus Aquilam, principem Vestinorum Vrbem circumductis latè mœnibus muniuit, amplificauitque, nobilissimos Germanorum, ipsiusque Cæsaris affines illam incoluisse. Constat porrò, Camponescos, Montorij Comites, velut eius Vrbis, totiusque Marsorum Regionis Dynastas inter cæteros, summum inibi locum habuisse. Et quidem haustos è regnatrice, augustaque Domo spiritus insignia subindè nobilissimæ Gentis facta, atque ad gloriam impetus commonstrarunt. Suos Reges egregia in bellis virtute, ac fide demereri apprimè studuerunt: vnde & magni Camerarij in Regno Neapolitano, & magni Seneschalli in Regno Siciliæ amplissimos honores, hic Antonius, illic Lallus, militia clari, sunt consequuti. Eximiam præterea apud plerosque Italiæ Principes operam nauarunt, functi magnis domi, militiæque præfecturis. Præcipuè Guelfæ, hoc est Pontificiæ partis studia sequuti, egregiè de Romana Ecclesia meruerunt. Etenim fortissimus ille, multarumque victoriarum Dux, Pontificio nomini maximè infensus, Braccius Perusinus propè Aquilam profligatus, captusque, in Camponescorum Domo alto vulnere confectus interijt. Montorij Comites in Petrum Lallum Camponescum desiere, Virum auita, suaque virtute clarum, atque vtrique tempori, armato, pacatoque parem. Is nullis maribus susceptis, tres tantummodò filias habuit; quarum prima Victoria Camponesca, lectissimis moribus virgo, Patris hæres, nuptui tradita est Ioanni Antonio Carafæ, inter Diomedis, Mataloni Comitis liberos secundo; importauitque in Carafas, Virique Domum, priscam Camponescorum Toparchiam, ac titulum. Hi quidem tot Auorum nominibus, tantisque fortunæ splendoribus inclyti fuere Ioannis Petri Carafæ, de quo scribimus, Parentes. Et quamuis, gemino veluti in Sole generis, ex æquo ipse apricaretur; & vterque Parens præter maiorum gloriam pari etiam morum indole, ac prudentia præditus esset: tamen Bernardino Cyrillo, suæ Domus præfecto persæpè postea dicere solitus erat, de Matre se magis, quàm de Patre, eiusque stemmate gloriari: quod nempè illa è Vestino Camponescorum sanguine esset orta, quibus in oris nunquam post hominum memoriam, aut natam hæresim, aut eò alicundè inuectam, grassatam constat. Planè, illibato ab eo Cælo oriundum se meritò iactabat Carafa, qui prauas Nouatorum opiniones tàm acri, atque implacabili bello insectabatur: quique qui pugnacissimus impietatis hostis futurus olim erat, debuit ab ea Regione maternum genus ducere, vbi extiterit semper Religionis candor illæsus. Igitur tertio Kalend. Iulij, reparati Orbis anno septuagesimo sexto supra millesimum quadringentesimum, regnante Neapoli Ferdinando Primo Aragonensi, Sixti Quarti Pontif. Max. anno quinto, summa luce natus est Ioannes Petrus, non quidem in Oppido Sancti Angeli de Scala, vt ait Panuinius; sed Capriliæ, qui vicus est in Hirpinis propè furcas Caudinas, Romanorum clade celeberrimas. Ita vetus fama est, constansque apud Capriliæ Ciues, qui cunabulis hisce nobilitati, domicilium inibi in Toparchæ Domo ostentant, vbi is primùm lucem adspexit. Fratrem habuit natu maiorem Ioannem Alphonsum, paternæ virtutis, opumque hæredem: Sorores omninò quinque, quæ illustribus præcipua è Neapolitana nobilitate viris in matrimonium datæ; præter vnam natu maximam, Mariam nomine, quæ mortales nuptias, ac thalamos deprecata, consecratam se ritè Deo sponso voluit; ac in Monasterio Sapientiæ, quod ipsa Neapoli fundauit, vixit, obijtque sanctissimè dierum, ac meritorum plena: de qua, ne tantæ virtuti tenebras faciat obliuio, in loco narrabimus. Porrò longè antequàm ederetur Carafa, prænunciatæ illi Christiani Orbis, summæque dignitatis Infulæ fuere, ad quas tandem profunda iam senectute auspicatissimè, faustisque omnium ordinum acclamationibus est euectus. Verùm, nè tam diù hoc in limine hæreat calamus, isthæc piorum virorum oracula, prædictionesque consultò prætermittimus; dicturi opportunius, cùm de eius inauguratione disseremus. Inter in narrationi insistamus. Infanti, quòd intra solennes Ioannis Præcursoris dies, ac in ipso Principis Apostolorum peruigilio sit natus, geminum Ioannis Petri nomen contigit; virtutem nempè adepturo geminæ appellationi parem. Educatus ea cura Puer, qua solent magni, atque optimi parentes. Illuxere statim in ipsa ingenuæ frontis, oris-

Ex Franc. Carafa in relat. M. S. ad Mariam Carafā I anl. 4. nep. Camponescorum origo.

Virtus.

Iulius Rossius in elogijs militar.

Iulius Cæsar de Sola de orb. 18. fol 75.

Cyril. hist. de Aquil. fol. 64.

Et virtutis insignia.

Pontificiarū partium studiosi.

Braccius in eorum Domo cōficitur.

Camponescorū opes transfert in Carafas Victoria, Patris hæres.

Maternum stemma pluris faciet Io: Petrus, quàm paternum.

Castella hist. de Aborig. fol. 42.

Ioannis Petri ortus.

In vit. Paul. 4.

Fratres, Sorores.

Nomen.

Educatio.

Indoles.

supra puerum grauitate, magnæ cuiusdam mentis crepuscula. Facilitas illi, & vigor ingenij, & memoriæ vis ingens. Vultum egregiè honestabat, formabatque germanis veluti lineamentis modestia. Postremo ea moribus inerat, verbisque festinata maturitas, vt nihil vnquam exciderit nobili puero inelegans, aut indecorum. Quæ, cum Pater inspiceret, vt ingenti quidem naturæ accederet par industria, ea confestim præsidia, atque adiumenta parare studuit, quibus in illa quæ pollicebatur, incrementa virtutum, eximia sese indoles explicaret. At enimuerò, etsi optimis præceptoribus imbuendum tradidisset Pater; præcipuam tamen ille morum magistram Mariam sororem habuit: quæ octuennio maior, cum sortitum egregiam animam illum aduertisset, ceu sibi potissimum demandata eius institutionis cura esset, eò animum adiecit, vt ad omnem virtutem fratrem fingeret, pulchramque instillaret illi mentem. Et verò in externa, ciuilique formanda indole haud diù laborandum Mariæ fuit; quippè natura, aut quodam afflatu generis, in omni humanitatis officio tempestiuè obeundo videbatur apprimè eruditus Puer. Eapropter altiore quadam disciplina initiandum eius pectus putauit. Cœpitque ad solidæ, veræque virtutis incitamentum pulcherrimam eius formam mentis oculis obijcere, eaque præsertim, ac sensim monebat: Exigui æui corpus esse, animum immortalem, excolendumque. Ad gloriam per contemptum rerum amplissimarum iri. Cælestia tantùm momento, pretioque suo æstimari; cætera laborare in speciem, atque externam quandam boni laruam esse. Quæ sanè, eiusdemque argumenti alia, attentis ille auribus arripiebat; atque altè in animum, ceu fertilissimum in solum immissa, bonam statim in frugem euasere. Nam virgineus quidam pudor vultu, totoque corporis habitu obseruari in eo cœpit, integerrimi profectò, castique propositi index; quem posteà, vt compertum habetur, toto vitæ cursu, quauis illecebra voluptatis maior, infractusque tenuit. Hisce præterea sororis adhortamentis pietati animum vsque adeò addixisse visus est, vt nihil omninò illi gratius, aut iucundius esset, quàm templis immorari, sacrorum cultu, ac functionibus oblectari; religiosos, piosque viros colere. Suspiciebat præsertim è Dominicana familia Patres, quibus cum assiduè, & cum voluptate versabatur, eratque illorum ob paternarum Aedium propinquitatem propè contubernalis. Accidit porrò, vt inspecto propiùs sanctiore illo viuendi genere, illectusque ea morum disciplina; fastidire opes claræ Domus, totamque mundi arridentis fabulam cœperit, ac mox eius capessendi Instituti consilium inierit. Neque mora: re nulli mortalium communicata, ingenti quodam præferuidæ mentis impetu, clàm in Diui Dominici Cœnobium discessit; Patresque, vt admitterent, habituque dignarentur, prolixiùs orare: expendisse nimirum se maturè consilium, nec asperiore eo cultu deterreri. Admirari illi magnoperè viriles, adultosque iam animos, ac mentem æuo grandiorem; quippè longè intra pueritiam adhuc erat, & vix duodennis. Attamen, quia delicatior cùm ætas, tùm educatio: tùm ne Parentes, vt potè præclarè de Religione meritos contristarent: & quòd ijdem, quos acerbissimè laturos filij propositum non dubitabant, si litem postea intentassent, æquam omninò causam habuissent, intempestiua ea pueri indole, atque ætate obiecta, illum non admittere decreuere; dilaudatoque abundè consilio, multis verborum blanditijs puero licet subtristi, ac penè indignabundo persuaserunt, vt pedem domum referret. Scilicet huc assidua sororis documenta, ac monita euasere, vt præclara ea vota ne dum puer conciperet, sed pulchrè festinaret. Quæ sanè in seipsum promerita ad memoris, gratique animi auctoramentum Carafa, compositis ad eam litteris, sæpissimè posteà est contestatus, & cum de illa dicemus, dabimus hæc litterarum fragmenta.

A sorore Maria ad pietatē conformatur.

Compositione virtutum.

Hinc religiosi instituti consilium.

Dominicanæ disciplinæ habitum petit.

Nec admittitur, quod ætas imbecillior, & vix duodennis.

Verùm, non diù acres huiusce desiderij stimulos ferre potuit egregius Puer, annisque mox crescentibus præclarus ille ardor, qui consopitus, contectusque maiorem in flammam alebatur in pectore, ea demum vi erupit, vt facto quodam generosiore impetu in idem Cœnobium, nescio maiore Parentum tristitia, an admiratione prolapsus, habitum secundo postulauerit. Quo in opere non adhortantem modò, incitatemque, sed & Comitem Mariam habuit: putauitque Carafa fore, vt qui solus antea illata ceu debiliore vi irrumpere in Dei castra non poterat, communicato deindè cum sorore ingenio, armisque veluti congeminatis, perficeret. Quartum decimum agebat annum Ioannes Petrus, cùm quod ipse Sororis monitis hauserat, humanarum rerum contemnenda-

Idem capessendæ Religionis consilium.

Eius propositi comes soror,

nendarum propositum, hoc ipsum concepisse sororem intellexit: quarè mutua se se inuicem allocutione adhortantibus, firmissimè statuerunt, calcatis piè parentibus, simul ambos nuncium mundo remittere, eidemque Ordini nomen dare. Maturiùs in primis agendam rem esse intelligebant: siquidem cùm egregiæ, adultæque iam formæ Virgini nobilissimas Pater nuptias festinaret, illamque Camillo Pandonio, Venafri Comitis filio, iuueni ornatissimo, iam penè despondenat, anteuertendi ij erant thalami, atque adornanda quàm citissimè fuga splendida quadam, ac laudabili fraude, vt parentes bellè, ac nuptias fallerent. Collatis itaque vna votis, illud tandem animo consilium sedit. Rogarent Matrem, vt ad D. Sebastiani Sanctimonialium Diui Dominici Cœnobium, vt vespertinis religionis causa precibus interessent, vterque duceretur. Mariam ibi facto statim impetu intra Monasterij Septa inuolaturam: mox dum questubus vacaret Mater, ac turbæ feruerent, elapsurum per eos tumultus fratrem ad Diui Dominici. Res vt conuenerat, Deo moderante, auspicatò, & ex animi sententia successit. Enimuerò, monitis clàm hinc Monialibus, hinc Dominicanis Patribus, quamnam ipsi scenam secretò concinnauerant; cum ad Diui Sebastiani Templum Victoria peruenisset, vt ea, qua par erat humanitate excipere illam viderentur, aperuere ex composito confestim fores consciæ Moniales; cùm dara vix, acceptaque salute, Maria audentiore quodam, præsentique animo, dicto citius in claustra insiluit: statimque obductum limen. Illusam se, ereptamque per summam iniuriam filiam lamentari Mater immodicè, atque impotenter: rumorque excitatus consanguineos, externosque non paucos conuocauit. Quo facillimè alteram scenæ partem implere potuit roscie Ioannes Petrus, qui nullo obnitente per eam turbam toto, vt aiunt, remigio in Monasterium promonit: celebrantibus certatim ijs Patribus flagrantis insignirer animi, magnæque virtutis specimen: præstantissimoque ab incepto præclaros quosdam euentus ominantibus. Nec post multò Parentes, qui in adempta, raptaque ex oculis filia comploranda toti erant, & filium pari ingenio desciuisse animaduertunt, geminoque ceu vulnere consternari, dolori, irçque vix imperabant. Tandem, quòd in filia vindicanda operam frustra insumi viderent: vi nanque tentare Virginum claustra, nefas: quem conceperant animo imperum, in Diui Dominici Cœnobium effuderunt. Hic similis furenti strepere, inclamare Comes: nullus mærori temperando aditus, nullum omninò verborum lenimentum exulcerato profundiùs animo profuit. planè, in parentum pectore plus nimio ardet, ac luctatur natura. Quare, vt indignationem quo quo pacto frangerent, gerendum Comiri morem duxere Patres, vtque filium alloqueretur, quod ille anxiùs efflagirabat, indulsere: qui nihil cunctatus, consanguineis, ac famulis adnitentibus, collachrymantem, ac frustra reluctantem arreptum Puerum domum velut in triumphum reduxit. Par quidem Carafa splendidissimo illi Orbis lumini, ac populari suo Thomæ Aquinati. Siquidem, & inuitis ille, inscijsque parentibus, [a] eodem ipso ætatis anno, nam quartum decimum agebat Thomas, vt memoriæ proditum est; eodem fermè fugæ consilio, eundem Prædicatorum Ordinem iniuit, & à consanguineis eadem vi postea abstractus, domumque, ceu partum ex hostibus trophæum, reportatus. Hoc dispar, quod ille demum victor ad maximi Ordinis incrementum, decusque immortale Ascterio est restitutus. At Carafa nouæ Congregationi condendæ Dei sapientia reseruatus, aliam viam iniuit, inclyti Prædicatorum Ordinis candidatus. Habitum verò, eiusque familiæ Institutum, quod bis conatus, assequi nunquam potuit, incredibili quodam affectu, atque in omni rerum statu existimatione, abundè compensauit. Porrò, quod sacrum illum habitum minimè induerit pro comperto habemus. Etsi non ignoramus, id aliquos è Dominicana familia affirmare, ac scriptis suis consignasse, vt ab illustri hoc nomine aliquod breue licet suo Ordini ornamentum deriuarent. At enim in hac eorum sententia conuellenda nihil est, quòd immoremur; tùm quia nullo innititur fundamento, nec facilè conijci potest, vnde illam Bzouius, scriptoresque alij hauserint, probentque: tùm quia testes producimus, quibus, vt porè Pauli Quarti Pontificis familiarissimis, eiusque, & Nepotum aulæ innutritis, longè profectò maior habenda fides est, quàm alijs aliud opinantibus. Quorum vnus est Flaminius Filonardus, Episcopus Aquinas, ex intima Carafarum clientela famæ integerrimæ Anristes, qui conceptissimis sæpe verbis narrauit nostris, illum bis quidem Prædicatorum habitum flagrantissimè cogitasse, induisse

Et statuunt nihil differendum.

Fugæ rationē ineunt.

In D. Sebastiani Cœnobium insilit Maria, illusa matre.

Quæ dū quæstubus vacat.

Dilabitur ad D. Dominici Ioannes Petrus.

Sed indè à Patre auellitur.

D. Thomæ Aquinati persimilis.

[a] Hist. S. Domini li. 3. c. 10.

Religionis habitum non induerit.

Contra Bzouium, aliosq. è Dominicanis scriptores.

Testimonia cuncunt.

 tamen

tamen nunquam. Alter est Cæsar Carafa, qui in ea, quam de rebus gestis maximi Patrui ad Mariam Neptem scripsit, epistola, hoc idem indubitanter affirmat. Quod si hæc præstantissimi habitus susceptio ea fide constaret, vt consignari litteris posset, gratanter profectò nostris historijs insereremus; quemadmodum ingentes Carafæ spiritus, contentionemque eximiam in ea Prædicatorum disciplina amplectenda vltrò narramus, ceu iactabundi.

Aliud de Carafæ monachatu commentum.

Sed Castaldus confutauit.

Cæterùm, postquam huc semel incidimus, poscit locus, & cognata huic materia, vt commentum aliud refellamus, quod etsi ad examen reuocandum prudentes rerum nostrarum scriptores minimè putauerint: neque enim machina, tormentumque adhibendum, vt corruat quod est ex se deciduum: tamen cum spreta olim opinio, ne eius glisceret auctoritas, nouitijs non ita pridem quibusdam commentarijs obtrusa, lucem aspicere non dubitarit, conficiendum illicò mendacium fuit in limine, ne serperet. Et quidem impigrè, ac luculenter prouinciam suscepit Ioannes Baptista Castaldus, Vir nostri Ordinis integerrimus, scriptisque monumentis notissimus, qui ea, qua solet in id genus disceptationibus, diligentia cominùs commentum est aggressus, vibrauitque stylum eo ingenio, vt facilè ostenderit, in re tam compertæ fidei non quidem iusta, acrique ad victoriam pugna opus fuisse, sed prima statim velitatione potuisse rem totam expediri. Nos hic quæ ille strenuè lucubrauit, momenta rationum tristiore quidem dictione exscribemus, vt in hisce historiarum monumentis perennent, quæ paucis libelli paginis excepta, exigua mole laborassent sua. Igitur Constantinus Gaietanus, Gente Siculus, è Cassinatibus Monachis Abbas, Vir sanè cum paucis eruditus, & cuius studijs nonnullam vetustatis lucem debet posteritas, in ijs, quæ [a] ad Gelasij Pontificis, eius nominis, Secundi vitam, à Pandulpho Pisano conscriptam, scholia adiecit, luciquededit, re nulla scriptorum fide, aut rationibus librata, confidentissimè pronunciauit, Ioannem Petrum Carafam, antequàm Theatinis Infulis abdicatis, hanc nostram Sodalitatem cum Thienæo conderet, Cassinensi Instituto in Monasterio Neapolitano Sancti Seuerini fuisse authoratum. Scilicet, fuit hoc Constantino proprium, excussos è sinu vetustatis, nouos quotidiè Benedictinos cudere, atque ex alijs disciplinis claros viros in suam transcribere: perindè quasi indigeat amplissimus, quà numero, quà splendore capitum, Cassinensis Ordo dubio istiusmodi celebriorum hominum monachatu amplificari. At instituerit aliàs de Sancto Herculano, Perusino Episcopo, ac Diuo Thoma Aquinate, alijsque præstantibus Viris disputationem; nobiscum modò res est, assertoremque sui dicti de Ioannis Petri Carafæ monachatu præter [b] Consaluum Illescam, hominem hispanum, qui hoc ipsum in historia Pontificali non constanti quidem iudicio, sed incertus, suspensisque, quod aiunt, vestigijs, promit, citat neminem. Nec sanè poterat. Enimuerò, cum plerosque scripsisse accuratè, ac veluti punctim adnotasse Carafæ gesta, constet; nulli vnquam de Monachatu sermo fuit. Quid enim? Latere potuit id à fratre institutum vitæ genus sororem, quam sæpè memorauimus, Mariam, quæ cum sæpissimè de eius vitæ serie ab ipsamet pueritia nostros homines condocefecisset, nunquam sub ijs illum Diui Benedicti signis militasse affirmauit? Latuit fortasse Antonium Carafam, Virum sua purpura maiorem, ac præcipuum litterarum, suique seculi decus, qui in ea, quam aduersus Bernardum Nauagerium ad Senatum Venetum de Paulo Quarto narrantem, Apologiam instituit, mores, actusque Pontificis, atque omnia ætatis eius ceu climata diligentissimè perlustrauit, nec vsquam in Monachatum illum offendit? Sed nec ipsum Nauagerium potuit sanè latuisse, qui acri quadam peruestigatione, vt potè Paulo offensus, rationes eius vitæ omnes percensuit, scripsitque; suoque genio adeò impotenter est in scribendo blanditus, vt famam magni Pontificis, ac veri fidem corrumpere non dubitarit. Mitto Robertellum, Foliettam, Magium, Cynum, Flauium, Onuphrium: & postremus hic quidem bis non eodem planè animi sensu, adfectuque res eius gestas lucubrauit: transuersus nanque primùm à vulgi aura actus, redijt mox stylo ad bonam mentem, damnauitque seculi inuidiam, suumque ingenium calamo sinceriore. Siue ergo in laudem Pauli Pontificis ea Diui Benedicti disciplina cesserit, siue secùs; profectò in alterutra scriptione non dissimulasset vir egregius. Itaque quod nullus eam rem scriptor, neque carptim libauerit, libatæ, ac nullius prorsùs fidei esse euincitur.

Rem iterum in disputationem vocamus, sed strictius.

Eius auctor.

[a] Vin. Gel. Pōt. 2. fol. 119.

Vnde hauserit.

[b] Hist. Pōt. li. ..

Improbatur à scriptorum silentio.

Antonij Car. Carafæ,

Nauagerij.

Panuinij in vtraque Pauli vita.

At, la-

At, latuerit exteros auctores, vt domesticorum industriam, ac notitiam fugit? Non est Benedictorum Annales, aut Historias, aut Ephemeridas reperire, quæ Ioannem Petrum Carafam, aut censeant, aut memorent. Planè, qui è tam inclyto Ordine in purpuram, aut in supremam Orbis Chlamydem euasere, diligenti quidem indice, ac magnificè à Cassinensibus scriptoribus cum referantur in censum, cur altum de Carafa silentium? An nihil pensi habuere Virum illum recensere, euius si natalium lucem, si virtutum decora, si doctrinæ splendorem, si eloquentiam, si religionis tuendæ, atque amplificandæ studium incitatissimum spectes, nulli profectò illorum Pontificum fuerit posthabendus. Cur ergo, Petrus Calzolarius, cur Arnoldus Vuion, accuratus vterque admodum, & Cassinensis Scriptor, non memorant? Quin & parum fuit Arnoldo non meminisse, verùm dum sui Ordinis Pontifices adnumerat, in Illescam huiusce sententiæ auctorem, in hæc verba insurgit homo Benedictinus, & verè ingenuus. [Sed quam longè à veritate aberret Illescas omnibus est manifestum, cùm nec vnquam Ioannes Petrus Carafa Monasterium Sancti Seuerini, vt monachus fieret, intrault, nec etiam in Matriculis Congregationis nostræ Cassinensis, vt talis inscriptus reperiatur.] Matriculas, siue Monachorum syllabum memorat Arnoldus. Et nos quidem, vt veritati fax clarior admoueretur, exscribi matricularum seriem ab ipso exemplari, quod Perusij asseruatur, curauimus, collatisque cum autographo Neapolitano, nullo prorsùs, vel vno in apice, discrimine comperto, nusquam Ioànnis Petri mentio. Quid igitur? vnum tot inter Monachos Ioannis Petri Carafæ nomen excidit? Vnus ille tantæ stirpis, tantarum virtutum homo prætermissus, atque illa militia exauthoratus?

Nihil eius rei in Annalibus Benedictinis.

Arnoldus Benedictinus explodit.

Iam verò, præcipua historicorum cura est, temporum ratio; nihil enim vel ad historiæ commendationem, vel ad fidem legentibus faciendam luculentius, quam temporum supputatio. Dicat igitur Constantinus, antequàm Theatinas Infulas capesseret, quo potissimum tempore Monachum egit Carafa in Neapolitano Monasterio? Constat nanque anno suæ ætatis quarto decimo abreptum à Patre, ne Dominicanam disciplinam profiteretur, vacasse interim litteris Neapoli. Mox intra adolescentiam, anno videlicet ætatis decimo octauo, & Christi nonagesimo supra millesimum quadringentesimum Romam concessisse, diùque in consanguinei Oliuerij Cardinalis contubernio commoratum: tùm in Alexandri Sexti Pontificis aulam ex Oliuerij Domo adscitum, eius cubiculo admotum, anno scilicet quingentesimo, & millesimo: quo item anno in tabulis Neapolitanæ Ecclesiæ reperitur inscriptus eiusdem Ecclesiæ Canonicus, ac Primicerius. Et anno eius sęculi tertio publicis etiam alijs quibusdam tabulis recensetur Carafa non modò Canonicus, sed & Rector Sanctæ Mariæ ad Secula, & anno quarto post sexquimillesimum renunciatur à Iulio Secundo Episcopus Theatinus, qui obsignato Pontificio diplomate ipsum appellat Primicerium, & minoribus Ordinibus initiatum, nec vllam inijcit Cassinensis Monachatus mentionem. Anno inquam quarto inauguratur Episcopus, vt ex Pontificio diplomate constar, non septimo, vt *Religiosus quidam, ac nuperus Scriptor ait, qui ceu stet à Constantino, eiusque causam tueatur, è suis Interrogationibus in hanc disceptationem descendit, vt nostrum ordinem de more traducat, proscindatque. Vides Carafam ab anno quinti decimi sęculi nonagesimo vsque ad annum quartum supra sexquimillesimum, quo Episcopus Theatinus inauguratur, Romana in Aula, varijsque muneribus implicitum? Quando ergò Cassinensis, ac Monachus? an eum Pontificis à cubiculo, simulque Neapolitanæ Ecclesiæ Primicerius, & Canonicus? an simul inter aulicos, & Monachos Carafa? Infulatus, & Cucullatus? Præmitur nempè hac temporis angustia Constantinus. At Illescas, inquit, Paulo Quarto Pontifici coætaneus hæc narrat laudatque Ioannem Baptistam Folengum, Monachum Cassinatem, à quo plerosque dicit accepisse, dum referret. De Illescæ fide consulat Constantinus Arnoldum Vuion, qui in texendo Cassinensium Pontificum Catalogo bis Illescam peccasse facili quidem censura perstrinxit. Ad hæc, nihil, vt diximus, hac de re Illescas ipse certi pronunciauit, & penes auctorem suum relinquere dicti fidem videtur: vnumque appellat Folengum, cuius oscitantiam, atque in scriptis suis commendandis indiligentiam qui velit propiùs inspicere, adeat Posseuinum in apparatu, nec profectò mirabitur lapsum illum sermone, si quæ

Supputantur tempora.

** a Io. Bapt. S. J. Inter. apolog. Inter. 6.*

Nunquam est inuenire monachum.

Illescas non integræ fidei auctor.

De Folengo iudicium Posseuini.

stylo exarauit, hoc est, quæ pensiculatè, tanquam publico Orbis iudicio exponenda, scribi debent, adeò neglexit. Sed nec Illescas ab ipso Folengo coram hausit, sed ab alijs accepisse se ait, qui à Folengo inaudiuerant. Vides dictum de dicto; quod quanto cuique causæ firmamento sit, nemo est, qui nesciat. Tandem vnius dictum est, nempe Folengi. Vnum ergò, Constantine, pronis auribus auctorem admittis, & geminos non pænitendæ eruditionis, famæque scriptores, Arnoldum Vuion, Casinatem, & Antonium Caracciolum, Clericum Regularem gratis contrarium dicis affirmasse? Certè aut tuis historicis credendum, & credas Arnaldo, ad quem recentes omnes, ac priscæ sui Ordinis memoriæ ab omni ferè terrarum Orbe mittebantur, litteris consignandæ: aut nostris, quippè quorum scire ad vnguem optimi, ac maximi Parentis acta multum intereſt: & credas Caracciolo, qui quicquid vsquam de Pauli Quarti rebus gestis monumentorum extat, nocturna, diurnaque versauit manu. Sciuerit nimirum vnus Folengus, quod Arnoldus, & Caracciolus tam diligentes, hic nostrarum, ille vestrarum historiarum scriptores ignorarunt? Vnum illum, ceu Pythium, aut tripodem audis? At enim huiusce dissertatiunculæ finis hic esto, ne longiùs prouecti videamur, quàm aut argumenti veritas posceret, aut historiæ ratio. Interim vt Constantini calamum vindicauimus, ita bonam eius mentem absoluimus; non enim is ille est, vt splendidiora, quàm veriora enarrando, palmaribus hisce erratis inspergere ingenij sui monumenta voluerit, commentisque onerare commentaria. Certè, vt olim Castaldi animaduersio accidisse illi debuit quàm gratissima, quòd eam opinationem opportunè dedoctus, potuerit scholia illa sua emaculare; ita digressionem hanc nostram nullus, vt putamus, ægrè tulerit, cùm non digladiandi æstu abrepti in hanc luctam descenderimus, sed ipsum scribendi munus, & scriptionis candor impulerit. Cæterùm, perhonorificum, atque abundè pulchrum Clerici Regulares duceremus, Carafam, antequam cum Thienæo, ac duobus alijs Sodalitatem hanc nostram institueret, fuisse Casinatem. Quippè ab ea tantæ Congregationis celebritate, ac laudibus nonnihil accederet nobis hoc potissimùm nomine dignitatis, ac ornamenti. Nec quòd alium Ordinem, aut petierit, aut inierit ille, antequam nostrum conderet, vsque adeò putamus laborare famam nostram, vt turbas excitare, ac longè facundissimis diris libellos implere necesse fuerit. Sed verò fuit litandum. Nunc ad lineam redeamus.

De Carafa, standum Arnoldi, & Caraccioli fidei.

Absoluitur Constantini bona mens.

Ab eo suscipiendæ Dominicanæ Religionis consilio fuisse à Patre reuocatum Ioannem Petrum in causa fuit, vt innuimus, egregium ingenij, morumque specimen, quod in eo ætatis diluculo emicabat. Conceperat nempè spem Pater fore, vt si per artes bonas in præstantissimam honorum viam aliquando adolescentulus ingrederetur, auitum familiæ, Domusque decus quàm maximè amplificaret. Communis mortalium cura, aut vitium est, familiæ amplitudo. Tùm si quem è liberis conspicantur, valere ingenio, licet flectente aliò natura, ac Cælo, illum incremento generis destinant, ac mutata veluti syderum positione, astris, ac genio pueri dominantur. Itaque, ne summa spes falleret, omni ope nitebatur Pater, vt per viros ea tempestate celebriores, doctrinarum, artiumque præsidia filius compararet. Debet profectò Neapolis Roberto Andegauensi, & Alphonso Aragonio, quod eximijs iam floruerit, floreatque subindè ingenijs. Enimuerò, ex quo par illud Regum amplissimorum summa litterarum æstimatione, & admittere intra regiæ Domus conclauia musas, & prouocatis vndique ingenti præmiorum spe Viris, eruditione præstantissimis, occæpere ipsi litterarum studijs vacare, fuit planè Neapoli quædam ingeniorum nunquam intermissa successio, ac disciplinæ, artesque veluti hæreditariæ. At hoc potissimùm æuo, quo Ioannes Petrus adolesceret, poterat gratulari Pater, tunc erudiri filium, cùm viris doctissimis florebat seculum, ac Neapolitanum præcipuè Athenæum. Gabrieli Altilio, clari nominis Viro, qui Ferdinandi Regis Secundi Præceptor fuit, operam strenuè dedit in eloquentiæ studijs, cæterisque liberalibus disciplinis perdiscendis; ea quidem ingenij laude, ac facilitate, vt amænioribus litteris insigniter imbutus, in solidiores statim facultates promoueret. Philosophiæ cursum mirum qua celeritate absoluit: tùm sacri, ciuilisque iuris prudentiæ admotus. Theologiæ insuper, sacrisque litteris nauiter incubuit: vtque nihil ad absolutam quandam sapientiæ supellectilem deesset, accessit grauioribus disciplinis pulchertima quædam appendix, linguarum peritia. Nam latinè vsque adeò sciuit,

Magna de Carafa conceperat Pater.

Roberti, & Alphonsi Regum amor litterarum.

Magistro Altilio humanioribus litteris vacat Carafa.

Tùm Philosophiæ.

Iuris Prudentiæ.

Theologiæ.

ſciuit, vt Tulliano loquentem ore diceres; meruitque poſtea audire Chriſtianus Cicero, latinus Chriſoſtomus. Græcas, hæbræaſque litteras calluit ad miraculum; nec intelligere tantummodò, atque interpretari, ſed & commentari eleganter peregrinis illis ſermonum dialectis, & loqui facundè, atque expeditè, præcipua in laude poſuit.

Acceſſit ad cumulū linguarum peritia.

Hoc litterarum apparatu baſilicè inſtructus Ioannes Petrus, Romanæ iam pridem Aulæ à Patre deſtinatus, eò conceſſit ætatis anno duodeuigeſimo; vt planè admirationi omnibus fuerit, eo æui flore tantum collegiſſe doctrinarum, vt iam Romani eius theatri ſubire iudicia, ac lucem poſſet. Exceptus Iuuenis ornatiſſimus ab Oliuerio Cardinali Carafa, Patruo, cuius in contubernium, & clientelam à Patre mittebatur, vt ad tanti Viri normam ſeipſum componeret, probaretque Orbi exploratos ad Lydium Principis, ac regnatricis Vrbis lapidem mores aureos.

Romam a Patre amandatur.

Et ab Oliuerio Patruo excipitur.

De Oliuerio hoc nullæ non hiſtoriæ loquuntur; quippè qui & purpuræ maieſtate, & ſummis, quas adminiſtrauit, præfecturis, & rerum geſtarum gloria exiſtimationem, famamque inter præclaros ſuæ tempeſtatis Principes conſequutus eſt immortalem. Eius ſapientiam admiratus Ferdinandus Secundus Rex Catholicus, Regij Conſilij Neapolitani Præſidem appellauit; maximo muneri, ac Neapolitano Sacerdotio, quod eo tempore procurabat, ſimul parem. Inter Auguſtos Patres adlectus, indolis magnitudinem non vno exemplo ea in purpura explicauit. In expeditione, quam fœderatus cum Ferdinando Rege, & Venetis Sixtus Pontifex Quartus in Turcas ſuſcepit, bellicæ rei Dux, & Legatus à latere præficitur Oliuerius. Capta eius auſpicijs Smirna, factoque in Setaliæ portum impetu, catenam ex eo reuulſam, Romam retulit; pendetque in hanc vſque diem in Diui Petri Sacrario ad memoriam magni nominis, trophæumque Oliuerij ſempiternum.

Oliuerij Cardinal. laudes.

Præfecturæ, Legationes.

Splendidiſſimis ſubindè legationibus perfunctus, eximiam in rebus agendis, explicandiſque dexteritatem prætulit. Initæ inter Sixtum Quartum, & Venetos pacis auctor fuit. Vrſinos cum Alexandro Sexto acriter diſſidentes, compoſuit: inijtque proindè ab inclyta ea Gente gratiam; habituſque eius familiæ dignitatis aſſertor. Vt inter Italiæ Principes fœdus in exteros ſanciretur, vnà cum Cardinali Beſſarione egregiè inſudauit.

Geſtæ in ijs res.

Ad hæc, Pietati, ac magnificentiæ mirificè ſtuduit, & qua excitandis, quà exornandis Diuorum templis liberalitate propè Conſtantiniana nulli vſquam ſumptui defuit. Romæ reſtitutum D. Laurentij Templum extra muros, teſſellato paulmento ſtrauit, ſculptiſque supernè lacquearibus, auro, pictis magnificè nobilitauit. Aræ Cæli Baſilicam, vetuſtati obnoxiam magnam partem inſtaurauit. Multa item in Sanctorum Martini, & Syluestri Templo reſtituit. Organum ad Sacras modulationes, pulcherrimi quidem operis, excitandum in Diui Petri ad Vincula Eccleſia curauit. Canonicorum Regularium Cœnobium, quod à pace appellant, extruxit à fundamentis. Sacellum D. Thomæ Aquinati in Templo Diuæ Mariæ ſupra Mineruam dedicauit, ac luculentiſſimè exornauit; legato inſuper ad inopum puellarum dotes cenſu, quas Romanum Pontificem ſolenni pompa quotannis diſtribuere mos eſt.

Pietas, Magnificentia.

Egregia earū opera Romæ.

Neapoli verò magnificentiam in primis cumulauit, extructo ſub Ara Maxima Principis Templi Diuo Martyri Ianuario Sacello, eo cultu, pretioque marmorum, vt pulcherrimas, ſumptuoſique operis ſtructuras facilè exæquet. Digna profectò Ara, & tutelari eo Diuo, cui inaugurata, & regia Oliuerij liberalitate, quæ viuet con immortali opere. In ornatiſſimam hanc Cellam tranſlatum Diui Ianuarij è Monaſterio Montis Virginis Corpus, adnitente apud Alexandrum ſextum Pontificem ipſo Oliuerio.

Et Neapoli.

Iam ad ingeniorum diſciplinam, cultumque publica item artium gymnaſia Neapoli curauit ſuo ære excitanda, nuncupauitque à Sapientia, Romanæ Academiæ imitatione. Inſtitutum ingens hoc opus fato abruptum, eadem poſtea Sapientiæ appellatione in Sacrarum Virginum Gynæceum euaſit, vt memorabimus.

Publica artiū gymnaſia inchoandi eius ære.

Sed ædificiū mors interrū perabijtq. in cœnobium.

Tandem ad Ruborum Comites, atque Andriæ Duces non opibus modò, ſed hæreditario quodam iure etiam animi magnitudine tranſmiſſa, profunda iam ſenectute, ampliſſimi Ordinis Decanus Romæ obijt Oliuerius. Ad quem tanti nominis, ac tantæ fortunæ Virum miſſus Ioannes Petrus fuit. Agnouitque confeſtim Oliuerius quam morum grauitatem, ac quæ doctrinarum adiumenta attuliſſet præclarus Iuuenis: gratulatuſque ex animo eſt, quòd non tàm ſanguinis affinitate, quàm virtutis experientia affectus ſuos omnes demeruiſſet. Nec poſt multò hanc illi animi propenſionem, ipſiuſque gratificandi ſtudium demonſtrauit. Siquidem nonnullis, nec exiguis planè beneficijs cumulatum,

Ab Oliuerio Ioannis Petri indoles probatur.

Canonicus Neapolitanus renunciatur.

Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicum prima adhuc pube Iuuenem renunciauit, velut in maximarum Insularum rudimentum. Et vicissim ipse, vt maiorem in dies gratiam à Patruo iniret, niti ad omnem virtutis laudem videbatur: præcipuè quo erat ad litteras genio, studijs strenuè incumbebat. Enimuerò, erat tunc ceu publicum bonarum artium domicilium Oliuerij Domus: quippè, cum & litteras fouere, & litteratos alere summa in laude poneret, nullum eruditione præstantium Virorum genus erat, quod ille magna quidem comitate, sed maiore, ac supra Mæcenatem munificentia non exciperet. Quocirca summa doctissimorum hominum ea in Domo celebritas; ac facilè fuit Carafæ ab ea consuetudine, ac veluti attritu ingeniorum, quas didicerat artes, ac disciplinas expolire: verissimum illud namque, vt adamante adamas, ita ingenijs elimantur ingenia. Porrò is erat Carafæ discendi ardor, atque assiduitas, vt nullum sibi sine compendio tempus, aut eripi, aut subduci, ac fluere pateretur: ipsis namque momentis pretium inesse non exiguum cum sciret, sæpius in ipsa aulę frequentia in angulo se colligebat, vt legeret: Catonem illum magnum imitatus, qui dum tantisper Senatum expectaret, iniecta leuiter tunica, lectitabat.

Litteratorum consuetudine expolitur Carafa in Oliuerij Domo.

Adscitur in cubiculum ab Alexandro Sexto Pontif.

Hac eximiæ virtutis opinione admissus in Aulam ab Alexandro Sexto, eius à Cubiculo fuit, inspectamque propriùs optimi Iuuenis eruditionem, ac prudentiam Pontifex commendare, & ceu spectatæ in primis modestiæ, ac pietatis, sanctioribus illum in rebus adhibere frequenter solitus erat. Memoratem hic factum, nisi & Maximi Pontificis recordationem perstringere, & bonorum aures, animosque vulnerare ea temporum, rerumque vsurpatione pertimescerem. Nihilò tamen minùs, quia res ea est, quæ primos melioris consilij impetus in Carafa excitauit, pretium sanè operis fuerit, velata nimirum rerum atrociorum scena, illam innocentiùs enarrare: præsertim, quòd grauissimorum testium fide nitatur. Nam acceptam summa veritatis religione à Marcello Blasio, Viro grauissimo, eademque examussim narratione repetitam à Mocante, Pontificio Cæremoniarum Præfecto, narrat Antonius Caracciolus, qui & Chrystophorum Iustinianum auctorem habet, Virum octuagenario maiorem, qui ab ipsomet Paulo Quarto Pontifice rei seriem inaudiuerat. Quin & præfati Mocantis Pater, qui hæc filio sæpius enarrabat, testis oculatus, manauisse vulgò tunc temporis eius famam affirmabat. Igitur Alexander Pontifex, vt qui supremus licet mortalium, hominem non exuerat, ab ijs, quæ inopinata interdum hominibus mala accidunt, sibi metuens, præsidium ab assidua Sacræ Eucharistiæ gestatione parauerat. Pilam namque ex auro, miro quodam artificio fabrefactam habuit, in qua clausum salutare illud Ferculum, Numenque præsentissimum, quòquò iret, gestabat. Accidit, vt cœnaturus celebriore quodam epulo, quod in humanitatis speciem Purpuratorum præcipuis, ac plerisque è Romana aula viris opulentissimis in hortis Vaticanis procurauerat, animaduertit, amuletum illud non attulisse. Confestim Carafam, ceu confidentissimum vocat, insusurratque in aurem secretò, iret quàm citissimè in Pontificium Conclaue, & quam inueniret auream in tabula pyxidem, afferret maturiùs. Dum iret ille facturus imperata, discubuit inauspicatò Pontifex: mox poculum poscit, & quæ erat pompæ, seruorumque frequentia, & penè confusio, tùm fatali quadam pincernæ indiligentia, venenum, quod alijs ex consilio necandis optimum vinum corruperat, Pontifici propinatur. Haustu hinc in confecto effæti iam senis corpore facillimum fuit ad præcordia iter: correptusque ea valentissimi veneni vi Alexander, statim inter accurentium manus corruit, propè exanimis, funestatis tanti Capitis exitio epulis, atque horrentibus tàm proximo periculo, ac fato conuiuis. Atrox hæc eadem tragædia exhibita Carafæ. Siquidem, vt Pontificis cubiculum aperuit, quem solutum curis, genioque inter amplissimas epulas, craterasque indulgentem Alexandrum reliquerat, eundem ipsum videre sibi visus est in ea Conclauis area iacere extinctum, stantesque ad defuncti cadauer Purpuratos Patres, ceu de futuris Comitijs consulentes. Insuper ex aurea illa pila circumfusum, ingensque lumen emicare. Consternauit illicò improuisa ea rerum facies Iuuenem, perculsusque plus nimio cecidit simillimus mortuo. Successere è vestigio qui conclamatum, efflantemque penè animam Pontificem inter brachia è conuiuio in cubiculum reportabant, ac destitutum sensibus, iacentemque humi Carafam inuenere vix palpitantem. Alexander intra quartum diem lethali ab ea potione fato concessit: at Ioannes Petrus eius

Adaucta eius bona mens, improuiso spectaculo.

Alex. Pont. portatili Eucharistia sibi cauet.

Epulas celebrat.

Venenū per imprudentiā haustū.

Obijcitur E defunctus Carafæ.

Quem rei facies vehementer percussit.

spectaculi

spectaculi horrore apprimè eruditus, vt habent ad excitanda, atque altiùs exulcetanda mortalium pectora vim quandam inluctabilem obiectæ hæ funerum nouitates, aliam profectò mentem induit. Nam elato tàm subito, acerboque casu sacrorum Principe, mutatam supercilij, atque oris maiestatem, fastumque, ac pompam omnem momento dilapsam cernens, quàm intuta omnia, quàm precaria secum ipse reputare cœpit, ac mirum quantum ab eo naufragio velificauerit subindè cautiùs, ac religiosiùs. Visum nempè feruentiùs in res diuinas studium, fractior honorum cupido, modestior vitæ cultus, ac tùm primum iacta egregia illa semina, quæ postea in tantum humanæ excellentiæ, opumque contemptum, aliorumque fructum efloruerunt.

Sed non sine fructu.

Erectus ad solidiorem virtutem ab eo casu.

Porrò, quo erat in pietatem, atque in proximorum salutem studio animatus Carafa, sub id tempus egregie demostrauit, insigni ea opera, quam in Insanabilium Nosocomio excitando gnauiter præstitit Ioanni Hectori Vernaciæ, optimo cum paucis viro, quem & eximia sua virtus, & Baptistæ filiæ vitæ sanctimonia, ac celebritas, gemina laude cohonestarunt. Planè, tanto in principe Vrbe infirmorum, inopumque numero tàm malè esse, nullum miseriæ subleuandæ certum locum destinari, nullo præsidio, nullo commiserationis sensu compita, ac templa ipsa complotationibus, ac miserabili sui spectaculo complere miseros, indignum existimabant Vernacia, & Carafa. Quare summa vterque contentione publicum moliri Xenodochium cœpere: ac difficultates, quæ passim obijciebantur certatim, ac strenuè explicantes, præclara statuere eius operis initia; quod postea, cœptis constantissime insistens Vernacia, nulla aut fractus temporis diuturnitate, aut auri inopia desperatus, magno cùm vrbis commodo, ac perenni sui nominis fama absoluit: nam sub id tempus collatæ Carafæ Theatinæ Infulæ aliò illum abripuere, cum in eas maximè curas incumberet. Iulius Pontifex secundus, qui Pio tertio, exigui æui Pontifici successerat, ea illum Theatinæ Ecclesiæ dignitate insigniuit, cum annum ageret vndetrigesimum, communis verò salutis annus quartus voluebatur supra sesquimillesimum. Et detrectabat ipse quidem, quæ erat eius animi modestia, amplissimi Sacerdotij aut onus subire, aut honorem capessere: at accedente mox Oliuerij auctoritate, passus est modestissimè exorari, nec post multò inauguratus. Quod verò ad eam ouium curam non statim inuolarit vir, cæteroqui flagrantissimus, sed bienuium adhuc Romæ commoratus fuerit, causas habuit omninò plures; quibus expeditus, cùm iam Theatum cogitaret, mutata repentè velificatio est. Etenim Ferdinandus Rex Catholicus post assertum sibi magni Consalui virtute Regnum Neapolitanum, nobilissima ea sceptri accessione maior, cùm vt amplissimum Principatum inspiceret, tùm vt gliscentem Consalui potentiam, & quandam adfectati imperij suspicionem ingenerantem, maturè sisteret; tùm etiam, vt tot bellorum procellis perculsam, afflictamque rem Neapolitanam coram ipse accuraret, ac restitueret, vna cum Germana Forsea Coniuge, Neapolim soluit. Pontifex Reges aduentantes, tàm bene de publica re Christiana meritos, honestare splendida legatione, atque eo, quo decebat cultu cum statuisset, Episcopum Theatinum, etsi pro muneris dignitate immaturum adhuc æui, prudentiæ tamen laude, grauitate morum, eruditione, ac singulari facundia, quia festinauerat annos, satisque iam erat Romana in aulaijs nominibus perspectus eximio muneri parem existimauit, adlegauitque Neapolim, vt Ferdinandum exciperet suo nomine. Vrbem Neapolitanam inter flagrantissima omnium ordinum studia, plaususque, angustantibus fora, ac vias confluentium virorum agminibus, luxuque planè triumphali inijt Rex Catholicus: functusque est Apostolici Nuntij officio Carafa summa cum muneris dignitate, ac splendore: vt dicere postea solitus fuerit, tunc primum agnouisse se Infulæ suæ decus, ac maiestatem; cum nempe præeunte longo linteatorum Clericorum agmine, stipatusque honorifica Antistitum corona splendido cultu, ac pompa obuiam Ferdinando prodijt. Neapoli Apostolicæ Sedis Nuntij appellatione, ac munere hæsit; atque in negotijs cùm pertractandis, cùm explicandis adeò Regi indolem probauit suam, vt apud ipsum in rarissimis esset, ac sæpe egregij viri virtutem Rex ipse, & laudauerit suis, & apud Pontificem commendauerit. Neque à vero it, fuisse, tùm quidem Episcopi potissimùm Theatini opera simultates consopitas, quæ inter Pontificem, & Catholicum Regem intercesserant: occultæ illæ quidem, sed quæ breui in publicum Italiæ damnum erumperent. [a] Constat enim, tunc restituta inter illos postliminio beneuolentia, mutuis se se

Adest Hectori Vernaciæ in fundando Romæ Xenodochio.

Designatur Episcopus Theatinus, sed inuitus.

Et acceptat Oliuerij Cardin. auctoritate.

Nuntius ad Catholicum Regem Ferdinandum.

Neapolim in euntem prosequitur.

Solèni cultu.

Regi pergratus,

Conciliantur eius opera Pontifex, & Ferdinandus.

a Guicciard. hist. lib. 9.

se se officijs deuinxisse; ac Regem quidem obligauisse Pontifici fidem, nunquam se regia ope, ac nomine Tyrannis Ecclesiæ adfuturum in ea ereptarum Vrbium recuperatione, quam adornabat. Commoratus Neapoli est Ferdinandus vsque ad insequentis anni ver, quo exeunte in Hispaniam vna cum eadem Germana Coniuge iter remetitur.

Discedente in Hispaniam Rege, Carafa Theatum petit.

At Carafam ea defunctum legatione subijt commendatæ sibi Ecclesiæ cura: abruptaque omni mora profectionem maturauit. Nouerat quippè quæ commoda, quæ vicissim populis damna ex Antistitum siue præsentium, siue absentium cura contingant. Satis nonnunquam ad exactam morum emendationem, ac normam Principes, aut Præsules, si adsint; satis ad eorundem corruptionem, si peregrinentur. Igitur die Iunij mensis vigesima Theatum fausta gentium omnium affusione, solemnique, vt moris est, ritu eam est Vrbem ingressus:

Et communi plausu excipitur.

ac visa quidem in ea populorum celebritate descripta in omnium vultu, ac fronte lætitia, tantum sibi Præsulem prolixè gratulantium. Vulgauerat nanque pridem præstantissimos eius mores, sapientiam, animique celsitudinem fama. Consilium, ac cogitationes statim omnes haud vulgati, ac tralatitio quodam studio ad seria adiecit Vir præferuidus.

Theatinæ Ecclesiæ rem componit.

Et verò, siue bellorum incommodis, quæ Regnum Neapolitanum, ac præcipuè Marrucinos quassauerant, siue absentia Præsulum, lentisque Rectorum, & Curionum curis, praui vniuersim mores enati, adultique erant. Rara pietas, rarior sacrorum vsus; obstinatæ, ac veluti scriptæ, iussæque hæredibus simultates, quæ multum ciuilis sanguinis hauserant, atque editis passim cædibus, priuatis quique odijs, atque offensionibus litabant. Vt res adeò diuulsas componeret, rediretque affecto corpori priscus color, ac facies, insudandum Carafæ, atque intrepidè adhibenda consilia, ac molitrices manus fuere.

Præire familiam suam voluit.

Domesticorum disciplina velut emendandæ Vrbis tyrocinium fuit. Præire ipse inculpatæ vitæ ratione, exemploque virtutum. Mox se ad Ecclesiasticæ disciplinæ, & Clericorum censuram conuertit;

tum Clericos;

quorum maximè vitam intueri reliqui populares solent, discinctisque eorum moribus non modò vitia sua tegere, verùm ad maiora etiam propelli: putant nempè eadem, ac longe deteriora audendi facultatem sibi fieri Ecclesiasticorum exemplo: nec sanè prophana emendes, vbi Sacra exorbitent. Et quidem Clericorum in ea Vrbe vita, & cultus iam reliqui vulgus licentiæ propior erat,

Quib. emendādis strenuè desudat.

nec vlla penè aut ore, aut habitu extabant vestigia disciplinæ honestioris. Vestis plerisq; breuior, solutaque ad armorum vsum lacinia; cæsariati omnes, cirratique militum more: cumque nulla sub hoc habitu virtus militet, vitiorum vulgus eum cultum comitabatur. Non segniùs agendum, nec mitiùs tam deplorati, effractique mores admonebant Carafam. Ea propter maturè, ac forti præsentique animo in Ecclesiasticorum vitia insurgere; & quà acerrima sermonis vi, quà pœnæ seuerioris formidine, constantia in primis, animique contentione, defixas altiùs prauarum consuetudinum fibras omnes strenuè extirpauit; inductaque paulisper proscripta olim à Clericis modestia, & vitæ honestas.

Suum Archidiaconum tondit sua manu.

Illud flagrantissimo in Præsule Sanctioris cuiusdam Zeli argumentum fuit: Archidiaconum suum publica censura mulctasse. Nam qui cæteris ad virtutem incitamento esse debuerat, is præter reliquam oris speciem, barbam ad castrensem prorsus formam, atque imitamentum nutriebat. Sæpe monitus, cùm minus proficeret, Viri contumaciam, ac præcipui Sacerdotis exemplum non diutiùs ferendum putauit optimus Præsul. Quare præsenti auctoritate, vigoreque animi vtendum ratus, militarem eam barbam ad honestatis mensuram, ac specimen publicè ipsemet sua manu in Ecclesia detotondit.

a Fr. S. Episcopus Monop.
Exemplum imitatus alius è nostratibus Antistes.
b Ant. Carac. Vit. Paul. 4. M. S.
Quid simile D. Carolus Boromæus.
c Ioan. Rèb. Vit. Hist. lib. 4. cap. 3.
Et eius Vicarius Hormanestus.

Scio ego, & [a] alium è nostro Ordine Antistitem geuere, & virtute præstantissimum non ita pridem Zelo in barbatum huiuscemodi Sacerdotem animaduertisse: quod nescio ex nostro, suoque Parente Episcopo Theatino didicerit, an ab illo Insubriæ, atque Orbis lumine [b], Carolo Borromæo, quem memorant in huic simile exemplum persanctè exarsisse. Id quod, & eius item Vicarium, virum laudatissimum [c], Nicolaum Hormanestum, Episcopum postea Veronensem fecisse Mediolani memoriæ proditum est. Nam cum nobilem quendam Clericum in foro offendisset, capillo quidem fluxiore, cultuq; contra quàm latæ à se leges præscripserant, stare confestim currum, tùm præcidi prolixam, intortamque Clerico comam, aliasque se coram afferri honestiores vestes, illumque indui iussit: fecitque vnius publicè detonsa cæsaries, quod grauioris pœnæ metus non fecerat. Mitto perplures hic recensere Antistitum prudentissimos, qui eiusmodi venustulos, ac comatulos Clericos sua manu animaduersos ad decentiorem formam reuocarunt:

runt; quod dictum esto ob eos, qui hoc Episcopi Theatini factum, ceu dignitati minùs consentaneum, animosius improbarunt; visi profectò [a] Pontificum Sanctiones nunquam legisse, in quibus cum de Clericorum honestate cauetur, Archidiaconis præcipitur, vt Clericos suos indecorè barbatos, ac cincinnatos sua ipsi manu vel inuitos detondeant. Dicant amabò, quid ageret Episcopus, cum ipsemet Archidiaconus capillata nimis fronte, atque insolente ornatu vestium peccat? Sed liceat hoc loco appellare Virum militarem, summæque stirpis, ac dignitatis, Comitem scilicet Fontanum, quem cùm Insubriam summo imperio administraret, vsque adeò ferunt, capillitium, vel in militibus ipsis execratum, vt ipsemet sæpiùs iniecta manu muliebrem illâ comarum pompam publicè detruncaret. Quid ergo? nihil viro principi, nihil amplissimæ dignitati detractum ab ea tondendi facilitate, cur clarissimo Antistiti, cui Clericorum in primis proposita honestas est, vitio, ac probro dabimus, quod promissum indecorè capillum, ac barbam Archidiacono ipse suo, sæpè monito, totonderit? Iam verò ab Ecclesiasticorum disciplina in reliquos ciues peruasit præclarus morum institutor, ac censor. Nec facilè profectò fuit inueteratas iam temporis spatio consuetudines, prauosque mores opprimere; frænum, legemque excutientibus populis, qui nimium malis suis, genioque assueuerant, & quibus regij præsertim administri, sparsique per diæcesim Toparchæ, imminutæ regiæ dignitatis obtentu, fauentes, præclaris Episcopi cæptis nimis præfractè obtinebantur. Sed hos acriter enimuerò, infractoque animo redarguit, ac sacris etiam interdictos, anathematis fulmine mulctare vir flagrantissimus non dubitanit. Nec porrò vacat ire per singula, & quot in lustranda potissimùm Diæcesi exantlauit labores, recensere. Illud memoratu dignum, quod in Oppido, cui nomen Tessa, populosum id quidem, accidit. Inspicere illud, ceu Theatinæ Diæcesis, ac iuris cogitabat. At antiquæ exemptionis obtentu recusare Clerici, & populares; eoque audaciæ deuenere, vt ineuntem oppidum Episcopum, facto agmine, ac impetu vi reiecerint. Ille, de ingenita oris dignitate, ac grauitate nihil remittens, nulloque obducto supercilio, detractis illicò calceis, puluerem ex Euangelij præscripto excussit. Sorderent nimirum suo in puluere, qui Patris longè humanissimi prouidentiam, amoremque reijcerent, cui præter animorum quæstum, christianamque disciplinam, nullum erat eius operæ pretium propositum. Quod sanè generosi pectoris consilium refractariæ ex genti pudori, ac probro fuit. Et Carafa quidem insigni posteà conatu prisca eius Oppidi possessionis iura, ne obliuione intermortua laberentur, renouauit.

[a] Ab. Alex. tertio de vit. & honest. Cler.

b sacrorum Canonum præscripto.

Comes Fontanus, Insubriæ præfectus cæsariatos milites tondet.

Reliquos ciues emendat.

Viros proceres disciplinæ obnitentes mulctat.

Tessæ oppidû inspectionem recipuit.

Puluerem e calceis Episcopus excutit.

Tùm suæ iurisdictioni restituendum oppidum curat.

Quinquennales in ea redintegratione morum vigilias, curasque impendit. Interim elato Iulio secundo Pontifice, eius seculi anno tertio decimo, Romam concessit; vbi amplissimum explicandæ virtuti theatrum egregio viro parabatur. Instituerat Iulius Lateranense Concilium, vt pulcherrimo quidem, ac pernecessario consilio clauum clauo truderet, apponeretque pilis minantia pila, hoc est, vt incondito Pisarum cœtui legitima, ac sancta oppeneretur Patrum Congregatio. Præceps, ac Gallicus quidem Ludouici duodecimi, Francorum Regis furor, flammam quorundam capitum ambitione euentilante, effecerat, vt specioso, insolentique emendandæ Ecclesiæ titulo Conciliabulum illud excitaretur, ac prima Sedes, proximumque Deo Caput præpostera enimuerò confidentia in ius vocaretur. Sed, nec Iulij excessu, cui infensissimus erat, ab insano eo consilio abstinuit Ludouicus; obfirmauerat nanque animum, indictum semel Concilium absoluere. Planè, vt ostenderet, se non tàm ad Pontificis inuidiam vlciscendam, quàm ad Romanam ipsam Ecclesiam scindendam, ac dilacerandam Cœtum illum conuocasse. Quod & excuso posteà Neapoli aureo [b] nummo luculentiùs demonstrauit; in quo inter Regnorum titulos, & Christianissimorum Regum insignia illud superbè insculptum lemma. [Perdam Babylonis nomen.] Igitur, cum minùs deseruesceret impotens Regis animus Iulij morte, nec ad eam, ceu victimæ litationem ira placaretur, resumendum illicò Lateranense Concilium duxit Leo Decimus, qui post Iulium rem Romanam capessiuerat: fuitque inter grauissimos Præsules, virosque omni doctrinarum genere excultos, qui aderant, admuneratus Episcopus Theatinus; qui statim insignem, eamque scientiarum momentis libratam facundiam, & vim quandam egregię mentis vsque adeò Concilij Patribus probauit, vt mox omnium suffragio illos inter Purpuratos, atque

Romam reuertitur.

Lateranense Concilium à Iulio Pont. indictum.

b Iacob. Thuan. hist. lib. 1

Cui admonetur Carafa,

Et egregiam operam illi nauat.

atque Antistites fuerit adlectus, quibus delegatum munus fuit rationem ineundi, qua & quassatæ Italiæ pax restitui, & coerceri Conciliabuli temeritas, & cogi, animarique in mutuum fœdus Christiani Principes possent. Quæ rerum capita, & dignitate grauiora, & fructu utiliora, & expectatione omnium gratiora erant ex ijs, quæ agitari in illustri ea Panegyri deberent. Facit maximoperè ad Carafæ decus, quod publicis, atque ingentibus hisce curis ea sit ætate admotus, quæ sextum, & trigesimum annum non excesserat, atque inter eos præsertim viros, qui & nominis celebritate, & vsu rerum, & eloquentiæ splendore præstantissimi omnium profectò erant, & illorum flos Patrum. Faustè Lateranense hoc Concilium cœptum, prouectumque, feliciùs absolutum fuit. Quippè Ludouicus adnitente in primis Vxore, maris animi, & eximiæ pietatis Heroina, Leoni reconciliatus, Pisanum Conuentum eierauit, adstipulatusque est Lateranensi, eiusque Sanctionibus. Valuere nimirum in Christianissimo Principe acres secretæ conscientiæ morsus, timuitque ab eo schismate, veluti à maligno quodam afflatu syderis, ea Galliæ suæ mala, quæ postea, vt tantum facinus, certantemque Cælo superbiam expiarent, quà intestinis seditionibus, quà externo Marte, quà longè atrociore hæreseos lue, rupto velut obice in florentissima Regna inundaueres meritaque pœna Gallicam fortunam, Regumque gloriam, Deo vindice, corruperunt, ac labefactarunt.

Eò laudabilius, quod æui non admodũ maturus.

Concilium absoluitur.

Perspecta, vt significauimus, in eo Concilio Episcopi Theatini virtus, maximarum rerum momentis, ac tractationi longè par, Leonis Pontificis gratiam mirificè illi concillauit: vtque erat Pontifex incomparabilis ingeniorum, morumque æstimator, pro singulari, quam de eo opinionem conceperat, honestandum tantum Virum duxit. Quocirca Sedis Apostolicæ Nuntium in Angliam designauit, per opportunum vtique fore arbitratus, si Henrico Regi, cùm ætatis, atque indolis flore, tùm litterarum amœnitatibus, atque eloquentia in primis spectato, Virum mitteret insigni scientiarum complexione adeò excultum, dissertumque, ac tanta linguarum peritia ornatissimum. Anglicana hac legatione insignitus Carafa, eius statim muneris certiorem fecit Ferdinandum Regem Catholicum, cuius beneuolentiam, quam pridem demeruerat, tanti æstimabat, vt illo insalutato, aut inscio, iter arripere nefas putaret. Qui regia quidem humanitate Carafæ officium compensauit, datis sponte litteris per Belgicas, quas tunc Caroli Austriaci Nepotis nomine administrabat, Prouincias, vt quà ille transiret, magnificè haberetur. Appulit Londinum, cum maximè Rex Henricus in id bellum incumberet, quo tandem hoc ipso anno Iacobum Scotiæ Regem profligauit, contrucidauitque. Exceptus tamen ab eo humanissimè, qui sanè, vt annis succedentibus misertimo quodam Angliæ fato omni crudelitatis genere, incestisque amoribus Neronem exæquauit, ita in hoc florentis iuuentæ initio laudatissimum illud eiusdem Romani Principis quinquennium elegantia morum, studiorum cultu, iustitia, mansuetudine est imitatus. Et qui iuuenis non modo Britanniæ suæ, verùm Orbis etiam in amoribus fuit, quique scriptione, ac stylo suo, hæresi exarmata, illustrem Ecclesiæ Defensoris titulum promeritus, Henrici nomen transcripserat posteritati; mutata postea indole, infando scelerum cumulo, immundaque eluuie famam suam, Regiam, Angliam, Seculum ipsum impijssimè fœdauit, incestauitque. Sanè, præclarè cum Carafa actum, quod tunc apud Angliæ Principem fungi legatione contigerit, cùm sincera, incorruptaque adhuc ille mente floreret, non dum ex optimo pessimus; fuitque illi ob rerum pulcherrimarum notitiam, ac studium vehementer carus, vt in illius frequenter ore, ac laudibus esset. Et commendabat vicissim Regem Carafa ab amore litterarum, atque honestissimo ad gloriam impetu, adnumerabatque persæpe nobilissimæ indolis dotes, ac plenaque regiarum virtutum exempla. Post Regem mirificè occupauit fauorem eius Aulæ, quæ tunc vbertate quadam ingeniorum ad reliquæ Europæ inuidiam celebrabatur; eratque Episcopus Theatinus eximias ob sui animi facultates, ac opes summa apud omnes existimatione.

Et ne Theatini virtus vacaret, in Angliam adlegatur.

Monet legationis Catholicum Regẽ Carafa.

Instituto per Belgium itinere, Londinum appulit.

Excipitur per benignè à Rege.

Quem sibi demeruit.

Vna cũ Aula beneuolẽtia.

Triennium eius legationis partes illum in Anglia tenuere; cumque exacto præclarè munere Romam cogitaret, accersitus in curatum, ac consiliorum partem fuit a Ferdinando Catholico, factaque Regis opera à Leone Pontifice facultate, in Hispaniam soluit, instituto per Belgium itinere; tum vt cum Carolo Austriaco, quem resciuerat iter hispanicum adornare, in ea per Oceanum velificatione, iungeretur, tùm quia Margarita

Exacta legatione in Hispaniam traijcit.

Cum Carolo Principe.

rita Austriaca, Maximiliani primi Cæsaris filia, & Caroli Amita, quæ tunc Belgio moderabatur, compositis ad eum litteris prolixiùs orauerat, eò vt concederet: habere nimirum se quæ cum ipso, antequam Hispaniam peteret, communicaret. Ergò Margaritam adijt Carafa, & mox, incomperto quid eius operæ, fideique commiserit Austriaca, suscepta cum Carolo nauigatione, in Hispaniam applicuit anno eiu· sæculi quintodecimo. Ferdinandus optimi Antistitis aduentum gratulatus, honorificè habuit: statim Regnorum consilio admouit, cumulauitque regij Sacelli Vicaria dignitate. Quę ipse munera, vt erat rerum maximarum capax, iisque grandior, incredibili profectò auctoritate, ac prudentia administrauit, nunquam passus adeò, aut inuidiam, aut gratiam suo in animo dominari, vt in his, quæ obstricta Principi fides, ac mentis candor iussissent, dicendi libertatem amitteret. Summo loco in Hispania erat Carafa, & ceu primarum partium actor, cùm mutata repentè Aula nouum Principem consalutauit. Nam Ferdinandus, qui æquali pietatis, ac prudentiæ laude amplificato Principatu, diù vixerat, æuo, morboque exhaustus, iusta gloria plenus, ab humanis excessit. Qua rerum mutatione non eadem quidem illi stetit auctoritas. Siquidem, cum in eo mortis confinio de rebus quàm grauissimis Ferdinando Regi, rogatus, consuluisset, integerrimè quidem, sanctèque, & contra quàm hispani proceres sentirent, grauiter apud illos offendit: & qui, cùm ob ingenuam Viri in ferenda sententia libertatem, tùm quòd nimia apud Ferdinandum gratia floreret, odisse iam cœperant, præsentem rogatæ sententiæ occasionem nacti, iniqua statim apud Successorem Carolum criminatione eius famam inumbrarunt. Nempè quòd adultæ bonis artibus hispanicæ gloriæ, ac dominationi minùs faueret, conflatumque è tot florentissimis Regnis imperium non vtique sincerè inspiceret homo exterus. Planè, nihil apud Dominantes grauius, quàm imminutæ maiestatis, ac potentiæ suspicio: atque hæc quidem in tenera, facilique ad olescentis Caroli mente quàm celerrimè, atque altiùs infigi poterant, cumulatis præsertìm alijs pro re nata criminationibus. Quibus nihilominus Carafa, ea celsitudine animi Vir, non modo visus non frangi, sed officij, ac dignitatis suæ tenax, constans illud tuendæ bonæ mentis propositum augebat magis. Admirandum est oppidò, quod tum etiam accidit. Nam, cum sacris coram Rege operaturus, ad Aram consisteret, sacro iam amicitus indumento, adfuit è Principis ephebulis, qui sua sponte nunciaret, fore vt Rex plusculùm moraretur, expectaret proindè cunctantem. Cui ille. Me ne Sacro hoc Syrmate indutum, qui Christi Domini vices repræsento, Regem opperiri? apagesis hoc piaculum. Nec plura, rem Sacram inchoauit; priscos profectò Sanctissimorum Antistitum animos hac supra sui sæculi virtutem libertate imitatus. Nam quis nisi insigniter constans, sanctusque, & qui supra omnem spem, metumque positus, mortalium fastus post Dei honorem, cultumque habet, hæc auderet? Sparsa per omnem antiquitatem istiusmodi generosæ virtutis exempla comperies: præcipuè [a] Martini, [b] Lugeri, & [c] Cantuarienses dilaudantur, qui nulla regiæ Maiestatis, ac supercilij ratione habita, nisi vel exacto Sacro, quod audire occœperant, vel absoluto precum diurnarum penso, quod inchoauerant, ire ad Reges vocantes abnuerunt. Inter quos reponendus meritò Carafa, cuius nobilissimo quidem documento sciuerint Sacerdotes præcelsum suum decus tueri, cùm, vt ait [d] Pelusiota, corona redimiti, dignitate honestentur Regno longè præstantiore. At meminerint Principes, Magnum [e] Constantinum lege cauisse, vt Sacerdos præ Rege, & quouis Principe haberetur, quod in illo honoretur Christus, cuius vices in terris gerit. Itaque, vt erant Carafæ vehementer infensi Aulæ proceres, dicta, factaque eius omnia deprauato animi sensu, affectuque interpretari, ac passim carpere, Regique, ceu superba, ac plena fastu obtrudere. Qui tamen nihil hisce obloquutionibus permotus, Theatini Episcopi indolem, ac mores non modò non visus improbare, verùm commendabat interdum abundè. Scilicet, præter honorificam, quam ipsemet de præstantissimo Viro opinionem conceperat, aderant præterea in Aula Viri principes, summa apud Regem gratia, qui euibrata ab æmulis in Carafam tela opportunè eluderent, & assidua virtutum commendatione eius existimationem, famamque tuerentur. Ij in primis erant Cardinalis Toletanus, penès quem summa rerum hispanicarum tunc erat; Adrianus Florentius, Traiectensis, Episcopus Derthusensis, & Cardinalis, quem fœcunda virtutum fama, zelique ardor egregius vsque adeò commendabant,

In Belgio Margaritæ Austriacæ mandata accepit.

Excipitur a Ferd. perhonorificè.

A consilijs, & Sacelli Præfectus renunciatur.

Sed elato Ferdinando, imminuta auctoritas.

Morienti Regi sincerè cōsuluit.

Ideò inuisus aulæ.

Et apud Carolum successorem criminationes;

Sed infractus Carafa mentē non mutat.

Cumulatque procerum inuidiam memorabili facto.

[a] Sulp. vit. S. Mart.
[b] Sur. vit. S. Lug. li. 1. c. 39.
[c] Stapl. tri. vit. Tho. Mori.

Qui Sacerdotij dignitatē maximè asseruerint.

[d] Ep. 290.
[e] Apud Grat. dist. 10.

Constantini Magni lex de Sacerdotibus honestandis.

Carafæ obtrectatores non audit Rex Carolus.

Apud quem magnæ notæ Viri stant pro Carafa.

bant, vt elato Leone Pont. Max. prona Purpuratorum Patrum suffragia, non absentem modò, sed quem nec Roma vnquam viderat, nec ipse Romam, Sacrorum Principem renunciarint; Frater Ioannes Toletanus, Petro à Toleto germanus frater, qui & ipse postea in purpuram euasit, quocum dum in Hispaniam per Belgium Carafa traijceret, amicitiam contesserauerat; & Marcellus Gazzella, Caietanus, pro Regno Neapolitano Regens, qui doctrinæ celebritatem exacta ad omnem integritatem vita cumulauit; de quo redibit sermo, cum de nostri Ordinis auspicijs sequenti libro agemus.

Defuncto Maximiliano, salutatur Imp. Carolus. Res Hispanica penes Adrianum.

Cui magnis in negotijs adest Carafa.

Intereà temporis Maximilianus Primus Cæsar diem obijt, ac fausta Septem-Virum suffragatione Carolus, Hispaniarum Rex, Maximiliani nepos, inauguratus, qui statim per Oceanum in Germaniam transmisit, vt bellica de more acclamatione ab exercitu salutaretur. Porrò, Hispaniæ procurationi, ceu tantæ Prouinciæ, & purpuræ dignitate, & virtutum fama parem, Adrianum præfecit, cui eximius Religionis ardor, morumque, ac genij similitudo Carafam arctissimè coniunxerant, & huius ille magnis in negotijs obeundis egregia opera vtebatur. In eo præcipuè intestinæ Seditionis turbine, qui, Padilia, & Brauo, partium principibus, rei Hispanicæ ruinam interminabatur, quà restinguendis turbis, quà componendis procerum animis, magnopere Carafæ studium, consilium, fides iuuit. At enimuerò, ab hac Adriani Cardinalis beneuolentia gliscere magis, ac magis in illum inuidia, nouisque commentis, ceu machinarum tentamentis pulsare Imperatoris animum æmulorum ardor cœpit. Ea propter, cùm non obscurè cerneret, assidua ea arietatione Cæsaris beneuolentiam labefactari, optimum factu duxit, ne quid Aula dignitati suæ detractum iret, tempestati cedere; missionemque à Carolo anxiùs efflagitauit, impetrauitque. Qui tamen, ne absque publico nauatæ insigniter operæ testimonio abiret Vir integerrimus, Archiepiscopatu Brundusino, qui tunc longè opulentior, honestauit. Ille, magis ne Imperatoris benignitatem superbè respuisse videretur, quàm quòd animus esset amplissimi illius Sacerdotij administrandi, ea qua decebat, memoris animi significatione, acceptauit.

Hinc gliscit inuidia aulicorum.

Cedendum ducit Theatinus.

Discedit que ex Hispania auctus Brundusino Sacerdotio.

Romæ publicis curis imponitur.

Reuersus Romam Episcopus Thatinus, quòd eius ingenium Orbis bono natum ab ingentibus curis feriari religio esset, publicis statim Ecclesiæ, fideique negotijs à Leone Pontifice imponitur. Enim verò enata tunc primum Lutheri lues principes iam Germanici corporis partes malignè adflauerat, ac fauentibus quà clandestinè, quà palam procerum, ac vulgi animis, videbatur immanis hæresis sua tela expolire, atque in ipsum Romanæ Ecclesiæ sinum collimare. Prouidendum tempestiuè duxit Pontifex, vtque sobolescenti quotidiè in noua capita hydram doctrina extingueret, Septem doctissimos, compertæque eruditionis Viros delegit, qui in atrox monstrum ingenium, stylumque exacuerent, conficerentque. Inter quos fuit Carafa, qui in ea scriptione egregiè desudauit, atque hanc in hæreses velitandi occasionem, velut in aperti, cruentique certaminis pignus, prolusionemque libentissimè arripuit: extatque luculentum Carafæ opus de Iustificatione M. S. quod tunc lucubratum credimus.

Stylum in Nouatores inter quos peteru-due.

Brūdusinam Ecclesiam inuisit.

Cum proceribus illi res.

In quos strenuè insurgit.

Hæ publici muneris partes remorari, ac detinere Carafam Romæ potuere, quem interim nouæ Brundusinæ Ecclesiæ Curæ, onusque sollicitabant: nouerat quippè, vt tunc syluescerent ibi mores, & qua laboris assiduitate repurgandæ segeti inuigilandum. Adijt igitur Brundusium, cumque in secundas eas curas diligentissimè incumberet, offendit hic etiam aliquorum Procerum, ac Dynastarum contumaciam, quibus ingentem maris animi virtutem, infractamque constantiam objicere oportuit, vt discerent frænum pati. At exeunte huius seculi anno 21. erepto è viuis Leone, optimo Pontifice, Adrianus, quem memorauimus, Derthusensis Episcopus, Pontifex renunciatur, cùm abesset; qui vt se ex Hispania Romam contulit, qui erat eximio Vir zelo, nec eas temporum, morumque inclinationes, viuendique licentiam, quam sæpè ex animo deplorauerat, ferret, eò primum, ac in ipso statim Principatus exordio animum appulit, vt Romam emendaret, à qua, veluti à suo fonte in reliquum Christianum Orbem exitium inundabat. Et verò, eò loci tunc erat res Romana, vt luctuoso quodam inclytæ Vrbis fato eò corfluxisse omnium scelerum illuuies videretur. Argumento fuerit immane illud piaculum, quod vt [a] Hieronymi Nigri ad Marcum Antonium Michaelem habet epistola, ea tempestate Populus Romanus execrandis Iudæorum, magorumque consilijs dementatus, admisit: cum scilicet, vt grassatam Romæ diù luem deprecaretur,

Inauguratus Pontifex Adrianus 6.

Eius statim curæ de Ecclesia emendanda.

a Lit. Princ. fol...

Taurum

Taurum in Capitolio per impia carmina immolauit. Coniectari hinc libet reliquam vitiorum pompam, quando ipsamet impietas, Deorumque cultus in celeberrima Capitolij arce tam magnificè triumphabat. Igitur nihil cunctatus Adrianus, vt rem protinùs aggrederetur, atque impendentibus grauioribus subindè malis præmaturè occurreret, Ioannem Petrum Carafam, & Marcellum Gazzellam, quos incorrupta morum sanctitate Viros, ac tantæ rerum moli, quam animo comprehenderat, pares nouerat, Romam accersiuit, vt eorum consilio, ac opera conclamatis penè moribus, quando haud penitùs extincta, adhuc pietas palpitaret, opportunè mederetur. Vaticanis Sedibus consistere par hominum præstantissimorum iussit, qui alta veluti è specula, prospectuque, ceu subiectam Vrbem liberè intuentes, egregiè sincerioris disciplinæ instaurationem occœpere. Resque feliciter cedebat, iamque alius rerum ordo, & facies, & sua veluti lineamenta redibant Romæ; cùm festinato nimis exitu moritur Adrianus, eoque incomparabilis Pontificis casu erigendi Orbis spes omnis visa est concidisse. Certè, breuiorem tanti Principis vitam Deus voluit, vt Romam plecteret, quòd suis malis, sensuumque lenocinijs nimis ablandita, secantis manum refugeret, ac deuoueret. Quod verò ad Carafam attinet, destinauerat illi omnium testimonio purpuram Adrianus. Sed differendus profectò is honor fuit, vt ad summæ dignitatis decus tunc ille pertingeret, cum maximè, instituto Clericorum Regularium Ordine, fugerat, nolentemque pensarent amplissimę Infulæ, postquam bis eas promeruisset, earum fuga. Adriano Clemens succesit, Pontifex eius nominis Septimus, Mediceus; erectusque est Orbis ab ea cognominis significatione in spem, fore, vt laboranti graui morbo Ecclesiæ mederetur, premeretque sanctissimè eandem Adriani Orbitam. Nec concepta bonorum vota lusit; siquidem, vt præsentissimo remedio mali contumaciam frangeret, delecto virorum, qui tunc in Aula erant, eruditione, ac integritate præstantium Cætu, hanc illis curam quàm grauissimam commendauit: eratque inter eos Carafa, quem postea ceu primarium maximi operis architectum designauit Pontifex; ac præcipuè obsignaris Apostolicis litteris absolutam illi in Sacrorum Ordinum candidatos auctoritatem præbuit; vt quæ administrorum auaritia, ac seculi vitio in ordinum collatione, exactaque morum disquisitione ingenti cum diuini cultus contemptu irrepserant, ordinaret ipse, corrigeret, mulctaretque supremo iure. Extant hæ litteræ ad Carafam datæ, anno quarto, & vigesimo supra sexquimillesimum, quas hìc exscribere non vacat. Grauissimis in hisce negotijs curandis totus erat Episcopus Theatinus; illud verò mirandum in eo erat, quòd quamuis opprimi ingenti ea mole videretur, aderat tamen statis horis pietati, eiusque officijs, & vires, & animos afferebat, haud quidem eneruatos, defectosque, sed recenti quodam spiritu robustiores. In Xenodochio, quod olim ipse cum Hectore Vernacia fundauerat, eiusdem postea Vernaciæ opera absoluto, assiduus erat. Diuini Amoris Sodalitium, quod, vti significatum est, præstantissimorum Antistitum, atque excellentium Virorum virtute, ac celebritate clarissimum Romæ erat, frequentare ardentiùs, miscere inter Sodales, graui quidem, disertoque dicendi schemate pijs de rebus sermones, cælestia ibi commentari: vt planè qui Carafam inter negotiorum æstus tranquillissima ea Sacri Lararij studia complecti cerneret, Alcedonia illum agere inter vndas reciprocantes diceret; vsurparetque quod Diuus [a] Bonauentura de D. Francisco scripsit. [Mos erat, Carafæ, nunquam ociari, quin potius instar supernorum spirituum in Scala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum.]

Iam verò, qui iam tum in puero adoleuerat mortalium contemptus, ac Religiosi Instituti amor, nec inter Insularum pompas, nec spissis, magnisque legationum curis, aut lustratione Orbis consenuerat, nunc maximè vellicare egregij Viri animum cœpit. Et quidem antequam de Clericorum Regularium Sodalitio cogitaret, ad Monachos Camaldulenses animum adiecit, cuius auctor erat Paulus Iustinianus, Vir Sanctus, qui priscam Camaldulensium viuendi rationem instaurauerat, floretque nunc ea Monachorum institutio summa cum sincerioris disciplinæ, atque obseruantiæ laude. Igitur cum amicissimus esset Iustiniano Episcopus Theatinus, explicare cum illo ineundi instituti consilium per litteras cœpit; extatque nunc ea epistola apud Camaldulenses, eamque laudat [b] Lucas Eremita in sua historia Romualdina, vbi quod illud postea propositum successu caruit, causam illam addit, quod fuerit Carafa ad aliquod maius à Deo

Carafam, & Gazzellam Romam accersit.

Commendata his morum instauratio. Sed abrupta ea studia Pōtificis morte.

Qui Carafam purpuræ destinauerat.

Adriano succedit Clemēs septimus.

Idemque reformationis consilium prosequitur. Adhibet curis hisce Carafam.

Præcipuè sacrorum ordinibus initiādos eius disquisitioni committit.

Inter curarū æstus pietati vacat.

Diuini Amoris Sodalitiū init.

a In vit. D. Fran.

Res humanas fastidit.

Et Camaldulensium Ordinē cogitat.

Litteræ ea de re ad Paulum Iustinianum.

b Lib. 3. c. 15.

vocatus. Quod sanè maius bonum, quod à Camaldulensi consilio Carafam reuocauit, ne excogitari, aut fingi quidem potest, fuisse aliud, quàm vetustissimi Ordinis Clericorum Regularium instaurationem, ab ipso mox vna cum Caietano Thienæo, ac socijs excitatam, quam ceu quid excellentius, ac publicæ Orbis vtilitati, laborantique rei Romanæ adeo accommodatum, atque opportunum, quid mirum si Camaldulensium solitudini præhabuerit Vir, non tam sibi, quam Orbi consulens? Scio ego Neotericum quemdam Scriptorem suo dictionis artificio agere, ceu velit Lucæ Eremitæ auctoritate legentibus propinare, Carafam post Theatinam, ac Brundusinam Ecclesias abdicatas, post initam, fundatamque nostram Sodalitatem, ac nuncupata ad Aram maximam D. Petri vota, plaudentibus velut in theatro grauissimis Aulæ Viris, vna cum suis socijs eodem votorum Sacramento authoratis Camaldulensium Ordinem, ac solitudinem cogitasse, datisque ad Iustinianum litteris efflagitasse; fixasque semel nouæ Congregationis leges, refigere voluisse, fuimet Ordinis transfugam. Quod quia monstro, quàm vero similius est, ipsemet auctor eodem in opere, iniecta veluti Religione, dictum emollit: ac recitatis nescio quibus Carafæ ad Iustinianum litteris, pronunciat, Episcopum Theatinum post institutum Clericorum Regularium Sodalitium versasse quidem animo recessum, ac solitudinem, at non Ordinem ipsum Camaldulensium. Quæ sanè litteræ, si reuera extant, nec vllum est illitum à calamo vitium: nam re cum rerum nostrarum peritioribus accuratè expensa, plura eæ continent, quæ cum nascente tunc Sodalitate minùs conueniunt, incertosque animi nos tenent: præsertim quòd excusso perdiligenter Montis Coronæ tabulario, vnde hic auctor expressisse illas ait, nusquam fuit reperire autographum. Si, inquam integræ fidei sunt eæ litteræ, concedendum enimuerò fuerat laxamentum aliquod Viro, iam pridem ex Aulæ turbis erepto, & qui post institutum Ordinem, nec tum quidem vacare ex animo Deo poterat; quippe qui Romæ adhuc in medio positus, eaque prudentia, atque existimatione apud Romanos proceres, declinandi Aulæ negotia non integrum illi ius erat. Curarum profectò fugam adornabat, & quandam animi requietem, vt breui confirmato per contemplationis studium spiritu, receptisque viribus, in publicam deindè animorum procurationem ardentiùs, ac robustiùs, quæ erat eius instituti ratio, insiliret. Gnarus quippè quas animo vires sufficit illud ab hominum celebritate, æstuque ad tempus diuortium, actæque inter sacras rerum cælestium commentationes feriæ. Quod cum magnorum Virorum experientia, atque ex suæ potissimum Societatis instituto, secessuque probè sciat Scriptor, temporarium hoc otium Carafæ dare posset: cùm nihil illi, vt etiam Thienæo eorumque socijs tàm cordi fuit, quàm morum, Clerique censura, ac non Romæ tantùm, sed cunctorum, si fieri posset, mortalium salus, ac repurgatio, vt infra demonstrabimus.

Ioannes Rhò improbatur.

Interrog. 14.

Post conditā Religionem recessum ad tempus Carafam cogitasse, suspicio adhuc calamo affirmamus.

Ergò meliore aura adspirante vela statim Episcopus Theatinus ab eo Camaldulensium consilio flexit, excepitque vim Numinis, in noui Ordinis institutionem prouocantis, aggressusque est præclarum opus cum Socijs, quos inter fuit Bonifacius à Colle, Vir & generis, & virtutum notis ea tempestate Romæ clarus, quem ductis strictim lineamentis iuuat noscere, velut de vultu.

Ortus est Bonifacius Alexandriæ, quæ Vrbs est in Insubria notissima. Genus illi è Collensi familia. Vetustissima ea quidem, quam, vt publicæ fidei tabulis constat, omni fermè ætate cùm domi, tùm apud exteros Principes, præfecturarum fasces, honorum appellationes, tituli, opes condecorarunt. Sanctissimæ Crucis frustum, & vna è spinis, quæ Christi Domini caput conserto diademate religarunt, in Principe Alexandriæ Vrbis templo adseruantur, eaque Collensibus accepta referuntur. Vetere siquidem fama compertum est, fortissimum eius stirpis Equitem è Palæstina, vbi contra Saracenos egregiè militauerat, Alexandriam ad Vrbis decus, ac munimentum aduexisse. Quapropter ad huiusce pietatis, ac munificentiæ argumentum, claues octo, quæ arcam muniunt, vbi insignia huiusmodi diuinæ charitatis seruantur monumenta, cum totidem è præcipua Vrbis nobilitate credantur, alijs subindè alijs succedentibus, vna perpetuò fuit, atque est apud Colles. Imbutus liberaliter Bonifacius quà moribus, quà litteris. Iuris prudentiam emensus, Lauream vigiliarum non exigua cum ingenij laude est consequutus. Cumque ea eruditio ampliori quidem theatro facta videretur, Romam concessit:

Bonifacij à Colle ortus, Patria, genus.

Studia litteraria.

vbi

vbi aulicis, ac forensibus curis misceri cæpit, ea tamen lege, vt cum aulæ officijs pietatem, tranquillitatem bonæ mentis cum fori strepitu consociaret. In pauperes cum paucis munificus. Æternorum contemplationi iuxta, ac saluti animorum intentus. Admissus & ipse est inter claros illos Viros, Diuini Amoris Sodales, quos ipse, etsi ceu pietatis Romanæ collabentis præsidia, ac vindices probitatis admiraretur omnes. Caietanum in primis Thienæum suspiciebat, quo cum ob indolis, morumque similitudinem singularem inijt amicitiam; cui ex condita postmodum Congregatione noua accessit germanitas, quouis firmior adamante. Pietas. Cum Thienæo coniunctio.

At enimuerò, vt Thienæo Collensis, ita Episcopo Theatino Paulus Consiliarius amicissimus fuit. E quatuor nostræ Sodalitatis fundatoribus Ordine postremus, sed omnigena virtute cæteris par. Romanus Patria fuit Paulus, è Gente Consiliaria, vna, eademque, vt satis iam constat, cum Ghisleria, cui in exactæ sanctitatis specimen, ac illustre Pontificum exemplar, vnum Pium Quintum Ghislerium Orbi dedisse, sat fuerit. In Paulo non eximia quidem litteraturæ laus fuit: at consilij vis ingens ingenium abundè pensauit. Quippè ea in rebus agendis inerat prudentia, vt maximis negotiorum momentis, rebusque difficillimis explicandis, iudicio, ac dexteritate sua sufficeret. Ad hæc, oris habitus ad modestiam conformatus, singularis, nec adfectata morum grauitas, animique candor incomparabilis omnium facilè beneuolentiam conciliabat. Cum Carafa penè vnanimis fuit: idem vtrique ad pietatem impetus, ac voluntas, communes animorum sensus: siue aliorum, siue suæ saluti studerent, siue diuini Amoris Sodalitium tererent, nusquam non simul: vt planè inter prisca illa, ac celebrata tot historiarum monumentis amicorum paria, Carafam, & Consiliarium adnumeres. Vt verò euectus ad summum rerum apicem Episcopus Theatinus hanc ipsam in Paulum beneuolentiam adauxerit, dicemus in loco. Interim satis isthæc fuerit nostrorum Patrum, antequàm in Clericos Regulares euasissent, delineatio: quos disiunctos Patria, Cæloque, ac gente dispares admirabilis Dei Sapientia Romæ pro suo quemque studio coactos, mutuaque amicitia initiatos, ad opus quàm excellentissimum in diuini Amoris Sodalitio erudijt, velutin gymnasio. Paulus Consiliarius Romanus e gente Ghisleria. Eius in agendo prudentia. Ac cætera indoles. Carafæ coniunctissimus.

LIBRI PRIMI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SECVNDVS.



ROMÆ quatuor hi spectatæ virtutis Viri, quos descripsimus, in maxima omnium existimatione cùm morarentur, nullis licet Christianæ pietatis officijs parcerent, incorruptamque morum sanctitatem, ac probitatem singularem Vrbi insigniter approbarent, visi nihilominus ad maiora consilia à diuina Numinis prouidentia destinati. Enimuerò grandior singulos coquebat cura, quàm vt in illis priuatæ pietatis studijs sisterent, donec in altissimum tandem opus conspirantes, concepto videlicet, instituto que Clericorum Regularium Ordine, optimo successu rerum commonstrarunt, quæ quisque ad commune Orbis bonum animo agitauerat, & quàm ingentibus cogitationibus ea virtutum exercitatione proluserint. Verùm, vt quæ illos occasio, ac necessitas nouam hanc Clericorum Congregationem excitandi prouocauerit, explicemus, longiùs petenda res est. Et quidem quo loci ea fermè tempestate Resp.Christiana, atque Orbis vniuersus erat, acerbior passim apud scriptores commemoratio, qui vbi in ea inciderunt tempora, communi quodam narrationis, stylique consensu vsque adeò æui calamitatem exaggerant, ceu ferrea morum ætas æqui, honestique cultum, ac decus attriuerit; omnisque ab Aula, à Templis, à moribus fides, probitas, pietas exularit. Præcipua huiusce virtutum cladis causa, bella fuere, quę acerbo nimiùm Europæ fato non quidem per interualla, aut breui temporis spatio, sed assidua armorum arietatione, ac prolixiùs ipsam diuerberarunt. Eò nanque Principum altercandi, rixandique cupido processit, vt cum cæteris Regnorum curis, opibusque, successionis quodam veluti iure, filijs bella etiam legasse viderentur: & ne desinerent nocentes esse post fata, extincti, calentesque ipsorum cineres, filiorum odijs dimicabant, trahebantque in publicam Rei Christianæ perniciem bella, veluti secularia. Vt meritò cum a Saluiano dici posset; [quod omnes parentibus suis filij non modò in patrimonia, quàm in vitia succederent, nec magis facultates paternas sumerent, quàm prauitates.] Tragedijs hisce theatrum Italia ferè fuit oppidò cruentum. Certe quæ per Europam arma circumsonabant, Italiæ vt plurimùm vastitatem minabantur; vbi à diuersis multorum Principum studijs facilè erat abire in partes, & statim in arma. Planè, si Superioris seculi annales repetas, nunquàm pulchra, breuique florentem pace Italiam reperies, turbis, bellisque assiduò diuulsam, afflictamque. Iam verò, vt funesto bellorum classico concinente ingenijs præcipuè, honestisque studijs clades indicitur, & pulcherrimæ quæque artes profligantur, ita & morum inclinationes quàm maximas ab ea martis insania fieri necesse est: neque enim ad ardua, ac decora eniti virtus potest, atroci ea rerum imagine territa; nec iustitia componere quæ exerrant, vbi castrorum licentia miscet omnia; nec coli pietas, ac Religio, proscripto sacrorum cultu. Quod sanè, cùm toti Italiæ, tùm Romæ præsertim sub huius Seculi initium, quo fundata nostra Sodalitas est, contigit. Nulla vsquàm virtutis vestigia: popularis quædam vitiorum lues, ac contagio: publicus, exausta omni verecundia, honesti contemptus: auaritia, Sacrorum licitatrix, & charybdis: vestium luxus, ac nomina ad libidinum pompam: ambitio, quæ per aliorum dedecus, ac sanguinem ad honores grassatur, commune tempestatis, atque hominum mala tunc erant. Neque enim dum alia ex alijs seruntur bella, aliæ enasci, ac luxuriare segetes possunt. Romanos Pontifices, quorum, & temperare moribus Christianum Orbem, & emendare legibus, & curare Sacra intererat, bellicis armorum procellis

Excitandi Cleric. Reg. Ordinem occasio.

Deplorandus Christiani Orbis status.

A bellorum motibus.

a Ad Eccl. li. 1.

Præsertim in Italia.

Mores bonos arma conficiunt.

cellis immixtos, necesse erat, desperata morum quæstione, & cura, aut restinguendis aliorum incendijs, propè conflagrantibus, aut proprijs amouendis, vacare: cùm interea propagari morbida criminum tabes, &, gliscere in dies scelera cernerentur. Accessere his eo maximè tempore truculenta hæresum monstra, atque hæreticorum nomina longè teterrima, quorum scriptis, atque obloquutionibus nimiùm quantùm Ecclesia cœperit periclitari. Siquidem Seculi, in quo scriptione versamur, anno decimo septimo, Leone X. Pont. Max. Fax illa Religionis funestissima exarsit, scilicet Martinus Lutherus, cuius vel impurissimum nomen memorasse, bonorum aures, animumque incestasse, ac vulnerasse est. Planè, si persuasum semel habebimus quod de pestilentissimo homine scriptorum fides narrat: nimirum mali dæmonis perpetuum hospitem fuisse Lutherum; imo & huiuscemodi rebellem genium cum eius matre concubuisse, eoque auspicatissimo connubio grande illud malum procreatum, atque in Orbem inuectum: nulla profectò eius crimina ibunt vltra fidem. Etenim qui ex Patre diabolo erat, in atrocissima statim ea flagitia exorbitasse; excucullatum induisse è vitiorum omnium purpura centonem; tot prauorum dogmatum sentinas euomuisse; tot in fidem orthodoxam mendacijs, quæ ad octingenta supra duo, & viginti censentur, delirasse; sacras Deo Virgines, templa, aras commaculasse; fœdissimo calamo, ac lingua Sacramenta, Ecclesiam, Cælum ipsum impetijsse, nullus enimuerò iure mirabitur. Porrò, enatam Lutherianam hanc luem quædam, nescio quo fato, excepit felicitas. Etenim ceptum eo fermè tempore inter Carolum Quintum Augustum, & Franciscum Gallorum Regem acre bellum, atque oppidò intempestiuum. Quo factum, vt dum armis suis, iræque impensiùs, atque impotentiùs vacarent magni Principes, quod poterat inter ipsa cunabula iugulari, ac sisti malum, adoleuerit impunè, & vsque adeò excreuerit, vt ceu se se perditissimi hominis mens non caperet, in alios se se effuderit, ac Zuinglianos, Carolostadianos, Anabaptistas, infanda sectarum nomina, animarit. Atque hi quidem nouam in Sobolem subindè pullulantes, breui non modo Germaniam suam oppleuere, sed in alias Occidentis Prouincias manarunt latiùs. Adflauitque eius hydræ virus Italicum ipsum aerem. Nam præter sacrorum indiligentiam, quidam etiam eorum contemptus apud Italos irrepserat: antiquissimos Ecclesiæ ritus ioci materiam vulgus fecerat: Religiosi Viri, eorumque Ordines passim, ac palàm salibus peracerbis proscindebantur; mysterijs illudi, ceu fabellis, ac commentis ingeniorum; prophanis confabulationibus Sacræ Scripturæ verba innecti ad risum, leuiora fortasse crimina erant. Factorum præterea, dictorumque impunitas, ac conniuentia effecerant, vt in ipsas Christiani corporis partes vitaliores hæc ipsa impietatis, morumque pestis allapsa, Romam ipsam depasceret, ac fœdè corrumperet. Etenim, vt grauissimi quique viri de illa temporum licentia, & clade testati sunt, nullus tùm erat Romæ aulicus, qui si comis, factusque ad omnem elegantiam audire vellet, non se aliqua imbutum hæreticæ prauitatis labecula perfricta fronte iactaret; nec pauci omninò erant, & hi quidem è celebrioris notæ Viris, qui ad excellentis ingenij, doctrinæque ostentationem hæreticorum themata subtilissimè propugnare non dubitarent: quo fiebat, vt acutis huiusce ratiocinationibus, velut obuersa in sinum cuspide, semet, aliosque miserrimè conficerent. At quod luctuosiùs scenam implebat; nihilo sanioris ingenij Sacerdos erat: nisi quod luculentiùs, ac splendidiùs peccabat conditio, ac Ordo; & non vnus ipse, sed exemplo, quo alios propellebat, numerosior in malum, ac facinus ruebat.

Romæ præsertim pietatis clades.

Bellis accessere hæreses, Luthero aurigante.

Eius hausta à natalibus nequitia.

Lutherianam luem aluere Principum dissidia.

Excreuitque in sobolem.

Hinc ipsa corrupta Italia.

Et Roma.

Et in ipsa potissimum Ecclesiastici.

Deplorandam hanc viriorum colluuiem, ac miserrimam temporum conditionem varia, quæ visa per Europam fuere tunc temporis portenta demonstrarunt. * Præcipuè Rauennæ monstrum ingens terrori fuit. Memorantque cornu vno in capite extante, vno in genu oculo, vno crure, vno rapacis instar volucris adunco pede, sexu gemino, alatum, nullis brachijs, horribile admodum visu fuisse. Quod etsi in infaustum Vrbis Rauennatis augurium traxerint, ceu sequuturæ mox calamitatis argumentum, ac symbolum: nam eodem anno Ludouicus Francorum Rex duodecimus rupto cum Pontifice, ac Maximiliano Augusto fœdere, Rauennam inuasit, ac luculenta satis clade igne, ferroque mulctauit. Attamen teterrimo eo emblemate adumbratos eius æui mores sapientissimi quique Viri docuere: vt nimirùm elatum

Portentis adumbrata hæc morû labes.

* a Sur. in com. rer. in Orb. gest. an. 1519.

Rauennæ monstrum horrendum, ingens.

Eius explicatio.

 cornu

cornu potentiorum superbiam indicarit; alæ nouatorum perfidiam, atque inconstantiam; imminuta brachia bonorum operum proscriptionem, quam Lutheriani deprædicabant; aduncus pes omnigenam auaritiam; impactus genu oculus, addictos, mersósque fluxis rebus animos; gemini tandem sexus vtrumque veneris propudium.

Leo Pont. amænioris genij.

Leo Decimus Pont. Max. in id luctuosissimum religionis, morumque discrimen incidit. Nam, vti memoratum est, truculentus ille è Septentrionali Cęlo Cometes lutherianus infaustè eo tempore illuxit. Ipse, etsi excelsissimi Vir spiritus, & cuius Pontificatus, sancita Italiæ pace, omnium lætissimus, ac benignissimus videri potuit; maturiore certè æuo eam emendandi Orbis curam intendisset, qui florenti adhuc ætate, & amænissimo in primis genio longioribus grauiorum negotiorum curis honesta otia præhabebat. Eapropter, cum præstantissimi è romana Aula Viri non pauci gliscere in dies mala, & laborare catholicum nomen, ac mores acerbissimo cum animi sensu cernerent, & Romam ipsam, vbi florere sanctitas debuerat, prauorum hominum, ipsorumque Ecclesiasticorum licentia, ac scelere contaminari, Superno quodam spiritu, zeloque incitati, & præsentem cladem profligare, & imminenti obsistere, percusso quodam animorum fœdere, conflataque fortissimorum hominum manu, statuere.

Occurrere seculi vitijs boni Viri statuunt.

Diuini Amoris Sodalitio excitato.

Itaque Sodalitium, quod sæpè memorauimus, faustè à diuino Amore nuncupatum, certis quibusdam legibus fundarunt ea mente, vt excitatis ab ea flamma, exemploque igniculis, rediuiua pietas, cultusque religionis penè conclamatus, Romæ renasceretur, & mox per reliquas Italiæ Vrbes propagaretur. Sodalium numerus statim ad sexaginta, quà Infulis, quà virtutis Commendatione magni nominis ad vnum omnes. Qui ex eo censu superfuere, dilapsa reliquorum memoria, ij solùm modo recensentur; nempè Gaspar Contarenus, Iacobus Sadoletus, Matthæus Gibertus, Ioannes Petrus Carafa, Caietanus Thienæus, Aloysius Lippomanus, Latinus Iuuenalis, Tullius Crispoldus, Bonifacius à Colle, Paulus Consiliarius, & Iulianus Dathus. Præclara, ac sapientissima hæc virorum capita, ceu de Christianæ Reip. summa grauiter consultantia, cogi solita velut in senatu, curiaque, in sanctorum Syluestri, & Dorotheæ Aedicula ad Ianiculi Collis radices, non longè à Templo Virginis Transtyberinæ; vt vbi Apostolorum Principem celebrasse olim conciones, crescentemque romanæ pietatis infantiam, explicatis fidei mysterijs, instituisse, probè nouerant, decrepitam, ac fatiscentem ipsi religionis ætatem alere, ac substentare niterentur. Præerat Ecclesiæ illi Iulianus Dathus, iam dictus, qui & Lateranensibus Pænitentiarijs Præfectus, mox Episcopus S. Leonis fuit, eximiæ vir integritatis, doctrinæque, ac Leoni Pontifici inter paucos carus. Huius præcipuè consilio, atque hortatu, & Sodalitium, & Sodalium studium excitatum, effecit, vt non omnis intercideret sacrorum vsus: quando cùm ipsi Præsules mutuis se se adhortamentis, zeloque inflammantes, tùm alij, quorum vtcumque latera fax illa exemplorum incendebant, & sacris concionibus audiendis, & diuinis Christi Corporis mysterijs frequentandis, & mulcendæ, subleuandæque miserorum inopiæ, quæ iam penè exoleuerant, incumbebant.

Præcipui eius Sodalitij Capita.

Præclara eius opera, & fructus.

Agnoscimus in hoc diuini Amoris Sodalitio nostræ nos Congregationis primordia: nec à vero ibimus, affirmantes, æternam Numinis Sapientiam, cum egregios eos Viros consociauit, conflauitque Clericorum secularium societatem, maiori cuidam Instituto, hoc est, Clericorum Regularium Congregationi præiuisse. Enimuerò, proludere ingentibus rebus, cæptisque, ac rudimenta prius ponere magni cuiusque operis solet Deus. Igitur Caietanus Thienæus, qui inter eos, vti meminimus, sodales censebatur, etsi gauderet in sinu, quod Christianæ aliquis vitæ calor Romæ veluti præcordia animaret, foueretque, dum cuncta latè hyemascerent; tamen vt erat ampliore quidem pectore, quàm vt in paucorum hominum bono, fructuque sisteret, maiora secum agitare, ac moliri; tanquam ab illo diuini Amoris Sodalitio ad grandius quiddam, maiusque Ecclesiæ compendium à Deo prouocaretur. Videbat profectò Cœtum illum hominum lectissimorum non ijs esse institutis, ac legibus temperatum, vt perpetuo duraret, nec eo numero valere, vt infinitam propè malorum,

Rudimenta nostræ Religionis in eo Sodalitio.

Mentem excitandi Ordinis concipit Thienæus.

quæ

quæ grassabantur, Iliadem profligaret. Tum, Seculares Clericos, ac Præsules suis quemque negotijs, publicisque officijs addictos, distractosque, non ea posse obire munera, quæ adeò corrupta Resp. posceret. Quapropter aliam ineundam fore rationem putauit, qua inuecta in Ecclesiam seuerior disciplina, & manaret latiùs, & diutius perduraret. Cumque probè sciret, Ecclesiasticorum exemplo, ac vita regi quodam veluti impetio populum, ac nunquam ad bonam mentem hunc redire, vbi in prauos mores illi degenerant; nihil sanè opportunius, ac præsentius ad rem romanam redintegrandam existimauit, quàm si Clericos ipsos componeret; nec meliùs posse Clericos componi, quàm si intermortuum illud Apostolicum viuendi institutum reuocaret, conceptisque publice Religionis votis perpetuo sanciret, confirmaretque. Nimirùm existimabat, obiecto Clericorum Regularium mundissimo vitæ cultu, paupertate, modestia, sanctitate, visuros illicò prauos homines, velut ad subitæ, ac liquidissimæ lucis radios, labes suas, luxum, pompam, eiusque vitæ pudefactos, exacturos sensim ad eam amussim mores suos: quo & expiari Clericorum vita, & eorum subindè exemplo, iniecto veluti fræno, reliquorum hominum vita sisti incipient. Hac arte priscos illos Patres ad sui seculi licentiam compescendam vsos; his renascentis Apostolici instituti legibus Rempublicam Christanam ordinasse: denique istiusmodi Clericorum legionibus centuriatis, Augustinum, Athanasium, Basilium, Eusebium, aliosque Clericorum Regularium Antistites, atque assertores; de quibus infra, immanes hæresum phalanges cùm in Oriente, tùm in Occidente acerrimè infestantes, deleuisse. Illud porrò maximo ad id operis incitamento Thienæo erat, quod sciret impijssimum Lutherum, eiusque asseclas in Clericos præsertim maledictis debacchari, Romanamque Aulam, ac Præsules quà scriptis, quà voce diserte, atque impudentissimè proscindere, quod improbè viuerent: quibus Ille de Clericorum ignauia, luxuque obloquutionibus odium non planè exiguum apud imperitas vulgi mentes in catholicum nomen, romanamque fidem conflabat, suisque deliramentis, ac contumelijs sectæ plausores, ac asseclas adaugebat: vbi nanque bonorum hominum errata splendidè publicantur, nimiùm quantùm amplificatur improbitas. Hoc Lutheri institutum, effusasque in Ecclesiasticos diras [a] Laurentius Surius eodem hoc ipso anno adnotauit in hæc verba: [Frequens erat in ore lutherianorum dogmatistarum mala vita Cleri, & hac identidem commemoranda, mirèque exaggeranda, multorum animos in Clerum concitabant.] Hæc ille. Quocirca si principem hanc Christianæ Reip. partem, hoc est, Clericos, Nouatorum criminationibus, ac conuicijs sua culpa, ingentique cum Ecclesiæ damno adeò obnoxios, asserta exacti æui disciplina, instaurato Clericorum Regularium Ordine, ad primæuam sanctitatis normam conformaret; præcideret enimuerò impio Luthero religionem orthodoxam conuiciandi, atque impiè traducendi occasionem. Igitur Thienæus, etsi arduum quidem opus concepisse animaduerteret, tamen quod ingens Ecclesiæ commodum, ac decus inde existeret, à Deo iniectum sibi consilium putauit; & si vrgeret, magnæ menti, votoque Numen non defuturum. Nec mora, rem vt animo comprehenderat, Bonifacio à Colle, Viro, vti diximus, integerrimo, suique amicissimo, aperuit, qui & ipse seculi mores emendari, & Clericorum præsertim viuendi genus noua aliqua disciplina reformari cupiens, non modo Consilium probauit, sed & magni operis socium se vltrò exhibuit.

Vt ad Clericorum exempla multitudinis mores componerentur.

Et vt hæreticorum maledicta in romanam rem sisteret.

[a] Comment. rer. in orbe gest. ad an. 1524.

Negotium cum Bonifacio à Colle communicat.

Porrò, agitabat hoc idem animo Ioannes Petrus Carafa, qui eo, quo erat ingenio præferuido, ad Christiani Orbis, reique ecclesiasticæ repurgationem animum semper, cogitationesque aduerterat. Enimuerò vellicauerat semper Carafæ animum catholici nominis existimatio, seculi vitijs inumbrata, alueratque magno in pectore ardens quoddam strictioris disciplinæ studium. Iuuat modò ea tempora remetiri, cùm apud Ferdinandum Catholicum ageret in Hispania. Morabatur eadem in Aula, vti diximus, Adrianus Cardinalis, quadam grauissime indolis similitudine, ac pronsioris naturæ genio, Carafæ coniunctissimus. Aderat & Marcellus Gazzella, quem supra nominauimus, & cuius spectata in primis virtus digna profectò esset, quam prolixiori elogio exciperet conscientia posteritatis. Enimuerò, vt eximias eius partes raptim adnumeremus, Vir fuit omnium quotquot ea ætate eruditionis, doctrinæque

Et agitabat hoc idem Carafa.

Emendatio-ni morũ addictissimus.

Id olim cum Adriano Car. & Gazzella meditatus.

Gazzellæ eruditio, probitas.

ctrinæque laude floluerunt, Sacri, Ciuilisque Iuris longè consultissimus. Diuinarum præterea rerum scientia apptimè imbutus. Ad hæc, incorruptum, atque illibatum pectus in forensibus, quibus præerat, disceptationibus, nunquam nec fauor, nec metus mutarunt. Pietate morum insignis, religiosæque vitæ, atque innocentiæ studiosissimus. Neapoli, etsi publicis curis admotus, in Sancti Seuerini Cœnobio plerumque degebat, ea modestia, vt cum vltrò, citròque aduentantes admitteret, vix illum adesse quis nosceret; ea animi demissione, vt in communia monasterij, eaque viliora interdum munera cum alijs conueniret, togatus monachus. Hac probitatis, atque eruditionis fama, commendatione præsertim magni Ducis Consalui de Corduba, temperandis Catholicæ Aulæ negotijs euocatus est in Hispaniam à Ferdinando: vbi, quæ est virtutis indoles, pari statim, similique virtuti accedere, adiunctus est Adriano, & Carafæ Marcellus, conflatusque illicò sanctissimus, atque integerrimus amicitiæ, ac sapientiæ triumuiratus. Graui quidem, exertoque ingenio, atque ardore singulari in rem catholicam omnes erant: cumque perditos iampenè Christianorum hominum mores cernerent, illachrimari seculi fato, ac recensere inter se se mala occæpere: tum inire interdum rationem, qua & propulsari vitia temporum, & redire virtutis cultus, sacrorumque dignitas possint. Tandem conficiebant, vnum religionis, fideique exitium esse, corruptam Ecclesiasticorum vitam: hanc sæpius inter se labem exaggerare, hanc potissimùm Carafa alijs inculcare: simulque inferebant, vnum eidem religioni restituendæ remedium esse, si Clerici corrigerentur. Quæ sanè in extremis illis occidui Orbis oris commemorari, optarique potiùs poterant, quàm iniecta manu curari. At enimuero, annis labentibus visum profectò, ceu salutare quoddam sydus affulsisse Ecclesiæ, cuius recalesceret afflatu pietas, & mores boni reflorescerent. Nam idemmet Adrianus, tam egregius morum censor, Pontifex dictus: qui statim, vt superiùs enarrauimus, Carafam Romam accersitum, cuius ipse præclaros animi sensus nouerat, publicis, & grauissimis hisce disciplinæ instaurandæ curis, vna cum Gazzella imposuit; vt quæ simul toties in Hispania de romanæ Aulæ censura, Clericisque impunè exerrantibus agitauerant, perficerent. Sed ecce acerbissimè defunctus Adrianus: abruptoque eo de mulctandis, ablegandisque vitijs Senatu, Carafa, qui lusisse operam, ac spem omnem proiecisse sibi videbatur, relabi in sui exitium seculum, vnicè indoluit. Successit mox Clemens, eius nominis septimus, qui cum Adriani cœptis insistere perciperet, eundem Carafam, quæ constans, ac publica eius erat in morum disciplinam propensionis, studijque existimatio, accersiuit. De eius prudentia, summoque ardore animi magna sibi polliceri professus est Pontifex: excogitare proindè illum iussit, atque in medium afferre, quæ inducendæ in corruptam Remp: sanitati opportuniora sibi viderentur. Ille, quippe qui nimiùm diù cùm grauissimum, & popularem morbum, tum ipsa remedia mente versauerat, aperuisse statim optimo Pontifici, quæ salutaria affectis moribus, malisque vsque adeò inueteratis duceret medicamina. Verùm enim verò, qui mensuram nominis implebat Clemens, benignior profectò erat, quàm vt obstinaram, ac contumacem eam vim morbi frangeret. Quippè, vt scriptorum [a] plerique de Clemente Pontifice statuunt, etsi mente longè capacissimus, insignique rerum, gentiumque notitia imbutus apprimè esset, eamtamen sapientiam, ac vim mentis egregijs planè conatibus non adæquabat. Subtimida quadam indole, animique inconstantia magna consilia enecabat. Formidare, hærere sæpiùs, malisque deprecandis clementiora, quàm præsentiora præoptasse videbatur. Igitur, qui vellet ad sui genij, naturæque imperium, ac facili, suspensaq; manu morbos contrectari, quæ Episcopus Theatinus opportuna tempori, moribus salutaria, malis, quæ iam occaluerant, pernecessaria suggerebat, aspera plusculùm, ac dura æstimabat Clemens. Cumque nec omninò improbaret, nec admitteret, ea animi incertitudine, siue imbecillitate in publica Ecclesiæ commoda peccabat. Dolebat planè eam in Pontifice præposteram lenitatem Carafa, gnarus, vbi recrudiut vlcus, ferrum, aut ignem valere; vtque erat intrepidi vir spiritus, quæ gliscerent olim ab ea facilitate mala, disertè, ac sæpius illum præmonere non dubitabat, vrgebatque ruituram quouis turbine rem Romanam, adeò diuerberatam, ac vitibus destitu-

Adriano, & Carafæ familiaris.

Communis illorum sensus de instaurãda morum disciplina.

Renunciato Pontifice Adriano, iussi censores morũ agere Carafa, & Gazzella.

Sed abrupta ea cura. Pontificis morte. Illã instaurat Clemens septimus.

a Guicciard. lib. 16. Carac. Vit. Paul. IV. M. S. lib. 2

Qui tamen acriorem Carafæ censuram non probat. Nempè mitiorem, quam tempus poscerent.

Nimiam in Clemente clementiam dolet Carafa.

ſtitutam, niſi prævalidè ſarciretur. Et verò, ex ingenti illo ſcelerum, prauarumque conſuetudinum apparatu contaminandam breui infandis euentibus Orbis ſcenam, certo quodam mentis augurio prædiuinabat, ſi lentis ſubindè conſilijs ea momenta rerum ludificarentur. Et, ſi Germaniam, Belgium, Galliam, Britanniam, aliaſque eius Cæli Prouincias breui cogitatione, animoque excurras, comprehendes profectò paucorum veteratorum auſpicijs, ac ſcelere catholicas, ac florentiſſimas eas Europæ gentes, deſiminata longè, latèque hæreſum lue ſub eo fermè tempore Chriſtianum genus, decuſque fœdaſſe: atque ex ijs nationibus pleraſque perſonam, vultumque Catholicæ Religionis, velut in theatro, commutaſſe, ac penitùs exuiſſe, tragico Orbis plauſu. Id quod Epiſcopus ipſe Theatinus, compoſitis ad Clementem Pontificem epiſtolis, cùm Venetijs poſtea ageret iam Clericus Regularis, ex animo dolet, ceu ſemetipſum damnet eo vel nomine, quod vates extiterit Eccleſiæ ominoſus. Ergò tam ingens, ac robuſtum malum tàm lento, tardoque molimine expugnatum iri diffidebat Carafa; & cùm ab eo conſilio flagrantiſſimis medullis tàm altè infixo, deflectere minùs poſſet; quod iam diù animo ipſe conceperat, agitare impenſiùs, atque anxiùs cœpit. Inchoandum ſcilicet ab Eccleſiaſticis, vt perſæpè cum Adriano Cardinali diſſeruerat, ac medendum prius capiti, exerto vir ingenio omninò ducebat: ac proindè opportuniſsimum fore, nouum Ordinem inſtituere, qui priſca, ac toties collapſa Clericorum Regularium obſeruantia inſtaurata, ſeculares Clericos exemplo inſtitueret, nouoque hoc præſidio inclinantem, feſtinantemque in exitium rem Eccleſiaſticam fulciret.

Prævidetque inde orbi mala.

Sumere.

Aliam reformationem viā init.

Ordinē Clericorū Reg. cogitat.

Porrò moliri hoc ipſe ſecum ardentiſsimè eo tempore cœpit Carafa, quo id ipſum Caietanus animo peruolutabat, collimabantque, impulſore Deo, in idem ſimul inſtitutum ambo; cumque neuter alterius mentem, ſenſumque cognoſceret, modum vterque excogitabat, quo res benè cederet. Interea temporis euulgare egregium conſilium cœpit Thienæus; ſtatimque ſparſus rumor in Epiſcopi Theatini aures inſuſurrauit, illum de abdicanda Aula cogitare, & condendi noui Clericorum Ordinis mentem cum Bonifacio communicaſſe. Reſciuit id vix Carafa, cùm admotis veluti ſtimulis, ac vehementer incenſus Caietanum ingenti quodam ſpiritu conuenit. Et moliturum ſe, ait, iam diù opus, eandemque Clericorum Regularium Ideam, & concepiſſe pridem animo, ac tùm quidem de ea cogitare, nec vlli adhuc mortalium mentem aperuiſſe. Nunc verò, quando ipſe priùs eade re ſermonem habuerat, admitti ſe magni conatus ſocium prolixè rogabat, ad omnem certè paupertatis aſperitatem, ſuique contemptum vires, atque animos ſuffecturus. At ille, quamuis ea doctrinarum, ac prudentiæ fama virum fundandæ, excitandæque Sodalitati peropportunum, atque optimum fore architectum exiſtimaret: nihilò tamen minùs, non adeò illum præſtantiſsima ea virtus illexit, quin intelligeret, quæ in eo adſciſcendo difficultates obluctarentur. Epiſcopum eſſe, nec licere, abiecta animorum cura, ſuæ ſtudere tranquillitati, cui publica ſecuritas, ac ſalus incumdebat. Tùm, tantarum præſertim partium Virum longè maiori cum Eccleſiæ commodo in eo dignitatis ſplendore, velut in ſole, ac puluere, quàm priuata quadam virtute intra clauſtra, atque in vmbra militaturum, cogitabat. Poſtremò eximia apud Pontificem exiſtimatione eſſe, qui non ita pridem illum rerum grauiſsimarum, Sacrorum præcipuè Ordinum procurationi impoſuerat, nec permiſſurum, vt tantus Romanæ Sedi, ſibique adminiſter adimeretur. Ea propter dilaudato præclaro Carafæ ſtudio, animique impetu, quæ ſe ſe difficultates obiecerant, exponere, cauſarique Inſulas, ac munus, quo minus egregia tanti ſocij opera vti poſſet. Ille, qui quæ ſemel in animum induxerat ſuum honeſta, ac magna, conſtantiſsimè retinebat, nec obiectis vltrò impedimentis frangi impetum, ac propoſitum ingentis pectoris patiebatur, vrgere anxiùs Caietanum, vt in partem Operis, eius inſtituti candidatum, ac flagrantiſsimè cupidum admitteret: cumque nec flecti illum cerneret, eò Vir præferuidus exarſit, vt genibus repentè nixus, obductoque, veluti indignabundus grauiſsimè ſupercilio, interminatus Caietano fuerit, ſe, niſi ex illo Aulæ, mundique æſtu, in illam, quam tantoperè exoptauerat, tranquillitatem aſſereret, exacturum ab eo olim ſupremo die ſuæ animæ rationem. Itaque, cùm nihil ſit, quod egregius quidam ardor, animique conſtantia non

Quo tempore id ipſum cogitabat Caietanus,

A quo admitti in partem eius operis poſtulat Carafa.

Abnuit Thienæus.

Sed euincit inſigni ardore animi Carafa.

non expugnet, dedit Caraſæ manus Thienæus, ſtatimque & ipſe in genua prouolutus; illumque humaniſsimè complexus; Ego te, inquit, mi Domine, nunquam deſeram. Quapropter, quod ingenti conſilio adeſſe diuinum Numen non obſcurè cœpit declarari, cernerentque è Cælo opus fluere, gratulari inuicem, magnamque venere in ſpem, fore, vt inceptis non diſpar euentus reſponderet.

Additus Paulus Conſiliarius.

Lætitiam cumulanit additus mox Paulus Conſiliarius, qui Caraſæ, vti diximus, amiciſſimus, & ſolida Vir probitate, noui Inſtituti rationem vt audiuit, vt probauit; ſociorumque virtutem, ac numerum quartus Inſtitutor adauxit.

Concipiunt eandem mentem, & reliqui diuini Amoris Sodales.

Porrò, & in reliquos eiuſdem Diuini Amoris Lararij ſodales ea nouæ diſciplinæ cupido peruaſit, qui vt erant omnes pietate inſignes, admoris præclaro eo exemplo ſtimulis ardentioribus, arrectique in ſecurioris vitæ ſpem, remittere rebus humanis nuncium, idque inſtitutum amplecti cogitabant.

Sed audito mox paupertatis cultu, ardor refrixit.

Verùm, vt arctiſſimam, exactamque ad Apoſtolicæ diſciplinæ formam, paupertatem audiuere, nulliſque Ordinem ſubnixum cenſibus, fundiſque, nec ſtipe emendicata foue ſiſtentandam, rem non ampliſſimis æternæ prouidentiæ cogitationibus, ſed breui humani iudicij vlna metientes, ac deterriti, pedem retulere. Profectò, non è paruo, lectiſſimoque eorum numero erant, quos deſtinauerat Deus, vt ſuæ miracula beneficentiæ Orbi quotidiè conteſtarentur.

De modo efficiendi operis conſultant quatuor Fundatores.

Ea propter habito veluti delectu, è celebri illa excellentium Virorum Societate, quatuor ſolummodò, ceu Romanæ probitatis, ac ſanctitatis flos, aggredi, atque vrgere opus ſtatuerunt: collatiſque vnà votis, animiſque; conſultare inter ſe ſe, rationemque inire, qua & rem arduam prudenter curarent, & ſcopulos, quos in ea velificatione obuios, velut iter abrupturos ſcirent, ſapienter declinarent.

Maturare rē ſtatuunt.

Placuit in primis moram omnem præcidere, cœpitque grauiſsimum negotium cum Clemente Septimo P. M. feſto Inuentæ Crucis die, anno Seculi ſexti decimi quarto, & vigeſimo tranſigi, & auſpicatioris planè euentus ab eo triumphali ſigno omen ceperunt; & qui crucem ſuam tollere, omnique mundi illecebra triumphata, Chriſtum ſequi ſtatuiſſent, bonum factum exiſtimarunt, à Cruce initium ſumere. Epiſcopum Theatinum impetrare primùm à Pontifice facultatem oportebat.

Propoſitum exequendi, ac Sacerdotia abdicandi facultatem poſtulat Carafa.

Et quidem geminæ Eccleſiarum Inſulæ, Theatina, ac Brunduſina, quas adminiſtrabat, acri conſcientiæ morſu ſatis diù illum diuexauerant. Nam etſi illorum temporum vſus obtineret, & Romani ipſi Pontifices, ſiue adnuerent, ſiue conniuerent, vt plura vnus, idemque Epiſcopus Sacerdotia procuraret, dolebat tamen æui morem Vir egregius, ac ſuos ipſe maximè curarum æſtus, ac ſtimulos deplorabat; vt qui primam quidem Eccleſiam, non niſi Cardinalis Oliuerij, vt dicebamus, Auunculi ſummis precibus, atque auctoritate ægrè acceptauerat: compulſus deindè fuerat, ne Cæſaris liberalitatem magnificè contempſiſſe videretur, ſecundam inire, geminaque ea mole premi. Igitur, nihil habuit antiquiùs, quàm de Inſularum abdicatione apud Pontificem agere; qui etſi magnanimum abdicandi propoſitum, ac Seculi fugam probaret, tamen eius iam experientiæ, atque eruditionis viro, & qui Romanæ tunc rei egregijs curis, ac labore inſigniter opitulabatur, in ea præcipuè inclinatione temporum, morem gerere, Eccleſiæ non exiguæ fraudi, damnoque fore exiſtimauit.

Votis non ad modum propitius Pont.

Quarè non modo non annuit, ſed qui commune Eccleſiæ bonum ſpectabat, Caraſam, tanquam ſuam mallet, quàm Chriſti, dehortari ab eo conſilio cœpit. Reputaret nempè apud animum ſuum, ait, non ſibi eam mentis capacitatem, atque egregij pectoris indolem, ſed Orbi datam. Ampliora à ſe, atque vtiliora peti, quàm ſit priuata ea in tacitæ Religionis ſinu quies. Si Ducum fortiſsimi, quos tuendæ Reip. belloque egregiè adminiſtrando ipſa in acie ſtare oportet, aut ſe in Caſtra reciperent, aut ſponte exauctorati, tranquillitati conſulerent ſuæ, periclitari ſtatim bellicæ rei momenta, & ipſa Ciuium ſalus cernerentur. Sententiam proindè mutaret, pergeret ad rem Chriſtianam amplificandam publica in arena, ac liberrimis Eccleſiæ ſpatijs deſudare: nec vim illam acerrimi Ducis, aut coerceri inter domeſticos parietes, aut langueſcere in vmbra ſineret.

Sed vrget rationum momentis.

Eo ſucceſſu non animum deſpondit Epiſcopus Theatinus; ſed conſtantia, ac facundia planè ſingulari cauſam apud Pontificem iterùm, ac ſæpius perorauit, ijſque potiſſimùm rationibus flectere illum ſtuduit. ſe quidem non ijs valere animi opibus, aut præſidijs doctrinarum, vt ſuſtentare, tuerique Chriſtianam rem poſ-

ſet;

set; sed nec defuturos planè strenuissimos Viros, qui Ecclesiæ dignitatem, decusque ingenti pectore, ac publicè propugnarent. Neque enim, aut adeò sterile Seculum, aut tàm abbreuiatam esse manum Domini, quin procurandæ tunc publicæ Religioni excellentium Virorum virtus adsurgeret. Quid si neque ipse, quantula demum eius esset facultas, communes Christianæ rei curas, atque in animorum compendium vigilias, noua ea viuendi ratione exueret? Enimuerò, Ordinem ipsum, quem condere erat animus, non adeò contemplationi fore addictum, vt Vrbes, ac cœtus hominum ad Monachorum exemplar prorsùs fugeret, sed qui cum eo tranquillioris vitæ genere proximorum commodum, morum cultum, pietatisque incrementum apprimè coniugeret; ac proindè egregia eorum manu, qui Sodalitatem subindè iniuissent, posse ipsum iunctis viribus in commune bonum impigrè desudare. Cæterùm, non insolens exemplum esse, vt Episcopi positis dignitatis insignibus paupere, priuatoque cultu cooptari inter Religiosos viros voluerint. Et Gregorius quidem Nazianzenus, apex ille Græcorum Antistitum, Constantinopolitanas curas exuit, vt priuatis se se Monachi studijs assereret. Erectusque exemplo hoc Petrus Damianus, qui diù Hostiensi in dignitate, ac purpura fuerat, vtriusque pertæsus, studijs, cultuque monachum iterum egit. Pari laude Albertus Magnus Ratisponensi Thiaræ, mundoque nuncium remittit. At peti ex omni memoria istiusmodi documenta possent, quando vnius Cælestini, Sanctissimi Pontificis, ac monachi nomen, qui se non priuata Ecclesiæ vnius Insula, sed amplissimo Religionis, ac Sacrorum Principatu abdicauit, vt se quieti postliminio restitueret, omnium longè memoriam, ac nomina non obrueret. Hæc ardenter, ac sæpiùs Carafa, quibus passus tandem est exorari Clemens, ac tàm anxiè, cupidèque in nouum abire institutum cupienti annuit perhumaniter.

Et impetrat.

Quo item tempore & alia Romanorum Procerum, ac Purpuratorum in primis Patrum, quibus id negòtij à Pontifice commissum fuerat, difficultas fuit enodanda. Enimuerò, examinato noui Ordinis Instituto, quòd nec emendicatò viuere, nec certis niti prouentibus permittebatur, opus planè quàm arduum, nec diù tolerandum, nec Seculo ipsi attemperatum suscipi arbitrabantur Augusti Patres. Nam, quę tàm lincæa fidelium pietas, aiebant, vt in arcanas inopum familiarum necessitates penetret? quæ tam magnifica, vt vltrò in sinum fundat, quod non efflagites? quin eò esse hominum munificentiam tunc redactam, vt postquam morosè, ac sæpius petieris, vix impetres. Ad hæc, publica nuncupare vota Clericos, & Clericorum ritu, ac munere spectari Monachos insolens omninò videbatur: planè vt ardentiore quadam animi contentione fuerit Gaietano, atque Episcopo Theatino, socijsque enitendum, quò nec insuetam eam paupertatem, nec pulcherrimam illam Clericatus, ac Monachatus mixturam nouam esse in Ecclesia ostenderent: quando sanctioris Seculi initio vtrumque fuerit ab Apostolis institutum, visuque egregiè commendatum, ac longa deindè temporum series laudabilem, ac publicæ rei Christianæ decorum Monasticæ, & Clericalis vitæ nexum illum, succedentium Religiosorum Ordinum documentis demonstrauerit. Eosdem Curiæ Romanæ sensus in condendo suo quemque Ordine offendisse duos illos clarissimarum familiarum Principes, eiusdem quidem nominis, virtute, ac fama non dispares Franciscos, Assisinatem, & Paulanum, compertum habemus. Ille, quàm asperrimæ paupertatis legibus, quas oppidò austerus Numa suis præfigebat, Romanum Pontificem incertum animi diù tenuit. Hic, quòd cum ingenti etiam paupertate insolita quadam ciborum obseruantia, epularum illecebras proscriberet, explosus communi Aulæ iudicio penè fuit. Verùm accersitis vterque velut è Cælo machinis, miraculorum nouitate Pontificem, atque aulicorum pectora adorti, mirificè expugnarunt. Adfuit perindè & nostrorum Patrum votis diuinum Numen. Siquidem tanta argumentorum vi, dicendique gratia in tuenda ea eximiæ, inauditæque paupertatis causa valuere, vt & Purpurati Patres, & Pontifex breui in ipsorum sententiam, votumque discesserint. In quo sanè mirum in modum adlaborauit Ioannes Matthæus Gibertus, magnus ille Veronensis Antistes, qui & ipse è censu diuini Amoris Sodalitij, Thienæo, & Carafæ familiarissimus, ea qua tunc erat apud Clementem Pontificem potentia, ac apud omnes existimatione egregiam

Difficultates aliæ negotiū morantur.

Paupertatem supra seculi morem putāt Cardinales.

Tùm. Clericos monachos, nouum quid videri.

Sed occurrūt strenuè difficultantibus.

Eadē experti impedimēta in fundando suo quisque Ordine Franciscus Assisias & Paulanus.

Fauet Nostris cum conatibus Matthęus Gibertus.

Cui plurimū nostra Sodalitas debet.

ea in re operam nauauit. Debemus profectò Clerici Regulares tanto Viro non nascentis modò Sodalitatis initia, sed & surgentis etiam incrementa; quippe ipsi cœptam semel in nostrum Ordinem beneuolentiam, nunquam posteà pari quidem pietate, ac munificentia intermiserit. Fuit Gibertus Patria Genuensis, peritia rerum agendarum, iudicio peracri, doctrina, ac probitate morum inter præcipuos, ac laudatissimos eius æui Præsules adnumerandus. Iulij Cardinalis Medicei, qui Leonis X. P. M. patruelis, curas eius Pontificatus omnes administrauit, à secretis primum fuit. Mox vt Iulius ipse Summæ Potestatis, atque Orbis Christiani fasces capessiuit, Clemens Septimus appellatus, Gibertum Veronensis Sacerdotij Infulis honestatum, suumque Datarium appellatum, grauissimis Romanæ Sedis negotijs admouit; curabatque ipse Summa auctoritate cuncta ferè Pontificatus momenta. Purpuram, quam spectata indole, atque emensis egregiè laboribus demeruerat, & qua illum Pontifex insignire cupiuisset, natalium rumor abstulit. Igitur tantæ Vir celebritatis, ac dignitatis quæ nouo Ordini instituendo moras nectebant, amoliri facilè potuit. Id quod eo acriore spiritu, ac valentiùs præstitit Gibertus, quod de eadem ipse Sodalitate ineunda cogitabat. Siquidem addictus olim primo adhuc flore adolescentiæ Religioso Instituto, sed ab eo vi Patris auulsus, eandem semper egregiam mentem aluerat; ac tùm maximè inter aulæ negotia, ac strepitus tranquillioris eius vitæ amor exarserat. Verùm, eius voti compos effici minus potuit; tùm quia abnuerunt Patres, quod Virum arcanorum omnium conscientia, consiliorumque administratione adeo Principi necessarium, ac præcipuum tantæ molis instrumentum, missionem impetraturum diffiderent: tùm verò, quod hoc ipso anno cùm Franciscus Gallorum Rex florentissimis copijs in Italiam inuolasset, captaque summa armorum felicitate Insubria, Ticinum graui obsidione premeret, Clemens vt Italicæ securitati caueret, studeretque magnorum Principum paci, Gibertum ad pugnacissimum Regem, cui percarus in primis erat, allegauit: ac proindè cum in eo Oratoris munere obeundo, ac publicis Italiæ negotijs componendis totum esse oporteret, priuatæ, magnæque illi cogitationi incumbere, liberum optimo Præsuli non fuit. Etsi non diù post, exacta Borbonica tempestate, quæ in eius maximè caput detonuerat, ea flamma ingenti in pectore recaluerit: vt in loco exponemus. Ergò, de Pontificis Maximi propensiore iam animo, amplissimique Senatus suffragio certiores Patres, nouæ Clericorum Regularium Congregationis candidati, explicare se curis omnibus, censusque, ac dignitates abdicare, quo arduum paupertatis iter arriperent expeditiùs, ac sanctiùs, statuerunt. Quare signatis tabulis, sua quisque ordinare, & quà consanguineis, quà pauperibus partito prudenter patrimonio, legare, ac distribuere. Nouæ in primis condendæ Religioni, vt vsui necessaria sub id initium curarent, partem non planè magnam legarunt. Videre est harum donationum autographa in publico Romani Capitolij tabulario, quæ nos in plerisque domorum nostrarum exscripta habemus. Episcopus verò Theatinus, præter bonorum abdicationem, vtrumque Sacerdotium, Theatinum, ac Brundusinum, pro facta à Pontifice, vti diximus, facultate, ea animi alacritate, ac celsitudine, qua iniri id genus commoda, atque honores solent, dimisit. Episcopali tantummodo dignitate, ac nomine illi à Pontifice reseruato, vt datis, obsignatisque breuibus litteris die 24. Iunij mensis, anni 1524. constat. Illud autem in Episcopo Theatino oppidò laudandum, quòd cum vrgeret Pontifex, quippe qui Carafæ prudentiam, atque in delectu iudicium singulare exploratum haberet, vt quem ipse virum præstantem moribus, atque eruditione Theatinis Infulis idoneum iudicasset, ediceret, ea mox dignitate honestandum, adduci numquam potuit, vt id annueret: tùm quia in sui existimationem ille deligendi successoris honor caderet; tùm, ne cum subductus Aulæ, curisque animorum, suæ tranquillitati maturè consuluisset, de alterius fortè ignauia, aut erratis foret sibi postea dolendum. Quapropter suo ipse iudicio, motuque Pontifex ea Theatinæ dignitatis appellatione Felicem Trofimum, qui eius tunc intimo à cubiculo erat, insigniuit; quem non post multo idem Carafa solenni ritu consecrauit, non sine eximiæ suæ virtutis commendatione; quòd tanta frontis, orisque alacritate successorem inauguraret, eiusque lætitiæ specimen daret, quia se grandi ea mole exonerauerat. Docuit nempè, non sine ingenti animi volu-

Excurritur in Giberti mores, munera, ac cæteram vitæ rationē.

Abstulere eli natales purpuram.

Fauet nostris initijs quod & ipse dare Ordini nomē cogitaret.

Cur non detur.

Bonis suis se abdicant publice professuri.

Geminis Infulis Carafa.

Qui factum à Pontifice ius successorem nominandi, respuit.

Succedit Theatinæ Ecclesiæ Felix Trofimus, quem consecrat Carafa.

voluptate ea abdicari, quæ sine graui sensu capessere nullus debet. Ergò, bonis omnibus, tùm Secularibus, tùm Ecclesiasticis abiectis, relicta tantummodò pro censu diuite nuda in Deum fiducia, firmatis Purpuratorum Patrum sententijs, signato insuper de nouo Clericorum Regularium Ordine condendo Pontificio diplomate: quod festo die Inuentæ Crucis, anno instaurati Orbis quarto, & vigesimo supra sexquimillesimum agitare quatuor nouæ Congregationis Conditores cœperunt, festa item exaltatæ Crucis die, hoc est, quarta decima mensis Septembris eiusdem anni auspicatissimè absoluerunt; ac nuncupatis publicè votis, Clericorum Regularium Institutum, in Religiosorum Ordinum censum relatum, ritèque confirmatum, fundauerunt.

Vouent Vaticano in Téplo quatuor Conditores.

Quo autem ritu, cultuque eo se votorum Sacramento, ac Regularis disciplinæ legibus obstrinxerint, erit certè historiæ, curæque pretium paulò diligentiùs, accuratisque litteris consignare. Gratulatus Clemens Septimus, Pont. Max. quòd suo maximè tempore, suisque auspicijs vetus Clericorum Regularium disciplina, quæ hausta ab Apostolis per omnes fermè ætates floruerat, nobili piorum, ac clarorum hominum quadriga, Deo moderatore, in Christianum Orbem renecta, noua ea Sobole rediret, vt publico Sacramento, suaque auctoritate sanciretur, Ioanni Baptistæ Bonziano, Viro cum primis probo, Episcopo Casertano, atque Apostolico Datario iussit, vt renascenti Ordini adesset ipse Pontificio nomine, exciperet solennia virorum vota, firmaretque Apostolica facultate. Igitur, eo exaltatæ Crucis, quem meminimus, die in Vaticanum Principis Apostolorum Templum, ea mentis, animique deuotione, orisque habitu, qui tanti operis sanctitate consecrandos deceret, concessere Patres. Accessit & Episcopus Casertanus, qui ad Aram Sancti Andreæ, quæ ad læuam tunc veteris Templi partem erat, Sacris operatus, cælesti epulo professuros refecit. Mox Clero, frequentique Virorum celebritate prosequente, Principem Aram, vbi Apostolorum Petri, & Pauli Sanctissimi Cineres iacent, bini adeunt Patres cum ipso Episcopo Casertano, vbi perlectis primùm Apostolicis litteris, prouoluti in genua clara voce, ac plurima manante lachryma, solennia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ vota pronunciarunt. Facem in ea votorum nuncupatione prætulit Episcopus Theatinus, mox Thienæus, sequuti deinde duo alij: conceptasque eorum formulas, propria cuiusque manu subscriptas, Pontificis nomine Bonzianus accepit. Quibus ritè, sanctèque peractis, quod eodem diplomate facultas concedebatur, vt natæ iam, firmatæque Religioni moderatorem, qui prudentia, nutuque suo cuncta temperaret, & cui subindè ingressuri obtemperarent, ex seipsis eligerent, non longè ab ea frequentia digressi Patres, re paulisper inter se se agitata, statim in Carafam, quod Is honorum appellarionibus, longo rerum vsu, ac maturioris æui reuerentia, iam octauum, & quadragesimum agebat iam annum, cæteris præstaret, communia recentis eius Congregationis studia, ac suffragia incubuerunt, ac Præpositum, omnium quotquot aderant adprobatione, plausuque renunciarunt. Laudatæ electioni confestim Pontificia accessit auctoritas, qua Episcopus Casertanus, pro facta sibi facultate, quæ in augustissimo Vaticani Templo prima Clericorum Regularium Congregationis celebrata fuere comitia, roborauit. Aderat actis hisce Stephanus de Amandis, publicus Notarius, qui & eorum iam testamenta rogatus condiderat. Is quo res Ordine peractæ sunt, summa fide excepit, ac tabulis consignauit: quorum exemplaria in Capitolino Tabulario inter cæteras Vrbis, Romanique Populi memorias, atque autographa seruantur. Iam verò, quòd ipsa rerum initia exacta sunt narratione, curaque pertractanda, & quòd volupatis profectò erit non exiguæ cùm nostris, tùm exteris hominibus surgentis Sodalitatis rudimenta, ritumque omnem, quo se se optimi, ac Sanctissimi Parentes nostri regulari ea disciplina authorauerint, cognoscere, lubet hic confectas eas tabulas, ac publicum instrumentum exscribere, ea potissimum de causa, quòd Pontificium fundarionis Diploma, recitatamque à singulis votorum schedulam habet, quæ omnia adnotare in hisce iustæ, fusæque historiæ monumentis opportunum ducimus, ac perneccessarium. Sic verò habent.

Quo ritu.

Vota excipit Episcopus Casertanus Pontificis nomine.

Eligitur nouæ Congreg. Præpositus Carafa.

Acta publicis tabulis consignata.

Quæ exscribuntur.

Die 14. Septembris 1524. In nomine Domini Amen. In præsentia mei, Notarij &c. personaliter constituti in Ecclesia Sancti Petri de Vrbe, audita missa, celebrata per Reuerendum Patrem Dominum Episcopum Casertanum super altare Capellæ Sancti

Andreæ, Reuerendi Patres Dominus Ioannes Petrus Cacafa de Neapoli, Episcopus Theatinus, Dominus Caietanns de Thienis, Protonotarius Apostolicus, ac iuris vtriusque Doctor, de Venetia, Dominus Bonifacius de Collis, Clericus Alexandrinus, & Dominus Paulus de Consiliarijs, Clericus Romanus, præcedente communione eorum, processionaliter de dicta Capella accedentes ad altare maius S. Petri, sedente dicto Episcopo Casertano, Sanctissimi D. N. Papæ Commissario, viuæ vocis oraculo specialiter ad infrascripta, vt asseruit, deputato, cathedraliter in pede dicti altaris, præfatus Reuerendus Pater Dominus Ioannes Petrus Episcopus præsentauit eidem Domino Episcopo Casertano quasdam litteras Apostolicas in forma Breuis, Sanctissimi Domini Papæ Clementis Septimi, quas ea, quę decuit reuerentia, recepit, illasque præfatus Dominus Episcopus Casertanus publicè legendas mihi Notario tradidit, huiusmodi sub tenore.

A tergo. Venerabili Fratri Ioanni Petro Episcopo Theatino, & dilecto Filio Caietano presbytero Vicentino, ac eorum socijs, & successoribus. *Intus verò*:

CLEMENS PAPA SEPTIMVS.

Apostolicum diploma.

VEnerabilis Frater, & dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecistis, quod Vos, & nonnulli alij, eiusdem propositi Socij vestri, diuina, vt creditur, inspiratione ducti cupientes, cum maiori animi quiete Deo seruire, & illi magis pro desiderio cohærere posse, tria substantialia religiosa vita, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientia vota emittere, & sub solito, & communi habitu Clericali in vnum habitantes, & in communi, ac de communi viuentes, ac Deo humiliter, & deuotè, quantum ipse dederit, seruientes sub nostra, & Apostolica Sedis humili, & immediata subiectione, & speciali protectione Clericalem vitam ducere decreuistis, supplicareque nobis fecistis, vt de nostra, atque huius Sancta Sedis plenitudine potestatis, solitaque clementia in præmissis benignè annuentes, de ijs, qua ad huius vita propositum conducere, aut quomodolibet expedire videnter, Vobis, socijs, & successoribus vestris prouidere dignaremur, Nos, qui omnium Christifidelium pijs, & honestis desiderijs libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, Vobis, & cuilibet vestrum, & quandocumque visum fuerit, possitis tria substantia-

Facultas emittendi vota substantialia.

lia religiosa vita, vt petitis, Paupertatis, Castitatis, & Obedientia vota publicè emittere, & in manibus cuiusque presbyteri secularis, vel cuiusque Ordinis regularis solemniter profiteri, ac sub solito, & communi habitu Clericali, subque nomine, ac nuncupatione Clericorum Regularium in communi viuentes, in locis religiosis, aut secularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub Nostra, & Sancta huius Sedis Apostolica immediata subiectione, & speciali protectione in vnum habitare, atque ex vobis, inter vos singulis annis Superiorem

Et Præpositum eligendi.

eligere, Præpositum nuncupandum, qui vsque ad triennium, & non vltra confirmari possit, aliosque quoscumque Seculares Clericos, quauis dignitate fulgentes, seu Laicos, qui Deo inspirante, ad huius-

Et Nouitios ecipiendi.

modi vita propositum, & communem viuendi modum se conferre voluerit, recipere, & post annuam probationem ad talem trium votorum professionem, in manibus Superioris, seu Præpositi emittendam, ad huiusmodi communem viuendi modum admittere: nec non statuta quęcumque; ordinationes,

Et condendi Regulas, ac Leges.

& Constitutiones de omnibus, & singulis, qua ad huiusmodi vita propositum conducere, moresque & institutum honestè, & deuotè clericaliter viuendi concernere videbuntur; de Missis præcipuè & de alijs diuinis Officijs, siue Horis Canonicis, prout vobis melius videbitur, celebrandis, &

Et diuina officia, Missasque ordinandi.

recitandis, licita tamen, & honesta, rationabilia, & bonis moribus, & sacris Canonibus non contraria, facere, edere, & pro tempore facta edere, corrigere, reformare, & in parte, vel in totum immutare, ac de nouo alia, prout vobis expedire videbitur, instituere, & ordinare, & iuxta illa viuere: que postquam à vobis condita, et reformata, instituta, aut immutata, & ordinata, ac Nobis, seu Successoribus nostris exhibita fuerint, Apostolica auctoritate confirmata, & approbata sint, & esse censeantur; & vt omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatiobus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, auctornatibus, indultis, fauoribus, concessionibus, & gra-

Canonicorũ Regularium Priuilegia conceduntur.

tiis spiritualibus, & temporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, aut in futurum potientur, & gaudebunt Canonici Regulares Lateranenses, Congregationes, personæ, & loca eorum, Vos, & loca vestra vti, potiri, & gaudere possitis, quorum tenore præsentibus pro sufficienter expressis, ac de

verbo

verbo ad verbum insertim haberi volumus; ita vt litteræ Apostolicæ super eisdem priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratiis eisdem concessis, vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus ad libitum expediri possint & perinde ac si illa omnia, & singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem de verbo ad verbum expressionem, & insertionem fuissent vobis per has nostras litteras, sub hac ipsa die expressa, & specialiter concessa, tenore præsentium ex certa nostra scientia, & ex Apostolicæ plenitudine potestatis Vobis, ac socijs, & successoribus vestris in perpetuum concedimus, pariter & indulgemus, & ad præmissa omnia, & singula, quibuscumque impedimentis, & contradicentibus amotis, liberam, plenamque auctoritatem, & facultatem elargimur, non obstantibus nomine, dignitate, & officio Episcopali, quæ Ioanni Petro supradicto per alias nostras litteras reseruauimus, Apostolicisque, & generalibus, aut specialibus Constitutionibus, ordinationibus, etiam iuramento, aut quauis alia firmitate roboratis, etiam si qua specialiter, seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quæ pro expressis haberi, & quibus quoad effectum præsentium dumtaxat speci liter, & expresse derogamus, alijsque contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die vigesimaquarta Iunij M. D. XXIV.

Iacobus Sadoletus.

Quibus litteris perlectis, ac seruatis solemnitatibus, & ceremonijs consuetis, præstitisque per dictos Reuerendos Dominos, Ioannem Petrum Episcopum, Caietanum de Thienis, Bonifacium de Collis, & Paulum de Consiliarijs, solitis iuramentis in manibus dicti Reuerendi Patris Domini Episcopi Casertani, Commissarij Apostolici, solemnem, & expressam professionem emiserunt, ac fecerunt de trium votorum regula supradicta perpetuò obseruanda, oblatisque per vnumquemq; eorum Cedulis professionis huiusmodi, eorum propria manu scriptis, & subscriptis, in manibus dicti Reu. Patris Domini Episcopi Casertani traditis, consignatis, & derelictis, huiusmodi sub tenore, videlicet.

Anno Domini 1524. die 14. mensis Septembris Romæ in Ecclesia Sancti Petri apud Altare maius.

Ego Ioannes Petrus Carafa Neapolitanus, Episcopus Theatinus profiteor hodie coram Domino, & promitto Deo, & Beatæ Mariæ semper Virgini, & eidem B. Petro Apostolo, & tibi Reuerendo in Christo Patri Episcopo Casertano, Commissario Apostolico, ad hæc per Sanctissimum Dominum Nostrum specialiter viuæ vocis oraculo deputato, nomine, & vice eiusdem Sanctiss. Domini Nostri Domini Clementis Papæ Septimi, & Præpositi per nos eligendi, quod ero obediens eidem Sanctiss. D. N. & Præposito supradicto, eorumque Successoribus canonicè intrantibus, vsque ad mortem secundum regulam Clericorum Regularium, sub tribus votis, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ, per eundem Sanctissimum Dominum Nostrum nouiter institutum. Concepta à fundatoribus Professionis formula.

Ego Ioannes Petrus Carafa Episcopus Theatinus propria manu scripsi, atque ore proprio pronunciaui.

Et similiter præfatus Reuerendus Pater Caietanus de Thienis, Domini Bonifacius de Collis, & Paulus de Consiliarijs, & vnusquisque ipsorum similem cedulam, eorum manibus scriptam, & subscriptam, & eorum nominibus, & cognominibus adnotatas porrexerunt, & perlegerunt, & vnusquisque ipsorum porrexit, & perlegit. Quibus omnibus sic peractis præfatus Reu. Pater Dominus Episcopus Casertanus, dictos Reuerendos Patres, Dominum Ioannem Petrum Episcopum Theatinum, Dominum Caietanum de Thienis, Bonifacium de Collis, & Paulum de Consiliarijs, genibus flexis humiliter coram adstantes, auctoritate Apostolica in ijs sibi attributa, præfatos Clericos Regulares sic adstantes, & obedientes benedixit, & deinde detectis, & spoliatis ab eo vestibus, quibus induti erant, eosdem vestibus, & biretis Regularium Clericorum solemniter induit, & vestiuit. Quibus sic peractis, eisdem auctoritate Apostolica præcepit, vt iuxta formam prædictarum litterarum Apostolicarum, vnum Præpositum inter eos eligerent, & deputarent. Qua monitione, ex præcepto eis

facto auctoritate Apostolica prædicta, tanquam filij obedientiæ inter se colloquentes, & à cætu hominum sibi adstantium separantes, & postmodum facto inter eos secreto colloquio, ad præsentiam dicti Reuerendi Domini Episcopi Casertani redeuntes, & coram eo adhuc cathedraliter apud dictum Altare Sedente, eundem R.P.D.Ioannem Petrum Episcopum Theatinum in eorum, & dicti Ordinis Clericorum Regularium Præpositum vnanimiter, & concorditer elegerunt, & nominanerunt. Qua electione, & nominatione facta, præfactus R. D. Episcopus Casertanus, Commissarius Apostolicus, vt præmittitur, deputatus, auctoritate prædicta, qua in hac parte fungebatur, eundem R. P. D. Ioannem Petrum Episcopum Theatinum in Præpositum dictorum Clericorum Regularium confirmauit, & approbrauit, supplendo omnes, & singulos defectus, si qui forte in dicta electione interuenerint, omni meliori modo, suo iure, causa, & forma, quibus magis, & melius de iure fieri potuit, & potest, de, & super quibus omnibus, & singulis præmissis, tam dictus R. P. Dominus Episcopus Casertanus, Commissarius præfatus, quàm dicti Clerici Regulares rogauerunt me Notarium infrascriptum, vt de prædictis omnibus, & singulis, publicum, seu publica conficerem instrumentum, & instrumenta, vnum, vel plura, prout opus fuerit.

Acta sunt hæc Romæ in Basilica Sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, in locis præallegatis, præsentibus Venerabilibus Viris, Domino Francisco Vannutio, Clerico Romano, & Canonico Sanctæ Mariæ in Transtyberim de Vrbe, nec non Domino Aymo Cichonis, Clerico Burgensis Diœcesis, scriptore Breuium Apostolicorum, & Domino Leonardo Gratino, Clerico Florentino testibus,

Quondam Stephanus de Amandis de prædictis rogatus fuit.

Ab instituta hac sodalitate certò speratur; morum emendatio.

Isthæc fuere nostræ Sodalitatis initia, quibus prisca Apostolici instituti, & Clericorum Regularium disciplina visa refloruisse; simulque certa quædam spes affulsit; fore, vt inchoatæ Apostolicæ vitæ exemplo deplorati hominum mores, præcipuè Ecclesiasticorum, reformarentur. Et verò, hanc deprauati omninò seculi emendationem, quam Nos, elato Crucis labaro, inchoauimus, prænunciatam Orbi voluit Deus Maximus, qui vt edito Rauennæ monstro quàm teterrimo, quod memorauimus, fœdatam criminibus Ecclesiam, Orbemque indicauerat, ita datis ipsemet identidem prodigijs, afflatisque superiore quodam lumine piorum hominum mentibus, reformandum fore eundem Christianum Orbem præmonstrauit. Primùm, Margarita Rauennas hanc morum disciplinam, reliquæ Christianæ instaurationem, diuino eam agente Numine, sub id tempus prædixit. Erat hæc eximiæ sanctitatis, famæque fœmina: neque ex illis profectò, quibus nulli oculi, præterquàm qui frontem illuminant, nec aliud præterea lumen, quàm quod oculis lucet. Siquidem omni externi luminis beneficio orbata, ex vultus, atque oculorum caligine, ampliore lucis vsura fruebatur; quippè quæ arcana quadam vi, ac splendore mentis obscuriora quæque, ac futura intuebatur. Complura Sanctissima Vates hæc, vt Seraphinus Firmanus in eius vita scribit, prædixit, sed potissimùm, fore, vt quàm primum pristina Catholico nomini dignitas, suusque labefactatæ Religioni color redderetur. Cuius sanè prędictioni Cælum ipsum visum adstipulari; eodem quippè tempore admirando quidem prodigio sydereæ, lucentesque è Cælo Cruces visæ compluere, quæ vestibus, thalamisque, ac membris etiam mortalium adhærentes, oblitterari nulla ratione poterant. Optimi quidem hominum prodigium interpretati, reformandi mox Orbis luculentissimam tesseram Cruces eas esse, affirmarunt. Fore nimirùm, vt conformatis ad Crucis normam, ac mortificationem moribus, ab illo scelerum luxu ad virtutum frugem, ac disciplinam homines euolarent. Id quod disertè [a] Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus exametro carmine excepit, certiorem ea de re faciens Maximilianum Cæsarem. Nec prætereundum quod de Rauennate eo monstro, de quo diximus, sapientissimi plerique Viri insuper docuere. Gestabat illud quidem inter tot vitiorum symbola geminos in pectore salutares characteres: nempe ypsilon græcum, & Crucis signum: quibus demonstrari apertè videbatur, ableganda tandem fore morum propudia, profliganda hæresum monstra, asserendam Religioni maiestatem, cultumque, idque Saluatoris Christi Cruce, ac virtutis ope, quam ypsilon, quæ littera Pythagorica appellatur, adumbrabat.

Quæ prænsignata olim.

A Margarita Rauennate.

Seraphinus Firmanus.

Et Cæli prodigijs.

a Tom. 2. op. fol. 358.

Et monstro Rauennate.

Euenere

Euenere hæc quidem euestigiò. Enimuerò commiseratus Deus Maximus inter tot hæresum exundantium procellas, ac turbines virtutum, fideique naufragium, instructis tot Religiosorum subindè familijs, Ecclesiæ penè fatiscenti opem tulit. Horum primi nostri homines fuere, qui quod non alia Religionis insignia, iconemque tesserariam, quàm Crucem ipsam præferunt, vt mox dicemus, meritò, ac faustè videntur eam reformationem auspicati, quam cruciformes ignes, ac decussata in Crucis morem sydera è Cælo delapsa præsignificarunt. Nec parum certè laudis fuerit, hosce nouæ sodalitatis Institutores vsque adeò incaluisse, eosque præclaros animos concepisse, vt omnium Principes in teterrima, ac deuastantia mundum monstra, morumque corruptissimorum phalanges postremis hisce temporibus auderent, eiusque belli, quod in Seculi vitia strenuè parabatur, classicum cecinerint, ac primum ipsi telum iactauerint, veluti ad certaminis signum, ac omen. Et quidem ex eo nostræ fundationis tempore visa præcipuè in Italia non exigua morum mutatio, quam deindè cumularunt sequutæ lectissimæ, ac celeberrimæ Religiosarum familiarum copiæ, ac præcipuè Patrum Capuccinorum, Camaldulensium, Societatis Iesu, Somascenorum, Clericorum Sancti Pauli, Clericorum Minorum, Discalceatorum Carmelitarum, aliorumque illustrium Ordinum, qui quam nos reformatæ disciplinæ in ea temporum clade viam aperuimus, egregiè ineuntes, quà scientiarum præsidijs, quà publicis, sacrisque declamationum terroribus, quà scriptis litterarum monumentis, quà virtutum, exemplorumque incitamentis, non Italiam modo, Europamque, sed & Orbem vniuersum bonam in frugem summa cum sui nominis celebritate, Deique gloria reuocarunt: eam mortalium emendationem, collatis ingenijs, operis, animis nauantes, quæ prænunciata, præcone Cælo, fuerat.

[Reformationem inchoarunt nostri homines.]

[Consequuti præclari Ordines.]

[Qui profligandis vitijs strenuam nauàs operam.]

Verùm, quia prædictiones meminimus, quod ad nostrum Institutum præsertim attinet, illud non hic dissimulandum putamus, fuisse nempè, antequam excitari à nostris Conditoribus contigisset, sanctissimæ cuidam Virgini Mediolanensi, peculiari quodam Numinis consilio indicatum. Coniectamus id quidem haud temerè, nostrisque his litteris ea fide consignabimus, quam assequi coniectura potest. Fuit hæc Veronica, celebrioris sanctimoniæ è Mediolanensi Diuæ Marthæ Cænobio, atque Augustini disciplina Monialis, quæ seculo quindecimo floruit, excessitque anno primo, & nonagesimo supra quadringentesimum, & millesimum, anno videlicet quatuor, & triginta, antequam nostra excitaretur Sodalitas; fueruntque res eius piè, sanctèque gestæ consequentis mox Seculi anno duodeuigesimo typis Mediolanensibus publicatæ. In quibus id habemus. Die Diuo Abbati Antonio Sacra, excessu quodam mentis, animique visam sibi Veronicam in Cælum vehi. Euntem Religiosorum Ordines longa quidem serie prosequebantur. Cumque Antonius, & Paulus Eremitarum Principes agmen ducerent, succederentque mox alijs aliæ Ascetarum Classes, nouissimi omnium claudere familiam videbantur pullati quidam Clerici, capitis integumentum ad nostrum omninò morem gestantes, non pauci ij quidem, sed qui aliorum numerum minimè exæquabant. Quos, cum alios quidem Ordines ex habitu, cultuque cognosceret, testata Veronica est, nunquam se aliàs in ea Cæli frequentia, ac tanta cælitum varietate inspexisse. Planè, quod post tot clarissimarum familiarum agmina eo Clericorum amictu, quem Veronica viderat, in publicam Orbis lucem, conspectumque non ita post multò prodierint nostri homines, illos prophetiæ spiritu præuidisse lectissimam Virginem conijcimus. Scilicet, quæ Diui Augustini Regulam exactè obseruabat, Clericos, qui lapsam eiusdem Augustini Clericorum Regularium disciplinam tanto cum Christianæ rei bono postmodum instaurarent, prospectare longè antè promeruit.

[Nostram potissimum Sodalitatè præuidet Veronica Mediol. Virgo.]

At enimuerò, cum adstrictos iam nostros Conditores votorum, nouæque militiæ Sacramento, ipsamque Sodalitatem institutam, firmatamque habeamus, è re puto erit, & rectus etiam historiæ cursus id poscere videtur, tempus, quo noster Ordo institutus, tùm nomen, antiquitatem, leges, mores, aliaque notatu digna paulò accuratiùs percensere. Et verò, tempus, quo cœptum, absolutumue opus aliquod fuerit, à grauissimis persæpè Viris in Religionem, omenque trahitur: nec sine Numinis consilio, aut bona spe euentus prosperioris inchoare solenni, insignique aliqua die

[Expenditur de Clericos. Reg. ordine nonnulla.]

[Tempus, quo Institutum.]

posse rem putant; cui ab illa temporis faustitate, ac sanctitate magnum quid prædiuinant. Iam, natalitij nostræ Sodalitatis dies vix solenniores, aut opportuniores contingere potuerunt. Quippè, cœptum, vt initio huius libri diximus, festa Inuentæ Crucis luce de ea fundanda consilium, eiusdem Exaltatæ Crucis solenni die, finem, successumque habuit auspicatissimum. Visa profectò nascentem Congregationem ipsa Crux excepisse suo sinu, obstetrix simul, & parens. Debuitque ea maximè celebritate oriri, ac fundari, quæ ad Christi in Cruce pendentis imitationem perfectissimam paupertatem profitebatur, & quæ instaurata Apostolica, ac strictiore viuendi forma, Crucis mortificationem, & Crucem ipsam inuenisse, atque exaltasse nouo Clericorum Ordine quodammodo videbatur. Eaptopter gemina ea Crucis memoria in præcipua apud Nostrates Religione semper fuit: qui etiam non alio quidem stemmate, aut insignibus honestari Sodalitatem voluere, quàm Cruce. Hæc publica nostri Ordinis tessera, hoc Ædium nostrarum, templorumque, hoc domestici, sacrique instrumenti symbolum, vt possimus Clerici Regulares eo nomine, quo nuncupatos olim veteres Christianos affirmat [a] Tertullianus, iure optimo appellari; nempè, Religiosi Crucis: nostramque omnem suppellectilem, quod de Pallio Episcopali eleganter dixit Venantius, Cruce textili insignem dicere. Quo sanè intelligere quisque nostrum statim potest, quàm præ se corporis, animique afflictationem ferre debet, & quàm asperæ vitæ rationes instituendæ in ea Sodalitate, quæ nos excipit Cruce. Mos apud Sparthanas mulieres obtinuit, vt infantes suos in clypeis parerent, alerentque; vt ostenderent, non otio, cutisque amænioribus illos eniti, sed laborum tolerantijs, peruigilijs, æstibus, pulueri, cæterisque incommodis; quæ arma, & bella consequuntur. Planè, vt noster Ordo, mundo editus, cunarum vice Crucem habuit, ita & nos per solennem votorum nuncupationem Deo eodem in Ordine renascentes, non molliora profectò cunabula excipiunt: docemurque haud esse nobis in vmbra feriandum; verùm ad austeriora quæque, ac in aciem vocati: ad illam nempè virtutum asperrimarum exercitationem, quam ipsa Crux docet. Persuadet illa quidem cruciatus, frænumque morum; at simul ad austeram sensuum disciplinam capessendam animos addit, ac vires. Enimuerò, qui nobis ante oculos obuersari Crux poterit, in qua Saluator æquè conuicijs proscissus, ac ferro, summo corporis, famæque dehonestamento infandum mortis genus, ac dedecus subijt, quin eo statim exemplo ad iniuriarum se patientiam, ad probra, vulnera, mortemque inflammet, animetque. Intolerabile nanque, ac simile monstri esset sub durioris huiusce militiæ signis, ac sub Duce Christo stipendia facientem, commoda sectari, & oblectamenta, & illecebras vitæ, ceu militem delicatum. Itaque ea die institutum esse nostrum Ordinem, quo monumenta, ac trophæa Crucis celebrantur, & argumentum gloriæ nobis esse, & disciplinæ stimulus debet. Cæterùm eo etiam nomine quarta decima Septembris luce concipere solennia Religionis vota nostris placuit, quod is natalis est dies Diui Ioannis Chrysostomi, illius nempè Antistitis, qui sui Seculi vitia æqua tolerantię, ac facundiæ laude, & sustinuit infractus, & redarguit imperterritus: incertumque est, fuerit Viri virtus fortior, an eloquentia? Huic porrò sanctissimæ memoriæ addictissimi cum essent Patres nostri, præcipuè Episcopus Theatinus, vt eius pleræque schedę M. S. testantur, in suæ lætitiæ, pietatisque incrementum computarunt, ea die publicè profiteri, nouamque Religionem in Catholicæ rei commodum instituere, qua sanctissimus, ac disertissimus Orthodoxi nominis propugnator est Cælo receptus: cuius tamen celebritati eam diem Ecclesia dedicauit, qua sacri eius manes, magnique Cineres Theodosij iunioris tempore Constantinopolim sunt translati, hoc est, decima septima mensis Ianuarij.

Nempè diebus Dominicæ Cruci Sacris.

Præcipuum Clericorum Regularium in Crucem studium.

Crux Congregationis stemma.

[a] In Apolog.

Ad laborum tolerantiam Crucis insignibus excitamur.

Sed tolerantiam, ac vires sufficit Crux ipsa.

In Diuum Ioanné Chrisostomũ nostrorum Religio.

His de signata, solennique ipsa Institutionis die strictim delibatis, nunc non sine instinctu Numinis, diuinaque ratione hoc anno Clericorum Regularium Sodalitatem excitatam, erectamque videamus. Planè, id Naturæ ingenium, atque indoles est, vt adnotauit Plinius, vt propè venenatas herbas, salutares plerumque ferat, quò simul & enatum malum, & ipsam prona manu antidotum propinasse intelligeremus. Id, quod eiusdem Naturæ moderator, & auctor Deus, cùm in grauissimis Christianæ Religionis momentis, tùm in huiusce præsertim Ordinis Institutione fecisse cernitur.

Opportunè anno 24. voluétis Seculi instituitur Theatina Congreg.

Plinius.

Etenim eodem hoc ipso anno institutam, confirmatamque ipsam voluit, cùm Martinus Lutherus, impius Augustiniani Ordinis, fideique desertor, & transfuga, postquàm modestiam omnem, speciemque probitatis exuerat, Religiosum habitum, personamque dimisit, vt ostenderet, adnatum eodem tempore teterrimo veneno præsentissimum remedium. Nempè, nostrorum Patrum, qui primæuos Clericorum Regularium mores induerunt, ea potissimùm mens fuit, vt collapsum sacrorum cultum, religionemque instaurarent; pugnarentque ea Clericorum reformatorum legione in Seculi vitia, quemadmodum Regulares illi Augustini Clerici, & Augustinus ipse in pestilentissimas suorum temporum hæresum phalanges decertauerant. Quapropter in more positum apud nos semper fuit, vt D. Augustini Regula ad Clericos persæpè super mensam legeretur, vt planè meminerimus, illis nos Clericis successisse, eidemque Apostolico instituto, ad hæresum exitium, morumque reformationem nomen dedisse. Quod & Lutherus ipse intellexit, testatusque est conceptis verbis. Nam cum excitatam Romæ per ea tempora ad Apostolicę paupertatis, vitęque normam eam Clericorum Sodalitatem resciuisset, inclamasse suis fertur, Magnum nobis Romę paratur bellum. Quippè ab ea reflorescentis Instituti disciplina, Clericque reformatione non parum sibi suisque metuendum fore putauit turpissimus veterator. Neque enim illam fortissimorum hominum aciem absque Romanę rei incremento, ac decumana hæresum clade conflari potuisse iurè arbitrabatur. Quòd verò non adeò apertè, collatoque propiùs pede publicis disputationibus, scriptisque monumentis cum Luthero, eiusque asseclis conflixisse nostrum Sodalitium videatur, nec in eas statim Regiones, vbi frigidissimo sub eo sydere ardebat malum, traiecerit, vt illud voce, styloque coram conficeret, non ideò, aut non strenuè pugnasse, aut minùs egregiam operam in Nouatorum audacia, aut compescenda, aut profliganda nauasse dicendum est. Siquidem Romanam Aulam, & precipuè Clerum obiecta seueriore disciplina ad suos mores reuocasse, Romamque ipsam ab hęresum lue, quę pleraque iam Catholici corporis membra in Europa adflauerat, serpebatque in dies magis, exemplo seruasse, an non orthodoxam fidem propugnasse, ac Lutherum oppugnasse hoc fuit? qui ab aulicorum moribus, ab Ecclesiasticorum luxu, à Romanorum procerum licentia cùm Ecclesiæ traducendæ, tùm amplificandæ, propagandæque suæ hæresis occasionem desumebat. Planè, longè acrior in hæreticos pugna exemplo, vitæque sanctitate, quàm dictionis vehementia, scriptorumque telis indicitur. Docet nanque Augustinus sapientissimè, obiurgationibus, ac stylo acui magis, irritarique Nouatorum ingenia, animosque: incorruptis verò moribus, ac virtutum documentis confundi sæpiùs, ac bonæ menti restitui. Et Augustinus ipse, etsi Manichæos acri quidem eloquentia, calamique vehementia impeteret, in eorum tamen contumacia exarmanda, quàm à suis scriptis, plus longè à suæ, suorumque Clericorum vitæ innocentia sibi pollicebatur. Sanare, inquit, volo, non oppugnare.

Quòd eodē anno Lutherus Religiosū habitum dimiserit.

Augustini Regulam nostrates renouant.

Ad vitiorum, atque hæresū exitum.

Cognouit id Lutherus.

Quid suis dixerit de nouo hoc Ordine.

Exemplo melius profligantur praui mores.

Atque hoc quidem primæui nostri Ordinis, Patrumq; consilium fuit, non tantùm vt aperto marte, doctrinisque, ac controuersijs cum hæreticis disceptarent, verum vt per Clericorum potissimùm Regularium disciplinam, virtutumque omnium exercitium, restituta Ecclesiasticis prisca melioris seculi sanctitate, instauratisque bonis moribus, exemplorum efficacia perduelles eneruarent.

Quæ potissimùm Nostratum mens.

Quamquam in his hæreticorum copijs delendis non modò regulari ipsa disciplina, vitæque integritate, ac sanctimonia, sed voce etiam, ac scriptis egregiè dimicauere Nostri. Id quod testatus disertè est [a] Adrianus, qui loquens de Carafa, hæc habet: [Nouam humilium, ac deuotorum hominum Religionem instituit. Hi sanctè viuebant, atque hæresum persequutores erant acerrimi, quarum oppugnationem, ac defensionem fidei Catholicæ susceperant, idque eorum professio solennis erat.] Quod ipsum suis Annalibus consignauit [b] Abraham Bzouius. Vnus autem Carafa in omni rerum statu adeò Luthero infensus, ferroque, ac igne est insectatus, vt dixeris meritò, eius hydræ fuisse Christianum Herculem. Enimuerò, nullis vigilijs, curisque, nulli studio pepercit Vir præferuidus, vt grande malum sisteret. Scripsit, adlatrauit, cùm moliri maiora non licuit. Cùm autem accessere fasces, & potestas; Legibus, Senatus-consultis, institutis Catholicorum Academijs, indictis Concilijs, erectis

Non tantùm morum exemplis, sed voce & scriptis dimicant in hæreticos nostri.

a Li. 3. ad an. 1555.

b Ad an. 1524.

Carafa strenuè pugnat generè strenuissimus.

erectis Iudicijs, ad Principes, Regesque adhortationibus, terroribus, mulctis, non Italiæ modo à Lutheriana ea lue cauit, sed latiùs magnæ eius curæ pertinuere, & Germaniæ, Pannoniæ, Galliæ, Britanniæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Daniæ, Gothiæ, prouidit, quas Christiani Orbis Prouincias, aut correptas iam graui contagione sanauit, aut ne corriperentur, omni ope adlaborauit. Nec segnior in id operis reliqua Clericorum Regularium phalanx, quorum opera, zeloque, Thienæi in primis deprehensi Ochinus, Valdesius, Petrus Martyr, Lutheri emissarij, qui probitatis specimen habitu, cultuque præseferentes, adiecta etiam quadam sermonis festiuitate, quà publicis, quà clandestinis colloquijs venena Italiæ propinabant. Et Caietani quidem is fuit ardor, vt appellatus meritò fuerit [a] Lutherani seminis profligator. Fuere & nostri Ordinis alij, quorum virtus summis Pontificibus probata, ac difficillimis Christianæ Reipublicæ negotijs admota, in Gallia, Belgio, Germania contra Lutherianos egregiè desudauit. Quæ omnia suo quæque loco distinctè enarrabimus. Nunc innuisse sat fuerit. vt constet, Diuinitatis planè instinctu factum, vt hoc potissimum anno Clericorum Regularium ordo conderetur ad Ecclesiæ munimentum, quo Lutherus in Romanam fidem classicum cecinit, ac meritò Lutherum ipsum sibi, suisque ab ea Familia timuisse.

Idē reliquorum Patrum ardor.

Præcipuè Thienæi.

a Bonag. An. Capp.

Quòd verò eodem pariter anno Vlricus Zuinglius, Lutheri catulus, sed qui eandem Lutheri sectam in noua deliramenta dissecuit, amplificauitq; Sacramentiorum cętum excitauit, atque vna cum Æcolampadio, ac Melancthone abolenda Sacramenta, missamque penitus eliminandam, ornatumque omnem, ac templorum cultum detrahendum Aris, impudentissimè in Germania, & conscelerate, deprædicabat; opportunè nostrum Clericorum Ordinem coaluisse demonstrat, cuius præcipuum studium fuit, vti memorauimus, sacrorum frequentiam, vsuramque, ea tempestate exoletam, instaurare: Et quod ad sacræ Eucharistiæ dignitatem, ac venerationem spectat, quàm splendidissimum, ac mundissimum templis, Arisque cultum asserere. Quò sanè non modò Zuinglianus sacramentorum contemptus abundè est compensatus, sed quod grauissimorum hominum testificatione, consensuque constat, eo Clericorum Regularium, nostrarumque sacrarum Ædium exemplo, inuecta in Ecclesias omnes eximia quædam munditie, alia iam sacrorum facies cernitur, superbitque vbique sacro quodam luxu diues suppellex, & paries. Obseruatumque est insuper, vt sicubi exquisitus quidam nitor, ornatusque resplendeat, ad Theatinorum id exemplar, cultumque exactum vulgus prædicet. Igitur, quando nullum prætera decus, fructusque in Dei Ecclesiam à nostro Ordine deriuasset, quàm illuuiem, squaloremque omnem fuisse ab Aris, sacrisque instrumentis erasum, atque ad hanc ipsam templorum pompam exempli vi alios excitatos, haud paruam enimuerò vtilitatem, splendoremque eidem Ecclesiæ attulisse, nec perfunctoriè in Sacramentarios intorsisse arma, ac decertasse, possemus in Domino gloriari.

In Sacramentarios infestus præcipuè Clericorum Reg. ordo.

Mundissimus Ecclesiarum cultus à nostris.

Qui & exemplo alijs fuere.

Porrò, vt aliquid de Clericorum Regularium nomine delibemus, vetustum id quidem, & amplum. Si quidem vel ab ipsis Apostolis fuisse hoc cognomentum Sacrorum administris inditum auctor est [b] Ioannes à Nigraualle, idque ex Apostolorum Actis docet, & maximè à priore Petri Epistola, vbi Cleri vocabulum pronunciatur, quod à primæua ea Apostolorum disciplina in Ascetas illos subindè manauit, qui non suo tantùm profectui, sed publico Dei cultui mancipati, ampliore quadam cura suum in proximos studium deriuabant; & à Monachis non modo habitu, & cultu, sed & ea Clericorum appellatione distinguebantur. Ea propter hac Clericorum Regularium nomenclatura nescio an dignius quid, aut vetustius. Dignius quidem, nam vt, ait Hieronymus, Clerici vocantur, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars, Clericorum est. Proindeque excellentissimum quoddam genus hominum præclarum hoc nomen significat: nam qui patrimonium Dei est, aut cuius patrimonium Deus est, is enimuerò supra cæteros mortales sit, Cæloque propior necesse est. Vetustius verò, quia cum ipsa Ecclesia enatum, non antea fundata Res Christiana fuit, quàm extiterint Clerici, Regulares certè; quia nullus in ijs primęuæ Ecclesiæ cunabulis, atque Apostolico eo seculo Clericus Secularis, vt opinatus falsò quidem est [c] Præpositus, & [d] Laurentius Landtmeter,

Clericorum Regularium nomen.

b Lib. 13. cap. 18.

Nihil hoc Clericorum Regularium appellatione dignius, & antiquius.

Nullus in primitiua Ecclesia Clericus Secularis.

c c. prima 44. distinct.

d De Vetere Clerico-Mon. lib. 2. cap. 43.

ter. Inuecta fucceffu temporis ea diftinctio; quia cùm defediffent mores boni, fanctique, nec is effet in tuenda Euangelica paupertate, communique vita fidelium ardor; caueri grauiora mala oportuit, vt ait [a] Auguftinus, ac tolerari laxamentum aliquod cœpit, paulatimque permitti, vt de fuo, fuifq; in dom bus Clerici viuerent. Atque hi Seculares dicti. Cæteri, quibus prifcam vrgere voti inftituti formam placuit, appellati Clerici Regulares, vetuftiffimo quidem vfu mortalium. Nam quanuis Canonicorum Regularium Inftitutum vt ampliffimum, ita & ant quiffimū planè fit, & Apoftolos ipfos Autores, ac Principes habeat; nihilò tamen minus, fi de Canonicorum Regularium nomine fermo fit, non quidem inter larina monumenta ante Concilium Moguntinum, circa Caroli Magni tempora celebratum, inuenies memoratum. Nec inter græcos fcriptores longior mentio: nam etfi Bafilius in Epiftola ad Amphilochium, τῶν Κανονικῶν memoret; eos tamen Clericos Regulares interpretatur Balfamo, Bafilij Scholiaftes; nam Canonicus græcè, Regularis latinè dicitur. Clericorum verò Regularium longè antiquior memoria. Nam & Auguftinus ad Clericos Regulares leges, ac regulas lucubrauit; & plerique prifcorum Patrum, & Concilia, & Hiftoriæ Clericos memorant. Quos quidem Clericos varia fubindè nomenclatione infignitos reperies. Nam primò Clerici Cœnonici dicti, à cœnob tica, & communi vita; vt affirmant [b] Lorinus, & [b] Turrianus. Deinde, vt ait [c] Signius, Clerici Canonici, hoc eft Regulares. Tùm Clerici Religiofi, à votorum nimirum nuncupatione, quo eos vocabulo [d] Alexander Secundus Pont. nuncupauit. Præterea ab eodem voti Sacramento Clericos Profeffos appellauit [e] Concilium Tarraconenfe. Poftremò, quòd cum Clericorum muneribus monafticam difciplinam, atq; conuictum vnanimen coniungunt, Clerico-Monachos eruditiorum pleriq; vocant. Monachi nanque appellatio non à folitudine, vt falsò quidam putant, deriuanda; fed vel ab vna, communique viuendi ratione, [f] vt ait S. Auguftinus; vel quòd id inftitutum vno cum Deo coniungit, & cum Sacra Monade colligit: quæ mens eft, ac loquendi modus [g] Areopagitæ. Quare Apoftolos, qui ex Chrifti inftitutione Clerici fuere; profeffione, ac morum obferuãtia rectè Monachos dixeris: vt proindè primos Chriftianorum Monachos appellauerit [h] Bellarminus. Iam, quòd noftræ Sodalitatis Conditores primæuam illam, veteremque Clericorum obferuantiam in ipfo Clericali habitu renouare decreuerint; non diutiùs profectò elaborandum, aut cõmenrandum illis fuit, quo fe nomine indigitari vellent: recenti nanque Clericorum inftituto, ac mor bus, deuotifque in commune bonum curis; quę magis obuia, aut aptior, quàm Clericorum Regularium nomenclatio? Quam elegerunt faufte Parentes noftri; & Pontifex Max. Clemens Septimus fuo ipfe Diplomate annuit; eofque de fimplici Clericorum Reg. vocabulo appellatos voluit, quòd nulli poftea Religioforum hominum Ordini, nifi cum aliqua appendice contigit; vt fuere Clerici Regulares Diui Pauli Decollati, qui & Barnabitæ nuncupantur; Clerici Regulares Somafceni, Societatis Iefu, Miniftri Infirmorum, Clerici Minores, alijque.

At enimuerò, a Theatinis Carafæ Infulis inhæfit noftro Clericorum Regularium Sodalitio Theatinorum cognomentum, arbitrio profectò, vfuque vulgi, nomina perfæpè fuo nutu infcribentis; non quidem ipfius Carafæ confentione, vt falsò quidam exiftimarunt. Nunquam enim Vir modeftiffimus eam fibi celebritatem indulfiffet: vt qui Infulas ipfas, ac Sacerdotia abdicauerat; Infularum deindè titulos, vmbramque nominis adfectaret retinere, atque in fuo Ordine æternari. Verùm etfi de folo hoc Clericorum Regularium nomine fatis, fuperque noti fint noftri homines; eoque nos fcriptores paffim appellent, ceu per antonomafiam Clerici Regulares: tamen, cùm ad quandam difcriminis tefferam, tùm ad magni potiffimùm Patris memoriam, admifimus vltro Theatinorū appelletionem, quam fiue ἀπὸ τῦ Θεῦ hoc eft, à Deo deriues; fiue à verbo Θεατλῶς, quod eft, fpectare, fiue fpectari: oppidò illuftris ifthæc erit nomenclatio; ceu Dei, aut infpectores, aut fpectaculum fimus. Nec ad fplendorem, decufque Sodalitatis noftræ luculentius quid fuerit, quàm eo cognomento nominari, quod ftatim moneat, ipfam veluti theatrum quoddam effe, in quo aut fpectetur Deus per Afcetarum contemplationem, aut ipfe Deus fpectet eorum incrementa, atque exempla virtutum.

Vt inducta Cleric. Reg. & fecularium diftinctio.

a Ser. 1. & 2 de comm. vit Cler. referuntur cap. nolo 12 quæft. 1.

Canonicorū Regularium appellatio quā vetufta.

b Ad c. 2 act.

c De Rat. ac ord. Can. l. 1. c. 2.

d Refertur c Præfens d. 36.

e Ref 15. q. 2. c. obferuand.

f Super Pfa Ecce quàm bonum.

g Eccl. Hier. c. 6.

h Li. de Mon. c. 5.

Simplici Clericor. Regul. vocabulo nominātur Noftri.

Cæteri Reg. Clerici cum additamento

Theatinorū cognomentū vulgò inuectum; non Carafæ nutu

A Deo deriuatum.

Vel à fpectando.

Clericorum Regular. antiquitas.

De Nomine hactenus. Rem ipsam, hoc est Institutum Clericorum Regularium attingamus; & præsertim, quæ illi à vetustate dignitas, ac splendor accedat. Quod cùm inter illustria familiarum decora, ac laudes computari soleat; tùm maximè necessarium hìc duximus percensendum, vt eam scilicet nouitatis notam, quę nostro Ordini ab ipso statim initio inspergerant, eluamus: conficiamque ipse hoc loco, quod de Instituti antiquitate in ipso Historiarum vestibulo pollicitus sum. Et quidem, satis constat, vt toto, quod aiunt, Cælo è veritate aberrant, qui nouum quid, ac planè insolens in Ecclesiam inuectum existimarunt; cùm hæc Religiosorum hominum Sodalitas eo Clericorum habitu, eaque simul Monachorum disciplina, visa Romæ est diuersa illa innectere, nempe Clericatum, & Monachatum. Quippè non Thienæi, non Carafæ, ac sociorum recens quoddam inuentum, eorumque marte, atque ingenio excogitatum hoc Clericorum Regularium, siue Clerico-Monachorum Institutũ fuit. Compertum nanque est, iam inde ab antiquissimis temporibus orbi datum; eadem cum ineunte Ecclesia cunabula, ipsosque Apostolos professores habuisse, ac Patres: et mox omnibus retrò ætatibus vbique terrarum, ac gentium præclaros, ac sanctissimos viros extitisse, qui præstantissimam eam viuendi rationem, aut florentē adhuc excolentes, aut collapsam seculi vitio redintegrantes, eandem Apostolorum orbitam anxiùs pede presserunt. Libet hìc, ab ipsomet Regularis huiusce disciplinę exordio clarorum Patrum elenchum, temporũ serie, attexere. Siquidem, cùm Clericorum Regul. historiam lucubremus, par est, vt aliquem in hac scriptione ij sibi vēdicent locum, qui Clericorum Regularium Assertores fuere, ac Duces. Cùmque idemmet Institutum, eundemque veterum Clericorum Ordinem nos ipsi profiteamur; planè ab hac magnorum nominum commemoratione, ac censu non alienam videbimur, externamque laudem nobis ipsi adpingere, sed nostram. Etenim quemadmodum quæ fontibus inest puritas, & commendatio, in fluuios ipsos rectè deriuatur; & fluuiorum vicissim laudes in fontes suos exundant: ita profectò egregia priscorum Patrum, & Clericorum Regularium monumenta iurè quàm qui meritò, ceu nostra iactamus, cùm legimus; putamusque in eorum theatro nobis plaudi: sicuti vicissim cùm nostra litteris consignamus; censendum sanè est, non tàm nostras, quàm illorum historias adornare. Recensuit hæc porrò ex omni antiquitatis memoria [a] Antonius Caracciolus, Vir è nostro Ordine, & peritia historiarum, & veri fide, ac religione, & sermonis grauitate, cultuque cum paucis comparandus. Quam ille lectissimam virorum aciem non exiguo planè studio centuriauit ad nostri Instituti antiquitatem propugnandam; nos hìc amplificata nonnihil Clericorum Regularium syllabo, ductoque latiùs, atque copiosiùs stylo recensebimus.

Ab ineunte Ecclesia.

Eius subinde cultores, ac assertores.

a In Not ad Const. Cl. Regul.

Itaque, vt vniuersim Cœnobiticam omnem viuendi rationem, religiosamque disciplinam in primæua illa credentium multitudine, quæ in Apostolorum actis memoratur, sua rudimenta posuisse; ac fluxisse ab eo fonte ascetas omnes, non vnus est Autor, qui id probet: ita & Clericorum præcipuè Regularium Instituti non professores modò, sed & Principes, ac Duces antesignanos fuisse Apostolos exploratum, compertumque est: cùm & illos fuisse Clericos, quippe qui Clericorũ munera obiuere; & simul fuisse votorum legibus authoratos, quod proprium Regularium est, certiùs profectò fit, quàm vt ratione commonstremus. Neque enim simile vero est, Apostolico Collegio, tanta Numinis sapientia, eorumque excellentium Virorum delectu, ad succedentium Sodalitatum, & Collegiorum exemplar, ideamque conflato, eam instituti, vitæque perfectionem defuisse, quæ ex votorum nuncupatione existit. Certè, cùm nihil inter morales sit ea virtute, qua Diuinitatis maiestatem colimus, hoc est, Religione ipsa præstantius; tùm, quòd in omni religionis cultu principem, ac nobilissimum locum obtinet, ipsa Religiosorum hominum disciplina esti quæ non communi quadam obsequij, subiectæque mentis significatione Maximo Numini vacat; sed initiatum solemni votorum ritu, addictumque omni ex parte hominem; & quod pretiosius, & pulchrius in homine est, arbitrij libertatem Deo consecrat. Quapropter primæuæ Apostolorum Sodalitati, quam Saluator ipse, & voluit, & sciuit quàm perfectissimam efformare, præcipuum hoc votorum authoramentum concessisse fatendum est; vt fuerint Clerici quidem, sed Clerici Monachi, siue

Apostoli fuere Cleric. Regulares

Adstricti religionis votis

siue Clerici Canonici, siue Clerici Regulares, ac Religiosi: qua multiplici appellatos nomenclatura Apostolicos Clericos, paulò antè diximus. Adstipulantur Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Bernardus, disertisque planè verbis suscepisse Religionis vota Apostolos pronunciarunt. Et [a] Diuus Thomas rationum momentis rem expendens, euincit pariter tunc vouisse eos pertinentia ad Religionis statum, cùm Christum relictis retibus sunt sequuti. Id quod ab Augustino hausit, qui Apostolicam illam viuendi formam graphicè expresserat, testatusque est, votam Apostolorum disciplinam in ea verba. [Dixerunt enim potentes illi, ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est, dans votum vouenti? Alioquin ex illis essent vouentibus, quibus infirmatus est arcus.] Qui hoc ipsum ex Sanctorum Patrum sententia doceant Viri grauissimi, innumeri penè sunt. Videndus [b] Gerson Cancellarius Parisiensis, [c] Dominicus Sotus, [d] Alphonsus à Castro, [e] Paludanus, qui non paupertatis duntaxat votum concepisse Apostolos ijs verbis, ecce nos reliquimus omnia, affirmant, verùm etiam obedientiæ; nam qui clientelæ, fideique se se Redemptoris commisere, rebusque humanis omnibus valedicto, sequuti illum sunt, perfectissimam profectò, solennemque obedientiam profiteri voluisse concedendum est. Neque verò de Castimonia dubitandum, suadet succedentium Sacerdotum, atque Episcoporum cælibatus, quem illi à mundissima Apostolorum vita expressere, & qui in tota Ecclesia ab ijs Christianæ rei initijs ad hæc vsque tempora, ex Apostolorum videlicet traditione perdurauit, vt eruditè Cardinalis [f] Bellarminus adnotauit. Demum is est Catholicorum sensus contra horum temporum Nouatores, vt affirment, votorum nuncupationem ab Apostolis effluxisse, cuius professionis ritum, formamque [g] Dionysius Areopagita tradit, illamque accepisse ab Apostolis ipsis pro certo habemus. Quibus enimuerò apertè conficitur, Ascetarum, siue Religiosorum vitam, atque institutionem præclaro exemplo posteritati commendasse Apostolos; potissimùm verò fecisse Clericorum Regularium Ordini nomen, eiusque omninò, quam nos hodièque disciplinam profitemur, Antistites, ac Auctores fuisse.

a 2.2. qu. 88. ar. 4. ad 3.
De Ciu. Dei lib. 17. c. 4.
Non modo paupertatis.
b Alph. 22. lit. N.
c De Iust. & Iu. q. 2. ar. 5.
d Contra hæres. arb. vot.
e In 4. dist. 38.
Sed Obedientiæ, & Castitatis.
f Lib. 1. de Clericis c. 19.
g De Ec. Hier. cap. 6.
Professionis formula ex Areopagita.

Ad hæc, cum Apostoli in varias Orbis terrarum partes effusi, alias subindè fundauerint Ecclesias, certè ad primææ illius imaginem, formamque instituisse, censendum est. Quam enim formam alijs Religiosi Viri imprimerent, nisi quam ipsi moribus, viuendique ratione præseferebant? Vt Paulus aiebat, ambulate, sicut habetis formam nostram. Quarè quæ primum in Oriente excitatæ, propagatæque fuere Ecclesiæ, præcipuè verò qui in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia minori, ac Bithynia Christianorum cœtus, auctore Petro, extitere, è Clericis, ijsque Regularibus conflatos, vt Petrus ipse erat, facilè sibi quisque persuaserit. De Occidentalibus prætereà Ecclesijs hoc idem sine dubio pronunciandum. Enimuerò, qui secundo Claudij Cæsaris anno Principem Christiani Orbis Ecclesiam, quæ reliquarum scatebra, & fons esset, Romæ instituit, qua Regula putandum est, illam fundasse, nisi perfectissima, & quam ipsemet profitebatur, nempè Clericorum Regularium? Qua deinde Romana Ecclesia fundata, amandatis ab ipsomet Petro, vt [h] Innocentius Pontifex Primus asserit, in reliquas Occidentis Prouincias Sanctissimis Viris, plures Christianorum Colonias in Italia, Gallijs, Hispanijs, Africa, Sicilia, Insulisque adiacentibus, ac in ipsa diuulsa ab Orbe Britannia fundauit. Quæ cum ab illa, quæ Hierosolymis erat Ecclesia, & à Romana, quam Petrus Apostolicis institutis temperauerat, manauerint, non alia profectò Religione institui debuisse, quàm quæ Regulari disciplina constat, affirmandum; ac proindè primo illo nascentis Ecclesiæ sæculo, vnam fuisse, vt notauit [i] Sotus, omnibus disciplinam, ac floruisse vbique terrarum Regularem obseruantiam, ac præcipuè Clericos Regulares; ita vt quibus Christiana ipsa Religio spatijs, ac gradibus promouebatur, ijsdem Regularium Clericorum Ordo, ac disciplina amplificaretur. Ac de hoc quidem luculentum extat [k] Clementis Primi, Petri discipuli, ac successoris testimonium, qui sui ipsorum instituti Clericos commonefaciens, & regulas, & vota, & vnanimem vitam memorat; confirmatque primo eo sæculo Clericos omnes fuisse Regulares. Ait porrò, [Vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis Regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, & Scripturas sacras rectè intelligen-

Fundatæ ab Apostolis Ecclesiæ omnes Regulares.
Cũ in oriẽte.
Tum in occidente.
h Ep. 1. apud Bar. ad an. 46
i De Iust. & Iur li. 10. qu. 4. ar. 3.
Primi sæculi Clerici omnes Regulares.
k Ep. 4. apud Gratian. 12. q. 1.

telligentes, quæ Domino vouistis, implere satagatis.] Quod quidem Cleri institutum, viuente semper ea Apostolicæ institutionis forma, communique vita, vsque ad Vrbani Primi tempora, hoc est, vsque ad tertium Christi seculum floruit: testaturque ipsemet Vrbanus in Epistola ad omnes fideles, vbi hæc habet. [Scimus, Vos non ignorare, quia hactenùs vita communis inter bonos Christianos viguit, maximè inter eos, qui in sortem Domini, hoc est, Clericos, sunt electi, sicut in Actibus Apostolorum legitur; multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.]

Sed isthæc generatim dicta. Nunc singillatim quæ exploratiora apud omnes sunt, explicantes, vt se se Apostolica viuendi ratio, ac Clerici Regulares ab ea primigeniæ Ecclesiæ stirpe per sanctissimorum Patrum traduces in æuum sparserint, ac propagauerint, temporum, locorumque serie percurramus. Quo quidem loco, antequàm extra Apostolorum Collegium stylum feramus, immorandum in Iacobo Apostolo, fratre Domini, qui primus ex Apostolico eo Cætu in Episcopum euasit. Instituta siquidem Hierosolymitana Ecclesia, ipse primus eas Infulas, curis quidem, non censu amplissimas capessiuit. Vbi Clericos ad suam normam, regularemque vitam, solemni cum votorum Sacramento initiasse, auctor est Clemens Romanus Pontifex, Epistola ad Iacobum fratrem Domini, & Clericos cum ipso degentes, cuius partem inseruit Decreto suo [a] Gratianus. Sic verò habet. [Communis vita, fratres, omnibus necessaria est, & maximè ijs, qui Deo irreprehensibiliter militare, & vitam Apostolorum, eorumque discipulatum cupiunt.] Quod quidem Clericorum Regularium institutum qui primus extra Hierosolymam aliò transtulit, amplificauitque, Is idem fuit Iacobus Apostolus. Siquidem sub ipsum Christianæ rei initium, ac quinto, aut sexto à Dominica in Cælum Ascensione anno, cùm ad vltimas Occidentis Solis Prouincias, atque in Hispaniam conuolasset, duasque inibi Episcopales Sedes, alteram Cæsaraugustæ, Bracari alteram in Lusitania excitasset, Clericorum ibi Regularium disciplinam fundauit. Ordinatis nanque in ijs Ecclesijs Episcopis, Cæsaraugustę quidem Athanasio, Bracari verò Petro, Apostolica illos, regularique obseruantia viuere cum suis Clericis, ac presbyteris iussit. Id quod vetustissima illarum Ecclesiarum traditione, ac fama constat. Neque præcipere aliter Apostolus, hoc est, Clericus Regularis, poterat. Estque scitu dignum, quod Michael Cercitus, homo hispanus narrat. Nempè, Cæsaraugustæ in celeberrima ea Mariana Basilica, quam à Pilari nuncupant, Angelorum manibus, operisque extructa, ac omnium, quotquot Christiano in Orbe sunt, Principe, institutam semel à Iacobo Apostolo Regularem disciplinam, per summam temporum, rerumque iniuriam ad suam vsque tempestatem, incorrupta legum obseruantia, perdurasse. Iam, qui per reliquam Hispaniam Regularium Cætus, & Collegia propagauerint, prout se se tulerit occasio, perstringemus. Apostolicos interim Viros percurramus, qui in primo illo, aureoque nascentis Ecclesiæ Seculo Regulares Clericos extra Hierosolymam excitarunt.

Iacobus Ap. Hierosol. Episc. disciplinam Reg. colit.

[a] C. Dilectissimis. 12. q. 1.

Eandemque in Hispaniæ Ecclesias inuexit.

Et Cæsaraugustæ ad postrema hæc tempora perdurauit.

Ducat agmen Marcus, Petri discipulus, & interpres, vt eum appellant Papias, Irenæus, Hieronymus. Is ab Apostolorum Principe, Christi anno sexto, & quadragesimo, & Claudij Cæsaris tertio Alexandriam est allegatus, quæ tunc Vrbs erat in Ægypto florentissima, illamque Ammianus verticem omnium Ciuitatum appellat; ad quam, quòd veluti ad amplissimum Orbis theatrum ab vniuersa penè Asia, Africa, Europaque confluerent, lectissimus discipulorum Marcus à Petro merito est amandatus. Hic ille Ecclesiam statuit longè clarissimam, de qua scribunt disertè Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, Nilus, Nicephorus, ac plerique alij. Præcipuè Philo Iudæus, prolixa Alexandrini eius Collegij laudatione instituta, Regularem illam Clericorum obseruantiam, cultum, gradus, officia integro eo volumine, quod de vita contemplatiua supplicum inscripsit, excepit. Quod verò Philo sub Essenorum nomine de Christianis loquatur, testes sunt [b] Eusebius, & [c] Epiphanius, & fusè probat [d] Hieronymus, qui ait, Philonem descripsisse institutum primitiuæ Ecclesiæ, cuius pars nobilior Clerici erant, eorumque munia, & viuendi genus in eo Cætu designans, Ita Corollarij loco subdit luculenter. [Ex quo apparet, talem primam in Christum credentium Ecclesiam fuisse, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt; vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidun-

Marcus Alexandrinã Ecclesiam instituit.

Constabatque ex Clericis Regularibus Quos Philo disertè commendauit sub Essenorum nomine.

[b] Hist. lib. 2. cap 6.

[c] Hæresi 29.

[d] De scr. Ecc. in Mar. & Phil.

diuiduntur, orationi vacatur, & psalmis, doctrinæ quoque, & continentiæ, quales & Lucas refert, primùm Hierosolymis fuisse credentes.] Hæc ille de Alexandrinis Clericis, qui & Therapeutæ vocantur, hoc est, Dei cultores; quia [didicerunt, inquit [a] Philo, à natura, & sacris legibus colere illud ens, & bono melius, & vero sincerius.] Quod sanè vocabulum si cum Clericorum nomine componas, planè intelliges, pro eodem vtrumque accipi. Nam Clerici nomen ἀπὸ τοῦ κλήρου hoc est à sorte, siue prædio deriuatur: ceu sint Clerici ad vberrimi cuiusdam latifundij, magnæque sortis cultaram sui hortatu, atque incitamento nominis vocati. Qui nam verò sit ager iste, ac prædium, ad quod excolendum inuitantur Clerici, explicat [b] Augustinus ad Clericos scribens, [Commune, inquit, est nobis magnum, & vberrimum prædium ipse Deus.] Itaque, cum tam Clerici, quam Therapeutæ ex ipsa notione, ac vi nominis æquè cultores Dei sint, Therapeutarum Collegium Clericorum Cætum interpreteris, necesse est.

Vocabantur & Therapeutæ.

a De Vit. cōt. supp.

Quod vocabulum non discrepat à Cler. nomine

b Tract. 1.

Ex eo Marci regularis vitæ cultu Anianum eius discipulum in Ægyptum contendisse, ibique ad eam ipsam regulam excitasse Ecclesiam, atque Episcopatum Babilonensem, quæ Vrbs est in ea Prouincia, auctor est [c] Augustinus Ticinensis, qui addit vigere inibi hodieque hunc Clericorum Regularium Ordinem, ampliatumque esse per Æthiopiam, ac vidisse insuper se eius disciplinæ Viros Æthiopas. Adstipulatur [d] Zaccarias Ferterius, Vir doctus, qui scripto ad Leonem Pontificem Decimum libello, perennare adhuc inibi gentium primæuum Apostolorum morem eorum testimonio, qui inde in Europam traijciunt, litteris suis consignauit. Fuit & alter Marci discipulus, Beatus nimirum Hermagoras, qui easdem viuendi rationes, instituta Aquileiæ percelebri Ecclesia, fundauit. Cuius postea Ecclesiæ Regulares Clericos Hieronymus in Chronico à vitæ cultu, atque obseruantiæ laude summè commendauit: perdurauitque præclarum institutum, quoad Vrbem nobilissimam Rex Gothorum Totila funditùs excidit.

Anianus Marci discipulus eandem regulaè disciplinam in Aegypto fundat.

c Dilucidarii Christianarū Relig. lib. 2.

d De habitu Canon. Reg.

Et Hermagoras Aquileię.

Post Alexandrinos Therapeutas, aliosque è Marci disciplina Clericos Regulares, recensendus est Polycarpus, Ioannis Apostoli auditor, &, vt ait Hieronymus, totius Asiæ Princeps, qui Smyrnensem fundauit, rexitque Ecclesiam; eamque ijs legibus illigauit, vt Religiosissimorum Ascetarum Cænobium instituisse videretur. Vnum siquidem illis domicilium, vna penus, vnum commentandi, agendique tempus, mensura eadem. Memorat id Ignatius Epistola octaua, in qua institutum à Policarpo Smyrnensem Clerum sic alloquitur. [Collaborate vobis mutuò, vna certate, concurrite, compatimini, vna ad quietem vos componite, vna exurgite, vt Dei dispensatores, Assessores, & ministri.] Vides hic suis coloribus, vultuque expressam graphicè Clericorum Regularium disciplinam, communemque vitam.

Polycarpus Smyrnensem Clerum ad Apostolicam amussim fingit.

Qui scribit hæc Ignatius non dispari quidem cultu suam, hoc est, Antiochenam Ecclesiam procurauit. Enimuerò, quam nobilissima in Syriæ Vrbe, totiusque Orientis Metropoli Ecclesiam statuerat Petrus, eiusdem secundus ab illo, vt ait Chrysostomus, Præfecturam sortitus Ignatius, ijsdem omnino regulis administrauit: vt planè Presbyterium, Clerusque Antiochenus votæ Religionis, atque omnigenæ obseruantię laude insigne Clericorum Regularium Asceterium fuerit. Quod ipsemet testatur [e] Ignatius. [Saluto, inquit, sanctum Presbyterorum Collegium, saluto sacros Diaconos.] & alibi alia luculenter, quę prętermittimus.

Ignatius Antiochenam.

e Epist. 9.

Proximè, eodemque item seculo annectendus B. Crescens Gallorum Apostolus, qui à Galatia in Galliam à Paulo amandatus, Clerum Gallicanum, & Viennensem pręcipuè Ecclesiam, cui præfuit, ea institutione temperauit, vt viuam, spirantemque primæuæ Ecclesiæ imaginem repræsentaret, durauitque id institutum ad efformantis Magistri laudem diutiùs. Atque hæc de primo Christi seculo, Ecclesiæque Infantia, nunc adultam, atque æuo grandiorem, eodem fuisse Apostolico viuendi genere excultam videamus.

Ad quam etiam formā Gallicanam, Ecclesiam io, stituit B. Crescens.

Objicit se se primo Vrbanus Primus Pontifex, & Martyr, qui bis centum post annos ab Apostolis floruit: quo tempore pulcherrimam illam Ecclesiæ dignitatem, communisque vitæ obseruantiam, quam ad sua vsque tempora manasse, atque obtinuisse, testatus est, vt monuimus, quòd ab ea suæ originis sanctitate paulùm deflexisset, restitue-

Post primam Ecclesiæ ætatem Clericos Regulares instaurat Vrbanus I.

restituere egregiè studuit. Cuius ea sunt verba ad Clericos Regulares in ea, quam supra laudauimus, Epistola. [Quicumque vestrum, inquit, communem vitam susceptam habere, & vouit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem irritam faciat; sed hoc, quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnatiotionem, sed præmium sibi acquirat: quoniam satius est non vouere, quàm votum, prout melius potest, non perficere.] Subditque plura de Clericorum votis, vt Romæ, ac vbique gentium staret quod Apostoli, atque Apostolici viri inuexerant.

Ex Carthagine Cyprianus.

Dum hæc Romæ Vrbanus, Cartagine æmula quondam Vrbe in eiusdem eximij operis laude desudat Cyprianus, martyrum nobilissimus, & Cartaginiensis Episcopus, eruditione, styloque illustris. Prouecta admodum ætate, ac senex fide orthodoxa est initiatus, vt quæ consenuerat Ecclesiastica disciplina suo ipse flori, ac iuuentæ restitueret. Planè, exacti temporis dispendia incredibili quadam celeritate virtutis cumulatissimè compensauit. Enimuerò Fidei elementa, Christianæque Theologiæ splendorem, ea ingenij laude arripuit, vt simul cathecumenus, ac præceptor fuerit, mirumque profectò videri potuit, eodem prorsus tempore eundem ipsum institui Christianis sacris, & instituere optimis disciplinis, ac moribus Christianos. Igitur. Carthaginiensis Ecclesiæ gubernaculo admotus anno Christi 250. sub ipsum susceptæ religionis initium collapsam Cleri institutionem, floremque illum Apostolicæ disciplinæ euanuisse, ac subsedisse in fæcem obseruantiæ vigorem vehementer indoluit, vt memorat ipsemet in libro de Lapsis: vbi calamitates, cladesque omnes, quæ Deciano a turbine, gladioque ea tempestate desæuirent, discinctæ Clericorum, vulgique disciplinæ meritò imputat. Quocirca eò statim curas appulit, vt Ecclesiam priscis legibus religaret, inductaque communi vita, votisque redintegratis, bonæ frugi, regulatique obseruantiæ Clericos restitueret: quod & feliciter est consequutus. Cæterùm, vt in frequentiori Clero accidere facilè fuit, non omnes Cypriani tempore Carthaginienses Clerici in communem eam disciplinam abiere, sed cum plerosque sanctioris illius contubernij contæderet, priuato ij victu, cultuque degebant. Quam Clericorum diuisionem consequenti æuo perdurasse, testis est in Africa Augustinus, in Gallijs Prosper, in Italia Hieronymus.

Etsi non omnes ea in Vrbe Clerici Regulares

Eodem hoc ipso Cypriani seculo retinuisse Apostolicas regularis vitæ rationes nobilissimos illos Episcopos reperimus: in Oriente quidem Firmilianum, nobilem Cappadocem, Origenis auditorem, mox Cæsariensem Antistitem: in Occidente verò Fructuosum, Episcopum Tarraconensem, & Ianuarium Beneuentanum, vt ex eorum actis constat: qui duo postremi, vt vna cum suis Clericis communem duxero vitam, ita cum ipsis communem mortem, insigni martyrio coronatos, contigit oppetere.

Firmilianus Episcopus Cæsariensis. Fructuosus Terraconen. Clerici Reg.

Hos excipit, quarto nempè Christiani Orbis seculo Syluester Pontifex, quem eodem instituto temperasse rem Christianam, Romanamque Ecclesiam scimus. Compertum namque ex Damaso habemus, coniunctos eius opera cum copiosis Clericis egentes, vt confusis veluti in commune bonum substantijs, eadem esset omnibus paupertas, idem commodum; ac proinde vna mente omnes vni Deo, vna in Domo vacarent Clerici Regulares. Præthereà, postquam extructa à Constantino Magno in Lateranensi Augustali insignis Saluatoris Basilica fuit, Syluester Pontifex, qui illam dedicauit, nil habuit antiquius, quàm Regulares inibi Clericos diuino cultui mancipare, vt maximi operis, Templique magnificentiæ priscus etiam Apostolicæ disciplinæ splendor accederet. Extat eius rei testimonium Eugenij Pontificis Quarti, qui cum eidem postea Ecclesiæ Canonicos Clericos restitueret, hanc maximè causam affert, vt scilicet suum Ordinem, atque hæreditariam, vetustamque Regularis obseruantiæ dignitatem, quæ olim illi contigerat, ea sibi Ecclesia vindicaret. Porrò celebrarum Syluestro Pontifice, præsentique Constantino Cæsare Nicænum Concilium ad annum vigesimum supra trecentesimum scimus; ac in eo plura de Clericis Regularibus, eorumque cultu, ac statu, quàm opportunissimè decreta. Quo sanè constat, vna simul, eodemque contubernio, rituque motum vixisse ea tempestate Clericos.

Syluester Pō tifex, quarto Christi seculo.

Basilicæ Lateranen. clericos Regul. addicit.

Nicęnū Concil. plura de Clericis Regul. statuit.

Iam verò, quod Constantinum Magnum meminimus, non hic dissimulandum, fecisse

fecisse illum in Palæstina, quod factum Romæ in Lateranensi Basilica à Syluestro Pontifice viderat. Enimverò, cum Hierosolymis ad Christi Domini sepulchrum, euerso profano Veneris delubro, Patriarchium, splendidissimum id quidem, ac tanti Principis magnificentiæ, curisque longè par, instituisset, dedicassetque Clericorum Regularium, qui diuina inibi exercerent, ac procurarent, Collegium adiunxit; rea floruitque inibi Apostolicum institutum, vbi longè ante cœperat, diùque cum laude perdurauerat. Annis verò labentibus instituta in Palæstinam celeberrima ea Christianorum Principum expeditione, Godefredus Bulionius, Lotharingiæ Dux, pijssimus perindè, ac fortissimus, vt pristinam eius Basilicæ dignitatem instauraret, gnarus qua illam Regularis Cleri disciplina Constantinus exornauerat, eiusdem instituti, regulæ præsertim Diui Augustini Clericos suæ veluti stationi restituit. Id quod a Iacobus Cardinalis Vitriacus, qui Romanæ Sedis Legatus Vrbem, Ecclesiamque Hierosolymitanam lustrauit, texuitque rerum Orientalium Commentarios, posteritati commendauit.

Cõstantinus Patriarchale Hierosolymis Ecclesiam Clericis Reg. attribuit.

Idemq. eandem Ecclesiam posteà Godefredus Bulionius.
a Hist. Orien. cap. 58.

Porrò, excitata à Constantino sub id tempus altera Neapoli Ecclesia, ac Regularibus Clericis attributa, abundè demonstrat, viguisse eo seculo præclaram Apostolorum disciplinam, communemque vitam in Clericis. Narrat siquidem b Ioannes Villanus, & ab eo c Summontius, Constantinum Magnum cum Neapolim traijceret, immani quadam tempestate in Siciliæ freto iactatum, vouisse Diuo Ioanni Baptistæ Templum, si eo periculo eriperetur: eadem voti religione pollicitam Constantiam filiam, curaturam se, vt Diuæ item Luciæ Ecclesia suo sumptu dedicaretur. Compotes voti, mox vt Neapolim peruenere, promissi fidem magnificè liberarunt. Nam quod erat in ea Vrbe vetustum Adriani Templum, amplificatum, ac Constantiniano splendore, cultuque exornatum, D. Ioanni Baptistæ, & D. Luciæ solenni ritu inaugurarunt, vocatumque postea est Templum Sancti Ioannis Maioris. Extatque inter cætera Diuorum lipsana Diuæ Luciæ oculus, quem ipsa fortè Constantia, cum Basilicam dedicauit, dono dedit, quo sanè nihil splendidius. Qui verò sacris inibi functionibus, ac mysteriorum tractationi vacarent, vt iisdem Scriptoribus constat, Clericos non quidem Seculares, sed Canonicos, hoc est, Regulares Constantinus collocauit. Floruitque id loci diutiùs ea Apostolici moris institutio.

Constantinianum Neapoli Templũ Clerici Canonici celebrant.
b Ioan. Vill.
c Summont. lib. 1. p. 333.

Post Syluestrum Pontificem, & Constantinianos Clericos accensendus magnus ille Athanasius, Alexandriæ Episcopus, qui hac ipsa tempestate institutam olim à Diuo Marco Regularium morum obseruantiam, ac Therapeutarum cultum instaurauit: vt dixerit d Cæsar Card. Baronius, illum Monachorum institutum, hoc est, religiosam disciplinam in Alexandrinæ vrbis Clerum inuexisse.

Athanasius Alexandrinus Episcopus.

d ad An. 328.

Athanasio æqualis, aut super Eusebius Vercellensis Episcopus, clarissimum Christiani Orbis lumen, qui è Sardinia Romam à Matre delatus, lustratusque sacro Baptismi Fonte ab Eusebio Pontifice, fidem ab eo accepit, & nomen, anno 362. Is in Ecclesia sua Vercellensi Monachismo cum Clericatu egregiè coniuncto, cœnobiticam in Clerum vitam importauit. Enimuerò, allegatus olim à Liberio Pontifice, vt florentissimas eas Ecclesias Arianorum turbis diuulsas, extincto iam earum partium propugnatore Constantio, restitueret, cùm sanctissima illic Monachorum cœnobia præclaris vigere institutis inspexisset, atque Alexandrinos præsertim Clericos laudatissima quadam vitæ institutione ad priscam Apostolorum, ac D. Marci normam viuere, præstantissimum id viuendi genus transtulit in Clericos Occidentales. Egregiam hanc Eusebij disciplinam insigni elogio celebrat e Ambrosius [Primus, inquit, in occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit: vt & in Ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.] Et alijs sæpè locis eædem recurrunt in eum laudes: quas item prosequitur disertè f S. Maximus Episcopus Taurinensis in hæc verba.] Nam, vt cætera taceam, illud quàm admirabile est, quod in Sancta Ecclesia, Vercellensi, eosdem Monachos instituit, quos Clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus, & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum.] Quæ sanè Ambrosij, ac Maximi laudes haud perindè accipiendæ, vt affirmare voluerint, illum omnium primum in Occidentalis Ecclesiæ

Eusebius Vercellensis Clericatum Monachatui nectit.

Ambrosij de eo laudes.
e lib. 10. epist. 82.

Et Maximi.
f sermon. de S. Eusebio.

 Cleri-

Clericis Regulares vitæ rationes fundauisse; cùm longè antea, vt innuimus, inchoatum Regulare id institutum, propagatumque subindè fuerit, atque Vrbani Pontificis testimonio compertum habeamus, adstrictos voto Clericos omnes Monachorum ritu viuere ad sua vsque tempora solitos fuisse. Verùm, vt adnotat [a] Gabriel Pennottus, illum aut lapsam inter Clericos veteres disciplinam restituisse, aut haustum ex Orientalibus Monachis austeriorem quendam vitæ cultum suæ Ecclesiæ immiscuisse.

[a] Chron. Canon. Reg. l.1, capite 10 n.5.

Eodem seculo Basilius Magnus.

Neque ab hoc quarto Christi seculo recedendum, in quo Basilius occurrit, magnus nomine, virtute, atque eruditione maximus. Is, etsi Monasticæ, ac Cœnobiticæ vitæ Institutor minimè fuerit, vt quidam asseruere: exploratum namque est, eam viuendi rationem à magno Antonio fluxisse, qui quòd eius vitæ, quam ipse, Cælo, ac Deo teste transigebat, longiùs manasset fama, plurimique ad eam instituendam capessendam magnanimo rerum mortalium contemptu, confertimque conuolarent, eos optimis legibus, communique vita initiatos in cætus distribuit. Eductisque mox varijs hinc colonijs, breui pulcherrima ea Monachorum indoles, ac propago vniuersum penè Orbem oppleuit, nempè Syriam, Asiam, Armeniam, Indiam, Persidem, Æthiopiam, ac Boreales Regiones, vsque ad Gothos, Bessos, Dacosque. Itaque, etsi Monasticæ vitæ non auctor quidem Basilius, egregius tamen imitator fuit, vt profitetur ipsemet ad Neocæsarienses. Factusque Episcopus cœnobia in Clerum induxit, efformauitque Monasticis Regulis Clericos, quos ipse, Κανονικούς, hoc est, Regulares, non vno in loco appellat; extantque eius ad illos parænesis, eo titulo, Ad Canonicos, hoc est, Regulares, Clericos, in Monasterijs degentes.

Clerum Monasticis institutis temperat.

Iam verò qui Gallias sub id tẽpus Clericorum Regularium disciplina illustrauerint, videamus. Fuere hi Hilarius Pictauiensis Episcopus, & Martinus Turonensis, eius discipulus. Et Hilarius quidem ab exilio ingenti cum Galliarum gratulatione, plausuque reuersus, in id statim curas intendit, vt Orientis Ecclesiam, quam coram inspexerat, communi vita, morum sanctimonia Pictauiensis exprimeret; vt qui in hæreticos, ac Cæsares ipsos doctrina, styloque generosiùs decertauerat, eosdem ipsos, cùm sua, tùm suorum disciplina acriùs conficeret. Id quod [b] Hieronymus Romanus, & Emanuel [c] Rodericus adnotarunt.

Hilarius Pictauiensis Gallicanos Clericos Regulari disciplina instituit.

[b] De Rep. Christian. l. 6. cap. 4 & 16. [c] Quæst. Reg. tom. 1. quæst. 3 art. 1. [d] An. 358. n. 4 apud Spond.

De Martino verò testatur id ipsum [d] Baronius, qui vbi præclaram Eusebij Vercellensis institutionem memorasset, subdit. Quòd ipsum præstantissimum vitæ genus Sanctus Martinus Turonensis transuexit in Galliam, & S. Augustinus in Africam, qui admirabili quadam connexione duo hæc, vt diximus, omnium perfectissima vitæ genera Clericorum, & Monachorum in vnum pariter coniungentes, tanquam lucidissimis astris, vt olim Martyres tempore persequutionis, in pace Christi Ecclesiam exornauerunt. Et verò è Cœnobio in Turonense Sacerdotium euasit Martinus, suosque Ascetarum institutis, rituque Clericos temperasse, extra omnem dubitationem cùm sit, ea item ratione exploratum habemus, quòd plerosque è Martini contubernio Clericos enumeret Sulpitius, vt Clarum, Eusebium, Refrigetium, Presbyteros; Aurelium Diaconum, & Sacerdotem illum, conuiuio Maximi Cæsaris celebrem, quem Martinus, porrecto calice, Imperatori prætulit. Ex quo liquet, vt eruditè, ac fusè Antonius Caracciolus adnotauit, conflatum ex Clericis Regularibus Turonensem illum Martini cœtum fuisse: cum inter simplices alioquì Monachos vnum dumtaxat morari Sacerdotem, qui sacra faceret, ac distribueret, mos fuerit. Quòd si quos nominauimus presbyteros, è Martini censu, Monachos appellatos passim reperies, tributam hanc illis nomenclationem existimes, non quòd Clerici non essent, sed quia Monachorum instar cœnobiticam vitam agerent, coniungerentque eodem in stipite præclara quadam insitione vtriusque Instituti leges; receptumque vsu est à Scriptoribus, Sanctisque Patribus ferè omnibus, vt Regulares Viri, Monachorum nomine appellentur; quod maximè est ijs, qui Veterum monumenta percurrunt, adnotandum.

Hoc idem Martinus Turonensis.

E Martini contubernio Clerici.

Qui Monachi appellantur, hoc est, Regulares.

Turonensi adnectimus Nouariensem Episcopum Gaudentium, Eusebij Vercellensis exilij comitem, Martini verò Notarium, qui cùm annis florentibus regulari obseruantia, sanctissimisque sub Eusebio moribus vitam instituisset, renunciatus postea Episco-

Episcopus eandem in Nouariensem Ecclesiam disciplinam transtulit. Haberi siquidem in eius actis, scribit [a] Ioannes Philippus, ipsum Monasteria, & cellas in Parœcijs exædificasse, ac fuisse innumerabilium Clericorum Patrem: testatamque rem voluit suis litteris [b] Carolus à Basilica Petri, Episcopus Nouariensis, qui eius Ecclesiæ monumenta accuratè conscripsit.

Nouariensis Ecclesia religiosè item à Gaudentio instituta.

a Coron. li. 3. c. 21.

b Hist. Nou. Ec. li. 2. in pr.

Mediolanum euocamur. Quam quidem Ecclesiam fuisse ab ipsa sui institutione Regulari disciplina temperatam constanter plerique affirmant, proindeque iisdem cum suo Clero legibus vixisse ibi Ambrosium Archiepiscopum, haud esse in dubium reuocandum: idque præsertim docent Cardinalis [c] Baronius, & [d] Ioannes Molanus. Certè Simplicianum præclari nominis eius Archidiaconum priscum illum, atque Apostolicum viuendi morem inibi tenuisse, testis est [e] Carolus Borromæus, Sanctissimus eius Vrbis Archiepiscopus, qui quidem Borromæus, cùm hoc perspectum omninò haberet, in id incumbere maximo quidem opere visus est, vt principis eius Ecclesiæ Clerum ad primæuum Religiosæ vitæ florem reuocaret, & vt recentes Clericorum mores cum prisca eorundemmet institutione pulcherrimè consentirent.

Et Mediolanensis ab Ambrosio.

c Ad an. 328.

d De Canon. li. 1. c. 7.

e Act. Eccl. Mediol. p. 7. ap. in transl. S. Simpliciani.

Immoramur adhuc in ea Quarti Seculi ætate, in qua Beatum Hieronymum reperimus inter Clericos Regulares. Enimuerò, & fuisse Romæ eius æuo Clericorum Collegium, ad Apostolorum normam exactam vitam ducentium, & fuisse ex ea classe Hieronymum, luculenta eiusdem testimonia euincunt. Ac de se quidem, suaque disciplina ad Pammachium scribens, ait, ita se à Paulino Antiochiæ Episcopo Presbyterum inauguratum, vt Monachum non exuerit. Alios verò Romanos Clericos idem institutum excoluisse, è Hieronymi epistola ad Nepotianum data, eiusdemque Epitaphio satis constat, vbi quæ Clerici Regularis sunt, disertè percurrit, docetque velut eximius eius vitæ præceptor laudabilem inter Ascetas germanitatem, consensumque animorum: tùm illecebrarum proscriptionem, abstinentiam, cultumque modestiæ seueriorem persæpè commendat: inculcatque præcipuè paupertatis decus, Obedientiæ alacritatem, castitatis florem, ac concepta de ipsis vota. Quę cum Clericis proponat, ceu Monachis, planè ostenditur, Clerico-Monachos, siue Clericos Regulares illos fuisse.

Hieronymus Clericus Regularis.

Præcipuus nunc Clericorum Parens Augustinus, cui se potissimum consequutæ postmodum Clericorum familiæ conformare studuerunt, & quem nostri cum primis Ordinis Conditores imitandum sibi proposuisse visi sunt, stylo attigendus. Is præceptore Ambrosio, siue, vti monuimus, Simpliciano, cum in Italia laudatissimam communis vitæ ideam animo concepisset, præclarè illam in Africa delineauit. Nam qui antequàm ad Presbyterium, Infulasque Hipponenses euectus, ab hominum cœtu, ac moribus remotissimus, Monachum egit, Presbyter deindè factus, Clericos, ingenerato vitæ sanctioris desiderio instituit cænobitas. Hinc Regula illa ad Clericos, quæ speculum Clericorum, aut sermo de communi vita Clericorum nuncupatur: & quæ adeò laudabilis visa est, vt non in Hipponensi tantummodò Ciuitate, aut Africa, sed latiùs diffusa, excitatis plerisque per vniuersum terrarum Orbem Collegijs, vbique floruerit. Fuitque profectò causa, vt Clericorum mores, qui ab ea suæ Originis probitate, cultuque virtutum deflectere vsque adeò cœperant, vt nullus iam penè esset inter illos, quem bonorum, sensuumque illecebræ non labefactassent, reformarentur.

Augustinus præcipuus Cler. Regul. Parens.

Eius ad Clericos Reg. Regula.

Excitata isthæc ab Augustino Clericorum reformatio exeunte quarto Christi Seculo, hoc est, anno nonagesimo primo supra trecentesimum. Quo fermè tempore & Antistites alibi alios eodem Religioso viuendi cultu cùm suis Clericis egisse, persuasum habemus. Cuiusmodi fuere Ioannes Chrysostomus in Ecclesia Constantinopolitana, Pacianus in Barcinonensi, Hilarius in Pistoriensi. Ex Augustini verò Schola, ac præstantissimo contubernio, ipso adhuc superstite, cum fundati ab eo Clericorum Regularium Ordinis longè, lateque manasset fama, postulatos ab Ecclesijs Episcopos, ac Clericos, eòque amandatos quàm plurimos fuisse, Viros in omni laudum genere florentissimos, auctor est [f] Posidius, qui vidit; atque hos ait, ad transmarinas regiones, Gallias nempe, Hispanias, Insulasque adiacentes laudabile institutum transuexisse.

Chrysostomus, Pacianus, Hilarius Pistorien. Clerici Regul.

Viuente Augustino translatum aliò eius institutum.

f Vit. S. Aug. c. 11.

Ab excessu autem magni Patris, ineunte videlicet quinto communis salutis Seculo, contigit quidem auream eam sobolem eò pulchriùs adolescere, quò immani quadam clade diuulsa, atque euersa penitùs videri poterat. Enimuerò, Vuandalis Africam deuastantibus, cùm is maximè turbo in lectissima quæque Christi membra deſæuiret, peteretque Christianæ Religionis florem, impingere potissimùm in Augustini familiam contigit; quæ sanè cùm diù se se in virtutum studio exercuisset, tùm maximè visa est illustres dedisse olympionicas, occumbentibus plerisque ex eo cætu pulcherrimè, quà ferro, quà igne. Multos præterea exilio barbarorum impietas damnauit; quos alios aliò ad omnes Romani Orbis Prouincias, propagandæ Augustinianæ familiæ diuina prouidentia dissipauit. Ex ijs ferè ducenti Episcopi, & Clerici numerantur, qui nauibus sine velo, ac remigio ex Africa soluentes, Neapolim, adgubernante rem Numine, appulere. Inter quos præcipui nominis, famæque fuere Gelasius, postea Romanus Pontifex, QuodvultDeus Episcopus Carthaginiensis, & Gaudiosius Bitinensis. Et Gelasius quidem euestigiò Romam contendit, illumque Leo Primus, Pontifex, vt spectati moris, ac sanctimoniæ, atque ex Augustini clientela Virum, in Constantiniana Basilica collocauit, vt institutos inibi à Diuo Syluestro Regulares Clericos, ad eam normam, à qua nonnihil desciuerant, conformaret. Quod ille egregiè perfecit, nauauitque, instaurata in Lateranensi Collegio Apostolica disciplina, siue inuecta Hipponensi Clericorum Regula in Romanum Clerum. Gaudiosus verò, vt [a] Victor Vticensis, & Cardinalis [b] Baronius, atque Ecclesiæ Neapolitanæ tabulæ testantur, Neapoli hæsit; excitatoque Suburbano quodam Cænobio, complures Africanos Episcopos, & Clericos Patria extorres collegit, quibuscum ad Augustini Regulam Sanctissimè vixit. Collegium hoc porrò à D. Gaudioso extructum id loci fuit, vbi nunc dedicata Deiparæ à Sanitate insigni Basilica è Prædicatorum familia Patres cum laude degunt; cessitque is illis situs beneuolentia, nutuque Pauli Cardinalis Aretij, Archiepiscopi Neapolitani, ex nostris, vti in loco memorabimus. Neapoli item substitit QuodvultDeus Carthaginiensis Antistes, sedemque vna cum plerisque Africanis item Clericis fixit in D. Ioannis Maioris Templo, quod non ita pridem excitatum à Constantino Magno diximus, ibique Clericos, qui in eo iam cætu Religiosam, communemque vitam ducebant, ad exactam Apostolorum normam, ex Augustini præceptionibus expoliuit. Id quod [c] historiarum monumentis, atque ex ipsis Sancti QuodvultDei actis constat.

Sed eò elatô latiùs peruasit.

Eius plerique Affeclæ ab Vuandalica tempestate acti, Neapolim appellunt.

Gelasius ad Augustini regulam Lateranenses Clericos fingit.

[a] Lib. 1. Hist. Afr.
[b] Ad an. 419.

S. Gaudiosus Neapolitanũ Cænobium instituit.

Neapoli item S. QuodvultDeus Augustini institutũ profitetur.

[c] Summonte, vbi supr.

Atque hos quidem ab eo exulum, ac Præsulum agmine ex Augustini familia excerpsisse abs re non erit. Alios nunc præclari nominis, doctrinæque Viros, eiusdem Augustini discipulos, eiusque Regulæ professores adscribamus. In his Principem locum tenet Prosper Aquitanicus, Episcopus Regiensis, qui vt Sanctissimi Parentis eruditionis, eiusque doctrinę acerrimus vindex, ac propugnator, ita eius institutionis, Regularisque Clericorum obseruantię egregius imitator fuit. Eorum porrò Clericorum, qui suo æuo florebant, mores, vitamque vnanimem libro 2. quem scripsit de Vita contemplatiua, delineauit, commendauitque eorum obedientiam, & castimoniam, nec simplicem modò paupertatem, sed illam, quę Apostolorum more de sponte oblatis Afretas aleret; quę pręcipua fuit Augustini Regula, & in nostrum posteà Ordinem manauit; vt dicemus.

Et Prosper Aquitanicus in Gallia.

Eiusdem Augustini disciplinæ præclarus cultor, atque assertor fuit Fulgentius, è Senatorio Ordine nobilissimus, Episcopus Ruspensis, qui sub finem anni quingentesimi decumana ea Geiserici clade vniuersam Africam vastante, Clericorum obseruantiam, decusque seruauit. At enim, cum Monachum illum appellatum reperies, ac monastica vita floruisse, id non ita accipiendum, vt simplex Monachus fuerit. Sed cum Monachi non habitu distinguerentur à Clericis, sed officio, & munere, adnumerandus profectò est Fulgentius inter Clerico-Monachos, siue inter Clericos Regulares; quippe qui cultu quidem, habituque Monachus, Ordine verò, ac functionibus Clericus fuerit. Quocirca in [d] eius vita, summa fide conscripta vtriusque professionis Magister appellatur. Additque idem Auctor, Fulgentium, Monachis, ac Clericis adunatis, illustre Monasterium excitasse, vbi, vt eius verbis vtar, communis mensa erat, commune cellarium, communis oratio, simul & lectio. Pergitque Cæ- nobita-

Et Fulgentius.

Qui non simplex Monachus, sed Clerico-Monachus.

[d] Apud Sur. prid. ianu.

nobitarum mores enarrare, in quibus expressa cernimus veterum Clericorum Regularium lineamenta, easque leges, quas ab illo fonte deriuatas & nos seruamus: nempè obedientiam sub Præposito, & Abbate, studiosorum Scholas, Clericorum ordinationem, habitus mutationem per aliquot dies ab ingressu, cæmeterium commune extra Ecclesiam, & huiusmodi alia.

Commemorandus ante hos fuerat Alipius, Episcopus Tagastensis, vnanimis Augustini Socius, qui vt vna cum ipso initiatus Christiana fide, ac baptismo fuerat, ita Regularem postea vitam cum eodem in Africa iniit, quam meditati simul in Italia fuerant. Is postea non alia certè institutione Tagastenses Clericos temperauit, quàm celebri in ea virtutum Schola seruata Hippone ab eo fuerat. *Alipius Augustinus morum cultor.*

Iungendus his Patricius, Hibernensium Episcopus, ac Apostolus, qui sub hæc tempora Diui Augustini Regulam ad vltimas eas Orbis partes traduxit. Fuerat is quidem ab ipso adolescentiæ flore eius instituti cultor: vt enim in eius vita [a] Iocellinus tradit, illum olim Martinus Turonensis, Auunculus, inter suæ disciplinæ alumnos adoptauerat. Quam quidem disciplinam non aliam fuisse ab ea, quam in Africam Augustinus transtulit, supra innuimus. His igitur instructus legibus, in Scotiam traiecit Patricius, extructisque inibi Ecclesijs supra trecentas, Apostolicum viuendi genus in eas regiones inuexit; quod cùm vetere illarum gentium fama, consensuque constet, tùm, vt [b] Vincentius Belluacensis, & D. [c] Antoninus tradunt, id etiam euincit, quòd cùm ex Patricij clientela Viri sanctissimi in Angliam, Belgium, Galliam, fidei caussa disseminandæ commigrassent, eò statim animum appulere, vt Monasteria Clericorum Regularium excitarent. Id in Belgica fecisse Rumoldum, Episcopum Dublinensem, regio quidem Maiorum sanguine inclytum, sed suo, quem pro Christo fudit, nobiliorem, auctor est [d] Ioannes Molanus. Hoc item Killianus, natione Hibernus, ac regia item stirpe fecit; extructo in Diœcesi Atrebatensi Cænobio. Hoc Bertuinus Episcopus Hibernensis, aliique. Qui planè docuere foris, quod in Patria, aut à Patricio ipso, aut eius discipulis hauserant: vt affirmare omninò par sit, adstrictas Regularis vitæ rationes, Satore Sanctissimo Patricio pulchrè in ijs terris prouenisse, ac floruisse.

a In vit. c. 23. *Idem Institutum in Scotiam à Patricio Hibern.* *b Spec. Hist. lib. 2.* *c 2. p. tit. 11. c. 18.* *Tùm ab eius discipulis in Belgium, Galliam, Angliã.* *d In nat. Sanct. Belgij die 5. Iulij.*

Sub idem fermè tempus Rhinocoruræ inter Ægyptum, & Arabiam, Ecclesiam optimis institutis floruisse, ait [e] Sozomenus, in qua Clerici communi mensa, ijsdem in Ædibus simul victitabant, Regularique Collegio præfuere egregij Episcopi, Dionysius, ac Solon. Habuit & hæc eadem ætas alios alibi Clericos Regulares; nam Synodus Constantinopolitana sub Menna celebrata, memorat in Apameæ Ecclesia Monasterium Regularium, & Iustus Orgelitanus hoc item tempore inter Religiosorum familias Clericos Regulares memorat.

e Lib. 6. c. 32. *Rhinocoruræ Cleric. Reg. Collegium. Et alibi.*

Gradum nunc facimus ad sextum Christi Seculum, in quo Gregorium offendimus, Maiorum gloria, suæque virtutis celebritate Magnum. Is dum Vrbanam Præfecturam exerceret, Monasticæ vitæ studio adeò flagrauit, vt Monasteria adhuc Laicus extruxerit: professusque id viuendi genus, antequam Romanæ Ecclesiæ Diaconus esset ordinatus, in Cænobio ad Cliuum Scauri Monachum egit: quò etiam, velut è diuturna velificatione, Britannica defunctus legatione, se se recepit. Pontifex factus, vt qui Monasticis erat legibus innutritus, ijsdem temperare Clericos instituit. Præcipuè, cum in ea tempora inciderit, cùm fatali Vuandalorum, Gothorumque alluuione mergi Italorum pacem, ac mores contigerit, & Clericos potissimùm, eorumque disciplinam ille bellorum turbo vsque adeò labefactauerit, vt seueriore iam censura indigere viderentur. Igitur in eam Romanæ Ecclesiæ reformationem magno quidem conatu, successuque incubuit, vt Ioannes Diaconus, qui Gregorij res gestas adnotauit, de Romana Clericorum disciplina scripserit in hæc verba. [Talis erat penes Vrbem Romam Ecclesia, qualem fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Euangelista penes Alexandriam Philo commemorat.] Quam disciplinam restituisse Romæ, non sat fuit optimo Pontifici, Siquidem, cum Augustinum Britanniarum Apostolum, & Episcopum Cantuariensem in Angliam allegasset, non alio quidem conformari morum cultu nascentis eius Ecclesiæ infantiam voluit, quàm qui primæuo illo Seculo floruit, & quo instituisse Christianæ rei primordia Apostolos nouerat. Ea propter

In sexto Christi Seculo. Gregorius Magnus. *Clericos Reg. Romæ instaurat.* *Augustinum Cantuariensem Episcopum, in Angliã allegat.*

data

data ad illum, Epistola, quam [b] Gratianus refert, hisce instructum monitis voluit. [Quia tua fraternitas Monasterij Regulis erudita, seorsum viuere non debet à Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ, auctore Deo, nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat. Sed erant illis omnia communia.] Et nauauit ille strenuè rem: vt non modò in omnium gentium mentibus rectam fidem ingenerauerit, verùm etiam Apostolicam viuendi normam in omnium Ecclesiarum Clerum induxerit: consecrauitque & fide multitudinem, & sanctitate Clericos. In eadem autem Britannia non prætereundus S. Cuthbertus Lindisfanensis Episcopus, quem memorat [c] Beda ijs institutis in Insulis Britanniæ Clericos moderatum, vt ipse Regularis potius obseruantiæ Rectorem, quàm Episcopum referret.

a Lib. 10. ep. 31.
b Cap. quia tua fraternitas 12. q. 1.

Qui Clericos ad Apostolicā amussim format.

In Britannia idē S. Cuthbertus.
c lib. 4. Histor. Angl. c. 27.

Iam, quo tempore amandatus in Angliam à Gregorio Augustinus fuit, renuntiatus ab eodem Pontifice est totius Hispaniæ Legatus D. Isidorus Hispalensis Archiepiscopus, vt suæ dignitati, splendorique Ecclesias illas restitueret. Quocirca, quæ mens erat Gregorij, vt ad regularem, primæuamque obseruantiam, vt modò significatum est, Clerici exigerentur, haud planè dubitandum, quin, vt Augustinus in Anglia, ita Isidorus in Hispania perfecerit: proindeque non Hispalensem modò, sed quotquot in Hispania sunt Ecclesiæ, affinxisse ad eam amussim Isidorum persuasum habemus. Argumento fuerit, quòd Carolus Magnus, expulsis à Compostellana Ciuitate Saracenis, in illam Ecclesiam Episcopum, ac presbyteros, qui secundum Isidori regulam viuerent, induxit: nempè, quod ita olim institutam à Magno illo Antistite nouerat. Narrant hoc [d] Turpinus, &, [e] Gabriel Pennottus, qui argumentum egregiè prosequitur, additque luculentum rei iudicium; quòd in Hispania citeriore, Regnisque Nauarræ, Aragoniæ, Valentiæ, Castellæ, nulla hodieque sit Pontificalis Sedes, aut insignis Clericorum cætus, in quo non extent adhuc claustra, cænationes, ac regularium munerum nomina: vestigia planè Clericorum Regularium, olim inibi degentium.

Isidorus Hispalensis Episcopus, ad primæuam Apostolorum disciplinam expolit suam Ecclesiam.
Et plures etiā per Hispaniā Clericorum Regul. cætus instituit.
d Litt. Carol. Mag. cap. 5.
e Gen. Can. Reg. l. 2. c. 31. n. 10.

Isidori discipulus Ildefonsus, eruditione, ac sanctimonia longè clarissimus, religiosam consequentis seculi disciplinam nobilitauit. Fuerat is ex Isidori schola in Hispalensi Ecclesia Clericus, vt [f] Baronius tradit, mox Agaliensis Cœnobij Abbas, quod quidem Cœnobium fuisse olim Clericorum Canonicorum, siue Regularium, probat [g] Pennottus ex Francisco Pisa, Hispano: demum Toletanis Infulis post Eugenium, eiusdem Ciuitatis Archiepiscopum honestatus. Rexisse verò ijs omninò legibus Ecclesiam suam, quibus in Hispalensi sub magno Rectore vixerat, & quibus ipsemet Agaliense Monasterium rexerat, exploratum sanè videri potest. Quòd verò Monachum nuncupatum reperias Ildephonsum, non proindè conficitur, Clericum Regularem minimè fuisse. Enimuerò, haud insolens ea Clericis est vel apud grauissimos auctores nomenclatio; vsitato siquidem vocabulo Religiosi quique viri, solemnia vota nuncupantes, appellari passim Monachi consueuere. Id quod & supra monuimus, & si explicare latiùs animus esset, actum profectò agere videremur; cùm res sit luce meridiana clarior, ac multiplici, quà veterum, quà recentiorum testimonio fusè, atque eruditè probet [h] Pennottus.

Eandem excitat in Toletano Clero obseruantiā Ildefonsus, septimo Christi seculo.
f Ad an. 652.
g lib. 2. c. 32.

Nō is Monachus, sed Clericus Regul.

h Chro. Can. Reg. l. 1. c. 38.

Descendimus ad Octauum reparati Orbis seculum, in quo non prætermittendum Clericorum Collegium, quod hoc maximè tempore Ticini floruit in nobilissima Diui Petri Basilica, è Cælo aureo dicta, quam Luitprandus, Longobardorum Rex pijssimus instaurauerat, sumptuque regio exornauerat. Quam ille Ecclesiam, sacrorumque in ea cultum eo studio frequentauit, postquam sacros Diui Augustini Cineres, magnò coemptos è Sardinia eò transtulit, vt vna cum ijs Clericis nocturnæ, diurnæque psalmodiæ, insigni pietate, ceu flagrantissimus ipse Asceta interesset. Commemorat id Oldradus in epistola ad Carolum Magnum de Diui Augustini translatione, in ea verba. [Tanto gaudio ad Corpus tanti Viri receptum repletus est Luitprandus, quòd die, & nocte in hymnis, & canticis Dei cum Clericis, & sacerdotibus in Ecclesia pernoctaret; & tanquam vnus de Ministris in canticis Dei, & psalmodia se exerceret.] Quo planè loco constat, non alterius instituti Monachos, sed Clericos fuisse, qui in Ticinensi eo Diui Petri Asceterio regulari obseruantia victitabant.

Ticini Regulare Collegiū Christi seculo octauo.

Assiduus in eo Luitprandus Rex.

Ab

Ab octauo deinde seculo vsque ad decimum quàm plura enumerantur Concilia in Occidente celebrata, in quibus de Clericorum Regularium instituto reformando, quæ temporum sunt, morumque inclinationes, grauissimæ sanctiones fuerunt latæ, vt videre est in Concilijs, Moguntiaco, Turonensi, Rhemensi, Arelatensi, quæ Carolus Magnus ad Ecclesiasticorum, Clerique disciplinam sarciendam curauit celebranda. Idem strenuè agitarunt non post multò Aquisgranensis Concilij Patres sub Ludouico Pio. Idem in Concilijs, Ticinensi, ac Poncigoriensi sub Ioanne Bononiæ Episcopo. Idem in Romano, Nicolao primo, Pontifice. Eadem Augustanæ synodus meta fuit. Nempè, cùm inspicerent sapientissimi Patres, quæ in Ecclesiam commoda, ex illo Regulari Clericorum cultu deriuarent; tùm quæ ab eius casu morum clades immineret, vehementer adnitebatur, ne cœpta, ac perenni seculorum serie traiecta ad posteros Regularis disciplina lacunam temporum, ac sanctitatis admitteret.

Plura de reformandis Clericis Cōcilia ab octauo vsque ad decimum seculum.

Ad extremum seculi vndecimi Iuo sancti Quintini, Beluacensis Præpositus, & ab Vrbano Tertio Pontifice Ecclesiæ Carnotensi impositus, Clericorum Regularium ordinem, sancti Ioannis Baptistæ nuncupatione, instituit: de quo videndus [a] Thomas Valdensis, & [b] Valentia.

Iuo Carnotensis exeunte vndecimo seculo.

a to. 3. tit. 10. c. 14.

b Controuers. de Indulg.

Seculo tertio decimo Beatus Malachias, vir sanctissimus floruit, quem ad Dunensem Ecclesiam euectum, Clericorum delectum habuisse, regularemque disciplinam egregiè coluisse testatur Bernardus in eius vita, de quo hæc habet. Malachias factus Dunensis Episcopus confestim more suo curauit adsciscere ad solatium sibi de filijs suis conuentum Regularium Clericorum, & ecce rursus induitur arma potentia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ cænobialis, ocium contemplandi, orandi assiduitatem.

In sequenti mox æuo Malachias Dunensis Episcopus.

Consequenti mox æuo, hoc est anno 1340. Gerardus inter Doctores Parisienses, genere, & eruditione nobilissimus, magni nominis, opumque amplissimarum contemptu celebris, Dauentriæ Clericorum Regularium sodalitatem instituit. Qua disciplina excitata, cum non post multò occidisset Florentius Traiectensis, Vir perindè splendore generis, ac magna indole illustris, cœptam à Gerardo viuendi normam prosequutus, Ad Apostolorum exemplar Clericorum cætum efformauit. De quo, Iodocus Ascentius hæc ait. [Statuitque, vt quàm proximè possent ad Apostolorum, & primæ Christi Ecclesiæ vitam accederent: ita vt in tota Congregatione esset cor vnum, & anima vna; & nullus quicquam haberet proprium, nemo sacerdotia, aut dignitates ambiret: omnes autem castè, & in paupertate viuerent in eo habitu, quem Gerardus instituerat: nullus stipem emendicatò cogeret; scriptioni, & scholis incumberent; Primario Patri ex animo, promptèque obedirent.] Vides vt composita ad arctiorem obseruantiam omnia, habitus, cultum, studia, nil proprium possidere, nec stipem emendicatò quærere Clericorum Regularium à nostris Conditoribus institutam disciplinam graphicè exprimant? Nec ad Canonicos Regulares ea soboles referenda. Nam Thomas à Kempis, qui eam regulam aliquot annos professus est, tradit, fuisse Clericos Regulares; & ex ipsa postea in Canonicos Regulares se contulit. Cæterùm, qua cætus ille vitæ sanctimonia, atque eruditione præfulserit, è sanctissimis, æquè ac doctissimis Viris, quos Thomas ipse Chempensis ex ea disciplina memorat, censetque, conijci abundè potest.

Seculo decimoquarto Gerardus Regulares Clericos instituit.

Cui succedit Florentius Traiectensis.

c in vit. Tho. Chemp. c. 9.

Cuius institutum non Canonicorū, sed Clericorū Regularium fuit.

Atque hæc quidem initia fuere, ac progressiones Regularium Clericorum ab eo primo sanctiore seculo. Hi vetustissimi Ordinis Auctores, qui acceptam ab Apostolis vitæ institutionem, aut amplificarunt, aut suo persæpè senio laborantem, per interualla temporum instaurarunt, ac per omnem fermè terrarum orbem, omni æuo, longè, latèque disseminarunt. Hi nostris Parentibus animos, ac stimulos pulcherrimo quidem exemplo addiderunt ad eiusmodi institutum superiore seculo capessendum, ac restituendum. Certè, quod Caietanus, & Carafa, socijque alij ad Ecclesiasticorum reformationem animo delineauerant, id bono cum Deo sunt consequuti: nempè vt eas ipsas Apostolicas viuendi regulas eo seculo collapsas instaurarent, & Monachatu cum Clericatu, vt habitu, ita & moribus, ac disciplina longè inter se se distantibus, coniuncto, Ordinem instituerent, qui eorundem munia, ac disparem

His successere nostri Cōditores.

Qui Apostolicam vitam redintegrarunt.

viuen-

viuendi rationem consociaret. Siquidem, etsi florerent tunc vbique gentium Monachi, qui Clericorum munera cum laude obirent: tamen Clerici, qui Monachos agerent, & pulcherrima vtrorumque mixtura studiorum, & essent, & appellarentur Clerici Regulares, nulli profectò ea tempestate erant. Vtque rem planiùs dicamus. Erant tunc quidem Monacho-Clerici, qui Clericorum munera, functionesque exercebant; non tamen ex instituto, sed ex priuilegio; & adscititia illa munera, ac quædam velut appendix Ordinis erant. Nostri verò Patres, Clerico-Monachi, hoc est, ex instituto, Clerici fuere, & quæ Clericorum sunt, nempè animorum procurationem, sacrorum cultum, verbi Dei administrationem, ceu suam spartham exornantes, ex officio, vt dicemus, exercuerunt. Quod sanè Clerico-Monachorum institutum, collapsum cum iam esset in orbe, erexere Conditores nostri, ac renouarunt, exemploque suo illustribus plerisque Clericalium familiarum Ordinibus præiuere.

Clerico-Monachi, hoc est Clerici Regulares.

Porrò, hoc per omnes exacti æui ætates excursu, quæ nota ab ipso statim nascentis nostræ Congregationis initio impacta illi fuit, diluimus; ac minimè nouum fuisse hoc in Christiana Republica viuendi genus, tot Clericorum Regularium serie demonstrauimus. Quamuis nec primum, nec solum hoc fuit nouitatis conuicium, quo malè accepta a mortalibus nostra confestim Sodalitas fuit. Enimuerò, vt theatrum ineunti continuò suus adest antagonista; ita vix nostri homines austeriorem eam viuendi rationem, cultumque pauperiorem, ac vultum, non ad modestiam tantùm, sed ad quandam etiam seneritatem compositum mortalium oculis obiecere; cùm indignis planè modis proscindere & Ordinem, & homines plerique, non è vulgo tantùm, sed qui aliqua ingenij, atque eruditionis fama celebriores inter Romanos aulicos erant, occœpere: iactabantque hæc potissimùm in vulgus. Cultus nouitate occupare imperitorum animos, ac plausus: ambitiosè pauperes esse: posse quempiam priuato virtutum exercitio bonum esse, quid publicus ille vitæ seuerioris fastus, atque intempestiuæ demissionis pompa? Præposteram denique disciplinam nec Monachos referre, nec Clericos, aut vtrumque inconditè, atque inconcinnè. Hæc illi, qui sanè, vt corruptissimis erant moribus, ita ad illam exemplorum lucem nudari sua ipsorum vitia, ac turpissimè nitere dolebant, obiectamque morum sanctissimorum imaginem, velut acrem, assiduamque sui obiurgationem deprecabantur. Eapropter infuscare orientis Instituti laudes, strenuosque homines carpere, ac traducere, ceu crescenti lunæ adlatrantes, omni ope nitebantur. Nec turbari proindè visi excelsissimi spiritus Viri, quos iam virtus erudierat: immitti eos à D o turbines nouerant, vt firmiores figeret fibras suas nuper enata sodalitas, furgeretque ab ea vi, atque difflantium obtrectationum calumnijs lætior, ac firmior. Porrò, qui nouo ordini detractum impudentissimè iuere, non impunè id ausos, non post multò graui cum sui ipsorum damno sensere; præcipuè Iacobus Bonfadius, & Nicolaus Francus, nobilis improbritatis biga, qui satyras, stylumque in nos liberiùs, atque acriùs euibrarunt. Et primus quidem vir impurissimus Genuæ Deum vindicem, suæque infamiæ scenam nactus; postquàm diù, summisque precibus meritum ignem est deprecatus, imminutus capite, scelerum pœnas luit. Alter, quòd in Pauli Quarti Pont. Max. vitam, eiusque Clericos Regulares imbutum felle commentarium, ceu publicum conuicium adornasset, Geneuæ typis mox excudendum, adiuncta auctarij loco de Pij Quinti sanctissimi Pontificis rebus gestis narratione, eiusdem Pij iussu suspendio addictus, fracto gutture, non vnum scelus expiauit.

Hinc originis vetustatem Sodalitati asserimus.

Præter nouitatem alia item obiecta Ordini.

Sed non impunè obloquuti praui homines;

Bonfadius obtruncatus.

Francus necatus suspendio.

Iam verò, vt noui Instituti lux inuidorum oculos, animumque perstrinxit, ita illibata ea vitæ innocentia, perfecta rerum humanarum abdicatio, ac pulcherrimus ille Clericalis, Monasticæque vitæ concentus bonorum laudes promeruit. Nec vllus planè bonæ mentis, solidæque probitatis vir, aut primo iam flore adolescentem, aut prouectam iam Congregationem, eiusque viuendi leges propriùs inspexit, quin prisci moris lineamenta, ac primæuæ sanctitatis vestigia in ea statim agnouerit. Nec mihi consilium est, egregias eas laudes quibus nostrum Institutum honestari tùm quidem, ac deinceps contigit, adnumerare. Sanè, cum non emendicatæ, nec precariæ, illæ fuerint, sed incorrupto grauissimorum Scriptorum iudicio, sinceriore animo, stylo-

Contrà dilaudatum à bonis Institutum.

que

quæ scriptæ, vt quæ veræ omninò sunt, nullumque in fronte adfectatæ commendationis fucum gestent, absque virtutis, ac modestiæ fraude possent candidè percenseri. Verùm, multiplici ea serie, ceu prolixa quadam lacinia onerare historiam, remorari illam esset ad alia properantem. Scire sat fuerit, perhonorificè illud appellasse Clementem Septimum, Paulum Tertium, Iulium Tertium, aliosque deinceps Pontifices Maximos, quorum, vt curta non fuere encomia, ita & Pontificia magnanimitate dignum existimarunt, cumularuntque abundè, vt memorabimus, egregia sua magnificentia, atque insignibus priuilegijs. Laudarunt prætereà Cynus in Panegyrico Pauli Quarti, Ioannes Paulus Flauius in funebri eiusdem Pontificis laudatione,[a] Sebastianus Verronius,[b] Felix à Castrofranco,[c] Adrianus,[d] Iudæus Perusinus.[e] Ricordatus in suis historijs,[f] Didacus Payua,[g] Papirius Massonius,[h] Cæsar Baronius[i]; Abraham Bzouius,[l] Augustinus Spondanus,[m] Bouerius,[n] Siluester à Petrasancta, ac passim alij, quà scriptis, quà voce nostrum hoc Clericorum Institutum præclaro testimonio celebrantes, recenti hac disciplina animatum denuò Clericalem Ordinem, suoque è cinere redijsse, deprædicarunt.

Eorum elenchus.

a Chron. Eccl. an. 1524. b Chro. Dom. an. 1556. c lib. 15. hist. d In Comment. ad Isai. ad cap. 12. e Hist. Monast. die 2. f D. Eccl. Dogmat. lib. 1. g De Roman. Pontif. h Not. Martyrol. die 29. Iulij. i Ann. Eccles. 1524. l Ann. Eccl. eod. ann. m Annal. Cappuc. n Symbol. Heroic.

Pergimus modò reliquas nostri Instituti rationes enarrare: idque opportunè videtur examinandum, quænam in hoc Clericorum cætu excitando nostrorum Patrum intentio, ac finis fuerit; suorumne tantummodò morum cultui, momentisque incumbere, an vagari latiùs, ac præcipuum in proximorum salute studium, atque operam collocare? Superuacaneum fortasse sapientibus viris id expendere nunc temporis videbitur, cùm deriuatus iam abundè in communem rem Christianam, ac posteritatem è nostro Ordine fructus, quæstionem expediat. At enimuerò, quia quæ in nostrum plerique institutum obiecere, quòd scilicet minùs actuosum, priuatoque sui ipsorum profectui, non orbi, illud nostri homines dedicauerint, vulgi animos adflasse, eamque opinionem insedisse nonnullorum mentibus potuit, religio planè esset, rem nostro Ordini, ardentique nostrorum Patrum studio adeò dissentaneam, non strictim saltem confutare. Verlauit id olim argumentum noster Antonius Caracciolus, stylumque in obloquentes egregiè intorsit, cùm maximè vindicari nostratum famam oportuit, ac fortè aspiciet lucem opusculum. Nos verò, quando non vrget modò castigandi aliorum stylum necessitas, pressiùs, ac remissiùs rem exponemus. Ergò, quem paulò ante memorauimus, Didacus Payua Andradius Lusitanus, etsi egregijs planè laudibus in eo, quem de Ecclesiasticis dogmatibus librum scripsit, nostram familiam cumulauerit; tamen quòd illam à iuuandis mortalibus, accurandaque animorum salute arceat, eas statim laudes corrupit; nostrumque Ordinem ad Cleri potissimùm instaurationem, morumque emendationem, & Catholici nominis incrementum institutum, altè visus est vulnerare. Scriptori, cætero qui docto, disertoque danda vltrò venia est, ceu peccauerit calamus, non animus. Nam qui à rebus Italicis, nostrisque institutionibus homo exterus peregrinabatur, quæ ab alijs inaudiuerat, dictauit. In hos error refundendus, quinam illi fuerint, qui fortasse non adeò sincero in nos animo, quæ ipsi scripta voluere, Payuæ insinuarunt, effeceruntque, vt inter laudes speciosiùs serperet, ac nocentiùs mendacium. Fuere mox & alij, qui cuiusdam disceptationis, quæ diù nos exercuit, occasione, non vno in communem rem nostram telo insurrexere. Illud præcipuè disertè agitarunt; nempè Institutorum nostrorum consilium longè alium fuisse ab eo studio, quo nunc nostri homines in Christianæ Reipublicæ commodum feruntur: & illorum quidem mentem fuisse, seculi curis subductos, exclusoque omni rerum terrarum tumultu, intus sibi vacare, & Deo: posteros verò ijs vitæ contemplatiuæ rationibus attexuisse actiuam; ac proindè nostram Congregationem ex sui instituto non animorum procurationi, ac quæstibus, sed tacitæ cuidam vitæ sanctimoniæ, virtutique addictam: ceu à primæuo Maiorum proposito deflexerit soboles, sparsaque nunc in proximorum curam, moresque aliorum efformandos, Parentum exemplar non exprimat, fitque nunc eadem, atque alia omninò Sodalitas.

Patrum in excitādo Ordine intentio. Non sibi tantùm, sed & aliorum profectui vacare. Contra Didacum Payua.

Qui tamen excusandus rerum Italicarū inscientia.

Actuosam vitam à posteris inuectā, Fundatorum aliam mentē fuisse falsa aliquorum opinio.

At profectò non hoc appingi debuit perpetuum tranquillioris otij studium præclaris ijs Viris, qui ingentis animi altitudine in Orbis totius fructum egregiè animati, erectique, ijs legibus, exemplisque hanc Clericorum Rempublicam temperarunt, vt

Mixtum nostræ Congregationis vitæ genus.

mixto viuendi genere institutam eam voluerint; idque eo vtriusque vitæ fœdere, vt totus Ordo in aliorum vtilitate, totusque in contemplatione esse videretur. Et quidem non alio nos, quàm Clericorum Regularium cognomento fuisse nuncupatos, quò institutum Sodalitium optimi Conditores destinauerint abundè probat. Enimuerò, Clericorum partes sunt sic diuino cultui operari, suæque incumbere virtuti, vt diuinarum litterarum studio, Sacrorum administratione, Euangelij prædicatione, mortales iuuent. Hoc siquidem inter Clericos, ac Monachos discrimen; quòd hi tacitè commentari Sacra, illi etiam administrare studeant; tutiùs illi quidem inter munimenta, & castra; hi fructuosiùs in acie, ac in arena versantur. Affirmat hoc Hieronymus in Epistola ad Paul. [Monachi, inquit, est plangere, Clerici docere.] & Epistola ad Eliodorum, à qua Concilium Aquisgranense sub Stephano Pontifice Quinto, [Alia est, inquit, causa Monachorum, alia Clericorum: Clerici pascunt oues, ego pascor, &c.] Innuitque id ipsum profundè de more [a] Dionysius Areopagita, cum Clericales Ordines ad Ecclesiasticam Hierarchiam pertinere dixit, eosque Ordines Hierarchicos appellauit: idque non alio profectò nomine, quàm quòd curarum partem in publica re Christiana sibi vendicent Clerici, & suo quisque gradu ad sui Hierarchæ, qui Romanus Pontifex est, imperium, procurat Sacra. Sed hoc nullæ non Scriptorum paginæ, Patrumque monumenta affirmant. Hoc Concilium Moguntinum, & Aquisgranense, illud sub Carolo Magno, hoc sub Ludouico Pio, disertè docent. [b] Diuum Thomam non omiserim, qui ait actiones Clericorum versari circa Corpus Christi verum, quod est Eucharistia, conficiendo diuina mysteria, & Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia Catholica, docendo scilicet, confessiones excipiendo, alijsque id genus functionibus ad proximorum compendium, in quibus & Antistitum administros Clericos esse, & hæreditario quodam iure duobus, & septuaginta Christi discipulis successisse. Est igitur Clericorum munus, non beato quodam mentis otio feriari, sibique tantùm vacare, vt Monachi; sed ad Apostolorum, qui primi Regulares Clerici fuere, exemplar, & vacare sibi, & spargi latiùs ad animorum quæstum. Quæ cum ita sint, putabimus ne sapientissimos illos viros, nostræ Sodalitatis Auctores, ac Principes, qui Clericorum munus, & quæ ijs inest obligatio probè nouerant, vsurpare sibi voluisse præclarum nomen, non opera? Quinimò rationi, ac tantorum Virorum virtuti consentaneum est, existimare, ideò Clericorum Regularium nomen suæ indidisse familiæ, vt ipsa nomenclatione commonstrarent Orbi, quo tandem consilio ei se se instituto mancipassent: nempe, vt Clericos denuò Regulares in Ecclesiam inueherent, eorumque ipsi mores, atque officij partes subirent, essentque non modò contemplationis studio addicti, sed quæ præcipua Clericorum cura est, actuosæ virtutis administri, ab ipso Instituto in externa aliorum vtilitate accuratam operam ponerent: hoc est rudem vulgum fidei documentis erudirent; deploratas hominum mentes sanitati restituerent; terrerent, profligarentque declamationibus vitia; virtutem adhortamentis conciliarent; ministrarent sacramenta; consternatos, afflictosque erigerent; simultates componerent; obirent denique, curarentque ea munera, quæ ad Clericalem ordinem spectant. Nam, si quod nomine profitentur, negarent, aut eierarent factis; meritò tanquam vsurpati nominis rei, communi Orbis iudicio damnari potuissent; aptèque argui in eundem prorsus modum, ac ignauus ille miles, qui cum fortissimi Ducis nomen referret, nec præliarem eius indolem, ingentesque spiritus exprimeret, æqua mulctatus sententia est, vt aut præclarum nomen mutaret, aut facta. Eapropter qui Maiores nostros Clericos Regulares, & nominatos, & fuisse reuerà dicit, priscumque Clericorum Institutum Orbi restituisse, & tamen in eam Clericorum laudem, quæ est proximos instruendi, non incubuisse contenderit, videat quàm à se ipse, suisque dictis discedat, ac discrepet: cùm hoc sit, esse Clericum Regularem, non tam sibi, quàm alijs omni exercitatione virtutum, sacrorumque ministerio studere. In hanc se se dicti repugnantiam impegit Didacus Payua, qui nescio qua scribendi indiligentia, cum nostros homines eos fuisse, qui vetus Clericorum Regularium Institutum reformarint, conceptis verbis dixerit, nulla deindè de Clericorum penso, officijsque habita ratione, illos statim à puluere, ac Sole in vmbram ablegget vitæ secretioris; atque integram

eam

Margin notes:

Probat, à Clericorum nomine.

Inter Monachos, & Clericos discrimen.

a *Ecclesiast. Hierar. lib. 5.*

b *prima secunda quæst. 184. art. 4. ad quartũ. & quæst. 187. art. primo.*

Vt nomen, ita & Clericorum partes vsurparunt Nostri.

Turpe est nomini non respondere officijs.

Impropriè quam loquantur qui nos Clericos faciunt, sed non actuosos. Hęc in Payua atque alijs incõcinnitas.

illos statim à puluere, ac Sole in vmbram ablegет vitæ secretioris, atque integram eam laudem vitæ, cùm actiuæ, tum contemplatiuæ, quam sibi ob oculos Viri illi ab ipsis sodalitij cunabulis posuere, distrahit, discerpitque. Meminisse profectò debuit Pauua, Clerici esse docere, & pascere, & Hierarchicum esse Clericalem Ordinem, ac distingui à Monachis actione: ac propterea Maiores nostros, qui Clericorum Regularium Assertores fuere, eorundem mores, ac studia esse prosequutos; nec fuisse nudum sine re nomen, aut vacuam quandam imaginem, spectrumque Clericorum.

Verùm ab ipsa nunc instituti ratione rem prosequamur: satis nanque à Clericorum nomine in nostrorum Patrum scopum collineanimus. Et quidem, quando non certis prouentibus, censuque, sed fidelium stipe, ac munificentia victitare nostrates decreuerint; idque perenni, constantique disciplina ab ipsa statim Congregationis origine obseruatum, propagatumque; si contemplationi duntaxat, dulcique tranquillioris vitæ otio se mancipassent, fuisset id planè contra ius omne, ac fas. Etenim D. [a] Thomas de Religiosorum paupertate disputans, apertè ait, Ascetis illis, qui contemplatiuam vitam colunt, eam paupertatem conuenire, quæ census, ac prædia admittat; ea proculdubiò ratione, quod qui nullis officijs, aut opere demereri mortales curant, nec eleemosynarum, opumque erogatione eosdem grauare debent. Contra verò, is idem Sanctus [b] Doctor docet alibi, Religiosos viros, quorum institutum, ac finis est docere proximos, eorumque saluti aduigilare, ceu ius quoddam in fidelium patrimonia, opesque habeant, victitasse ipsorum largitionibus debere. In quem sensum scripsit ad Corinthios D. [c] Paulus, [Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Quo sanè conficitur, nullo pacto nostri Ordinis Institutores ab ijs se vitæ actiuæ rationibus subduci potuisse, qui non certis reditibus, nec emendicata ostiatim stipe, sed vltronea potissimùm fidelium liberalitate nitebantur. Nam qua fronte, ac fiducia munifica eorum manu, ac pietate ali sperarent, quos non iuuarent? Quod verò hanc omninò mentem statim ab inita Sodalitate induerint; liquidò commonstrarunt. Etenim postquàm votorum se sacramento publicè obstrinxere, ac nouæ Religioni dedere nomen, non quidem in remotum, tacitumque aliquem locum contemplationi, ac conciliandæ mentis tranquillitati accomodatum concessere, sed ipse Vrbis vmbilicus, vt dicemus, domicilium recenti professione initiatis fuit; veluti à frequentia, cœtuque hominum non modò non abhorreret nouus Ordo: verùm, quippè cui publica animorum salus proposita erat, vltrò quæreret. Vt posteà in præcipuis, frequentissimisque Italiæ Vrbibus contigit, amplificato longè, lateque Sodalitio. Quòd si ab ea Campi Martij celebritate biennio post in secretiorem montis Pincij regionem immigrauerint; non propterea in animorum salute procuranda minùs incitati, pronique erant. Sed vtriusque vitæ munus pulchrè inibi innectentes, loci quidem opportunitate, ac silentio ad beatæ contemplationis quietem vtebantur; cæterùm ab edito eo Cliuo proximorum necessitates ceu liberiùs prospectantes, in Vrbem inuolabant, totique in Nosocomijs, in vitijs insectandis, atque emendandis, & in morum formatione erant.

Iam verò, Sacrarum litterarum studia, quibus nauiter incumbebant, ipsos curas suas omnes, ingenium, ac temporis dispendia in aliorum fructum destinasse, apertè docent. Planè ea laude in sacra eruditione versabantur, & vt posteri eadem litterarum studia vrgerent, tam anxia eos cura comprehenderat, vt necesse fuerit ab ipsa fermè coalitæ Sodalitatis initio, hoc est, anno eius Seculi nono, & vigesimo à Clemente Pontifice Septimo impetrare, vt possent Superiores nostri cum suis subditis, quò prolixiùs Sacrarum litterarum studijs vacarent, à recitatione diuinorum officiorum, imposito certo, breuique psalmorum numero, dispensare. Extat Pontificium hoc Diploma, quod mox anno trigesimo tertio ab eodem Romano Pontifice, quòd lætas viderat ab ea studiorum cultura ad populorum institutionem segetes exurgere, fuit confirmatum. Iam, quorsùm hæc tam anxiè desudata studiorum omnium supellex, atque ad succedentis posteritatis litteraturam ingens sedulitas, ac prouidentia; nisi proximorum quæstum, morumque instructionem Maiores nostri spectassent? Neque enim vero simile est, præclaram illam hominum præstantissimorum indolem simplex tantummodò contemplationis otium tanto Theologiæ, sacrorumque Canonum

Actiuam nostram Sodalitatem suadet ipsa instituti ratio. Nempè paupertas sine censu.

a 2.2. q.188. ar.7.

Non enim par est, mortalium stipe viuere, qui mortales nõ iuuant.

b 2.2. q.187.

c 1. Cor. c.9.

In Romæ medio incoluna nostri statim à professione,

Vt animorũ procurationi vacarent.

Neq; in hinc digressis tepuit in proximos charitas

Litterarum studia vitam actiuam probant.

Pontificium dipoma de exemptione Scholasticorum à diuinis officijs.

num apparatu adfectasse. Quinimmò, compertum habemus, hac potissimum de causa vacare studijs suos voluisse, vt quando à Secularibus ad ministris tractari Sacra, ac mysteria dispensari non ea, qua decebat, dignitate, cernerent, essent qui non modò saluti animorum vtcumque prospicerent, sed publicam etiam Ecclesiarum rectionem susciperent, administrarentque populis Sacramenta: atque, vt quoddam veluti Ecclesiarum Rectorum Seminarium nostra esset Sodalitas, id munus procurandi Sacerdotia, regendique Ecclesias nostris legibus, atque institutis adnectere voluisse, exploratum nobis est ex litteris Episcopi Theatini ad Giberrum Episcopum Veronensem, quarum autographum penès nos est. Egregia sanè mens ad morum, Deique cultus instaurationem. Quod si minus consequutus est rei euentus, sat fuerit ab egregio eo consilio intelligere, Parentes nostros eò semper collimasse, vt quicquid ipsi, aut virtutis, aut litterarum collegissent, in populorum commoda, profectusque spargerent, nec sibi solummodò studuisse, sed alijs quoque labores suos curasque consecrasse.

Publica Ecclesiarum Rectio, Fundatorũ mens.

Idque vt luculentiùs probemus, libet hic Commentariolum adsuete Ioannis Capycij Galeoræ, Neapolitani, nostri Ordinis, Viri grauissimi, generisque, ac morum laude inter priscos nostros Patres spectatissimi, qui anno exacti Seculi sexagesimo nomen Congregationi dedit, ab eius institutione trigesimo sexto, excessitque vt annis, ita & meritis grauior. Censet ille pressiùs summa præclarorum operum capita, ad quæ nostrum hunc Ordinem destinatum Fundatores voluere. Ea nos à suo autographo integra fide, mutata duntaxat dialecto, exscripsimus, quæ sic habent.

Ioannis Galeotę de nostri instituti rationibus testimonium.

Nostra hæc Congregatio anno Christiani Orbis 1524. Clemente Septimo Pont. Max. erecta, Institutores habuit quatuor; nempè Ioannem Petrum Carafam Episcopum Theatinum, tùm Romanum Ponrificem, Paulum Quartum nuncupatum; B. Caietanum Thienæum, Vicentinum; Bonifacium à Colle, Alexandrinum; & Paulum Consiliarium, Romanum. Quorum ea maximè intentio, & mens fuit.

Quatuor Fũdatores.

Primò, vt exemplo morum Clerum, qui virtutis, æuique inclinatione pessum ibat, emendarent. Ac visa profectò, ac in dies cernitur, restitui passim, ac reflorere Clericorum disciplina, vbi Nostrates degunt. Exemploque nostri Ordinis institutæ subindè aliæ Clericorum Regularium familiæ, eidem operi, ac fini peregregiè insudantes.

Clerum reformare intendunt,

Secundò. Eam paupertatem excolere, quam Apostoli ipsi inuexere, sanctèque obseruarunt; quibus nec patrimonia, nec communes census erant, nec stipe emendicata, sed spontanea fidelium pietate victitabant.

Paupertatem Apostolicã,

Tertiò. Vt Sacramentorum vsum, primitiuorum Clericorum ritu postliminiò reuocarent; vt Lutheri, ac Sacramentariorum impietatem, qui in abrogandis Sacris, Sacrorumque cultu, vsque neruos omnes tùm maximè contendebant, infringerent: exploratumque abundè est, Nostrates esse, quibus maximè frequentem mysteriorum vsuram acceptam referre debet hæc ætas.

Et Sacramentorum vsum restituere,

Quartò. Vt Clerici concionandi munus, obsoletum eo Seculo, restituerent: cùm hoc Clericorum proprium sit, populos instituere. Et quidem florere iam apud Clericos verbi Dei disseminandi studium, omnes norunt.

Et concionandi munus in Clericis.

Quintò. Vt supremo spiritu laborantibus opem ferrent, darentque pijssimo in hoc opere Curionibus auxiliarem manum, nullo prorsùs hominum statu, graduque excluso. Fuere posteà è Religiosis Viris eximiæ huiusce pietatis præclaro quidem exemplo sectatores.

Is item eorũ Scopus, vt essent qui moribundos iuuarent,

Sextò. Non modò, vt ita morientes pijs adhortationibus erigerent, verùm illos etiam, quos publicum supplicium mulctaret. Illamque proindè Albatorum Sodalitatem, quæ Neapoli hoc opus curat, ordinarunt. Quocircà fuere semper in eo Linteatorum Sodalium censu nostri homines, quibus & ea potissimùm cura erat, vt Societatem successiuè ineuntes instruerent: Etsi id etiam muneris Patribus Societatis Iesu, alijsque ab eadem Sodalitate fuerit demandatum. Porrò, laudabile hoc institutum ad Neapolitani huiusce Sodalitij exemplar, Nostratum opera, & laude erectum fuit.

Et capitis dãnatos,

Septimò. Pauli Quarti, Institutoris nostri consilio Summum Sancti Officij tribunal

nal ad hæreticorum exitium, frænumque excitatum, ordinatumque: idemque ipse Pontifex, vt librorum prohibitorum Index conficeretur, auctor fuit: nostrique posteà Patres, ceu legitima tanti Parentis Soboles, hæreditario in hæreses odio, sub Scipione Rebiba, Ecclesiæ tunc Neapolitanæ fasces Vicarios moderante, & mox Cardinale Pisano, pestilentissimam Valdesij sectam profligarunt.

Pauli IV. consilio excitata Sacra Inquisitio.

Et confectus librorum prohibitorū index.

Hæc Ioannes Galeotus verissimè, quæ consignata his litteris voluimus, vt ingentem nostrorum Institutorum indolem, aliorum bono, vt natam, ita impensiùs admotam intelligeret lector; sciretque, nos, qui modò in litterarum studijs, docendisque, ac subleuandis mortalibus assiduam operam ponimus, à nostrorum Patrum mente, ac instituto, nec latum vnguem discessisse: sed quam ipsi viuendi formam ad Religionis cultum exaugendum, alendamque Christianorum pectorum pietatem nobis delinearunt, eandem nos solerti imitatione expressisse; nec inuexisse vnquam recentes mores in posteritatem, sed tenuisse priscos. Quod nisi Summa fide constaret, non quidem Romanæ Rotæ iudicium accessisset, quæ in Thienæi rebus præclarè, sanctèque gestis coram Pontifice enarrandis sollicitum vocat Clericorum Regularium Ordinem, à Thienæo institutum. Nec tot Pontifices Maximi sua idipsum testificatione comprobassent. Enimuerò, Paulus Tertius, Gregorius Tertius Decimus, Clemens Octauus, & nostri Instituti Auspex Clemens Septimus collatos à Nostris in communem rem Christianam labores, vt videre est non vno in diplomate, egregiè, ac fusè commendant.

Eadem nos modò studia vrgemus, quæ prisci Patres designarunt.

Sacræ Rotæ de nostri Ordinis ratione iudicium.

Romanorum Pontificum testimonium.

Quod si propiùs Fundatores ipsos, deriuatamque ab eo capite in reliquam sobolem, ac succedentia membra indolem, atque animi impetum spectes, dices planè, haud prorsus aliam, quàm quæ in mortalium fructum, moresque instruendos tendit, à Nostris Parentibus conceptam, atque institutam vitam. Et Caietani quidem facta percurrenti illicò occurret, nunquam intermortuum in egregio eo pectore in proximos studium. Nam anno Seculari Sacro, statim ab instituto Ordine, publico in Xenodochio assiduus, Romam aduentantibus nullo pietatis officio defuit. Neque verò in curandis tantummodò, fouendisque corporibus erat: sed quæ potiora sunt, pijs etiam sermonibus, Sacramentisque animos recreabat, expiabatque. Nec post multò, clade Borbonica non modò clandestina Oratione Romanæ calamitatis acerbitatem est deprecatus; sed, vt dicemus, visus persæpè cum socijs Vrbis fora, ac compita circumcursare, vt aut armatorum impetum quoquo pacto sisteret, aut exanimatos metu ciues, eaque procella consternatos, erigeret. Roma Venetias concessit: nec magni pectoris pietas visa hìc feriari. Namque institutum eius olim opera, adauctumque Insanabilium Nosocomium repetijt: fueratque non ita pridem eiusdem Valetudinarij Protector vna cum Episcopo Theatino publicis tabulis appellatus. Luculentum sanè Thienææ pietatis, in id Nosocomium impensæ, testimonium. Veronæ inter Episcopum, Clerumque dissidia mira dicendi gratia, summæque virtutis opinione composuit. Neapoli dum assiduis concionibus tonat in scelera; dum audiendis aliorum confessionibus aures sinit occallescere; dum Sacramentorum vsum inducit, dum adflantia hæresum virus monstra detegit, nihil illo actuosius dices.

Caietani in proximos studium.

Romæ.

Venetijs.

Neapoli.

De Carafa verò haud multis hìc agendum: ardens nanque, atque ad Orbis bonum, & Catholicæ rei incrementa incitatissimum Viri ingenium nemo non nouit. Flagrauit ille quidem aliquando solitudinis desiderio: sed id, vt ex Aulæ fluctibus, vnde emerserat, aliquantisper secum ipse, & cum Deo respiraret. Cæterùm, cùm inter nos egit, præter assiduas in Sacramentorum, atque Euangelij administratione curas, quas obibat ipse nauiter, grauissima etiam accedebant momenta rerum. Enimuerò, siue lustranda Ecclesia Veronensis, dum Episcopus Gibertus inter Germanorum manus, & compedes malè adhuc haberetur: siue reformandi Dalmatæ Eremitæ: siue refrænanda Venetijs Gens Græcorum: siue dirimendæ inter Remp. Venetam, & Ferdinandum Austriacum Archiducem, mox Cæsarem lites: siue componendæ Religiosorum familiæ, cauendumque optimis institutis eorum disciplinæ: siue mulctandæ hæreticorum opiniones, ac vaframenta, Carafæ in primis creduntur isthæc omnia, summaque eius solertia, ac dexteritate successere perquàm feliciter. Quid si magnis illis de emendanda Romana Aula, totaque Ecclesia repurganda Clementis Septimi consilijs,

Actuosa Carafę indoles.

Eius in curãdis externis sedulitas.

curisque accersitur potissimùm Carafa? Quæ sanè docent, haud quidem fuisse tanti Viri mentem, pura contemplatione, animique tranquillitate frui. Nam qui tàm ingentibus, varijsque occupationibus in Orbem spargitur, qui potest recessum, ac mentis otium sibi proposuisse? Id quod perindè esset, ac si quis Italicum iter cogitans, Gallicum institueret.

Idem animorum studium in Bonifacio, & Paulo Cōsiliario.

Nec aliam planè Bonifacius à Colle, & Paulus Consiliarius, par alterum Fundatorum, mentem professi. Et ille quidem in Sacris administrandis impiger, in assiduo animorum expiandorum exercitio penè martyr fuit: strictum nanque, intentumque in iugulum pugionem vix euasit, dum absolutionem peccatorum ritè negat. Hic verò, & inter Religionis Septa in proximorum commodum egregiè animatus fuit; & in Pontificis Aulam accersitus, pleraque ipse Pauli Quarti consilia administrabat: eoque insuper in loco positus, vt cùm princeps D. Petri Clerus moderatione, cultuque eo maximè tempore indigeret, in sanctiorem ipse disciplinam, formamque asseruerit.

Nec segniùs proximorum saluti vrgent reliqui ex Ordine.

Ab his Ordinis Antesignanis qui mox successere Patres in hisce vitæ actiuæ rationibus vrgendis non modo non discreparunt: verùm, quippe qui ardentissimum Parentium ingenium propiùs inspexere, edoctique ab ipsismet, hunc esse nostræ disciplinæ scopum, vt communi bono insudemus, idem institutum insigniter prouexere: vt videre est in Bernardino Scottho, Gardinali Tranensi, B. Ioanne Marinonio, Thoma Golduello, Episcopo Asaphensi, Petro Fuscareno, alijsque subindè eximij spiritus, ingentisque virtutis Viris, per quos perenni quodam actuosæ virtutis successione præclara Maiorum nostrorum indoles, ac mens in hæc tempora propagata est. At de re, quam non quidem prolixiùs, sed cursim pertractare, animus fuit, hactenus dictum: nam vt non omnia, ita non sanè pauca ad causæ firmamentum produximus; & quando primæui Instituti legibus, ipsorumque Conditorum documento, exemploque demonstrauimus, nostrum Ordinem non sterili cuidam virtuti, tacitæque solitudini natum, sed in theatrum, lucemque Orbis ad rei præcipuè Christianæ subsidium, incrementumque ab ipso sui nascentis exordio destinatum, perorata profectò lis est.

Paupertas Theatina.

Quam plerique eleuarūt.

Poscit modò Paupertas, integra Nostratum laus, & quæ in nostro Ordine peculiari quadam ratione constat, vt in ea aliquantisper immoremur; vindicemusque à quorundā obtrectationibus singulare eius decus, quod etsi grauissimos quosque viros in sui admirationem, laudemque omni æuo traxerit: tamen non defuere qui statim ac Orbi affulsit, carperent: & hac demum tempestate non nemo est, qui stylo confodiat, traducatque, ceu silentio suo ad miracula Numen prouocet; & aut temeritatis, quòd nimis audeat; aut superbiæ, ceu petere dedignetur, aut imprudentiæ, quòd naturæ minus prospiciat, damnat. Quanto imbuerit felle calamum qui hæc scripsit, non huius loci est, ostendere. Certè, eam nos in eius stylo modestiam desideramus, quæ propria eius instituti est. Quòd si lenocinari plùs nimiò genio suo placuit, dolemus profectò, plus illum nocuisse famæ suæ, quàm nostræ. Itaque, Paupertas, quam à nostris Parentibus, veluti opulentissimum patrimonium accepimus, ea est, vt quamuis, (Nostrarum Constitutionum verbis vtimur) neque per professionem, neque per Sacros Canones prohibeamur annuos reditus in communi possidere; per Concilium autem Tridentinum nobis sit concessum: nihilominus, voluntariè tamen, vt nullo vnquam vinculo astringamur, ab illis abstinemus.] Hoc autem voluntariè abstinere, non ita intelligendum, vt omninò dicamus, nostri Instituti legibus prouentus annuos non prohiberi; quin ea ordinationum nostrarum mens est, vt census omnes, fundosque in communi à pauperrima Congregatione proscribat. Quod ideò monitum statim voluimus, vt sua confestim censura perstringantur, qui eleuare Theatinam paupertatem non dubitarunt: affirmantes, abstinere nos quidem annuis vectigalibus; id verò non ex Regulæ præceptionibus, atque ex instituto esse, sed voluntariè: quod nos pernegamus, qui summè pauperes ex Regula sumus. Enimuerò, qui iam supra centenarium eximiam hanc paupertatem, illibatam prorsùs, atque immutatam seruauimus, non alia profectò ratione id dicimus factum; nisi quia nostra id disciplina, atque ordinationibus caueatur: quòd si communi patrimonio, prouentuque victitare nunc demum con-

Expenditur.

Prouentibus annuis volūtariè abstinemus.

Idque ex regula.

silium

ſilium foret, annon nouo Capitoli generalis Conſulto, penes quod ferendarum, atque immutandarum legum poteſtas eſt, refigenda hæc paupertatis ſtatuta eſſent, aliaque inducenda? Conſtat igitur ex inſtituto, regulaque annuos nos red tus excludere. Porrò voluntariè abſtineri, nulloque prorſus vinculo adſtringi dicimur, vt noxam omnem, ac culpam, ſi tranſgredi contingat, ablegari, ſignificaretur. Iam, immobilia, cenſuſque non poſsidere commune nobis eſt cum pleriſque Religioſis Diſciplinis, quarum nonnullis arctior etiam, ac ſeuerior paupertatis obſeruantia: quippè quæ non modò ſtabilia minimè poſsideant, ſed nec eorum dominij capaces ſint: quod ſanè altiſsimum eſt paupertatis genus, & apex eſt. Nos aliam paupertatis viam planè ſingularem ineuntes, eò peruenimus, quò pertingere, aut ſatis arduum, aut impoſsibile omninò videri potuit. Quippè, non abdicare cenſus, prouentuſque annuos ſat fuit, ſed nec precariò quidem viuere libuit: ita vt neque per nos ipſos, neque per alios ſtipem quærere fas ſit. Scimus profectò, nunquam prudentes, ac principes viros, aut quemquam è vulgo hoc inſtitutum primùm audiuiſſe, quin perculſi ea ſtatim nouitate fuerint, ac rei, quæ quotidiana experientia, vſuque conſtat, fidem propè abrogauerint. Certè, poſtquàm admiratio deferbuit; ſingularem, excelſamque paupertatem, ceu quid ſupra hominum cogitationem, ac fidem fusè dilaudarunt. Hanc Franciſcus Panigarola, Præſul è Franciſcana familia, eloquentiæ, ac nominis celebritate prænobilis, ceu Seraphici Ordinis paupertati quàm ſimillimam Cælo tenus efferre ſolitus erat: qua de cauſa Theatinos, Diui Franciſci Clericos appellabat. Planè, ſi noſtram cum Franciſcana comparaueris; hæc quidem ſtrictior; at noſtra, vt quæ fidelium pectora nullis precibus pulſat, ac ſollicitat, tolerantior videri poterit: & quę tota è Cælo pendet, animoſior, ac propè diuinior. At alibi fortaſſe, qui Theatinæ huiuſce paupertatis decus, ac culmen prædicarunt, memorabimus; afferendus nunc tantummodò Vrbanus Octauus Pontifex Max. qui dum Patres, qui Comitijs noſtris generalibus anno huius Seculi ſeptimo, & vigeſimo erant interfuturi, exciperet, haud pauca de noſtræ Congregationis laudibus quàm humaniſſimè, ac diſertè præfatus; poſtremò in Inſtituti, atque admirandæ paupertatis commendationem deſcendit. Singulare id quidem, ait, ac præſtantiſſimum Eccleſiæ decus eſſe, ac nulli Religioſorum Ordinum iuge id paupertatis, ac prouidentiæ miraculum experiri contigiſſe; curarent proindè, vt incorrupta incomparabilis iſthæc laus in poſteros deducatur, nec ſinerent, vnicum hoc Eccleſiæ, ac Religioſæ diſciplinæ ornamentum dilabi.

Dominij incapacitas paupertatis faſtigium.

Theatina paupertas nec precariò viuere.

Quam nemo non vehementer admiratur, Panigarolæ dictum.

Et Vrbani VIII. P. M. noſtri Inſtituti elogiũ.

Verùm, vt Clericorum Regularium cùm inſtituti, tùm nominis auctores, vt diximus, ac Principes fuere Apoſtoli: ita & paupertatem, quæ non de coactitia fidelium ſtipe, ſed de ſponte oblatis alitur, ab eo pariter fonte, exemploque, atque à Chriſto Domino reuocarunt noſtri. Sanè, neque Chriſtum, neque Apoſtolos mendicaſſe, ſed vltronea fidelium munificentia victitaſſe, res eſt apud veteres Patres exploratiſſima. Eſt igitur Eccleſiæ naſcentis collactanea, Chriſtique, & Apoſtolorum, ac ſuccedentium Clericorum coæua paupertas, quam non quidem precario victu, ſed in prouidentiſſimi Numinis liberalitate, ac ſpontanea fidelium erogatione ſpem omnem collocantes, vetuſto, primæque diſciplinæ documento nos Clerici Regulares obſeruamus. Ac proindè nihil in Eccleſiam inſolens, ſuperbumque, aut imprudens, aut diuinæ prouidentiæ contrarium, inuectum; vt ille affirmabat, quem paulò ante perſtrinximus: quando id Saluator ipſe, atque Apoſtoli exemplo ſuo ſanciuere. Nec timendum præterea, ne non iſthæc Euangelicæ vitæ ratio perennet; nam quæ integro iam Seculo, & eo amplius viruit, duraturam omni æuo certiſſimè credimus. Sacrarum nempè Scripturarum fideiuſſione, æterniſque diuini Numinis promiſſionibus ſubnixi, oppignoratam habemus Cæli fidem. Enimuerò latifundia, cenſus, humanæque opes omnes, aeris inclementia, æuòque corrumpuntur: at non hiſce Cæli cladibus obnoxium Cælum ipſum, à quo paupertas hæc alitur. Nec cogitari quidem poteſt, Numinis prouidentiam, in flores, aues, feras, ac muſcas ipſas baſilicè munificam, fore olim Religioſorum hominum inopiam ludificaturam. Quin ipſe Deus horum exemplo in bonam eos ſpem erigit, nihilque ſollicitos eſſe monet: Sperarent nempè ſe inſtar Cæli auium, quibus nullæ ſegetes, nec horrea, nutriendos; ac ceu lilia

Nec Apoſtoli nec Chriſtus mendicarunt.

Quorum nos veſtigijs inſiſtimus.

Nec metuendum, ne nobis deſit Deus.

Qui vt reliquas creaturas, ita & religioſos viros alet.

nullo peregrinæ acus labore lucubrantia, ad Salomonis inuidiam magnificè amicira, vestiendos. Et verò, superiora exacti æui tempora succedentium nos admonent; & qui tot annos hac Instituti taciturnitate alimur, si Dei posthac cultum, ac Sacra pro viribus procurabimus; si mortalium saluti insudabimus; si primæua Sanctissimorum Patrum virtus, ac mores viuent; si nostræ disciplinæ obseruantiam sartam, ac tectam habebimus; si denique contenti paucis, pronam semper, beneficamque Dei prouidentiam experiri continget. Verba Christi sunt, quæ nulla ætas obliterabit: Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis: quæ porrò verba, scimus, sanctissimo Parenti nostro Caietano ingentem spem, grandesque semper animos fecisse, ipsumque eiusdem sententiæ incitamento sæpè alios animasse. Fuere quidem nostri domesticæ rei, victusque difficultate vsque adeò pressi quàm sæpissimè, vt despondisse, nulla subsidij spe, animum quandoque viderentur. At, quàm tempestiuè supplendæ inopiæ Numen adfuit, vt obstrictam semel fidem solueret? Visa profectò ceu lusisse nobiscum non semel Prouidentia: adeò inopinata, festiuaque munificentia in famescentium, inopumque aut penum, aut ora allapsa plerumque est. Argumento fuerit, nullo obsonio accumbentes persæpè Patres, repentinas epulas sub idem temporis momentum exhilarasse: peregrinam, ignotamque hominis manum aurum nonnunquam adnumerasse; cùm maximè suprema, præsentique inopia laborarent: repertum interdum humi tantum pecuniarum, quantum eius diei famem pelleret: immissam quandoque domum, aut relictam pro foribus noctе intempesta, & clandestina quadam liberalitate annonam, certè non alia putandum manu, quàm Angeli: auditam nonnunquam longiùs vocem, vt quæ Deus impertiret, sumerent, inuentumque neminem, præter insperatum, largumque Cœli munus: sæpius institutis pro domesticæ difficultate precibus, nec dum absolutis, plena manu adfuisse Prouidentiam: quoties templorum, ædiumque molitio æris inopia sisti visa; at mox ea stipe allata, quæ soluendis eius diei operis sufficeret? idque postridiè, ac deinceps cùm contigisset, diurna ea eleemosyna diuturnius continuatum opus, ad magnificam tandem speciem quotidiano veluti miraculo assurrexit? Planè, si censere exempla id genus omnia, ac litteris consignare consilium foret, iustam omninò historiam concinnare, aut excedere oporteret: cùm nusquam nullæ sint Ædes nostræ, in quibus huiusmodi ludentis veluti Numinis, ac prouidentiæ vestigia non extent. Illustriora, cùm de Thienæi in Deum fiducia dicemus, denarrabimus. Interea, & illud diuinæ Prouidentiæ argumentum, nostræque paupertatis miraculum non dissimulandum; tantam scilicet, ac tam diuitem in plerisque nostrarum Ecclesiarum suppellectilem cerni. Certè, vt his templorum ornamentis, cultuque venerari Deum, eiusque maiestatem splendidissimo hoc Sacrorum firmatum veluti paludamento conuestire, decet Clericos, ita nihil inter collucentes aulæorum, sacrique instrumenti opes pretiusiùs lucet, quàm ipsamet Dei Prouidentia, quæ ceu noua, ac magnifica rerum procreatrix, è tanta diuitiarum vacuitate, aut certè è nihilo, tantam auri, gemmarumque vim, ac lucem educit ad maiorem Numinis venerationem, ac pompam. Igitur, quæ ostentandæ in Aris magnificentiæ opes sufficit, sustentandæ pauperum inopiæ deerit Prouidentia? Parieti excolendo, ornandoque prolixiùs vacabit, spirantibus Dei templis nullam curam impendet? Gratulandum itaque nobis, eam nostro Ordini paupertatem contigisse, quæ vt singularis in Dei Ecclesia est, ita singularem Numinis beneficentiam omnibus retrò annis expertam, duraturam in æuum ijsdem prouidentiæ illecebris, exemplisque speramus, nec tantam nostrorum Parentum fiduciam frustratum iri.

Maximè si nostri officij partes vrgebimus.

Desperatis pene rebus quàm opportunè aliquando Deus adfuit.

Recensentur carptim prouidentiæ exempla.

In Ecclesiarū ornamentis lucet in primis Dei prouidentia.

Quorum insuper huiusce paupertatis deligendæ eæ præcipuæ fuere causæ: tùm vt qui Clerici Regulares erant, ad priscorum Regularium Clericorum amussim Institutum formarent suum, quos de sponte oblatis vitam tolerasse, iam diximus; tùm etiam, vt illa per compita, domosque circumcursationis occasio præcideretur, quæ, etsi à plerisque sanctissimarum familiarum Auctoribus cum laude instituta fuerit, compertum tamen vsu est, periculi plenam rem esse: ideoque mendicare Clericum, & ob Ecclesiastici Ordinis dignitatem, & hanc præcipuè ob causam vetant Canones. Tum denique, vt Christianam, Religiosamque grauitatem, libertatemque tuerentur. Vt

Cur singularē hanc paupertatem elegerint nostri.

scilicet

ſcilicet intelligerent mortales, paucis nos eſſe contentos, eorumque ope, ac præſidio minùs indigere; quippè quos nec lites vrgent, nec acrior coquit rerum humanarum cura; ac proindè ita nos ipſorum commodis inſeruire, vt nihil vnquam de noſtri Inſtituti, morumque libertate, aut dignitate detrahi poſſe, certò ſcirent. Id quod noſter Bernardinus Schottus, ſcripta ad Patres Capiruli Generalis die 12. Menſis Septembris anni quarti, & trigeſimi ſupra ſexquimilleſimum, paræneſi, ſapientiſſimè expendit in hæc verba. [Certè illud negare non poſſunt homines etiam delicati, & cupidi, nullam aliam viam patere Clericis noſtri temporis tuendæ libertatis ſuæ, atque immunitatis retinendæ Eccleſiarum ſibi commiſſarum, nullumque alium modum inueniri guſtandæ paululum tranquillitatis, ac pacis, niſi per remedium voluntariæ, & Euangelicæ paupertatis; hac enim ſolùm fit animus liber, qua poſt omnium abrenunciationem ſentit, ſe neque loco affici, nec poſſeſſione retineri. Igitur fugiamus cenſus, poſſeſſiones, prædia, quæ deſtruunt tranquillitatem, & adimunt libertatem.] Hæc ille, certè ad guſtum, ſenſumque veterum Aſcetarum, Sanctorumque Patrum.

Tuendæ potiſſimùm grauitati, ac libertati.

Bernardini Schotti monitum.

Atenim, præclarum paupertatis genus ab antiquis Clericis in noſtrum Sodalitium deriuatum, examinauimus; ac plura ad Clericos Regulares pertinentia, eaque grauioris momenti ſingillatim iam expendimus: nunc aceruatim quæ minutiora, aut non adeò magna excutienda; vt prima ſtatim facie, collatiſque veluti teſſeris cognoſcat Lector, veriſſimè Nos, atque abſolutiſſimè eſſe Clericos, priſcumque Clericatum, eiuſque munia, ac partes omnes ad vnguem repræſentare: nihilque habuiſſe antiquius ſapientiſsimos Inſtitutores noſtros, quàm vt Clericales priſci, ac melioris æui mores, omnemque viuendi diſciplinam, vel in exiguis quidem rebus exprimerent. Mitto igitur nomen, vota, mendicatum, reditus, quæ diximus; præcipua olim Clericorum Regularium cura fuit, publicæ pſalmodiæ ritus, ac penſum: idque Apoſtolorum exemplo, quos cùm diurnis, tùm antelucanis horis, ac precibus ceciniſſe, [a] Auguſtinum, ac vetuſtiſsimos quoſque Patres auctores habemus. Stantes verò canebant, erectique; hoc quippe corporis habitu non modò Therapeutas illos, Alexandriæ florentes, ac ſuccedentes per omnem ſubindè ætatem Aſcetas, ſed & Apoſtolos, & Seruatorem ipſum in illa hymni poſt magnam Cænam præcentione decantaſſe, excuſſa vetuſtatis memoria, probat noſter [b] Antonius Caracciolus. Nec tacendum hic porrò, quod ex Suida narrat de B. Hieronymo, qui cum profunda iam ſenectute, defectoque corpore decumberet, pſallendi tempore, fune, qui pendebat, apprehenſo, aliquantiſper ſe ſe ipſe erigebat, vt eo modo, quo poſſet, ſtans caneret. Tanti præclarum, priſcumque ſtandi morem in canendo faciebat Vir ſanctiſsimus. Ad hæc, feſtis diebus miſſas ceciniſſe Clericos, auctor eſt [c] Proclus Conſtantinopolitanus. Porrò, appellatos perhonorificè titulo, Don, qui Eccleſiaſtico vſu Dominum ſignificat, teſtis eſt [d] Philippus, memorantque eam honoris appellationem [e] Petrus Bleſenſis, & Gregorius Magnus, & è vetuſtioribus plerique. Iam verò, ſi de externo corporis, oriſque cultu ſermo eſt; barbam neque detonſam omninò, aut raſam, neque promiſſam geſtabant priſci Clerici Regulares, quod in Apoſtolorum Principe adnotauit [f] Nicephorus. Et de Redemptore ipſo ait [g] idē Nicephorus, quod illi erat [barbæ capillus flauus, non admodum demiſſus.] Veſtis illis clauſa vndique. Nam & Saluatorem ipſum hac vſum indumenti forma, exploratum abundè eſt; quando inconſutilem, ac deſuper contextam per totum ſcimus lacernam induiſſe. Extat de hoc Clericorum habitu [h] Concilij Lateranenſis decretum ſub Ioanne Tertio in hæc verba, [Clerici clauſa deferant deſuper indumenta.] Quod verò ad vitæ, victuſque rationem pertinet, ſolenne Ieiunium Quadrageſimale à Quinquageſima inchoabant; quod etſi Apoſtolica traditione conſtaret, noua tamen [i] Teleſphori Pontificis ſanctione firmatum, cautumque fuit. Aduentum Domini ieiunaſſe longè antiquiſsima litterarum monumenta habent. Quarta item feria abſtinuiſſe à carnibus, quòd tunc in Chriſti necem Iudæi conſpirarint, plurimi antiquorum Patrum teſtantur. Atque hi præcipui priſcorum Regularium Clericorum mores, quos & ipſi vt nominis, ita & obſeruantiæ ex aſſe hæredes retinere ex inſtituto vehementer gratulamur. Enimuerò, Apoſtolicum, diuinumque pſallendi munus adamuſsim implemus; ac tùm aſtra matutina,

Nonnulla Clericorum officia, ac partes delibatę.

Pſalmodia.

a Ep. 119. c. 18

Canendi modus.

b In not. ad Coll. Cle. Reg.

Solennes Miſſæ.

c De Tradit. diuin. Miſſ.

Domni titulus.

d Can. Reg. lib. 1. c. 6.

e Apud Lac. in Adu. c. 77.

Barba.

f Lib. 5. c. 37.

Veſtis.

g Lib. 1. c. 4.

h Cap. 23.

Ieiunia.

i Ant. Carac. in not. ad Coll. Cler. Reg.

Eadē noſtratibus morum ratio, & cultus vitæ.

tutina, Deum laudantia nocturnis precibus comitamur, tùm Solis dispendia, cursumque diurnis horis Canonicis dimetimur. Odæum ad Aram principem habemus. Nullis modulis, vocumque frequentamentis, sed simplici rithmo, ac modica vocis inclinatione, flexuque canimus. Nec sedendo id pensi soluimus, sed stamus. Barbam è legum nostrarum ordinationibus non nutrimus, non radimus. Vestis non à summo pectore ad fimbrias aperitur, sed vtimur clausâ. Domni titulum Sacerdotes vsurpamus. Vernum, ac solenne Ieiunium à Quinquagesima auspicamur. Aduentus Domini obseruantiam addimus. Quarta feria à carnibus abstinemus. Ritum denique omnem, disciplinamque antiquorum Clericorum ad vnguem obseruamus.

Vt nulli Asceta plura cōplectantur Clericorum munera.

a To.4. de Relig. lib.1. c.7. Francisci Suares dictum.

Improbatur.

Igitur, cum excelsissum Regularium Clericorum finem, ac ea, quæ ad finem sunt, media, nec non & quæ externa eorum sunt, atque exigua videri possunt, exactè noster hic Ordo complectatur: vt post priscas Ascetarum familias, quas ab Apostolis numerauimus, prima est inter eas, quæ superiore Seculo successere, & modò religiosissimè quidem florent, ita nescio, an illarum aliqua plura obeat Clericorum munera, aut Apostolicis institutis, priscisque Ascetis re, & nomine sit propior. Quapropter haud planè video, qua tandem ratione, sensuque, Francisco Suarez, cum de sua Societate sermonem instituit, illa exciderit in scribendo sententia. [Certum scilicet esse, tempore, quo vixit S. Ignatius, nullam talem Religionem Clericorum fuisse in Ecclesia.] Ista ne Vir doctisimus? Planè, non de Ignatiana hic Societate consignatè loquitur, vt dicat, eiusmodi S. Ignatij Instituti nullum ante eundem ipsum Ignatium extitisse auctorem: sed vniuersim de statu illo Religiosorum loquitur, qui habitu Clericali in altisimum animarum curandarum finem collineant, aliorumque compendia cum suo ipsorum fructu coniungant. Quod an verum sit, non est, cur multis disceptemus. Dictum indicasse sufficiat, vt statim corruat. Siquidem Clericorum mores, externumque etiam habitum imitandum sibi Conditores nostros proposuisse; idque eximio diuinorum cultu, animorum procuratione, atque egregio hæresum profligandarum studio apprimè assequutos, atque adeò absolutisimè Clericos fuisse, iam diximus. Tùm, sexdecim omninò annos, antequàm Iesuitarum Societas lucem aspiceret, nostram Sodalitatem Romæ coalitam adoleuisse, vsque adeò verum est, vt non defuerint historici non pœnitendi, qui dixerint, S. Ignatium ad exemplar nostræ in primis Congregationis suam Clericorum Classem, tanto post interuallo collegisse: idque conceptis verbis asserit in sui temporis historijs [b] Iacobus Augustus Tuanus. Erant igitur in Ecclesia, cum vixit S. Ignatius, Clerici Regulares; quos ipse sexdecim post annos est insequutus, externoque saltem cultu, habituque imitatus: potuitque id probè scire Suarez ipse; qui antequam hæc scripserit, fuerat in Italia, vbi non adeò obscuri tunc nominis, famæque erant Clerici Regulares. At nimius fortè rerum suarum amor Virum egregium fefellit, quem etiam grauisimis tradendis disciplinis occupatum, facilè fuit, aliena, quamuis obuia, non inspexisse. Quamuis absolui posthuma Suarez fama facile possit. Nam cum postremus hic de Religione labor, qui hæc habet, sit posthumus, appinxisse hanc doctisimo Auctori sententiam quis non perindè beneuolus potuit; vt loquuti alieno stylo, ac sensu fuerint inuiti Manes, ac dixerit ille, quod nunquam scripsisset. Hæc breuiter, antequam secundum hunc librum absoluerem, potius ne videremur rem disimulasse, quàm vt hac animaduersione locus indigeret.

b To.2.fol.315

LIBRI SECVNDI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER TERTIVS.



RÆCLARA Vrbis, Romanorumque procerum admurmuratione, exemploque enata Clericorum Regularium familia, quam hactenùs descripsimus, è principe Diui Petri Templo, vbi vota nuncupauerant, rectà ad eam Vrbis Regionem, quæ ad Campum Martium dicitur, nono eo Ordine, ac germanitate initiati Parentes nostri, alij iam, ijdemque homines concessere. Domus hic erat via Leonina non longè ab Æde Sancti Nicolai ad Campum Martium, quam hodièque Prædicatorum Ordinis Patres incolunt; eamque Bonifacius à Colle, cùm bona abdicauit, Congregationi legauerat, vt eò se sub id initium reciperet, donec aptior locus occurreret. Nam angusta illa quidem, ijsque Religionis, pietatisque officijs, quæ animo conceperant, minùs opportuna; etsi ijs, qui præliari quadam acie instructi in catholici nominis hostes, ac centurias vitiorum bellum adornabant, commoda eius Regionis nuncupatio videri posset: monebat nanque, vt concepti certaminis meminissent, pugnarentque strenuè, quando iam in Campum Martium, arenamque descendissent. Lapsum hic porrò errore ᵃ Tufum nostrum, non dissimulandum, qui statim ab emissa professione in Montem Pincium immigrasse Patres, narrat: constat nanque ex ijs, quæ mox dicemus, biennium in ea Martiana Ædicula illos commoratos. Luculentiùs erraui ᵇ Petrus Nauarra, quem ipse Tufus notat, asserentem ad Montem Quirinalem concessisse statim Conditores nostros; idque fuisse primum nostri Ordinis domicilium.

Emissa professione ad Campũ Martium Nostrates incolunt.

In Bonifacij à Colle Ædibus.

Opportunũ Viris strenuis Cãpi Martij vocabulum.

a Hist. Cler. Reg. c. 2.

Emendatur Tufus, & Nauarra.

b Apud Tufũ vbi sup.

Ducem, ac moderatorem agere cœpit Episcopus Theatinus, quem post susceptum votorum Sacramentum, initumque Religionis, atque animorum fœdus communi omnium conspiratione Congregationis Præpositum renunciatum supra memorauimus. Moderari ipse suo nutu, administrare omnia, nascentemque Ordinem pro eius, quem gerebat, Magistratus officio formare, ac temperare videbatur. Quo circa ea statim opinio plerosque peruasit, vt qui penès Carafam ius omne, ac summam rerum cernerent, ipsum primum, ac præcipuum Congregationis Auctorem dixerint, ac litteris etiam consignarint. Neque exteri id tantùm, verùm è nostris etiam nonnemo in hanc sententiam videtur discessisse. Certè, Episcopum Theatinum inter quatuor ipsos Fundatores ætate prouectiorem, celebritate, famaque nominis, quam ipse, cùm ingenij laude, ac in primis eloquentia singulari, tùm ad Principes legationibus, magnisque pro Re Romana curis egregiè administratis, sibi conciliauerat, præcelluisse: ad hæc, præcipuas, ac difficiliores in condendo Ordine partes egisse, & qui summa erat apud Romanum Pontificem, Augustosque Patres existimatione, flectendis eorum animis strenuè adlaborasse: tùm, quæ eius erat eruditionis præstantia, ac rerum vsus in ordinanda re communi, recentique familia, quà nouarum legum rudimentis, quà prisci instituti regulis prolixiùs insudasse: postremò, hanc etiam fundandæ Sodalitatis mentem iam pridem ipsum induisse, erectumque egregiè in hanc curam sæpius id secum agitasse; ac proinde tot nominibus promeruisse, vt eam moderandi Ordinis Præfecturam primus capesseret, & socij vltrò offerrent, nemo est, qui dubitet. At enimuerò, quod ad Institutionis negotium, ac præcipuum Fundatoris nomen spectat, re tùm ad veterum nostrorum Patrum sensum, tùm ad historiarum fidem maturiùs examinata, par est, vt illibita Episcopi Theatini laude, suum etiam B. Caietano decus asseratur. Nam, etsi Carafa feruentiore quidem studio, atque

Familiam moderatur Carafa.

Quem primũ Auctoré Ordinis plerịq nuncupant.

Et fuit quidẽ primus Ordinis Rector.

Sed in eo fun dando quẽdã de principe loco contronersia.

atque opera id negotij adgubernasset, curassetque impensiùs surgentis Religionis momenta, tamen qui Apostolico huic Operi insistere, præclarumque consilium primus aperire, atque euulgare, ac socios adsciscere cœperit, Thienæus fuit, quem & ipsemet conuenit Episcopus Theatinus ea magni pectoris celsitudine, generosique animi demissione, quam ipsi enarrauimus, omnisque ætas, ac gentium linguæ loquentur. Itaque hac de re breuiter statuendum sic censeo: vt inter quatuor eos Viros, Thienæus, & Carafa, quippe qui luce generis, Infulisque, ac celebriori virtute insigniores erant, primarij nostri Conditores fuerint: enimuerò è duobus alijs, vt Bonifacius Caietano, ita Consiliarius adhæsit Carafæ, ac propterea, etsi in eo opere prosequendo vnà cum alijs summo quidem ardore animi incaluerint, ac simul vota nuncupauerint, proindeque Fundatoris laudem, nomenque demeruerint: tamen illi præclari nominis, virtutisque prærogatiua præcipui. Inter hos verò, cum eandem, vti monuimus, vterque mentem conceperit, ac egregiè pro virili quisque parte in ea prouincia insudauerit, nullus profectò alter alteri videtur anteferendus. Nam si Infularum, ac Nominis splendorem, primamque Ordinis Præfecturam, atque egregios in explicandis difficultatibus conatus spectemus, præcipuum huiusce Clericorum Reipublicæ Caput, Patremque Carafam dicemus. Si sparsam, euulgatamque inter Romanos proceres eam excitandæ Sodalitatis mentem: Primus Familiæ Auctor, Thienæus fuit: ita vt hic quidem, quòd ideam Operis proposuit; ille, quòd opus ipsum insigni conatu molitus fuerit, velut æquales, ac compares, præcipuam quisque laudem, ac principem sibi locum vindicet. Aptarique in ipsos iure poterit, quod de celeberrimo quodam Oratore, eiusque in dictionis præstantia principatu dictum a * Tullio olim fuit: Demosthenes, inquit, tibi præripuit, ne esses primus Orator: Tu illi, ne solus. Ita vt Thienæus, & Carafa primam sibi in condendo Ordine palmam vicissim præripuerint. Atque hinc profectò varia Scriptorum in scribendo mens, ac iudicium fuit; è quorum sanè classe, qui Carafæ, ceu præcipuo Institutori fauent, Clericorumque Regularium Ordinem tribuunt, ij dignitatem nominis, primumque Sodalitij Magistratum, ac mox Purpuram, ac summam Christiani Orbis Tiaram ob oculos habuere. Qui primas Caietano partes dedere: næ, illi euulgatum ab eo, adumbratumque primis veluti lineis instituendæ Congregationis exemplar, Romæque propositum inspexere.

Quid de ea re statuendũ.

Precipui fundatores Thienæus, & Carafa.

Bonifacius, & Consiliarius post illos. Illi verò inter se pares.

Ciceronis dictum. * Oration. pro Gallo.

Nunc ad historiæ seriem, atque Ordinis veluti infantiam describendam redeamus. Igitur Carafa Duce, ac moderatore, in Martiniana ea domuncula Religionis cunabula fuere posita. Placuitque ab eximio sacrorum cultu, ac studio præclarum illud vitæ institutum, quod imitandum sibi proposuerant Patres, auspicatissimò inchoare: vt ab ijs statim renascentis disciplinæ rudimentis quæ futura olim in nostris Ecclesijs diuinorum cura, ac nitor esset, commostrarent. Nam, sacram mox Ædiculam paupere quidem cultu, sed ea sacri instrumenti, ac suppellectilis, ipsorumque parietum munditie odornarunt, vt incredibilis illicò deuotio, ac pietas subeuntium animos adflaret. Sacris hic operari, atque interdiù, noctùque horis Canonicis eo modo, quo pauci possent, psallere; tùm reliquam priscorum Ascetarum viuendi rationem, moresque prosequi; eamque in primis paupertatem, quam ceu nimis asperam, ac minimè duraturam plerique improbauerant, exemplo, vsuque, ac spontanea, alacrique obseruantia sanxerunt. Quo statim initio, quamquam in magna rerum inopia versari illis contigerit, nunquam tamen visa liberalis Dei bonitas seruis suis defuisse; grandique ea fiducia, ac documento statim posteros erudiere, non esse breui humani iudicij decempeda Dei munificentiam metiendam; quam ex se quidem amplam, nos ipsi largiorem facimus, ac magnificentiorem bona spe.

Primus in Martiana Domo diuini cultus nitor.

Paupertate exercentur.

Porrò, ex Aulæ æstu assertos, quamuis eo maximè rerum principio ingens quidam vitæ tranquillioris amor omnes cœperit; iamque ipso contemplationis gustu acriùs ac vehementiùs egregia eorum pectora ea tacitæ consuetudinis cupido peruaserit: nihilominus qui Clericorum institutum susceperant, vrgendisque aliorum commodis sua studia deuouerant, non adeò se religiosi illius otij dulcedine, ac blandimentis rapi patiebantur, quin in proximorum profectum, ac compendia suas curas intenderent. Et quà Xenodochijs inuisendis, ægrotisque subleuandis, quà mysterijs administrandis, alijsque animorum negotijs accurandis domi, forisque nauiter incum-

Proximorum saluti, ac bono incũbunt.

incumbebant. Quæ sanè pietatis officia hoc præsertim tempore exercere prolixiùs contigit; cùm summus sacrorum Quæstor Clemens Pontifex indicto Anno Seculari sacro Christianum Orbem ad animorum expiationem, opumque diuinarum quæstum publico inuitamento adhortatus, Vrbem populis aperuit, & Cœlum. Planè, vt eorum temporum annales narrant, cùm ob popularem eam luem, quæ restincta non dum erat; tùm quòd ingentibus bellorum motibus perculsa Italia, tutum, atque expeditum Romam iter nullum erat, qui ad Vrbem Romanis sacris indipiscendis confluerent, fuere haud satis multi. Nihilò tamen minus non exiguum nostrorum Patrum opus, ac labor fuit. Nam cùm hoc anno ingens ægrotantium numerus in Insanabilium nosocomio piorum manus deposceret, Nostri, qui eiusmodi charitatis subfidijs, eodemque in valetudinatio assueti iam erant, nouæ nunc militiæ adscripti, ceu acriùs eo potissimùm nomine prouocarentur, non modò antiquam instituti rationem non prætermiserunt, verùm etiam maiore quadam animi incitatione studia conduplicarunt. Quapropter in eam palæstram inuolantes, non corporibus magis decumbentium ministerio, curaque diligenti, quàm procurandis animis pijs adhortationibus, Sacramentisque incumbere occœpere. Toti nempè in recreandis, fouendisque membris esse videbantur, cùm lectos suis ipsi manibus insternerent; contrectarent vulnera, mederentur, illigarent; salutares afferrent potiones, ac propinarent; morbisque omni ope, ac studio aduigilarent. Rursùs toti in animorum cura; cùm ingenerato semimortuæ, luxatçq; huiusce vitæ contemptu, immortalis desiderium ingenerarent; tolerantiæ laudes deprædicarent; ad pietatem, amoremque Dei eorum pectora inflammarent; sacras denique confessiones, aut audirent ipsi, aut suaderent. Ardentissimæ hęc sanè misericordię opera Cardinalis Tareusius, vir omnigena virtute commendatissimus, alijque amplissimo testimonio nostris posteà hominibus denarrarunt. Porrò, siue domi, siue foris religiosi officij munera obirent, tanta id cum morum grauitate, externique præsertim cultus quadam veluti seueritate peragebant, vt in admirationem, oculisque totius fermè Vrbis iam essent: manauitque in vulgus ad eorum laudem non exiguam ea Theatinæ disciplinæ opinio; vt si qui seueriore morum lege, longè ab hominum celebritate, vsque pietatem impentiùs colere instituisset, is Theatinus appellaretur. Ipsos verò Patres, cum domo egredi contingeret, quod tamen perraro erat, & nonnisi pietate ipsa propellente, summa statim commendatio consequebatur: inductam namque eximiam quandam in supercilium, frontemque modestiam, mutatumque tàto cum suo ipsorum contemptu oris habitum in clarissimis, atque adeò notis Aulæ Viris quique mortalium intuentes, ceu magnæ virtutis homines indigitabant, conceptamque animo reuerentiam eo contestabantur, vt nec affatl vltrò, nec interpellare eos familialiter auderet quisquam. Quarè solitum postea dicere accepimus Purpuratorum illum apicem, Antonium Carafam de primæuis nostræ Congregationis Patribus, quod de Apostolis ipsis narrat Lucas: Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis.

Annus Secularis Sacer.

Nostratum studia, ac pietas in Xenodochijs.

Curandis nempè corporib⁹, ac animis.

In pietatis officijs grauitas, modestia.

De is Aulæ iudicium.

Et Ant Cardin. Carafæ dictum.

At quia nunquam sterilis magna virtus, ac fœcunda insignium virorum exempla parere egregios viros solent, sobolescere ea Parentum nostrorum indoles, ac pietas cœpit. Et qui primus ab Ordinis institutione in Clericum Regularem euasit, Apostolica disciplina, ac paupertate illectus, fuit Bernardinus Schottus, nobilis planè noui Sodalitij appendix, cuius, inter amplissimos deindè Augusti Senatus Patres censeri, haud præcipuum ornamentum, ac decus fuit: quippè eo Infularum, ac Purpuræ honestamento maior, ac splendidior longè virtus, ac eruditio illum egregiè commendarunt. Certè, cùm primos plerumque partus robustiores naturam eniti compertum sit, id probauit maximè Schottus primogenita nostrorum Patrum Soboles, futura olim cùm nostro Ordini, tùm Catholicæ rei non mediocri incremento. Natus is est Manliani apud Sabinos, Genus illi oppidò clarum; nam vel ab ipso Gregorij Pontificis Tertij tempore, hoc est, longè ante annos quatercentum, eius stirpis viros publicis tabularum monumentis nobiles appellatos comperimus, ac Sancti Viti, quod est in Narnensi agro Oppidum, præcipua ex parte Dominos. Vetustam etiam Gentis nobilitatem, eandemque Sancti Viti Toparchiam memorat Nicolaus Pontifex Quintus, datis litteris Apostolicis Christi anno 1454. signatæque item tabulæ anni supra

Bernardinus Schottus ad Sodalitatem aggregatur primus.

Eius Patria, ac genus.

sex-

sexquimillesimum octaui sub Iulio Tertio. Qua generis, opumque successione, ac luce facilè sibi plerique persuasere, Sabinenses Schottos eosdem esse cum Parmensibus. Familiæ dignitatem virtute, ac ingenio suo auxit Schottus. Enimuerò omnium penè litterarum studia complexus, iuris prudentiam, cuius lauream, laudemque ingentem est consequutus, insigni Sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum eruditione nobilitauit, ornauitque liberalibus etiam disciplinis, linguarumque varietate; nam Latinam, Græcam, Hebraicam, principes eas linguas calluit ad inuidiam. Romæ dum Aduocatum Consistorialem ageret, iniuit & ipse eam Scholam diuini Amoris, vbi Romanæ nobilitatis flos ad omnem morum, ac pietatis fructum erudiebatur. Suam hic indolem egregius statim Iuuenis Ioanni Petro Carafæ adprobauit, qui vt erat ingeniorum, morumque præclarus æstimator, Schottum, in quo eximiæ cuiusdam litteraturæ, ac virtutis semina egregiam in frugem adolescere sibi videbantur, magni cœpit æstimare. Eapropter cùm instituta posteà Sodalitate, de eadem ipse Schottus ineunda cœperit cogitare, & mox Clericorum Regularium habitum summa animi demissione, contemptuque Aulæ, ac mundi efflagitauerit, mirùm quantùm cùm socij, tùm ipse præsertim Carafa, qui Præpositum agebat, est gratulatus, quòd Is, quem solidæ probitatis, variæque eruditionis nouerat, omnium primus, non contemnendo quidem omine Sodalitium augeret. Ergò die Aprilis mensis trigesima, Christi anno quinto, & vigesimo supra sexquimillesimum, septimo, vel eo ampliùs à fundato Ordine mense, cooptatus in Sodalitatem est Schottus in ea Campi Martij Domo, nec post multò, nempè die prima Mensis Nouembris eiusdem anni Religionis vota ibidem publicè nuncupauit. Scio vetustos nostræ Congregationis Commentarios, sequenti mox anno, eius seculi vigesimo sexto, secunda Nouembris die solemnia eius vota recensere. At errasse proculdubiò existimandum, cùm in conceptæ professionis schedula, quam & scripsit ipse Schottus sua manu, & ipsemet pronuntiauit, seruaturque in Tabulario nostro Veneto, ille idem annus vigesimus quintus, diesque prima signetur. Quòd si integer tyrocinij annus ab ea, qua Religionem iniuit, die non excurrerit, cùm in eo votorum autographo, quod Venetijs seruari diximus, nulla admissi erroris suspicio, dubiumue cadere possit, dicendum potiùs, aut eius ingressum nostris litteris perperàm adnotatum; aut certè, quippe qui primus in ea disciplina capessenda fuerat, & quadam robustæ, adultæque virtutis celeritate, probationis tempus sibi quodammodò festinauerit, peculiari quodam priuilegio ante annum fuisse ad professionem admissum.

Ingenium, ac eruditio.

Carafæ commendatissimus.

Adscitur in Ordinem.

Quo tempore vota nuncupauit.

Probationis annum non expleuit.

Hæc sint de Bernardino Schotto perstricta, cuius nomen, & facta sæpiùs nostras historias exornabunt, aderitque ipse sæpiùs posteritati non semel repræsentandus. Post hunc nouo hoc viuendi genere illecti, in eadem Campi Martij Domo nomen Sodalitati dedere Hieronymus Consiliarius, Pauli Consiliarij, Ordinis Fundatoris germanus frater, & Andreas Versus, Romanus: quibus nec multò post adiuncti & alij: nempè Iacobus Vuannius, Hispanus; Thomas Guerrerius, Siculus; Marcus Pasqualinus, Venetus; Matthæus Sarauellensis, & Petrus, Laicus, Perusinus. Quo quidem duodenario numero adaucto Apostolico hoc Ordine, vt multiplicari gens, ita gliscere omnium lætitia visa est, quòd iam sacris decenter obeundis sufficerent; & cùm virtuti disseminandæ, tùm animorum segeti demetendæ, aptiores eo capitum censu redderentur. Horum verò, quos postremò nominauimus, vix nudam quandam, ieiunamque è nostris Diarijs notitiam, nomenque hausimus: nulla virtutis, eorumque eruditionis in ijs mentio: nihilominus, & morum, & studiorum laude conspicuos fuisse, haud dubitandum, quos grauissimus morum censor Carafa, parique iudicio Thienæus, socijque alij exaugendæ non tàm numero, quàm disciplina, ac sanctimonia familiæ delegerant.

Institutum, & alij capessunt.

Excreuitque ad duodecim Sodalium numerum.

Iam verò, cùm id primum, ac præcipuum sit in qualibet re communi instituenda, ea vt legum momentis firmetur, vinciaturque certis quibusdam institutis; ne varia hominum indole, ingenijsque compacta moles dissoluatur: intra hoc biennium, vt conijcimus, quo in Martiano eo Contubernio sunt commorati, adiecere animum Patres, vt quædam saltem rudimenta legum præscriberentur. Principiò quidem nec Decreta, nec Constitutiones aliquas lucubrarunt, viua prudentissimi Moderatoris voce

Quædā Ordini obseruāda præscribūtur.

voce contenti, petitaque ab Actis Apostolicis ratione, ad cuius normam semet, suosque mores conformare in animum induxerant suum. Planè in hoc nascentem Christianam Religionem imitati, quam in Ecclesiæ exordio legibus non quidem scriptis, sed traditionibus, & voce instructam compertum habemus: & testatur luculenter [a] Cæsar Baronius. Accessere postea scriptæ leges, quæ à iure illo non scripto, ceu riui à primigenio suo fonte effluxere: antiquiores namque non scriptæ leges, quam scriptę fuere: [Prior siquidem anima, inquit [b] Tertullianus, quàm littera, prior sermo, quàm liber, & prior sensus, quàm stylus.] Nostri igitur Ordinis Principes nullam principiò regulam scripsere; sed qui Congregationem ipsi excitauerant, scirentque quo se obseruantiæ authoramento obstrinxissent, nobilium instar equorum, nutu quodam, ac voce tantummodò regebantur. At enim aucto mox Sodalium, fratrumque numero, nec statim Constitutiones ipsas suis numeris expleuerunt; verùm sat illis fuit, summa disciplinæ capita, ac regularum potius lineamenta ducere. Qui verò successere consequenti mox æuo Patres, quæ primæui illi Conditores instituta leuiter adumbrarunt, ceu distinctis, explicatisque corporis partibus, membrisque fusè, ac maturè descripsere. Quæ sic scripta diù etiam apud nos pressa, donec diuturno temporis tractu explorata, plurium generalium Capitulorum suffragijs, & consilijs agitata, adstipulatione, vsuque Patrum, ac totius Congregationis recepta, Summorum Pontificum approbatione, consensuque firmata, excusa tandem typis, ac publicæ luci exposita fuere: de quibus suus erit in loco sermo. Nunc ad summa ea institutorum capita, quæ primum sanxere nostri, redeamus. Nouerant profectò sapientissimi ij quatuor Viri, quod res, ætas, vsus semper aliquid apportent noui: quare non integras, vt significatum est, exactasque in eo Sodalitij exordio Constitutiones tradidere, sed earum veluti libamentum quoddam, ac specimen, vt amplificato subindè Ordine, rem, vt cum Deo primùm prolixiore prece, ita cum tempore ipso transigerent, explorarentque diutiùs, quæ Congregationis bono magis, minusque forent opportuna: atque ita magistra rerum experientia è paucis illis legum elementis, reliquas deindè regulas sancirent, consignarentque. Itaque primo Congregationis biennio Institutionum nostrarum rudimenta quædam sciuere Patres, putamusque ea esse, quæ postea Bonifacius à Colle, compositis ad Episcopum Gibertum litteris, ad illum misit; qui fortè lacessitus tunc stimulis acrioribus è mundi se se, Aulæque curis explicandi, regulas postulauerat. Ea porrò Ioannem Petrum Carafam dictasse, qui vt lingua, ita & calamo promptior erat, auctor est [c] Ioannes Solerius: Sodalium verò, ac præcipuè consilio, consensuque Caietani lucubrata nulli dubium. Nos illa è vetusto exemplari, B. Andreæ Auellini manu conscripto, quod in nostro Paulino Tabulario habemus, iuuat hic exscribere; cùm, vt nulla nostrorum Patrum cura, vt par est, excidat; tùm verò, vt è rudi hoc Regularum schemate intelligat posteritas, cui progressiones Ordinis omnes scire, oblectamento esse debet, quibus se gradibus ad absolutam, perfectamque hanc disciplinam nostra Sodalitas prouexerit. Igitur Bonifacij ad Gibertum Epistolam hic integram adnectamus, quæ alieno quidem tempore conscripta, suum hic nacta est locum opportuniorem. Sic verò habet

Vt secundum Sacros Canones, & professionem trium votorum, videlicet, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ in communi habitu, & vita Clericorum omnes viuant. Paupertatis, vt nemo aliquid possideat proprium; sed omnes in communi, & de communi viuant: non mendicando, quia id Canones prohibent, sed ex oblationibus fidelium sponte oblatis. Item ex decimis, & primitijs, vbi æquum sit, seruientes gratis altari, & Euangelio. Annuos reditus Ecclesiasticos in communi possidere, neque per Canones, neque per professionem propriam prohibemur: tamen eos habere parum curamus, multis ex causis, atque ipsa experientia edocti. Castitatis, videlicet, non solum integritatis corporis, sed & sensuum, atque verborum custodia, & quantum fieri potest, etiam cogitationum, atque affectuum puritate; nec non ciborum parsimonia, ac sobrietate. Mulierum colloquia, & conuersationes, etiam honestissimarum, & sanctarum vitandæ, prout Canones etiam iubent: vbi verò ineuitabilis necessitas, aut lex charitatis aliter iubent, Prælatus iudicet, cæteri obediant. Obedientia in primis debetur Prælato, & Senioribus, tanquam Dei Vicario, & mini-

Non statim scriptę leges.

[a] An. Eccl. ad an. 63. n. 3.

Qui mos fuit primitiuæ Ecclesiæ.

[b] De test. an.

In efformandis Constitutionibus lèni, ac tentabundi procedunt nostri.

Quoad longa experientia, vsuque sancirentur.

Prima regularum rudimenta Bonifacius scripsit.

Quas ad Gibertũ misit, eo postulante.

[c] Tract. M.S. de v. it. cont.

Dictasse illas Carafam persuasum habemus.

Earum exemplar.

Tria vota substantialia.

stris, Deindè fratribus inter se obedientibus, inuicemque seruientibus in charitate. Ita tamen, vt omnia secundum ordinem fiant, vt ait Apostolus, & nemo Prælati, vel alterius officium, vel iubendi auctoritatem sibi vsurpet. Prælatus quoque meminerit nullo modo apud nos censeri præceptum obligans ad peccatum, vbi Dei, vel Ecclesiæ præceptum non est; aut vis aliquem propriæ professionis non ligat.

Præpositi electio. Prælatus electione creatur ad annum, confirmaturque, si ita visum fuerit, vsque ad triennium; eligentibus tantum illis videlicet, qui vocem habent in Capitulo; fitque electio, & confirmatio huiusmodi secundum Canones vel à toto Capitulo, vel à maiori parte totius Capituli; vocatis prius, & expectatis absentibus, quantum expectare oportet.

Nouitiorum probatio. Nemo Nouitius ad probationem, vel professionem admittitur, nisi longo tempore, & multa experientia, & patientia ante maceratus, atque probatus, elapso saltem biennio, aut triennio; idque ex consensu totius Capituli; assigneturque Nouitius ab initio cuidam ex fratribus, qui Deo adiuuante eum instruat, & informet ad nouam vitam.

Diuini Officij persolutio. Officium diuinum nocturnum, atque diurnum assiduè dici solet in choro à Clericis tantùm, atque presbyteris more Romanæ Ecclesiæ; seruata etiam consuetudine eius Ecclesiæ, vel Diœcesis, in qua nos morari contigerit, in ijs, quæ Ecclesiæ Catholicæ non aduersantur.

Sacramentorum administratio. Sacramenta ministrantur gratis per eos, quos Prælatus elegerit, illisque personis, quas ille admiserit: ministrantur autem cum diligentia, ac puritate, fideliter seruatis terminis priuilegiorum, atque exemptionum Sedis Apostolicæ, non abutendo immunitate concessa, sed salua semper reuerentia Prælati, ac Iudicis ordinarij.

Missarum atque horarum Canonicarū ritus. Modus celebrandi Missas, & diuinum Officium, nec non legendi, & pronunciandi, & psallendi in choro, & in Ecclesia, præter rubricas Missalis, & Breuiarij Romani authenticas, & antiquas, vobis seorsim describetur, traditis quibusdam regulis breuioribus, atque facillimis: vbi etiam quando proprium aliquid Sanctorum recipere, vel omittere debeatis, admonebimus.

Vestes. Vestium color, vel habitus certus apud nos nullus iubetur, nullus prohibetur, dummodo is sit, qui honestos Clericos deceat, & sacris Canonibus non repugnet, vel à communi consuetudine illius Ciuitatis, vel Diœcesis non abhorreat, in qua nos morari contigerit.

De domo egredientibus. Nullus Presbyter, vel Clericus solus extra domum procedit, sed accepto comite, & facta prius oratione ante Altare, atque accepta benedictione Prælati. Idem seruatur in reditu. Laicus verò, & qui necessariam curam gerit dispensandæ domus, etiam si Clericus sit, solus exire aliquando non prohibetur; facta oratione, & accepta benedictione, vt dictum est.

Commendatio horæ. Facto signo bis in die ad orationem procumbimus, singulis in suis locis, vel cellulis morantibus, atque orantibus in silentio, & quiete. Manè completis laudibus matutinis, & vesperi in initio noctis; in æstate verò in meridie.

Ieiunia. Ieiunia per Ecclesiam indicta diligentissimè seruantur. Addimus tamen ex consuetudine Ieiunium sextæ feriæ per totum annum, & ieiunia Aduentus Domini, non ex præcepto, sed liberè, & sponte ieiunantes. Communi mensæ nunquam deest Sacra Lectio, vel ex diuina Scriptura, vel ex Sanctorum Doctorum libris deprompta: auditurque magno omnium silentio, nec quisquam, excepto Prælato, de ea verba facere audet.

Legum obligatio. Nullam consuetudinem, nullumque viuendi modum, vel ritum, tàm eorum, quæ ad diuinum cultum spectant, atque in Ecclesia quouis modo fiunt, quam eorum, quæ ad communem vitam intra domum, vel extra per nos seruari consueuerunt, vim præcepti obtinere nullo modo permittimus, nec quemquam ligari volumus in conscientia; nisi Dei præceptum, vel Ecclesiæ constitutio simul concurrat, vel ex propria professione trium votorum ad id seruandum apud Deum teneretur.

Cæterùm quomodo in reliquis omnibus apud nos viuatur, singulariter prosequi, nimis longum foret. Interim qui id scire voluerit, faciat quod ait Dominus, audiatque

que inuitantem eum, atque dicentem; Veni, & vide. Nam inter cætera cognoſcet, quomodò inter nos hoſpitea accipiantur; quomodò probentur Nouitij, exerceanturque, ac demum ad profeſſionem legitimè admittantur: quo pacto iam profeſsis Laiçis, vel Clericis, vel Presbyteris certum aliquod miniſterium, vel officium demandetur, in quo vel communi vtilitati, vel ſingulorum neceſsitati Chriſti amore deſeruiant. Inſuper intelliget, quàm deuotè, atque fideliter vnuſquiſque in ſua obedientia ſe gerere debeat, vincendo ſeipſum, atque alterius proſpiciendo vtilitati, & parendo voluntati; ſicut decet ſeruos Dei, non ſolum in bis, quæ in choro, & in Eccleſia, vel in conuentu communiter fieri conſueuerunt, verùm etiam in ijs, quæ ad priuatum cuiuſque officium ſpectant, videlicet, Sacriſtæ, Bibliothecarij, Veſtiarij, Ianitoris, Hortulani, Coci, cæterarum miniſterij rerum, etiam viliſsimarum; nec non quid ſeruandum ſit circa litterarum ſtudia. Intelliget etiam id, quod eſt omnium maximum, atque vtiliſsimum, videlicet, votorum vim, atque vouentium finem, ob quem in nomine Domini Ieſu Chriſti in vnum congregati ſumus, docebiturque per experientiam quotidiè verbum Domini, eiuſque virtutem dicentis: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me; ingrediens per anguſtam portam, ambulanſque per luctum pœnitentiæ, donec perueniat ad ſinum latiſsimæ charitatis: iudicabitque vana eſſe omnia, etiam apud eos, qui ſeculo renunciauerunt, niſi concupiſcentiæ perdomandæ, & charitati Patrum inuigilet omni induſtria: quæ charitas, vt Beatus Auguſtinus ait, tunc præcipuè cuſtoditur, ſi charitati victus, charitati ſermo, charitati vultus aptetur: addamus & nos, ſi charitati vota, ſi charitati profeſsio, charitati Religio vniuerſa deſeruiat: ſi hanc ſolam violare, tanquam Deum, nefas ducamus: ſcientes hanc ita commendatam à Chriſto, & ab Apoſtolis, vt ſi hæc abſit, vt dixi, inania; ſi hæc adſit, plena ſint omnia. Quæ dicenda ſuperſunt, longè meliùs viſu, & verbo, quàm ſcripto percipies.

Hactenus ad Gibertum Bonifacius. Atque hæ leges primum à Patribus ſcitæ, quibus componi, ac regi Sodalitas cœpit in Campi Martij Domo: vbi elapſo à primis Comitijs anno, alterum Capitulum habitum eadem 14. die menſis Septembris; confirmatuſque in eadem Ordinis Præfectura fuit Epiſcopus Theatinus. At enimuerò, cum minus opportuna ea Ædes eſſet, vti ſignificatum eſt, & quòd experimento didiciſſent, ob nimiam aduentantium celebritatem rerum cæleſtium contemplationi, cui eo potiſsimum Congregationis tyrocinio ex animo addicti erant, nonnihil detrahi; impenſiùs curarunt Patres, vt in aliud ſe ſe domicilium reciperent, vbi nec formandis aliorum moribus, quo nihil prius illis erat, deeſſent, nec tàm obuij priſcæ amicorum conſuetudini, Aulæque negotijs eſſent, vt frequens curarum ſecularium communicatio, quod fundendis Deo precibus, ſacrorum procurationi, inſtituendiſque mortalibus inſumendum tempus eſſet, diſtraheret, ac minueret. Ergò propoſitæ illi ſub Monte Pincio Ædes fuere; & quamuis neque ſitu, proſpectuque amœniores, neque ædificio, aut cultu eſſent percommodæ, vt ait [a] Panuinius; placuit tamen ea loci facies, ac penè ſolitudo: ſtatimque aſſenſu Patrum, eorumque nomine, ære, quod ipſi ſibi in ſolenni bonorum abdicatione ad hoc ſepoſuerant, ab Epiſcopo Giberto coemptæ. Fuiſſe porrò ſub Pinciano eo Colle ſitas è publicis emptionis tabulis conſtat, quæ & earum etiam ſignant confinia; declarantque, ex vna quidem parte Sanctæ Mariæ, cui à Populo nomen, prædium; ex altera verò Æmilij de Capizucchis fundum habuiſſe: proximè mœnia Vrbis imminere, è regione viam vicinalem. Atque hinc haud leui quidem coniectura ductus Antonius Caracciolus, antiqui æui conſultiſsimus, ſcripſit, eam Domum propè veterem Sancti Felicis Ædem fuiſſe, vbi Gregorius Magnus tertiamdecimam homiliam ad Populum habuiſſe legitur. Cuius quidem Eccleſiæ etſi nulla nunc rudera, aut veſtigia inſpiciantur, in eo tamen Colle tunc temporis fuiſſe, haberi docet in quodam de mirabilibus almæ Vrbis codice, Romæ Adriani Sexti tempore excuſo. Hæc Caracciolus opinatur. At Valerius Paganus, Vir è noſtro Ordine integerrimus, rerumque noſtrarum ſtudioſiſſimus, qui octuagenario maior Neapoli Paulina in Domo ante annum ſextumdecimum è viuis exceſſit, in commentario ſuo M.S. ait, luculentiorem ſe loci notitiam à Vincentio Bragadino, Veneto, Patricij ſanguinis, moriſque Viro hauſiſſe anno Domini quinto decimo ſupra

Comitia in Martiana Domo 1525.

Cogitant de commutàdo Domicilio.

Opportunæ Patribus viſæ Pincianæ Aedes.

[a] In Vita Pau li Quarti.

Quo potiſſimum loco illæ fuerint, ex Ant. Carac.

Situm accuratius explorauit Paganus.

Vincentius Bragadinus Noſtratibus addictiſſim⁹.

ſeſquimilleſimum. Poterat id ſcire Bragadinus, qui & ipſe octuagenarius à puero Romæ egerat, noſtris hominibus vnicè carus. Nam optimi Parentes, qui Noſtratibus Venetijs familiariſſimè vtebantur, eorum tutelæ lectiſſimam Sobolem, Romam, Pauli Quarti tempore, primo flore ætatis amandatam, crediderant; & qui egregiæ, viuidæque indolis erat, adoptatus ipſorum opera in Comitis Montorij, Pontificis

Carafis intime familiaris

Nepotis domum fuit, & mox Carolo Cardinali Carafæ operam dedit, fuitque illi cum paucis carus. Is igitur quòd Romæ profundè conſenuerat, & noſtris intimus fuit, à quibus ſcire id potuit, Pagano denarrauit, Pincianam illam primæuæ familiæ noſtræ Domum nunc intra hortos Mediceos claudi, & ſignatè fuiſſe, vbi villici domus in præſens cernitur. Acceſſit eò Paganus, rem ipſam oculorum fide comprobaturus, atque ad ea, quæ publicis tabulis commemorantur confinia, comperit reſpondere adamuſſim omnia. Enimuerò, extra quadratam ingentium hortorum aream ad quendam eorum angulum ſitam villici domum inuenit; atque ad occaſum quidem latifundium, Sanctæ Mariæ à Populo attiguum eſſe, ad Septentrionem Vrbis mœnia; ad Meridiem, antequam hortos ineas, vicinalem quandam viam, nullo exitu: poſtremò ad Ortum hortos ipſos magnificè, ac latè protendi: ac re inſuper cum nobili quodam viro, prouectæque ætatis è Capizucchis communicata, reſciuit, Pincianum eius Gentis prædium fuiſſe olim, vbi nunc Medicea illa deliciarum Prætoria longè excurrunt. Quo ſanè rerum, ac locorum conſenſu prima noſtri Ordinis in eo Cliuo Sedes conſtat. Nec ſtudioſa iſthæc Caraccioli, ac Pagani diligentia in peruestigandis accuratè locis, quos optimi Parentes noſtri ſua virtute nobilitarunt, minimi profectò facienda. Id namque ſciuiſſe, haud exiguum planè curæ pretium eſt; quando efficaciorem quandam in poſterorum animis inijcit reuerentiam, ac voluptatem excitata à locis Maiorum recordatio; & ſiue artificum cura, ſumptuque illuſtria, ſiue abiecta loca ſint, quæ illi triuerint, nec nobilitati, ac magnificentiæ admodùm immoramur, neque obſcuritatem dedignamur; ſed pretioſiorem loco memoriam inſpicimus; illudque arcano quodam, dulcique animi ſenſu tantummodò æſtimamus; illorum ſcilicet veſtigia oculis, præſentique affectu delibare: quod Pomponius Atticus de ſe ipſe teſtatur veriſſimè: [Me quidem, inquit, illæ ipſæ noſtræ Athenæ, non tàm operibus magnificis, exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum virorum, vbi quis habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſèque eorum ſepulcra contemplor.]

Afficiunt poſterorũ animos Maiorũ veſtigia, ac Sedes.

In Pincianas eas Ædes non antè immigrarunt Patres, quàm in eadem Campi Martij Domo, celebratis vertente anno eius ſeculi vigeſimo ſexto, comitijs, eadem Exaltatæ Crucis die, Epiſcopum Theatinum Congregationis Præpoſitum tertium elegiſſent. Illinc verò ſecedentes, quas iam viuendi rationes inchoauerant, eadem morum obſeruantia, ac ſanctitate, eodemque in primis paupertatis cultu, victuſque parſimonia ſunt proſecuti. Neque ea infrequentis loci opportunitate, quæ ſacris præcipuè commentationibus, internæque diſciplinæ aptior erat, ita planè vtebantur, vt reliquarum virtutum exercitia, ea præſertim quæ proximorum vtilitates ſpectant, negligerent. Etenim ab eo Colle, veluti à ſumma quadam ſpecula Vrbem circumſpicientes, publicæ, priuatæque Romanæ rei excubare videbantur, & cùm domi aduentantes inſtruere, tùm perſæpè ſons Theatrum in Vrbe media virtuti ſuæ aperire ſtrenuè contendebant.

Tertijs Comitijs cõfirmatur Præpoſitus Caraſa 1, 26.

Exercitia in Pinciana Domo.

Caraſæ in primis curare hoc anno negotium contigit, ſuis planè cogitationibus, diſciplinæ Regularis inſtaurationi nunquam non intentis, par. Nempè Reformationem illam Ordinis Diui Franciſci, omnium, quotquot antea fuere, laudatiſſimam, Capuccinorum cognomento celebrem: qua, & habitu, & moribus ad auſteriorem Seraphici Parentis diſciplinam exactè conformatis, viſa eſt priſca ampliſſimi Ordinis pietas, aſperitas, atque innocentia vitæ tanto cum Orbis fructu, atque Eccleſiæ ornamento rediſſe. Quid nobiliſſima in hac familia inſtituenda contulerit operæ Epiſcopus Theatinus [a], Annales Patrum Capuccinorum cum laude memorant; & nos hic adnotabimus ad flagrantiſſimi Parentis noſtri commendationem, qui & ſuam diſciplinam inſtituere, & alienæ inſtaurandę incumbere æquè egregij pectoris, atque officij eſſe exiſtimauit. Attulerat igitur Romam Ludouicus Foroſempronianus, Vir è Fran-

Patrum Capuccinorum Inſtitutionẽ iuuat Carafa.

a Bouer. An. 1, ad an. 26.

è Franciſcana familia præferuidi ſpiritus, magnam eam reſtituendi ſui Ordinis mentem, vt qui non modò à ſuis ingens conſilium non probari, verum etiam, ceu nouarum rerum molitorem, acriter ſe impeti, atque oppugnari cerneret, rem grauiſſimam cum Pontifice ipſo coram tranſigeret. Sperabat porrò, ſi ſemel orari Pontifex poſſet, fore vt ille exoratus, quæ poſtulabat, gratanter annueret. At eius temporis curæ maiores profectò erant, ac plures, quàm vt ipſe maturè admitti, atque audiri vota ſua ab eo poſſent. Accidit verò, commodum, dum Vaticanas Ædes iniret, vt Pontificis Eleemoſynarium offenderet, qui inſolens, nouumque indumenti genus admiratus, eremitam illum credidit: Et qui ſpectatæ pietatis vir erat, acceſſit ad hominem propius, ac de mundi fuga, breuique, ac precario mortalium æuo ſermonem cum illo ſerere ſtatim cœpit. Mox quod recenſerat præclarum Ioannis Petri Carafæ exemplum, ad ampliſſimum Virum orationem conuertit. Illum natalibus, ingenio, ac principum gratia florentem, opum, humanæque gloriæ mendacia auſu magnanimo contempſiſſe: geminum inſuper Sacerdotium, aulamque abdicaſſe, excitatoque cum ſocijs Apoſtolico Ordine, non priuatam modo vitam, ſed aſperrimam iuxta, ac beatam, Diuiſque proximam ad Montem Pincium excolere. Ea laudum commemoratione erectus Ludouicus, quòd probare Eleemoſynarius morum obſeruantiam, exactamque paupertatem in Carafa videretur, haud quidem fraudi ſibi, ſuoque conſilio futurum exiſtimauit, ſi cum egregio Viro ſuam, aliorumque de Reformatione mentem communicaret. Quamobrem inſtituti ſui rationem confeſtim aperire: quæ veteris diſciplinæ inclinatio, & labes in Ordine, quæ reſtituendi neceſſitas, quæ à Deo ſibi, eiuſdemque familiæ pleriſque iniecta mens, explicare demum omnia, quæ ipſi efflagitare à Pontifice conſilium erat. Cui ille, opportuniſſimum, inquit, erit, hunc ipſum Carafam adire, cui ad ardua iſthæc reformationum moliminа præclarus quidam animi impetus; & qui ſumma apud Pontificem virtutis, ac prudentiæ opinione eſſet, non dubium, quin poſtulatis & momentum, & opem afferre poſſet, & volet profectò, vt qui magna facilè concipit, & ingenti mox ardore animi, zeloque promouet. Dum hæc audit, reputare apud animum ſuum Ludouicus cœpit, altiſſimo ſæpe conſilio fieri, quæ fortuita, atque obuia quædam occaſio videtur adportaſſe. Quare non hominem audire, ſed diuino quodam oraculo erudiri ſe putauit: nec ad eam Numinis vocem cunctandum. Itaque Carafam ad Montem Pincium conuenit: quam de ſinceriore diſciplina, inſtaurandoque Ordine mentem geſtaret; quæ molitus hactenus fuerat; quo res loco tunc erat, edocere: poſtremò, iuuaret ipſe quà conſilio, quà ope diuinum opus impenſiùs precari. Dixiſſe Ludouicum, ac reformandæ obſeruantiæ ſtudium explicauiſſe, inflammaſſe Carafam fuit: abundè namque facunda, acrique oratione vrgere ad id genus conſilia incitatiſſimum eius animum, ſuperuacaneum erat. Ergo, quod non exiguo rei Chriſtianæ compendio futurum, ſuo iam animo, ac iudicio prædiuinaret, ſi priſca Franciſcanæ diſciplinæ, ac paupertatis aſperitas redintegrari contingeret, Ludouicum, eiuſque propoſitum enixè complexus, docuit illicò, quo in id opus ſtudio incaluiſſet. Enimuerò Pontificem adijt, eaque dicendi copia, ac pondere, quo res magnas perorare ſolitus erat, cauſam commendauit: mox impetrato ipſi Ludouico ad eundem acceſſu, rem omnem non modo adgubernaſſe ipſe, ſed & confeciſſe quodammodò viſus eſt. Quippe eo Carafæ adiumento, duſtuque, & exponere Pontifici poſtulata, & impetrare ſignatis litteris potuit Ludouicus. Nec ſatis propterea mirandum, quod [a] Renatus Chopinus, renaſcentem hanc primæui Ordinis obſeruantiam Epiſcopo Tbeatino tribuat, ipſum Patrum Cappuccinorum Inſtitutorem, & Auctorem vocet: quando tanta in eo negotio contentione animi inſudarit: vt auſpicatiſſimi euentus laus integra tribui quàm quimeritò illi potuerit. Cæterùm vt accuratam operam in ea re poſuiſſe, ac fauiſſe egregiè Reformationis rudimentis ſua, qua apud Pontificem gratia valebat, veriſſimum omninò eſt, ita totius magni operis Architectum aſſerere, atque appellare Conditorem, vltrà hiſtoriæ fidem eſt. Gratulatum verò ſummoperè Carafam, cùm adoleſcere nouis ſubindè incrementis, ac propagari longè, latèque eum Ordinem, ceu curarum ſuarum partem vidit, addictumque illi eo nomine ſemper fuiſſe: & cùm Purpuratum, tùm Summum Pontificem eximio quodam ſtudio, affectuque proſe-

Fr. Ludouic. Foroſempronianus Romam adit.

In Pontificis Eleemoſynarium caſu incidit.

Qui de Carafa ſermonē inſtituit.

Conſiliū de reformando Ordine cum Eleemoſynario communicat Ludouicus.

Qui ad Carafam mittitur.

Et illi propoſitam mentem aperit.

Negotium insigni ardore complectitur Carafa.

Cum Pontifice ea ſuper re agit, & impetrat Ludouico acceſſū.

[a] De Sacr. Polit. lib. 3.

Appellatur Cappuccinorū Fundator.

Quamuis nō integra hæc illi laus debeatur.

Mutua inter Cappuc. & Cler. Reg. beneuolentia.

cutum fuisse, comperrum omninò est. Cuius planè communis veluti Parentis beneuolentiæ conscia vtriusque Ordinis Clericorum Regularium, & Cappuccinorum posteritas iure se hæreditario, ac præcipua inuicem charitate complectuntur.

1527.

Romanæ Vrbis direptio.

Hæc igitur Carafa in Pinciano eo secessu, vbi cum socijs, ac cætera sobole itapropriæ litabat tranquillitati, vt Reipublicæ Christianæ bono adlaborare strenuè non parceret. At enimuerò, præclara hæc studia exercere, ac nactæ quietis felicitate frui, non diù illis contigit. Siquidem commune Vrbis Romæ fatum, quod insequenti mox anno septimo, & vigesimo Sacras, profanasque res omnes vno, eodemque turbine inuoluit, nostros maximè diuexauit; coegitque coalitam recens Sodalitatem Romano solo euulsam, Pinciana ea Domo, ac Vrbe simul excedere. Planè, cùm post varias inter Carolum Cæsarem, & Clementem Pontificem simultates, quæ scissam in partes Italiam, Europamque diù, ac dirè exercuerant, affulsisse tandem pax Orbi videretur, illata Romæ fuit memoranda seculis omnibus clades; per se quidem supra hominum fidem, ac tolerantiam acerba; sed quòd percusso iam inter Romanos eos Principes fœdere, pulchræ, optatæque pacis opinionem conceperat gens Romana, longè acerbior fuit. Pulsant siquidem animos vehementiùs, quæ tunc accidunt mala, cum minùs timentur. Inuexisse eam porrò vastitatem non quidem syderum positionem, complexumque, sed quæ fatum Vrbibus, Regnisque faciunt, scelera, constanter, ac verè pijssimi mortalium existimarunt. Illa nanque, vti memoratum est, tempora, ac mores vsque adeò incestauerant hominum vitia, vt expiari tanto igne, ac ferro vindice vix potuerint.

Eius causa, hominum scelera.

Feralis Cometes illam prænunciat.

At, prolusisse tantæ rei Cælum voluit, ac ingens exitium præmonuisse; vt aut tæderet criminum homines, noxamque, ac mulctam diluerent, si saperent; aut cumularent pœnam suam peruicacia. Visus igitur in primis ad Occidentem sub id tempus Cometes, prolixiùs, atque horride iubatus. E rotundo, recuruoque vertice miræ cuiusdam longitudinis ensis promicabat; sparsoque multo hinc inde sydere vtraque acies, ac cuspis ab eo astrorum fulgure coruscabat. Mutua insuper ea radiorum mixtione, ac syderum repercussu Iris quædam, arcusque efformabatur. Die appetente per horam, & eò ampliùs, atque in ipso interdum noctis conticinio cernebatur, implebatque scenam suam: nec dubium, quin luctuosum Romanæ Vrbis casum funesto eo syrmate repræsentaret. Hæc [a] Rouerus Pontanus ex Commentarijs *Conradi Licosthenis*, & Sebastiani Franchi. Eo item anno & alia terrarum, Cælique prodigia, ac monstra terruere: quæ vastationem Vrbis non obscuris quidem indicijs interminari videbantur. Narrat porrò Sanctorius, qui hæc accuratè adnotauit, mare insolito quodam velut œstro lacessitum apud Baias, Cumamque, littora præruptis fluctibus occupasse. In Lucania armatas palàm acies in aere conflixisse, atque arietasse inuicem nubes. Tonuisse horrendum in modum Capuæ, tactasque cælesti igne turres. Grandines ruisse penè bilibres, eo ventorum turbine, vt tecta ipsa, ingentesque arbores excinderet. Ad hæc exsudasse Diuorum plerasque imagines; Neapoli præsertim Diui Ianuarij cruorem nullo obiectu Capitis colliquatum; quod vt insolens, ita certum luculentæ, vicinæque cladis documentum fuit. Nempe illachrymari suo sanguine Romæ, hoc est, sacro Orbis Capiti semel voluit Ianuarius, qui toties ad suimet aspectum verticis sibi plaudit, gestitque.

a De reb. mir. lib. 5.

Et alia per Italiam prodigia.

D. Ianuarij sanguis minimè eliquatus, cladis indicium.

Prędixere & Viri probi.

b Bouer. An. Capuc. ad an. 24.

Augustinus Fulginas è Franc. Famil.

Iam verò, qui superiore quodam lumine afflati, probique viri eandem Vrbis direptionem conceptis verbis prænunciarint, fuere non sanè pauci. [b] Memoratur Augustini Fulginatis è D. Francisci Ordine, compertæ virtutis, ac futurorum conscientia in paucis clari, illustre vaticinium. Is quidem in celeberrimo Sanctæ Mariæ Angelorum Cœnobio post pias cum germano fratre allocutiones, sacrasque de Christi Domini gloria, pœnisque commentationes, correptus Numine, luculenta prænotione eam temporum acerbitatem anteuertit. Siquidem affatus repentè fratrem: grandia, inquit, spectanda tibi, ò frater, neque cunctandum diù est, cum Summam Potestatem, ac Vicariam Christi Sedem inibit natus Florentiæ Pontifex. Væ tunc Romanæ Vrbi. Eheu, Eheu Roma infelix, qui decumani in te fluctus, quæ toleranda malorum Ilias. Hæc Augustinus. Sed illa propior admonitio, instante iam penè pro foribus malo. Narrantque [c] Pontanus, qui supra, & [d] Surius. Agebat tunc Romæ Vir

c Rer. Mir. lib. 4.
d An 1527.

quidam

quidam aspero cultu, habituque, ac nudis ad austerioris vitæ specimen pedibus, seueram quandam virtutem professus, qui impendentem Romanis ceruicibus securim per Vrbis templa, viasque, ac compita constanti quadam declamatione publicè deprædicabat. Præcipuè haud multò antequàm procella detonaret, hoc est, solemni Dominicæ Cœnæ die, cum Pontifex vnà cum amplissimo Senatu, Romanique proceres, atque Vrbs ferè omnis in principe D. Petri Templo Sacris interessent, Ioannes Baptista, id Viro nomen, Aram, vbi æreum Principis Apostolorum simulacrum erat, conscendens, nihil confessus maiestatem veritus, inter publicas, sacrasque eas functiones monere Pontificem, Augustosque eos Patres cœpit, incondita quadam, ingentique voce: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum; ecce modò tempus, emendate vitam. Insanientis deliramentum id omnes putarunt: nulla proindè dictis fides; etsi inclamaret porrò ipse, vrgeretque, haud insanum quidem se, sed præconem esse Numinis, suæque legationis summam eam esse, Nisi discinctos mores suos proscriberent, aliasque instituerent vitæ rationes, fore, vt sibimetipsis, Romæque ingens, atque ineluctabile malum maturarent. Quod cum die Paschatis, eodem ipso theatro audiente, decantasset, acriter vapulauit, vinctusque in carcerem est compactus. Ille vultu quidem sereniore, ac composito nihil isthæc pensi habere: addebatque, & iniuriam suam, & eorum potentiam haud satis duraturam; quod quidem irruptis mox barbarorum copijs acerbior exitus comprobauit: emissus namque è custodia ipse est ab excurrentibus militum phalangibus, quos & ijs dictis animabat: Ne Romano auro, ac opibus parcite Milites, tempus, & fatum Vrbis id poscit. Quicquid Principum ingluuies, ac diuitum magnificentia congessit, vobis cumulatum: hæc toto ex Orbe coacta opulentia, deuotæ sunt vestris armis, triumphisque manubiæ. At scito, fore breui, vt hausta vos patrimonia euomatis. Euenitque euestigiò quod Vir bonus prædixit. Enimuerò intercepto teterrima lue exercitu, deletisque magna ex parte copijs, direptæ opes aut Romæ ipsi cessere, aut per Italiam dispersæ; nihilque vltra montes præter crimen, ac sempiternam nominis infamiam extulere. Id quod & Genserico Vvandalorum Regi contigisse, compertum [a] historiarum monumentis habemus; qui expilatam Romam traijcere in Africam minùs potuit; hausta naufragio classe, quæ vim auri ingentem, ac peregrinæ artis opera asportabat; nempè insatiabili pectoris Charybdi successit pelagus. Eodem planè Diuinitatis instinctu, & hominem alterum externi quidem cultus, & Patriæ Romam sub id tempus circumcursantem simili vaticinio accepimus. Sæpius declamantem, sæuamque futuræ cladis faciem vulgò obiectantem Andreas Adorius Senensis, Vir eximiæ inter aulicos notæ, redarguit. Caueret nempè, ne importuna ea dicendi licentia infausto præconi inuidiæ, damnoque foret. At ille, nihil porrò esse, cur pertimesceret, imperterritus affirmabat; etsi præbere ob eam causam iugulum oporteret, glisceret punitæ libertati existimatio, ac fama.

Ingentis calamitatis pauca hæc è multis, quæ peti ex historijs possunt, vaticinia, atque omina, excerpsisse abundè est. Offert se se modo ipsa Clades describenda. Itaque Carolo Lanoio agente, qui tùm rem Neapolitanam, Regnumque procurabat, ea lege Clemens Pontifex Septimus cum Carolo Cæsare pacem sanciuit, vt Lanoius ipse Carolo Barbonio, qui iam lectissimis cum Cæsarianis copijs pleno gradu, ac populabundus Romam contendebat, occurreret, sisteretque vltima meditantem, ac minitantem Vrbi mala, inito iam pacis consilio, ac sacramento. Erat hic Borbonius excelsi quidem vir spiritus, ac militaris ingenij, sed qui non vna dedecoris nota regiam stirpem, ac bellicam laudem, nomenque commaculauit. Vtriusque namque Maiestatis, diuinæque, humanæque reus, Regem suum læsit, cum obligatam Principi fidem exuit, adhæsitque Carolo Augusto; Numen, cum in Vicariam eius in terris potestatem, sacramque Vrbem impiè est ausus: cumulauitque mensuram criminum in Cæsarem ipsum perfidia, cuius etiam obsequium eierasse visus est, adfectati Regni Neapolitani opinione. Preclaris hisce virtutibus delibutus Dux Borbonius, nec pacis sanctione, nec Caroli Lanoij auctoritate retardatus, institutum iter, ac scelus maturauit: raro nempè, quam semel concepit vir improbus, mentem exuit. Superato itaque ad Aretinas Alpes Appennino, Romam opinione celeriùs inuolat; ac mirùm qua

Margin notes: Alia immitentis vastitatis præsensio. — Ad Pontifice & Cardinales. — Vapulat proptera, quod insanire creditur. — a Baron. Ann. ad an. 1455. — Hoc ipsum & alius vaticinatur. — Vaticinia insequitur mox calamitas. — Dux Cæsariani exercitus Carolus Borbonius. — Flagitijs coopertus.

Vrbis muros aggreditur.

Nec ingreditur, traiectus pila.

Sed miles in Vrbē irruit.

qua perditorum hominum phalanges alacritate muros aggressæ, qua felicitate ingressæ Vrbem sunt, cæsis Romanorum præsidijs, ac prętorijs in primis Heluetiorum cohortibus ad vnum contrucidatis. Victoriam, ingentemque prædam, quam vorauerat animo, nec delibauit quidem Dux ipse Borbonius: plumbea namque traiectus glande, dum Vaticana in mœnia eniteretur, tot impij capitis crimina, superbosque ausus in Sacrosanctum Orbis Templum non importauit, ac promerita morte Populi Romani internecionem, ac vastitatem priùs luit. Cæterùm eo Ducis vulnere, casuque velut acriùs incitatus, erectusque, pridie Nonas Maias in Vrbem effudit se se Miles, turbinis planè in morem, omnia quaquà versus obuia deuastantis. Abiecisse humanitatem, ac pietatem omnem visa ea gens, è diuersarum nationum vitijs, ac fæce conflata. Enimuerò nisi in Deum obsequium, factumque ad clementiam hominum ingenium eierassent prius, edi tanta mortalium strages, tanta Vrbis direptio, tanta sacrorum contumelia non potuisset. Nulli tunc Romanorum ab ea irruptione perfugium: ætatis neque acerbitati, neque senio parcebatur: nulla sexui reuerentia, aut pietas: nulla dignitatis, aut Infularum ratio: sanctitas neque loci, neque personarum munimento, ac præsidio erat. Diffusa latiùs per Vrbis compita, domosque infamis illa densissimi agminis colluuies neque fugæ, neque latebris locum dabat. Cædes, rapinæque ea passim crudelitate, atque auaritia miscebantur, perindè ac si auri, ac sanguinis sitis æquè praeferoces animos extimularet: ac primo statim impetu nece omnigena grassatum, vt partium inuidiæ, ac suęmet indoli magnificè litarent Romano sanguine: accedebatque truculentiæ impietas; cùm nec sacris templorum adytis parcerent; sed ante ipsas Diuorum Aras confugientes, ac supplices iugularent: ceu tunc demum impiam sitim extinguerent, cum Cælitum puluinaria, sacrarumque Ædium pauimenta cæsorum cruore natarent. Augebat porrò vires, animosque prędæ cupido, quæ lymphatas huc illuc, furentesque trahebat copias. Pretiosum cuique periculum opes suæ erant; sæuitumque in ditiores quosque ferociùs; quos nisi prodita confestim opulentia, ac numeratum aurum redimeret, supra Phalaridem tormenta excruciabant. Direptæ Principum virorum ædes; rapta, discerptaque tumultuaria ea militum confusione aurea, atque auorum curis supellex desudata: effracta, quæ moueri loco nequiuerant, pulcherrimorum operum signa, ac statuæ, picturæque nobilium artificum corruptæ, non exigua planè cum priscæ artis, ac magnificentiæ iactura. Atque hæc ipsa mitiora fortasse videri potuissent, nisi in vacua subindè tecta inuolasset ignis; conflagrabatque non vno in loco Vrbs, ad scelerum pompam: aut ne esset feralis ea scena obscurior. Hanc porrò auaritiam expleuere in primis Ecclesiarum rapinâ. Sacraria siquidem templorum, ac templa ipsa potissimùm irrupta, ac populata. Sacrum omne instrumentum pretio, ac Religione præsigne, & quicquid vspiam sancti, ac pulchri, violatum, expilatumque. Erat in D. Petri Sacrario solido ex argento Christi in Cruce traiecti, magni ponderis, ac prægrandis ad iustam hominis staturam, imago, quam inclyti nominis Carolus Magnus Cæsar inter pleraque, eaque magnificentissima suæ pietatis monumenta, Leone Tertio Pontifice, Sacræ eidem Basilicæ insigni dono dederat. Pepercere huic duntaxat signo sacrilegæ barbarorum manus, quod nimia vetustate, annorumque situ inumbratum, putauit ex ligno esse cæca semper auaritia. At Dei profectò id nutu contigit, vt esset mox in eo Templo vnde Sacrorum vsus, ac diuina ipsa mysteria instaurarentur. Eximium namque hoc optimi Cæsaris munus æuo suo, cultuque venerandum, vt facere Sacerdotes ad Aram possent, refigendum, conflandumque in calices, Cruces, ac reliquam supellectilem fuit, nam sacrum vas omne expilauerant impij prædones. Ad hæc in Diuorum monumenta, ac puluinaria consceleratè perindè, & cupidissimè sæuitum. Nam sacro eorum Cineri fucum fecere ornamenta; & ceu non sat fuerit vna olim martyribus quæstio, semel iam passi, iterum diuexabantur, vt quod eorum Lipsana aurum, argentumque integebat, corraderent. Ferunt, & defunctorum domos ingressos, ipsam excussisse cariem, euoluisse ossa, ac nudos manes, vt Antistitum manus gemmis expoliarent. Tantum scelus nec valuere sepulcrorum tenebræ occultare. Porrò, lectissimarum Virginum, ac illustrium matronarum pudori illusisse; vim sacris Gynæceis intulisse, incestasse impiè sanctimoniales, vulgaris barbarorum lusus fuit.

Nulli parcitur.

Cædibus sæuitur.

Ante aras ipsas.

Publica populatio.

Incendia.

Sacrorum direptio.

Christi in Cruce affixi signum, Caroli Magni donum.

In Diuorum reliquias furunt.

Defunctorū monumenta expilant.

Virginum, ac matronarum pudor læditur.

fuit. At quota hæc clades, ac contumeliarum pars, quas tenebrionum, lixarumque teterrimorum furor intulit Romæ, cum plerisque abstinendum consulto sit; quæ sine humani generis conuicio perscribi, narrarique profectò nequeunt? Fœderatas veluti vires, auaritia, libido, hæresis tanto facinori patrando attulere; vt mirum non sit, vbi Lutheriana potissimùm impietas agmen duceret, tanta esse ferirate debacchatum, quanta nec barbarorum, ac longè crudelissimorum Regum par, Totila, & Gensericus, aliique Romani nominis, solique euersores insaniere. Ac de Totila quidem [a] Paulus Orosius narrat, in ipsa aggressione Vrbis edicto cauisse, vt sacro auto parcerent milites, ac cædibus in Ecclesia patrandis temperarent. Idem [b] Baronius de Genserico, qui ab Eudoxia Augusta, vindicando Maximo Imperatori accersitus, etsi ingentem ab Africa diuitiarum sitim afferret; principes nihilominus, ac Cæsarum munificentia opulentiores Ecclesias, nempè Constantinianam, Vaticanam, & D. Pauli intactas voluit, nullæque intra sacros eos parietes violentæ, cruentæque manus visæ. Borbonica verò hac vastatione nullibi sæuitum crudeliùs, nullibi copiosiùs exundauit innocentum sanguis, quàm in Ecclesijs, nulla profectò reuerentia, metuque Numinis: cuius etiam viuam in terris, spirantemque imaginem, hoc est, Romanum Pontificem armis circumuentum prædura obsidione in Adriani Mole conclusum, enectumque fame, ingenti pretio, venalique purpura redimere non dubitarunt.

Virginum, ac matronarum pudor læditur.

Nec Sanctimonialibus parcitur.

Talia non olim Romæ Totila, & Gensericus.

a lib. 7. c. 29.

b Ann Eccl. ad an. 1455.

Sacrilegæ in Romanum Pont. manus.

Infandam hanc barbarorum audaciam, iniectasque in Supremum mortalium manus acerbissimo animi sensu excepere boni omnes. Carolum in primis Cæsarem funestissimus rei nuncius vehementiùs perculit, indignatum maximè, quòd quæ suis auspicijs, sibique arma militabant, palmare id facinus admisissent. Et qui tanti piaculi immunis omninò erat Princeps religiosissimus, ne Romanis fastis ea calamitas suo nomine notaretur, confestim à criminis conscientia, ac publico Orbis siue iudicio, siue conuicio famam suam absoluit, vindicauitque. Nam quæ pro Philippi Principis natalibus celebrandis pompa, ac theatra parabantur, silere extemplò iussit, ac ceu domesticum, & grande funus duceret, indicto iustitio, attratus ipse, Aulæque proceres, omnique regia Domo ad mœrorem composita, cladem hisce tristitiæ imitamentis sunt prosecuti. Tùm, sequum animi peracerbum, quo Vrbanam hanc irruptionem inandiuerat, Senatui, Populoque Romano significauit Imperator, datis ad eos litteris, quibus attritæ, diuulsæque rei Romanæ ea affectæ mentis testificatione indoluit, vt suomet sanguine, deplorandam in omnem posteritatem cladem, redemptam vellet: addiditque, nisi pristinam Gentis sospitatem, corruptamque rerum faciem instaurandam feliciùs speraret, nullo vnquam tempore mœrori temperaturum.

Cladē peracerbe accipiunt boni omnes.

In primis Carolus Cæsar.

Publicum mœroris imitamentum. Pullata Aula.

Eius ad S.P.Q.R. litteræ mœstitiæ indices.

Quod autem ad nostros homines spectat; ex edito eo Pinciano Colle prospectare otiosos, ac desides excidium Vrbis, principiò quidem crimini, ac pudori sibi duxere. Eapropter in discrimine summo rerum non modò animum non despondisse visi sunt, verùm etiam militari, atque incondito eo gentium, armorumque strepitu, ceu classico in arenam vocati, incitatique, prosilire in aciem, opem, quam in ea temporum acerbitate poterant, laturi. Statimque huc illuc inuolare, consternatos metu erigere, dictisque animare: reuocarent nempè fortes animos, ac tolerantiam, inuocarent Tutelarium Cælitum præsidia, propitiarent iram Numinis: visique interdum, præcipuè Carafa, cui ex ipso ore, aspectuque dignitas, ac vis dicendi ingens, grassantes impiè milites increpare, appellare acriter, ceu læsi Numinis reos, ac Cæli fulmina, dirasque Christianas promeritos. Acciditque, vt agnitus ab excurrentium Hispanorum globo fuerit Carafa ipse, quem pridem Catholica in Aula summo loco viderant apud Ferdinandum, & Carolum Reges; & qui Gentis mos est, Infulas, ac sacrorum ministros profundè venerari, consalutare Episcopum Theatinum, atque in genua prouoluti, vt benedictionem elargiretur, precari. Quibus ille, cùm ea honoris illecebra, tùm periculis maior, grandi quidem supercilio, sed quod de Religiosi hominis modestia nihil delibaret: Me ne vobis, inquit, impia capita, salutari signo bene precari, qui ira tot sceleribus Numina prouocatis? ausi vos benedictionem petere, imprecationibus, dirisque omnibus deuouendi? Quinimmò ite maledicti in ignem æternum. Hæc Vir zelo flagrantissimus, cui Dei, & sacrorum causa, quàm vita potior. Quæ Cardinalis Tarusius, quem supra memorauimus, & senior Glorierius, summæ notæ

Quid in eo rerum discrimine Nostrates?

Primò circumire Vrbē, Ciuesque ad tolerantiam adhortari.

Atque increpare milites.

Carafa in Hispanos inuehitur.

Antistes, & Franciscus Carafa, & Vincentius Vicentinus litteris consignarunt.

Sed hæc initio cladis.

Hactenus nostri eo potissimum cladis initio, vt communi malo collatis operis obluctarentur. Verùm crescente furore militum, cum animaduerterent, longè acerbiorem esse eam Vrbis calamitatem, quàm vt propulsari paucorum ope, aut voce posset, in Pincianam domunculam, veluti in munimenta, ac stationem sese è pugna recipere decreuerunt: vt aut incolumes prece, ac lacrymis, quæ certiora sunt Vrbium præsidia, laborantem iuuarent Romam; aut quando sic Numini placuisset, gladium & ipsi, palmamque pulchræ mortis ab furentium hæreticorum manu expectarent.

Calamitati impares Domum se recipiunt.

Ergo ijs Ædibus recepti, conclusique, vt publicæ saluti assiduis supplicationibus litarent, in ingentes sese mox angustias coniectos intellexere. Enimuerò nullo commeatu instructi, credi vix potest, qua statim victus difficultate, rerumque omnium inopia cœperint laborare.

Summa rerũ inopia laborãt

Sustentabatur ea familia, quæ vti significauimus, capitibus iam censebatur omninò duodecim, spontanea piorum hominum liberalitate, quibus tunc, aut fuga dilapsis, distractisque, aut acerbè diuexatis, qua tandem parte effunderet sese in pauperum sinum pietas, non respectabat.

Fugatis pijs Viris, quibus alebantur.

Præcipuum Theatinæ paupertatis columen erat Matthæus Gibertus, qui vt nascenti Sodalitati Beneuolentissime adfuit, ita adolescentem subindè fouebat oppidò munifica manu. Is autem vsque adeò ea clade fuit diuerberatus, vt in eius præsertim caput detonuisse ingens procella videretur.

Gibertus in primis ea clade interceptus.

Siquidem cum magna auri vi coëmere libertatem suam, Romanamque incolumitatem Pontificem oportuerit, vsque dum id pecuniæ penderetur, coactus, præter obstrictam fidem fuit, obsides dare Antistites omninò quatuor magni nominis, ac diuitiarum fama, censuque celebriores, inter quos non postremus fuit Matthæus Gibertus.

Pontificis obses,

Cumque cudi pactum aurum, corrogatique non tàm citò posset, supremo in clarissimos eos Viros supplicio sæuire, moræ impatiens, ac sacrilegus miles statuit. Cœptumque à Giberto facinus, qui in aciem Campi Floræ ad suspendium eductus, ac malæ cruci proximè admotus, infami eo mortis genere fabulam dedisset populo satis luctuosam; nisi tempestiua Pompeij Cardinalis Columnæ commiseratio, ac dignitas, indignum optimo Viro fatum auertisset.

Patibulo admouetur,

Sed Card. Columnæ opera liberatur.

Tanti Viri liberalitate, aliorumque, quibuscum haud clementiùs fortuna luctabatur, pietate destituti Patres, eò sunt egestatis redacti, vt & suæ ipsorum tolerantiæ, & diuinæ simul prouidentiæ, quę conclamatis maximè rebus adest, insigne periculum fecerint. Virum namque Dei bonitas egregiè pium, atque industrium excitauit, qui è publicis viarum sordibus quæsitam vtcumque annonam, alendo illi piorum hominum cœtui importabat.

Collecta è triuijs annona victitant Nostri.

Enimuerò, cum in confusa ea rerum direptione, præcipiti militum auiditate huc illuc præda distraheretur, facilè festinantibus, ac prementibus mutuò sese rapinatum quid elabebatur, atque his quidem frequenti attritu pedum corruptis, pressisque ciborum analectis, ea familia alebatur: quo etiam delicatiore obsonio interdum deficiente, non semel contigit, vt vnicum panis frustulum inter duodecim eos Patres diuideretur.

Quæ interdũ deerat.

Sed neque ad Lydium hunc paupertatis lapidem auream magnorum pectorum virtutem, ac patientiam explorare sat fuit. Planè, qui martyrio proludere eo famis incommodo videbantur, potiri mox ea laude, ac laurea ferro, exquisitisque tormentis penè visi sunt. Siquidem qui nullum expilandi finem faciebant, nullumque, quem non effringerent locum, scelestissimi mortalium prætermittebant, irrupere tandem in eam ædiculam, idque bis præcipuè; Germanis, Hispanisque, successiuis operis, certatimque in fortissimos Viros effusis.

Irrumpunt in Ædes Germani.

Germanorum maium eò duxit quidam ex eadem Saxonum Gente miles, qui diù inter Caietani famulos, antequàm ille Christo, ac paupertati nomen daret, Vicentiæ adnumeratus, splendorem generis, opesque Thienææ Domus, ac sui potissimùm olim Domini nouerat.

Duce gregario milite, Caietani quondam famulo,

Is è Germania, quò se posteà receperat, Romam venit, secutus Georgij Fraispergij signa. Eius nempè Ducis, cuius ingenium, ac mentem Lutherianam vel hinc liceat coniectari; quòd cùm alij aliò arma, ac spes suas nefaria in ea expeditione destinarent, aurato ipse laqueo, quem sinu gestabat, ostentabatque iactabundus suis persæpè copijs, iugulum Romani Pontificis designabat.

E Georgij Fraispergij phalangibus.

Quod teterrimi Viri votum, superbosque in Sacrorum Principem conatus is exitus excepit, vt antequàm ad sacram Vrbem appelleret, repertina paralysi correptus, ac remensus in Germaniam iter, vitam consceleratam morte haud

dispari

dispari clauserit. Sub hoc tanti nominis, ac perfidiæ Duce, illuuiem, fęcemque omnem Lutheranorum confluxisse, non dubitandum. Plerosque igitur ex ea classe tenebriones animauerat ille, quem diximus è Caietani olim familia. Resciuerat fortè Pinclana ea domo Thienæum degere, ratusque antiquas opes, fortunasque cum eo vnà delitescere, ingenti spe prędę truculenta cum ea grassatorum manu eò peruenit. Assueti iam id genus irruptionibus Patres, obiecta statim pauperie, propulsare & eos perindè milites putauere. At illi, etsi principiò, cùm modicam loci rem, tùm exactum ad Religiosam paupertatem habitum, cultumque admirati, paulisper constiterint: tamen quòd ementiri eos faciem, ac disciplinam, aurumque condidisse arbitrarentur; excitata, quę primo penè aspectu torpuerat, barbarie, extorquere opes vi tentant. Minis acerbissimis res cœpta cum Caietano, lautissimi patrimonij opinione; atque ille quidem præferocior, qui quondam domesticus. Proderet extemplò aurum, scire namque Viri, ac Domus fortunas: id ni statim faxit, ferro, tormentisque constantiam pectoris expugnandam. Paucis, infractusque animo Thienęus paupertatis causam perorauit. Fuisse olim diuitem, nec ire inficias; sed abdicata paucis abhinc annis mortalium cura, erogatisque pro Domino diuitijs, censuque omni, piè decoxisse. Cernerent maximè modico in eo cultu corporis, domusque votam paupertatem. Exarsere his dictis vehementiùs milites, atque instituto acriore examine, id apud animum suum statuere, vt aut abditas diuitias eruerent, aut conceptam, elusamque opum spem saltem vindicarent carnificina. Ventum ad quæstionem; reuinctum Caietanum variè exagitant, diuexantque: ac primò quidem interceptis, pressisque inter arcarum labra artubus, quod insolens omninò, ac barbarum: mox infandum planè in modum illigatus, sublatusque in altum fuit ea corporis parte, qua pudor pœnam conduplicabat. Eundem porrò in Carafam impetum, furoremque effudisse illam carnificum manum, auctor est Vincentius Vicentinus, illorum temporum æqualis, cuius hac de re commentarium habemus. Et veri quidem simile est; nam cum aliqua fortasse inter detritas paupertatis lacinias Insularum insignia in Episcopo inspicerent, facilè fuit in eo loculos coniectari; ac proindè qui pares in voluntariæ, summæque paupertatis disciplina Caietanus, & Carafa erant, pari fuere martyrij gloria laureandi. Quibus profectò, quo minus martyrium consummarent, nec animus, nec pœna defuit; sed nec causa ipsa: siquidem cùm virtus quælibet, modò politica non sit, exercitata, ac torta, ea insigniri laude, ac coronamento possit; tùm in primis pauperies, si ferrum accedat, ac Phalaris, pauperem martyrio consecrabit. Pluribus id confirmatem, & iuuaret fortasse legentes mora, nisi præter historiæ institutum, ac leges esset, nec praclarum argumentum Antonius Caracciolus in vita Thienæi ex Augustino, sacrisque fastorum monumentis egregiè delibasset. Germani igitur ij prædones, quod actum agere, atque operam prorsus ludere in ea peruestigatione cernerent, abiecta pecuniarum spe, inuolare aliò cogitarunt.

Caietanus minis primū impetitur.

Tùm variè diuexatur.

Eadem cum Carafa quæstio.

Ambo martyrij candidati.

Nam pauperitas martyrē facit.

Patres, quod non sedari militum auaritiam, ac rabiem, sed recrudescere in dies animaduerterent, nouasque incursiones animo prædiuinarent; quò aut Religionem iniicerent inuadentibus, aut solenniores pro gliscente rùm maximè Vrbis clade preces instituerent, Sacram Ædiculam maiori, qua poterant, mundicie, cultuque exornarunt: tùm concinnato, accensoque hinc inde frequentiori lychno, conuenere ante Aram omnes, nec ceruice proniores, quàm ad quiduis ferendum, animo. Publicæ hic Romanorum Ciuium causæ feruentissimis supplicationibus patrocinari; deprecari ditam Vrbis populationem: semetipsos insigni spirituum altitudine vouere ferro, & Deo. Nec mora: in foribus Hispanorum cohors, imminetque minitabunda orantibus. Insolitus ille ornatus Aræ composita, grauisque Virorum species; illa nec loco suo, situque mota constantia, nimiùm quantum Gentis impetum, fastumque principiò refrænarint; addictosque Religioni, pietatique Hispanos visus horror quidam, ac reuerentia adflauisse. At vehementior auri cupido, cuius stimulis agebantur, pietatis igniculos, antequam in bonam mentem exurgerent, enecauit. Nam cœpta mox crudeli quadam auaritia vestigandi diligentia; sus, deque miscere omnia aggressi; terrere minis, ac contumelijs; & quò formidinem, ac turbas exaugerent, expedire subiecta in capita pendentes lampadas præciso fune. Quidam etiam fallenti, latoque

Hoc desuncti periculo, Arā ornatius instruunt.

Orātes ferox Hispanorum manus inuadit.

Miscentque omnia.

que ad metum, ac ludibrium gladio in Bonifacij à Colle ceruicem ictum euibrauit. Quo quidem repentino ictu, quamuis lethalem ab efferata ea manu putauerit Bonifacius, nihil tamen, aut immoto à vultu constantiæ, aut toto à corpore fortitudinis remisit, Vir eo periculo, fatoque superior. Aiunt nihilominùs, postquàm haud graui se vulnere percussum, ac viuere intellexit, perculsam conceptæ mortis metu naturam, vsque adeò forti in pectore exhorruisse, vt eiusdem postmodùm periculi faciem ob oculos, animumque semper tulerit. Ergò, etsi illos mundissimæ domus parietes, cultumq; Ecclesiæ, ac viros ipsos nil nisi paupertatem, ac sanctimoniam spirare Hispani cernerent; quòd sub centonibus latere aurum, opesque nihilominùs existimarent, illos carceri mancipatos, exagitare diutiùs decreuere. Ducti primum per summam iniuriam, nec sine verborum dehonestamentis ad Diui Iacobi, vbi ex Hispanis copijs plerique, ac nobiliores degebant. Mox verò, vt non vnum profectò carcerem consecrarent, ad Vaticanas Ædes pertracti, conclusique in angusta quædam, ac cæca supra horologium cubicula fuere. Gratulabantur ea sibi malorum succedentium incommoda Viri sanctissimi, iactati quidem, nec fracti ventorum minis; & quæ vna erat illorum pectorum moderatrix patientia, contumelias, quibus acriter proscindebantur, squalorem carceris, famem, asperrima quæque ita temperabat, vt ærumnas illi suas, ceu præclara, aut pignora, aut rudimenta gloriæ amarent, ac magnò æstimarent. Vaticano eo carcere quæ obire regularis disciplinæ munera poterant, exactè exequi statas orandi, psallendique horas eodem planè corporis habitu, alternoque canendi rhythmo, rituque obseruare. Atque hic quidem diurnarum precum cantus exarmare Hispanorum ferociam potuit, illosque, ac libertatem demereri eo planè modo, quo rem Bernardinus Schottus, qui ex eorum erat, vt vidimus, numero, posteà narrabat. Conuenerat in Vaticanis ijs Ædibus Tribunus militum Hispanorum ad epulas, quas Centurio ille, qui nostros detinebat, splendidè procurauerat. Prandium expectanti insonare haud longiùs videntur canentium mutuò voces, hymnique: statimque Centurionem, & quæ gens illa, quæ psalleret, interrogare. Ille, Clericos esse, quos redimere auro non exiguo speraret. Spectandi cupido incessit Tribunum, apertoque confestim carcere, conuentum illum grauissimorum hominum videt, quos ætas maturior, vultusque honestissimi; tum flexa ad pietatem omnem, ac modestiam species egregiè commendabat: & quod tanta animi, orisque tranquillitate vel ipso in carcere id pensi persoluerent, haud vulgaris notæ, virtutisque homines putauit. Itaque indignum planè, atque indecorum ducens, eam hominum indolem, ac sanctimoniam tam malè haberi, rogare hospitem impensiùs cœpit, dimitteret cœtum illum, quem mores, æuum, paupertas, seruata ijs pressuris disciplina, canendique ritus absoluebant. Differendum Centurioni negotium videbatur: frangere nimirum hospitis impetum, ac pietatem ea mora auaritia suadebat. Tribunus contrà obfirmauerat animum, expressitque mox verbis, nisi abire illos, quò vellent, fineret, nunquam adducendum, vt apud ipsum cibi quid sumeret. Obstinatis, iustisque precibus obtemperandum omninò fuit; dimissique incolumes Patres; læti quidem, quòd ea carceris iniuria honestati, initiatique, pronum ad omnem periculorum aleam animum Deo approbassent. Actis igitur Tribuno, ac Centurioni gratijs, collatisque mox vnà votis Roma excedere decreuere; tùm quia in Vrbe intuta iam omnia; hostisque, ac scelus cuncta haberent: tùm verò maximè, quod euersæ Romæ faciem, contemptumque illum, ac luculentam Sacrorum cladem ferre minus possent. ª Enimuerò, qui intueri diutiùs, viri pijssimi valuissent, turbari, miscerique ab impurissima hominum fæce diuina omnia: distracta huc, illuc, discerptaque Ecclesiarum ornamenta; direptos, fractosque sacros calices; proculcatos, dissipatosque impiè Diuorum Cineres; sacro syrmate ad Romanæ Religionis lusum indutos lixas; Vrbem stolatos, & chlamydatos excurrere nefarios hæreticos; fœdatas equorum statione Sanctorum Ædes; Purpuras, Infulas, ipsa Summi Pontificis insignia ludibrio habita; ac fœdiora visu, dictuque alia? Ergò exilium, quàm id spectaculi vsurpare oculis maluerunt Patres, rectàque, ductore Numine, ad Tyberis ripam tendunt; incerti omninò animi, quò potissimùm transmitterent.

Lato gladio ceruicem Bonifacij feriût, Non sine ingenti metu mortis.

Abstrahûtur in carcerem.

Primum ad D. Iacobi, mox ad ædes Vaticanas.

Religiosamq; disciplinam colunt in custodia.

Auditi ab Hispanorũ Tribuno canere.

Mox visi.

Ac libertatẽ impetrant.

Abscedere Roma cogitant.

ª Lib. 10. hist. Cathol.

Rectà ad Tyberis ripam.

Certè, quod incolumes, nulloque barbarorum occursu, insultuque eò peruenissent,

non humano quidem consilio, sed Deo tantum auspice fieri id potuisse, affirmat Hieronymus[a] Maggius in ea, quam de Carafæ genere, ac moribus instituit, narrationem: additque, cum armis, armatisque oppleta Roma, ac Suburbana essent, quadam quasi nube tectos per medias illas truculentissimorum hominum phalanges Patres pertransijsse: ereptosque eo præsidio, ac munimento ab hostibus, ad Ostia Tyberina appulisse. Præter Sacrarum Precum librum nulla abeuntibus supellex, aut commeatus fuit: atque ab ipsa hac paupertate iussi benè sperare; quippe qui didicerant iam vsu, nihil vnquam illis deesse, quos ingens, ac sola in Deum fiducia comitaretur. Et verò generosè sperantibus breui quidem tractu temporis non semel adfuit diuini Numinis prouidentia. Nam Tyberino in littore nauim, quam conscenderent, impetrauit statim vir quidam summæ existimationis, casu obuius; addita insuper publica fide, vt impunè traijcerent. Mox secundissimè, eadem auspice in Deum fide, cùm adnauigarent, periculum haud planè exiguum non difflauit modò, verùm in subsidium etiam, eorumque inopiæ fulcimentum Numen vertit. Excurrebat tractum illum fluminis valida cum Romanorum manu Dux quidam; qui hostes vehi ea lintre conspicatus, facto statim impetu, momentò inuasit, displosisque, antequàm propiùs exploraret, tormentis, mirum profectò fuit, quòd non omnes ferrea ea glandium tempestas confecerit: certè consternauit subito metu Patres; & qui media ex acie furentes prædonum manus, intentosque iugulis gladios euaserant, conflari Sodalitati supremum exitium dolebant, cùm defuncti iam metu persuaserant sibi, minus fore pertimescendum. At enim, Religiosorum hominum cœtum, magnamque vultu indolem, vt inspexit Romanorum ille Dux, furorem hostis, animumque statim exuit; aliusque repentè Patribus fuit: & auxit ille beneuolentiam, adfectumque, quod inter eos Nepotem, Clericorum ea disciplina Numini consecratum, agnouit: quem intimè est complexus; cumque nulla Patres annona, humanaque ope prorsus omni destitutos pergere animaduertisset, commeatu munificè instruxit, ac valere iussos dimisit.

Hac cælestis Prouidentiæ illecebra, auraque velificantes ad Ostia Tyberina applicuere: quò forte Dominicus Venereus, Venetorum Reipublicæ Legatus, Vir, vt summus prudentia, ita & morum pietate insignis, peruenerat, qui vrbanam eam vastationem & hauserat ipse oculis, & exceperat perindè graui cum domesticæ rei damno; & quòd acerbioribus in dies malis sacrorum cladem, ac ciuium neces furor militum cumularet, periculosumque excisæ Vrbis domicilium cerneret, abscedendum putauerat: illique Venetias transmittendo Augustinus Amulius, Venetæ Classis Præfectus, opportunè aduenerat. Nostri interim Patres, qui dubijs, suspensisque Roma animis soluerant, Neapolim cogitabant: tutius fortasse, certè breuius illuc iter. Præterea, Patriam esse Episcopi Theatini, nec defuturos, qui aduentantes, quà viri opinione, famaque, quà sanguinis coniunctione amicè, ac liberaliter complecterentur. Ad hæc, eximiam Neapolitanorum pietatem, pronamque excipiendis, fouendisque Religiosorum familijs beneuolentiam sat's compertam esse. At isthæc difficultas non vna excipiebat: præsertim, quòd initia illic luis rumor euulgabat: tùm Hispanorum, ac Germanorum legiones, quæ cum Hugone Moncada erant, Neapolitanæ etiam vrbis tranquillitatem haud minimùm interturbabant. Itaque, quò tandem cursum intenderent, nondum satis constitutum habere videbantur. Cùm clarissimi ij viri, Venereus Legatus, & Amulius Præfectus dubia hominum consilia intercepere; vtque vnà Venetias discederent, hortari. Nempè, vbi recens familia consisteret; atque ab armorum strepitu, hostiumque incursionibus tutiùs reciperet se se, opportuniorem locum nullum esse. Publicum libertatis domicilium Venetias, suo ipsorum instituto ac pietati accommodatas, segetemque animorum, quos procurarent, fore amplissimam: mari verò traijciendo Classem esse in anchoris: denique exhibere se se comites, nullisque officijs suam ipsorum beneuolentiam defuturam. Nouerant Viri ornatissimi quodnam Patriæ commodum, decusque conciliarent eius Sodalitatis commercio, atque additamento. Thienæi nomen, virtutemque Venetijs celebrem, nec sine omnium Ordinum gratulatione tanti viri sanctimoniam reducem futuram existimabant, ea maximè disciplina Clericorum. Carafæ dignitatem, summamque in rebus agendis pruden-

[a] Apud Ant. Caracc. in vit. Pauli 4.

Non sine ductu, ac tutela Numinis.

Cuius non semel prouidentiam experiuntur.

Periclitantur in flumine.

Dispar formidini euentus.

Instructi commeatu.

Venetæ Reip. Legatus ad Ostia Tyberina.

Et Classis Venetæ Præfectus.

Nostri tamen quò tenderent dubij.

Veneti Proceres petere Venetias suadent.

Classem offerunt.

dentiam; tùm laudatissimum ex Aula receptum inaudiuerant. Id summorum Pro-
cerum inuitamentum, ceu lapsam è Cælo vocem, excepere Patres, abiectaque omni
incertæ mentis consultatione, oblata vltrò Venetias velificatio placuit. Exceptique
Et excipiunt humanissimè
naui perhumaniter die 25. mensis Maij soluerunt secundis ventis. Eximiam principes
ij Venetæ Reipublicæ viri de illo Religiosorum cœtu existimationem conceperant, in-
spectisque propiùs sanctissimis moribus, ac singulare, quod nunquam, & nusquam inter-
mittebant, viuendi institutum, Carafæ in primis grauem, religiosamque eloquendi
maiestatem, ac facundiam, insignemque Caietani virtutem demirati, erga nouum
Ordinem, Virosque egregios affici vehementiùs cœpere; iamque ab eo vitæ genere &
progressiones coniectabant, & inflammari se ad pubescentis Sodalitatis exordia pro-
uehenda sentiebant. Porrò vna cum nostris hominibus excessisse Roma, publico eo
Nostratum Comes Paulus Iustinian.
turbine diuulsum, Paulum Iustinianum, Camaldulensium Montis Coronæ Instituto-
rem, Virum, vt diximus, cum paucis pium, & Carafæ amicissimum non dissimula-
a Hist. Rom. lib 3. c. 5.
uerim. Verùm qui hæc narrat [a] Lucas Hispanus, in ea itineris ratione explicanda,
nonnihil à nostrarum historiarum monumentis deflectit. Nam Carafam tantummo-
dò velificasse cum Iustiniano memorat: mox nauigationem vtrumque abrupisse, ac
Sed aliter rē narrat Lucas Hisp.
Thusco quidem è littore pedestri itinere Venetias contendisse. Quod nostratum pro-
fectò auribus insolens; habendaque est nostris commentarijs fides, præsertim Ioanni
Antonij Prati narrationi, qui quæ scripsit, hausit à Thienæo.

Venetias appellunt.
Venetias igitur die sexta decima mensis Iunij appulere Patres. Nec sanè continge-
re nostræ Sodalitati quid potuit auspicatiùs, quàm in summa temporum difficultate
exclusam Vrbe Venetijs recipi, earumque in sinu stationem, portumque inuenire;
cùm maximè Romana ea tempestate, ac Borbonio turbine mersa videretur: vt me-
ritò bis natum nostrum Ordinem dicas; semel Romæ, iterum Venetijs: ac nescias,
vtra splendidiora cunabula. Quippe Senatus amplitudine, purpura, ac splendore
Eius Vrbis laus.
Ordinum, Patrum consilio, legum institutis, rerum gestarum fama, populorum nu-
mero, æstuque, peregrini Orbis accursu, operum magnificentia, artium lectissimarum
monumentis, vtramque, veterem nimirum, ac nostram hanc Romam æmulantur Ve-
A locis situ.
netiæ: aspectu certè, situsque admirabilitate, ac facie longè superant: vt ipsam sanè
speciem, ac dignitatem maiore dignam imperio existimes. Hominum industria re-
luctantem in ijs æstuarijs naturam seruire magno operi, atque adornare pulcherrimam
vrbem docuit, accersito in fœdus, & consortium ipso mari, quod quidem extimè dum
circumfluit, ac stagnat, munimentum illi, ac tutelam adlaborat: infusum subindè
A maris opportunitate.
multiplici euripo, dum totam peruadit, diffinditque in Insulas, commodum æquè, ac
pulchritudinem molitur: illa siquidem vndarum intermeantium perennitas, ac flu-
xus, ceu per maiores, minoresque venas sanguis, & animum inclytæ Vrbis corpori, &
A Gentium, merciumque commercio.
venustatem facit. Nec minor profectò ab eo pelagi, vltrò, citròque commeantis de-
cursu in importandis mercibus vtilitas; ceu sinus ille Adriaticus seruitium in Domi-
nam, Reginamque suam contestetur eo ministerio. Porrò, ac si non vnum tantæ ci-
uium celebritati elementum sufficeret, iter terra iuxta, ac mari teritur, nectitque
amplissimam diuulsamque aquis Vrbem ingens pontium, ac cymbarum huc illuc vo-
A Gentis indole.
litantium numerus. In præclara verò Gentis indole, quæ intentiùs mirer, non ea
planè sunt, etsi magna, & propriæ Venetorum hominum appellationes; prudentiæ
nimirum attemperata ingenia, disertus plerumque sermo, ac serius, morum grauitas,
Præcipuè à pietatis studio.
ac maiestas; verùm flagrantia pietatis studio pectora, quam vsque adeò in Dei cul-
tum, ac pauperum inopiam student impendere, vt iuuare prolixe suis opibus Religio-
sos viros, ac spes egenorum, id demum præclarum, ac virtuti consentaneum putent.
Eò familiem appulisse, Dei beneficium.
Quarè eò Nostrates appulisse, vt ea magnæ Vrbis pietate, ac munificentia quàm libe-
ralissimè haberentur, ingens enimuerò Numinis beneficium fuit. Beneuolentiam, qua
foris Viri illi principes, Amulius, & Venereus complexi eos fuerant, domi cumula-
runt. Siquidem Serenissimum Reip. Ducem, inclytosque eos Patres vt primùm con-
uenere, statim quid ipsi diruta è Roma in eam Vrbem afferre contigerit, exponere.
Tum Virorum genus, indolem, institutum, virtutem eximiam commendare. Eapro-
Venetijs habentur Nostrates in pretio.
pter non vulgarem ab Augusto illo Senatu, omnique hominum gradu gratiam Pa-
tres iniere: creuitque in dies gentis pretium, ac æstimatio; vt in grauissimis etiam

Reipu-

Reipublicæ negotijs pertractandis, explicandisque egregium Episcopi Theatini consilium, atque operam adhibuerint; quod in loco enarrabimus.

Constitere primùm, donec opportunius Sodalitati domicilium occurreret, in Æde Sanctæ Euphemiæ, quæ extra Vrbem est Parœcia; vbi non diù post ex humanis excessit Petrus Laicus, Perusinus; maturauitque incipienti virtuti præmium; nam tyrocinium nondum expleuerat: eodemque loci Hieronymus Consiliarius, Andreas Versus, Iacobus Vvannius, & Marcus Pasqualinus, quos supra meminimus, quòd integram iam probationis periodum exegerant, ad professionem ab Episcopo Theatino Congregationis Præposito admissi, votorum sacramentum dixere. Duo reliqui, nempe Thomas Guerrerius, & Matthæus Serauallensis, hospites, Clodiæ, priusquam Venetias tenerent, ipso SS. Trinitatis festo die in Diui Dominici Templo Religionis habitum suscepere. Mos namque apud Nostrates obtinuit, vt qui Sodalitatem inirent, hospitum nomine aliquandiù agerent, Ordinis candidati. Cautumque posteà lege est, vt per quatuor integros menses hospites dicerentur, inductis quidem, sed cum aliquo à tyronibus discrimine, ac tessera religiosis vestibus: periculum nempè eo temporis spatio facturi, an ad ipsorum palatum, geniumque ea viuendi ratio. Exeunte Augusto è Sanctæ Euphemiæ in Diui Gregorij Ædes immigrauere, neque hic diutiùs hæsuri: vbi expleta Episcopi Theatini triennali Ordinis Præfectura, indictis Comitijs, die quarta decima mensis Septembris anno labentis sæculi septimo & vigesimo, Caietanus Thienæus Congregationis Præpositus renunciatur; par quidem muneri sapientia, ac morum suauitate; quam propiora seueritati ora nonnihil temperabant. Declinasset planè Vir Sanctus, cui parere, quàm imperare iucundius, magistratum, curamque Ordinis, nisi demissionem illam animi redargueret Episcopi Theatini exemplum, cui etsi magnarum olim dignitatum honor, ac apex sorduerint; primas tamen in ea communi re administranda partes non detrectauit.

Prima eorum sedes.

Vbi tyrones aliquot vota concipiunt.

Duo alij Clodiæ Religionis habitum induerant.

Hospites antequà tyrones apud nos.

Renunciatur Præpositus Caietanus. An.1527.

Inita ergò regendæ Sodalitatis prouincia, eò animum, conatusque admouit Thienæus, vt commodiores, Clericorumque disciplinæ aptiores Domos compararet, in quibus & Sacris operari, & curare Sacramenta, & cœtus ad pias conciones cogere, & suarum etiam virtutum exercitamentis, Deoque vacare possent. Nec post multò, cum splendescere, ac polliceri de se magna præclarum vitæ Institutum cœperit, oblatæ Sancti Nicolai à Tolentino Ædes, vbi probæ quidem mentis, frugique viri mutuo sui ipsorum incitamento, exemploque egregiè animati, præclara edere pietatis documenta soliti erant. Hi, quod è Christianæ disciplinæ re futurum fore sibi persuaserant, si eximia ea hominum virtus domicilium id loci figeret, obtulere vltrò ædes, suffecturi ipsi curas, & vires, cùm ad domesticum instrumentum, tùm ad domos ipsas, quà instaurandas, quà Clericorum vsui concinnandas: ac spem insuper fecere, fore etiam alios, qui id operis ope, manuque vrgerent. Locus, quòd in ea Vrbis vicinia, quæ à Cruce dicebatur, statim visus cum nostra Sodalitate conuenire, cui Crux ipsa insigne, ac symbolum, vt diximus. Præterea quædam neque infrequens, neque celeberrima Vrbis regio statim ad cor, quò & posse aliorum profectui procuratione Sacrorum vacare videbantur, nec spissior accursus mortalium, quam ipsi tantopetè adamabant, ac tuebantur, cælestium contemplationem, arcanamque animi tranquillitatem adimeret, aut imminueret. Ergò re pijs cum sodalibus transacta, die nona, & vigesima Nouembris, eiusdem anni eò immigrarunt, adhæseruntque Tolentinati illi Domicilio, modico tùm quidem, sed quod annis adlabentibus pijssimorum Ciuium liberalitas in eam, quam modò inspicimus, amplitudinem, splendoremque euexit, vt in loco exponemus. Sua huc studia, ac mores statim Patres inducere: Asserta Aris Theatina mundities, sacrarumque vestium nitor, ac cultus: Odeum interdiù, noctuque adire: peccatorum labes assiduis auribus excipere; sermones sæpè publicos habere; priuatim sæpiùs, ac domesticis adhortationibus, ceu breuibus telis, cominùs, atque acriùs aliorum profectum vrgere. Exemplorum autem fulgor non vulgi tantùm animos, sed præcipuum nobilium ordinem peruasit, gliscebatq; secunda virtutum admurmuratione eorum fama, adaucta præsertim, quæ vetus erat, & superstes adhuc de Thienæi sanctimonia, opinione, atque ingenerata noua de insigni Carafæ virtute admiratione. Actuosam porrò vitam, atque egregia ea charitatis ministeria cum tacita

Princeps eius cura domicilij commutādi.

S. Nicolai à Tolētino Domus offertur.

Ac visi Patri bus sor discipline attemperata.

Eòque se se transferunt.

Suum inibi institutum exercent.

Thienæus, & Carafa in omnium existimatione.

quadam viuendi ratione, secessuque, ita innectere videbantur, vt nisi cum Sacra obirent, nunquam præterea, aut perquàm rarò de vultu cernerentur. Demensa cum aduentantibus colloquendi spatia; seria vbique, ac sancta ferebantur: excursus per Vrbem nulli; quippe qui propriam in aliorum quæstu iacturam timebant, ac proximorum tantummodo saluti, non sui ipsorum captandæ celebritati, aut nobilium animis conciliandis, vnicè studebant. Quæ sanè à publica luce, ac splendore nominis abhortens consuetudo effecit, vt breui Eremitæ Sancti Nicolai audirent Nostri. Quæ quidem appellatio, vt seueræ eorum virtuti, & contemplationi accommodata, ita nihil profectò de vehementi, quo animos procurabant, ardore detraxerit. Quippè cùm egregio quodam pectoris æstu, studioque in docendis, excitandisque mortalibus, optimè recessus, & quædam veluti mentis otia conueniunt. Inflammabit enimuerò alios secreto congressu Numinis irradiata prius mens; ac rarò ab scopo aberrabit telum, si contemplatio collineauerit. Atque hæc quidem priscorum omnium, ac sanctissimorum Patrum viuendi ratio semper fuit; impensiùs in aliorum fructum effundi; & quod pijs curis supererat tempus, subductos hominum oculis delitescere; modò in luce, conspectuque hominum, & statim in vmbra, ac procul mortalibus. Id quod graphicè expressere Venetijs Nostrates, quos ad publicum animorum bonum egregius vigor, atque ardor animi incitabat, vrgebantque opus strenuè; ea tamen vice, vt postquam alijs prolixè insudauissent, receptui canerent, abderentque se se. Indèque factum, vt Sancti Nicolai Eremitæ vulgò nominarentur.

Coniuncta cū proximorum studio, solitudo.

Fortè qui præclara isthæc otia, ac recessum optabat ardentiùs, Carafa erat, quem altiùs in Aulæ olim pelagus prouectum, publica negotia periculosiùs, ac sæpiùs agitauerant; & qui vela ab illo curarum æstu contrahere, secretamque se in stationem, portumque asserere egregiè festinauerat, frui, quoad fas esset, ea requiete, receptuque impensiùs cupiebat. At feriari magnas mentes non sinit Deus, qui dedit. Præcipuè quos ad integram, amplissimamque Christiani Orbis curam destinatos voluit, facit, vt nonnisi negotiorum succedentium continuatione, erudito, limatoque ingenio, grande postea, ac publicum munus capessant. Eapropter Episcopum Theatinum, futurum olim Christianæ Reipublicæ Patrem, exerceri continua curarum tractatione oportuit; & qui iam eximiam in agendo dexteritatem, ac prudentiam probauerat Aulis, ac Orbi, non adeò subducere se mundo potuit, quominùs publicis, ac grauissimis persæpè curis adhiberetur. De ipso eleganter, ac vere ᵃ Scardæonius, Presbyter Patauinus, in ea, qua illi disertissimas lucubrationes suas consecrauit, epistola, dixit, [deseruisse ipsum opes Episcopi, non opus.] De qua magnarum solicitudinum reciprocatione, ceu optatæ quieti hostili, infensaque, datis plerisque ad amicos litteris conquestum illum sæpissimè reperies. Et ad Bartholomæum Spinam, Virum è Prędicatorum familia laudatissimum scripsit, eas esse occupationes suas, quibus carere, omnia deserendo, seque ipsum penè fugiendo, non posset.

Carafa mentis otia peroptabat.

At vacare magnam eius indolem non permissum.

ᵃ Apud Carac. in vit. Pauli 4.

Primus, qui Carafæ operam, studiumque Venetijs interpellauerit, is fuit sæpè à nobis nominatus, Matthæus Gibertus, qui Romæ, vti narrauimus, quoad obligatam auri vim penderet Pontifex Germanorum legionibus, obses cum alijs datus, teterrimo carcere detinebatur. Optimum Antistitem quamuis suamet iniuria, ac nexus intimè excruciarent, acriùs tamen Veronensis Ecclesiæ coquebat cura, quam optimis quidem præceptionibus ordinare iam inchoauerat; idque ductu præsertim, ac consilijs Episcopi Theatini; ac ne quod semel incœptauerat cum laude opus, eo suæ calamitatis fato corrumperetur, cuinam aptiùs id negotij commendaret, quàm Carafæ, qui rudimentum posuerat? Igitur eodem hoc labentis seculi anno septimo supra vigesimum, Nouembri mense, compositis ad Carafam litteris, illum enixè rogat, vt adire Veronensem Ecclesiam libeat, illamque, eiusque Diœcesim omnem summo iure perlustrare. Epistolam, quod & egregiam Giberti mentem, eiusque de Carafæ prudentia præcellentem existimationem exprimat, operæ pretium est, ex Italico in Latinum translatam, hìc dare.

Gibertus illū interpellat.

Eique Veronensis Ecclesię procurationem commendat.

Reue-

Reuerendiſsime Antiſtes, & Pater obſeruandiſsime.

Eius ad Caraſam literæ.

SI quam animo ſpem conceperam, fore vt ipſe pro tua in me beneuolentia, ac in Deum obſequio Eccleſiam, ſponſamque meam inuiſeres, vt Sanghæ promiſeras, non exiguo quidem exulcerato hiſce malis animi ſolatio fuit: quanta me continget, perfundi voluptate, cum vota res ipſa cumulauerit? At cumulaſſe iam, conſtanter mihi perſuadeo: puto namque id te negotij diutiùs diſtuliſſe, vt liberiore ſubinde animo accederes. Planè, cùm tuis Ego rudimentis, & exigua, qua me Deus dignatus eſt, luce, in eo opere excolendo ſolertem operam poſuerim, fore ſpero, vt illo mox cultu efflorescat, qui Dei gloriam deceat. Tu verò quòd ſubactam aliquo pacto, ſciſſamque tellurem inuenies, gratulaberis ſanè tibi, quæ è præclaris documentis tuis mox exiſtit, pulcherrimam ſegetem; ac certò ſcio, tuo vel vnico intuitu, quàm ingentibus, ac diuturnis curis meis, terram latiùs fecundandam. Spes me tui illic videndi, fruendique tecum mentis otijs, vſque adeò oblectat, vt facile mœrorem omnem excludam; ac ſi ſemel intellexero, adeſſe iam te egregio, accuratoque tuo ſtudio Sponſæ illi meæ, æquo prorſus animo ſqualorem hunc carceris feram. Interim immortales Deo gratias habeo, quòd hiſce me vinculis honeſtauerit; præſertim ſi horum beneficio nexus alios longè grauiores exoluerim. & quamuis quòd maturiùs non abruperim, voce Numinis ſeriò laceſſitus, incredibile ſanè eſt, quàm me grauiùs premant eo nomine. Cæterùm, vt me Deo commendatum velis tuis; ac P. D. Gaietani, aliorumque Patrum precibus, etiam, atque etiam rogo. Romæ die Nouembris 15. 1527.

Perlatæ hæ Giberti litteræ fuere, cum ſtabiliendo, firmandoque Veneto domicilio maximè incumberent Patres: quarè is Carafæ diſceſſus intempeſtiuior planè videbatur, quàm ea rudimenta rerum, & vix affixa Venetijs ſodalitas poſcerent. Nihilominùs, vt Giberti poſtulatis morem gererent, nihil non propiùs ſuadebat, grauiſſimum; ac gratiſſimum Deo opus; viri præſtantia, & nomen, præclara in Ordinem merita, ac iugis munificentia: poſtremò ipſa eius calamitas, quòd ea inſpectio permagno futura eſſet egregio Antiſtiti leuamento, cauſam perorabat. Impulere iſthæc Epiſcopum Theatinum, annuentibus item Patribus, præſertim Thienæo, penes quem tunc rerum ſumma, vt Veronam ad eam expoliendam, formandamque Eccleſiam concederet, inchoatum àb Giberto præclarum opus proſecuturus. Quæ pro tuenda, aſſerendaque Eccleſiaſtica diſciplina ſacrorum Canonum, ac Pontificum ſanctiones cauerint, nouerat apprimè Carafa, priſci æui, ac iuris longè conſultiſſimus: Tum, aſſiduis id genus curis, vſuque exculta mens eam illi famam, nomènque conciliauerant, vt vel vniuerſitati Eccleſiæ emendandæ, Orbique corrigendo parem exiſtimauerint optimi Pontifices, Leo Decimus, Adrianus Sextus, Clemens Septimus, vt ſuperius ſignificatum eſt. Eapropter Veronenſi Eccleſiæ cum ingenti reſponſuræ ſegetis ſpe admotus à Giberto fuit. Quo autem res fructu, prouentuque ſucceſſerit; quo Sacrorum incremento, ac diuini cultus maieſtate, qua inſtauratione morum, indicauit ſecutus mox eius Eccleſiæ ſplendor, ac decus. Enimuerò vſque adeò poſtea floruit Veronenſis Clerus, eiuſque diſciplina, vt ſcriptus de ea, procuſuſque liber fuerit, cui titulus, [Typus boni Paſtoris.] Inſignis verò eius Inſtitutionis argumentum id fuerit, quod D. Carolus Borromæus, ille nimirum, quo ſanctiſſimos priſcæ virtutis, exactique temporis Antiſtites nullus hac tempeſtate, aut feliciùs expreſſit; aut ſanctiùs: cùm Veronam petijt, temperata egregijs inſtitutis, ac diuina quadam œconomia compoſitam Eccleſiam non tantùm commendaſſe, verùm etiam excerpſiſſe exemplum illud ad ſui Cleri formam voluerit. Et Concilium ipſum Tridentinum plura, quæ in Veronenſi Eccleſia prudenter, ac ſcitè decreta multò ante fuerant, atque egregia morum diſciplina obſeruabantur toti, deindè Chriſtiano Orbi propoſuit, ſanciuitque. Quæ ſanè laus, aut ex toto, aut magna quidem ex parte Epiſcopo Theatino adſcribenda. Etenim quas Gibertus ad ſuæ Eccleſiæ dignitatem aſſerendam præceptiones, ac leges ſanxit, illas Carafæ documenta, ac monita fuiſſe, candidè teſtatus non ſemel eſt ipſemet Gibertus: ita vt non modò primis, ac perfunctorijs quibuſdam lineis, veluti ad totius ideam, ac typum operis adumbrauerit ipſe diſciplinam illam, ſed etiam ſupremis curis, manuque vnà cum Epiſcopo Giberto perfecerit. Ne-

Non ſine nouæ Domus incommodo morem gerit Carafa.

Qua in Eccleſijs adminiſtrandis peritia valeret.

Quo fructum Veronenſem luſtrauerit.

A Veronenſi diſciplina plura excerpſit Borromæus.

Et plura ad eam formam ſanciuit Côcil. Trident.

Carafæ iſthæc debentur magnam parte.

que omittendum extare Neapoli in Paulino nostro Tabulario Institutiones illas, quas modò laudauimus, Cleri Veronensis, Veronæ excusas, illo quidem titulo, Typus Ecclesiæ Veronensis. Quas planè leges cùm scirent veteres nostri Ordinis Patres à Carafa magnam partem concinnatas, monitam eius rei posteritatem voluere, atque hæc prima statim libelli faciē inscripsere.

Optabat Ioannes Matthæus Gibertus, Episcopus Veronensis effrenatos, atque deperditos in tota Ecclesia Catholicorum mores virtuti conformare. Ob id Ioannem Petrum Carafam Episc. Theatinum, Venetijs tum commorantem consulit, Virum maiori Zelo pietatis inflammatum, sibique intima necessitudine coniunctum. Ambo diuini Numinis amore flagrantes hasce sanciuerunt leges, quàm sanctas, quantique emolumenti non Vrbi suæ, sed Orbi vniuerso, vel in eo Patres Orthodoxi Sacrosancti Concilij Tridentini testati sunt. Nam ex his Constitutionibus sua decreta Catholicæ Christi Ecclesiæ tam proficua desumpsere.

In libertatē asseritur Gibertus

Præclaram in eo componendæ Veronensis disciplinæ negotio operam ponebat Carafa, cum vindicatus in libertatem est Gibertus, cum alijs, quos idem Borbonicus turbo eandem in sortem coniectos, Pontificis obsides fecerat. Moltus insigni astu eorum libertatem Pompeius Cardinalis Columna, cuius in domo, arcta quidem custodia detinebantur. Nam cùm Cæsariani Duces, ac milites auri pensionem ferociùs, atque impotentiùs vrgerent, vt nil propiùs esset, quàm vt obsides eos omnes aut acerbissimè diuexarent, aut crudeli nece suæ litarent auaritiæ: Pompeius præclaris ijs viris efferatum Germanorum ingenium metuens, indole, ac purpura sua dignum putauit, tanto discrimini præsenti ope adesse, eorumque fugam, quod vnicum erat perfugium, adornare. Successitque præclarè res. Ipso namque in Alphonsi Vastij Domum paulò ante digresso, vt pulchriùs falleret, factique suspicionem, ac inuidiam à se omnem propulsaret: mox consopitis multo, eoque generosiore vino, lautisque epulis Germanis excubijs, extracti funibus per vaporarium foci tubum fuere obsides. Gibertus, quod erat viri votum, rectà Veronam contendit, offenditque incumbentem strenuè in eas Ecclesiæ curas Carafam, gratulatus vehementer, tam præclaris laboribus pubescere Veronensem frugem. Commoratus cum eo est aliquandiù adhuc Episcopus Theatinus: cùm vt ille exantlatam peracerbè calamitatem, animumque malis fessum iucunda cum amicissimo capite recordatione recrearet, ac consopiret; tùm vt ipse exactæ procurationis rationem poneret, nouosque Giberto promouendæ disciplinæ stimulos subijceret, ea suggerendo, quæ vsus vtilia, ac longè fructuosissima fore commonstrauerat.

Pōpeij Card. Columnę artibus à ...

Veronam rectà cōtendit.

Immoratus adhuc aliquā tisper ibi Carafa.

Baratam inter Episcopū, & Præfectum Vrbis dissidium.

Dum hic ageret, enata inter Episcopum, & Præfectum Vrbis, virum è Patricio Venetorum ordine præferuidi spiritus, quæstio est, in qua ardens tuendæ Ecclesiasticę dignitatis studium insigniter probauit Episcopus Theatinus. Res ad hunc planè modum se habuit. Fuerat Præfectus fidelium communicatione, cœtuque interdictus; ac sacris restituendus, conuenire ipse Episcopum renuebat; ceu vellet, vt ipse, qui absolueret, præpostero quidem ritu Prætorium adiret. Demum pactum inter illos, vt quo se loci ostenderent, Episcopus ritè absolueret. Igitur inambulantes obiecere sese mutuo; aderatque cum Giberto Carafa, qui quòd grauissima ea noxa, atque Antistitis officium, zelusque id poscere videbantur, Giberto primùm insinuare ijs verbis, Argue eum durè. Mox cùm superbè admodum, ac impotenter cum Episcopo ageret Præfectus, ac sanè infra dignitatis, ac Infularum decus, facto confestim gradu Theatinus, illum publicè, ac intrepidè redarguit, monuitque, vt ingenua procumberet: suas nempè partes esse, suum Antistitem venerari: idque ea oris, dictionisque maiestate, ac vehementia, vt ille submissis repentè genibus, positoque fastu omni absolutionem paucis, ac penè consternatus peteret: fassusque postea est conceptis verbis, se Episcopi Theatini vultu, ac imperio maximè commotum, fractumque.

Præfecti contumaciam frangit Carafa.

Eius zeli ardor.

Planè, vt esset Carafa animo magnus, tamen vbi Ecclesiasticæ libertatis, siue tuendæ, siue amplificandæ causa agebatur, se grandior, ac generosior longè erat: & vt neminem contemnebat, ita formidabat neminem, obiecturus profectò vel in ipsos priscorum Cæsarum, ac Regum conatus eandem animi celsitudinem, si in ea tem-

pora,

pora, moresque incidisset. Cæterùm insignis eius libertatis, qua vsus Carafa est cum Præfecto, peti ex Ecclesiasticis tabulis documenta possent satis multa; quibus supersedimus.

Contigere hæc anno eius seculi vigesimo octauo. Quo item anno ipsa Exaltatæ Crucis die, habita Venetijs comitia de eligendo Ordinis Moderatore, ac re quidem haud prolixiùs excussa, consensu, plausuque omnium confirmatus in eo Præpositi munere Thienæus, qui præclaram iam indolem, summamque in procuranda familia prudentiam primo eo Magistratus anno mirificè probauerat. Iam verò, quòd publicis ijs comitijs grauiora Congregationis negotia agebantur, perlectæ Episcopi Giberti litteræ, quibus Veronam vt nostri concederent, figerentque inibi domicilium enixiùs petebat. Reputabat nempe apud animum suum optimus Antistes, fore vt non exiguos Veronensis Ecclesia decerperet fructus ab eo grauissimorum Patrum consuetu, ac virtute. Nam si vel vnius Carafæ intuitum, qui vrbem, ac Diœcesim breui, raptimque perstrinxerat, is consecutus erat morum cultus, ac sacrorum ordo, quasnam adderent ad virtutem faces assidua illa exemplorum lux, ac longa Patrum adhortamenta, & voces, si immorarentur! Cum his suæ Diœcesis incrementis, quæ iam mente conceperat, suum etiam tùm commodum, tùm voluptatem eo Patrum inuitamento moliebatur. Enimuerò, post decumanam eam cladem, quam tulerat Romæ, redierat Giberto mens ab omni se mortalium cura exsoluendi. Quapropter scripserat ad illum hoc anno Bonifacius insignem illam epistolam, in qua nostrarum Constitutionum semina, & quæ tunc à Nostratibus ad vnguem obseruabantur, legum capita continebantur, vt diximus. Efflàgitauerat id Gibertus ad Instituti, quod animo versabat, siue strictius examen, siue certiorem instructionem. Verùm, cùm illa temporum ratio suaderet, nunquam fore à Pontifice impetrandum, vt quod vehementer, diuque exoptauerat, eam ipse viuendi rationem, ac familiam iniret, succederentque in dies alia subindè alijs impedimenta, saltem frui eorum consuetudine vsuque cupiebat, quibuscum partiri ex æquo æstus animi posset, quos Infula, & animorum cura excitabant. Et addiderat Bonifacij epistola illa stimulos quàm acerrimos, studiumque adauxerat, habendi propiùs sanctissimi, ac sibi quàm maximè arridentis Instituti cultores; ac pretium flagrantis eius desiderij futurum existimabat, virtutis imitationem, animique, ac molestiarum laxamentum. Valuere igitur beneficentissimi Antistitis preces, decretusque communi suffragio Veronam accessus. Professioni, nouæque Domui fundandæ lectus Bonifacius, qui virtutibus omnibus cumulatè instructus, atque instituti apprimè sciens, ac tenax, æquare magni Episcopi opinionem, votumque omninò poterat. Huic septem alij adiuncti, qui omnes Venetijs die mensis Octobris decima nona soluentes, Veronam pridie Kalendas Nouembris peruenere. Ad Xenodochium à misericordia nuncupatum primùm digressi mox accuratis Sanctæ Mariæ Nazarenæ Ædibus, eò concessere. Locus profectò visus principiò oppidò opportunus sacrorum officijs, ministrandoque Dei verbo, conciliandæ præsertim deuotioni, fausta Deiparæ nuncupatione. Attiguæ itidem ædes percommodæ, quibus accedebat ad animorum remissionem hortorum amœnitas, & manantes iugiter aquæ. Pietatis ministeria, suique Instituti partes exequi occœpere confestim Patres, excitauitque plerosque virtutis fama, ac Nazarena illa concinnata pulchrè ædicula, ita vt honestiores quique, & quibus pietas ad cor, conuenire iam frequentes, certatimque ad ea virorum exempla, ac documenta cernerentur. At enimuerò, quæ duo probant, improbantque statim omnia, vsus, & tempus, indicarunt mox Patribus, haud præclarè cum sacrorum decentia, tacitoque, ac tranquillo contemplationis studio actum, locum illum elegisse. Siquidem ante ipsas Templi fores, vbi perampla se se area explicabat, mos obtinuerat, vt viri nobiles pila luderent, alijque populares ioci, ac saltationes celebrarentur, quibus inspiciendis confertim vulgus accurrebat, plaudebatque, theatro inconditis semper clamoribus, ac tumultu personante. Quæ vt sacros, piosque in Ecclesia cœtus, conuentusque interturbabant, ita, quòd iam diù consenuerant, conuellere, scenamque aliò transferre, difficillimum. Præsertim, quòd inter Episcopum, & ciues cœptæ iam simultates omnem in eo circo, strepituque amouendo Episcopi ipsius aut auctoritatem, aut gratiam eludebant.

Comitia cõfirmant in Præpositi munere Caietanum.

1528.

Veronã euocãtur Patres.

Giberto de nostro Instituto capessẽdo mens.

Constitutiones à Bonifacio postulaueral.

Consilium interpellauit temporum ratio.

At figi saltẽ Veronæ domicilium cupit.

Annuunt Patres, legaturq; Bonifacius.

Designatus familiæ locus, visus principiò percommodus.

Reuera sacrorum vsui dissentaneus.

Ab assiduo vulgi strepitu.

Accursusque fœminarum in hortos.

Quem cùm impediri minimè posset,

Excedere Verona statuût.

a Ad Gibert. to.1. Farrag. pag.32.

Vbi & inopia pressi.

Hieronymi de Iustis in nostros pietas.

bant, Hortos præterea, quòd aquarum perennitate, cultuque periucundam planè inambulationem, prospectumque exhiberent, inire nobiles matronæ consueuerant, epulasque interdum inibi celebrare: quæ quidem intercludi eas sibi delicias ægrè admodum ferentes, continuare hortorum celebritatem, & epulas in animum obstinatè induxerant. Quid in pertinaci ea Vrbis consuetudine, constantique nobilium fœminarum proposito agerent Patres? Adnisi igitur primùm theatrum, vocesque patientia superare, publicasque functiones, ac Sacramentorum procurationem strennè continuare. Verùm, cum dedocere omnino rerum diuinarum dignitatem, ac reuerentiam populorum æstum, ac publica ea ludicra cernerent; & quod reuerà actuosa Instituti sedulitas, ac indoles minùs procedere videretur, re Thienæo, atque Episcopo Theatino significata, discussaque maturiùs in ijs, quæ habita proximè fuere comitijs, Verona ad vnum omnes intra annum Venetias discessere. Aberatque, qui retinere eos poterat ea, qua inuitauerat beneuolentia, Gibertus; quippè vt è a litteris Carafæ conijcimus, sub id tempus discessum Bononiam maturauerat, Pontifici, Carolum Cæsarem inibi aureo de more diademate inauguraturo, celeberrima in ea pompa adhæsurus. Cæterùm, quod prætereundum non est, in Veronensi eo domicilio, præter externi fori tumultus, multa fuere Patribus intus perferenda, re nimirum domestica, victuque destituti. Nam cùm pro ea, quam adamauerant, ac legerant paupertatem, nec emendicatò stipem rogare, nec aperire mortalibus egestatem suam fas esset, suprema interdum premi inopia contigit, quam etiam Giberti absentia cumulauit. Narraturque ea pijssimi Comitis Hieronymi de Iustis in nostros charitas, qui cùm latere virtutem suam vellet, per interualla temporum in quoddam domus loculamentum annonam clàm immitti iubebat. Hoc Patres aperire consueuerant, si quid alimoniæ reperissent, ceu sustentandæ inopiæ è Cæli penu, ac cælitum manu illatum, gratanter accipiebant. Sin minùs, pretiosiorem commeatu omni tolerantiam adhibere, illis erat periucundum; obuiumque domestici horti olus famem solebat.

Venetijs res benè geritur.

Cœmeterii extra Ecclesiã consecrãt.

Prisco ritu.

Quo tempore Veronæ inter populares eas turbas commorabantur Nostri homines, Venetijs res Theatina ob eximium Patrũ studium, ardoremque in Dei cultu præclarè procedebat, crescente in dies fructu proximorum, adfectuque Procerum in Ordinem. Porrò, qui propositam vitæ immortalitatem habebant, ipsi; & obiectabant persæpè alijs, consultum etiam suæ mortalitati tempestiuiùs voluere. Coemptis siquidem antiquis, atque exiguis quibusdam domibus, nil prius habuere, quàm vt pijs defunctorum manibus curandis, cœmeterium adornarent. Extructum id porrò, consecratumque ab Episcopo Theatino ad diem vndeuigesimam Septembris. Placuitque extra Ecclesiam locus: prisco siquidem æuo mos tenuit, vt non nisi pretiosa martyrum Lipsana, sanctique Confessores intra Ecclesiam conderentur; reliqua Christi fidelium corpora extructis extra templa, consecratisque ritè cœmeterijs tumulabantur. Quem sepeliendi ritum, vel cum Christianis Imperatoribus obseruatum nouimus. Siquidem, vt notat Baronius, in ea Apostolorum Basilica, quam Constantinopoli sibi, ac succedentium Cæsarum sepulchro exeitauit magnificentissimè Constantinus Magnus, non quidem intra eius aream, ac mœnia, sed in atrio sepelire eos consueuerant; in quam rem eleganter, ac pulchrè Chrysostomus: [Constantinopoli, inquit, Imperatores magnam gratiam putare, non si propè Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula sepelirentur; fierentque Piscatorum Ostiarij Reges.] Id quod voluimus hoc loci meminisse, vt intelligamus benè, ac sapienter à Nostratibus institutum, vt nostra vbique cœmeteria extra Ecclesiam dedicarentur: vt qui viuendi disciplina æquamus priscos, defunctorum haud sit funus dissimile. Quod sanè Ecclesiæ etiam decus, ac nitorem decet, præter laudabile exemplum vetustatis.

Auctum numero sodalitium.

Iam verò, cum diuini cultus, ac pietatis incremento, auctus hoc anno, amplificatusque præclara fratrum Sobole Ordinis numerus, ac census, vt etiam succedentibus mox annis: quos vt recensere anxiè omnes, puto superuacaneum; ita plerosque celebrioris famæ, virtutisque præterire, quin eorum statum natalia, indolem, moresque carptim delibemus, eos præsertim, qui frequenti sui commemoratione historiam subindè illustrabunt, nescio, an constante ipsius historiæ, aut perspicuitate, aut ordine

ordine fieri possit. Igitur inter alios Sodalitati nomen dat Ioannes Marinonius, Vir innocentiæ laude, ac mortalium despicientia præsignis. Natus Venetijs ad annum ante institutum Clericorum Regularium Ordinem quartum supra trigesimum, clariore planè solo, quàm parentibus, qui probi quidem, honestique, quod prisci splendoris, opumque defuit, virtute abundè compensarunt: propagatusque ab vnanimi ea coniugum pietate in eximiam sobolem religionis cultus: suscepto namque pari fœminarum, ac marium numero; tres illas mores laudatissimi honestarunt, & perpetua intra domesticos lares, veluti intra sanctimonialium claustra culta virginitas. Ex his verò duo Sacris initiati, totos se Dei obsequio manciparunt: tertius fuit is, quem narramus, Ioannes, Franciscus primò dictus, cui fermè coæua, & collactanea virtus fuit. Didicatus quippè Aris, ac Sacrorum ministerio penè ab incunabulis: cùmque nondum vires, ac membrorum paruitas sufficerent, ardor quidam grandioris iam mentis Puerum, suamet infantia maiorem, ac robustiorem, templis, Sacrisque admouebant. Nihil præterea eo in ætatis rudimento non compositum, ac pulchrum. Præcox sapientia pectus impluisse, atque imbuisse videbatur. Frons, oculi, vultus ad omnem modestiæ, ac verecundiæ imaginem egregiè conformati. Florentis primùm virtutis testis, ac postea adultæ iam sanctitatis laudator, fuit Antistes ille, rerum gestarum laude, scriptisque monumentis, quàm Veronensi Infula clarior, Aloysius Lippomanus, quicum liberaliter, ac piè educatus Ioannes fuit, præceptore Ioanne Delbenio, Veronensi, qui qua præstaret ipse pietate, quamque alumnis suis indolem instillaret, quos de Christi Domini passione sermones lucubrauit, lucique dedit, luculenter commonstrarunt. Iam, quæ polliceri magna, visa est ætas illa Ioannis imbecillior, explicare iuuentus, & consequentes anni cœpere peregregiè. Inculpati omninò, ac candidissimi in eo æui flore mores, digni, qui sacris mox ordinibus initiarentur. Quos sanè Ordines excepit illico admirabilis quædam viuendi ratio, & ingens virtus. Quò namque diuinorum ille tractatione, vsuque Deo se propiorem nouit, eò ab omni rerum terrenarum cura, ac illecebra abesse longiùs in animum induxit. Commentari cælestia impensiùs cœpit; pietatem in pauperes in primis colere, quos ope, affectuque fouebat; Nosocomia inuisere; adhortari hic, inseruire, excubare interdum decumbentibus, occumbentibus. Hisce solidæ virtutis documentis, ac notis esse in admiratione, ac pretio Ioannes cœpit, adlectusque mox est ea probitatis opinione, ac merito inter D. Marci, principis Templi, Canonicos; quorum sanè, & inumbrasse suis moribus vitam, & dignitatem illustrasse sanctimonia visus est. At enim, quæ semel incitata ad bonum virtus cursum cœpit, sistere in limine non potuit. Habet hoc diuini ardor spiritus, vt currentes velut in circo athletas suos vrgeat stimulis acrioribus ad exactæ virtutis metam, ac palmam. Eapropter, quòd regularis disciplina morum certiores, atque ampliores profectus habet, & inoffensum ad gloriam iter, incitari se ad eius vitæ rationes vehementer sensit Ioannes. Placuere in primis recentis Clericorum Regularium Instituti mores, habitus, studia, animumque acriùs solicitauit præclara excellentium virorum consuetudo, & virtus. Quare adoptari in Ordinem statim postulauit: admissusque, quo virtutum comitatu, cultuque illum iniuerit, humilitas, quæ nunquam sola, demonstrauit. Ipso siquidem in aditu ijs vsus est ad Patres verbis, quæ Clemens Martyr, ac Pontifex cum sanctissimo illo martyrum cœtu vsurpauit: Non meis meritis ad vos me misit Dominus vestris coronis participem me fieri. Visus porrò, cùm tyrocinium posuit, planè emeritus, prouectæque disciplinæ miles, adoleuitque ea sanctitatis lux vsque ad perfectum diem, vt non vno in loco memorabimus.

Ioannes Marinonius dat Congregationi nomen. Eius Patria. Parentes. Fratres, ac Sorores. Institutio. Ioanni Delbenio operi dedit cum Lippomano. Diui Marci Canonicus. Regularem vitã cogitat. Capessitque insigni humilitate.

Ioanni Marinonio annectendus Bernardus Tudertinus, Laicus, qui sub idem fermè tempus Venetijs adscitus in Ordinem fuit: humilique natus loco, quòd grandi, ac robustiore esset corpore, vultuque, ac toto membrorum habitu subrusticus, Bernardonus est appellatus: par quidem virtute, ac vitæ asperitate Iacobono illi, itidem Tudertino, è Diui Francisci familia celeberrimo. Is antequam inter Nostrates cooptaretur, celebris tota fermè Italia erat. Quippè, vt cuiusque indoli, genioque mirè attemperatur diuinus ille spiritus, exercere ingens robur corporis, animique admirabili quodam vitæ genere statuit. Cruce namque molis non exiguæ sublata humeris, sacco,

Bernardus Tudertinus. Crucem per Italiam circumferebat.

sacco, ac cilicio indutus, Italiæ vrbes peragrabat. Memorant hoc idem austerioris, admirandæque vitæ institutum antiqua historiarum monumenta: nullus siquidem adeò peregrini moris cultor, qui in tanta humanæ indolis varietate, aut auctorem operis, aut sectatorem non habuerit. Fuit hic Nicolaus, natione Græcus, à ferenda Cruce, Staurophori cognomentum adeptus, qui cùm id Euangelij iuuiramentum audiuisset, vt tolleret quisque Crucem suam, & sequeretur Christum, externam vestationem ratus præcipi, quernam, ingentemque sibi rudi opere Crucem dedolauit, admonuitque; atque hoc in Italiam pœnitentiæ exemplum, ac prodigium ab Scyro Insula transportauit. Ea porrò vitæ ratio haud satis probata à nostris fuit in Bernardono; tùm quòd sine prudenti morum, ac spiritus Duce exerrare à perfectionis, virtutisque orbita facilè erat; tùm verò, quòd cum publica hæc pœnitentiæ imitamenta, quæ est improborum mortalium conditio, ceu non tacitas, acresque suorum criminum obiurgationes accipiant homines, impingere ille in eorum inuidiam suo malo posset. Et verò, data ad Bartholomæum Scainum epistola, narrat B. Pater noster Caietanus, illum aliquando in quadam Italiæ Vrbe grauissimum discrimen subijsse. Quapropter, quia vehemens ea viri indoles, egregiam virtutem, frugemque non exiguam promitteret, si cultus, ac præceptoris documenta accederent, adhortari illum Patres cœpere, vt colligeret se se ab ea peregrinandi, vagandique licentia, ac deligeret religiosam aliquam disciplinam, à qua leges acciperet: aliorum quippè auspicijs, ductuque ad virtutem eniti oportere, ac suis quemque legibus exorbitare. Contigit verò semel, dum ad Tolentinatum nostrarum ædium ianuam esset, vt ardentiùs id illi ab Episcopo Theatino inculcaretur; ac veluti ineluctabili viri eloquentiæ manus daret. An vobis, inquit, admittere hominem placuerit? Pronunciatum id quidem non perfunctoriè, sed ex animi sententia, votoque: nihilominùs res non statim à Patribus deliberata, qui in eo adhortando, non id sibi pretium operæ proposuerant, vt illum ad Ordinem adiungerent: verùm excussa re maturiùs, eiusque proposito diligentissimè explorato, adnitente in primis eodem Episcopo Theatino, qui ingentes viri spiritus, ac pectoris robur penitùs iam introspexerat, adscitus tandem est inter fratres. Nec lusere spem mores consecuti: continuata nimirum Crucis gestatione, hoc est, corporis animique mortificatione, ac vitæ asperitate, omnibus virtutum ornamentis enituit. Cuius postea Carafa regendo Orbi Christiano admotus, perspectam integritatem, ac fidem in secretum Pontificis cubiculum adlegit, vt in loco exponemus. Inter hos recensendus Bartholomæus Veronensis, inculpatæ vir probitatis, cuius haud diuturnior apud nos virtus fuit: quippè anno quidem superiore Sodalitatem iniuit, nec diù post functus præclara morte est, quam Episcopi Theatini affectu, styloque enarrabimus in tempore.

Nicolai Staurophori exemplo.

Quod institutum non probant nostri.

Suadentque religiosas vagationes.

Persuasit præcipue Carafa.

Admittitur in Ordinem.

Vitæ in eo asperitas.

Iam, qui ab ipsa Sodalitij institutione non suum tantummodò, aut paucorum profectum, verùm commune etiam Ecclesiæ decus, & commodum spectarunt Patres, appulere anno insequenti animum ad opus planè laudatissimum, ac pulcherrimum, Romanæque Religioni, ac cultui pernecessarium. Sanè inter publicas, sanctasque Ecclesiasticorum functiones, potissimum est diurnum diuinorum Officiorum pensum, quo labiorum vitulis, sacrarumque precum thure quotidianas statis horis adolemus, mactamusque Numini victimas, Religione, cultuque animorum longè gratissimas. Peruetustum hoc fuit vel ab ipsa primæua Ecclesia institutum psallendi, recitandique Dei præces; quibus formandis, vel reformandis sanctissimi quique, ac doctissimi omni æuo Patres nauiter laborarunt, magnis, ac grauissimis curis suis dignum existimantes in id opus incumbere, vt ea recitandarum precum ratio in Ecclesia quàm pulcherrimè constaret. Desudarunt successu temporum eo in opere Hieronymus, Alcuinus, Aimon Anglicus iussu Romanorum Pontificum Damasi, ac Adriani, siue Leonis Tertij, & Alexandri Quarti. E summis verò Pontificibus inter præcipuas, ingentesque Ecclesiæ cogitationes hanc etiam curam versarunt Gregorius Primus, Leo Secundus, Gelasius Primus, Gregorius Magnus, & plerique alij. Etsi, quid sacrorum Principes, ac ministros memoro, ad quos ea diuinorum procuratio iure officij pertinet; quando & Reges ipsi, & Cæsares nec infra dignitatis maiestatem, nec supra Regnorum molem id negotij ducentes, non curarunt modò impensè, verùm hisce studijs

De diuino officio emendando cogitant nostri homines.

Quam præclara ea cura.

In quam incumbunt clari viri.

Romani Pontifices.

dijs Imperij curas distrahi perhonorificum putarunt, ac dignum Principe; Carolum Magnum, Regem Gallorum, postea Cæsarem, re bellica, ac pietate cum paucissimis spectatum, hanc præcipuè psallendi disciplinam ritumque Ecclesiastici Officij recitandi restituisse, atque emendasse, auctor est [a] Æginardus: ipsumque effecisse, vt Adrianus Pontifex in hanc etiam laudem intenderet, noua ad priscam, exactamque formam officia cudendo, auctor est [b] Amalarius Fortunatus. Ludouicus item Caroli filius, & Cæsar Imperij fasces, ac studia hac eadem ritè psallendi cura honestauit: adnisus namque est, vt Gallica officia ad Romani ritus exemplar emendarentur, misso Romam ad Summum Pontificem Amalario, Viro Ecclesiasticis institutis apprimè instructo, qui quos iam de diuinis officijs libros composuerat, ad Romanam amussim expoliuit, adauxitque, [c] concinnato inibi Commentario de Ordine Antiphonarij ad Gallicarum Ecclesiarum disciplinam, votumque [d] Ludouici. Planè, si recensere omnes, qui in id genus curis operam posuere, consilium esset, longè plures ex omni hominum censu clarissimos, ac eruditissimos viros laudari oporteret. Satis hos commemorasse, vt ex hac celsiorum capitum conditione intelligat quisque, haud parui quidem momenti, ac laudis esse, id aggredi voluisse. Quod cum Ecclesiasticis potissimùm viris abundè pulchrum, ac decorum esse perspicerent nostri homines, quippe qui non modo Clerici, sed & Regularem Clericorum disciplinam instaurauerant, atque id sibi in primis proposuerant, vt quæ ad Religionis, atque Ecclesiarum decentiam, nitoremque spectarent, interiore cura vrgerent, totos se ad hanc diurnarum precum, officiorumque emendationem conuertere statuere.

Et Cæsares, Regesque.

a Vit. Carol. Mag.

b De ord. Ant. præf. 1. & apud Baron. an. 778.

c Annal. c. 18.
d Baron. ad ann. 832.

Et quidem indigere hoc Clericorum studio eius tempestatis psalmodia videbatur. Enimuerò, quòd nulli tunc essent preces inculpatæ, ac decoræ, plura in dies obtrudebantur Breuiaria, non suis quæque nationibus, aut Prouincijs, sed singulis ferè Ecclesijs, ablegata laudabili illa in eisdem sacris recitandis, ac faciendis conspiratione, consensuque fidelium. Quod verò Romæ tunc temporis Breuiarium terebatur, nullis non erroribus, ac mendis plenum. Damnatæ ab Ecclesia memoriæ Auctorum homiliæ; incertæ, nulliusque fidei passim historiæ: præposteræ, obscuræque admodum rubricæ; præter sermonis inconcinnitatem, plebeiamque plerisque in locis dictionem, quam suggillat, notatque meritò [e] epistola ad Gibertum Carafa, qui & se stomacho ijs recitandis affici affirmat, ac dedecere Sacrorum siue puritatem, siue maiestatem illam officiorum inelegantiam, insertaque damnatorum capitum nomina, ac dubiam historiarum fidem. Ergò in hoc consilium Patres incumbere, ac re constituta, transactum cum Clemente Pontifice, vt auctoritatem operi, ac stimulos adderet: qui egregiam illam Regularium Clericorum mentem probauit prolixiùs; indulsitque, vt quod ipsi moliri Breuiarium decentiorem in formam, atque ordinem statuissent, conficerent; & vt experimento, vsuque expolirent in dies quod lucubrassent, vterentur per annum ea recitandi officij methodo, rituque, exempti interea temporis ab aliorum officiorum recitatione: demum absolutum suis numeris opus Sedi Apostolicæ afferrent approbandum. Litteras Apostolicas ad diem vndeuigesimam mensis Ianuarij, anno voluentis seculi nono, & vigesimo, obsignatas, libet hic exscribere: vt ex ijs pernecessariam eo tempore susceptam à Nostratibus Prouinciam agnoscamus, ac simul Sacrorum Rituum cum paucis consultissimos, Carafam, Thienæum, Patresque alios fuisse; quippè quorum peritiæ, ac prudentiæ singulari ea rerum momenta commendet Pontifex, bona profectò spe, fore vt è tanta hominum eruditione, zeloque præclarè res succederet.

Inconcinna illorum temporum psalmodia.

Præfert im Roma.

e Paulin. Pab

Nostratum consiliũ probat Pontif.

Faciũq; efformandi breuiarij faculta tem.

Obsignatis litteris Apostolicis.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS

Venerabili Fratri Ioanni Petro Carafæ, Episcopo Theatino, & dilectissimis Filijs, Caietano presbytero Vicentino, ac eorum Socijs, & successoribus, Clericis Regularibus nuncupatis.

VENERABILIS *Frater, & Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quòd postquam alias vobis Clericalem, & exemplarem vitam,* *sub*

Eorum exemplar.

sub emissione trium votorum substantialium in habitu Clericali ducere, ac in communi, & de communi viuere cupientibus id inter cætera, nec non aliquas super Missis, & alijs diuinis officijs celebrandis ordinationes, & constitutiones, dummodo licitas, honestas, & rationabiles, ac bonis moribus, & Sacris Canonibus non contrarias faciendi, & secundum illas eadem Missas, & officia recitandi, & celebrandi concessimus; prout in alijs nostris sub anulo Piscatoris litteris desuper sub die 24. Iunij, Pontificatus nostri anno primo confectis, plenius continetur: vos Religionis, & diuini cultus honore, ac feruore succensi Missas, & diuina officia, quibus nunc Sancta Romana Ecclesia vtitur, ad certum modum, vt quidem vobis videtur, decentiorem, sanctorumque Patrum, ac Sacrorum Canonum statutis conuenientiorem, magisque aptum profectui celebrantium, & deuotioni audientium excogitastis, quem componere desideratis, Nobis, & Sedi Apostolicæ postea offerendum, vt ex illius inspectione, an publico Ecclesiarum vsui tradendus sit, decernere possimus. Verùm, sicut eadem vestra expositio subiungebat, quia non facilè ad compositionis huiusmodi effectum, & complementum deuenire posse speratis, nisi per ipsiusmodi continuam per aliquod tempus tractationem, & officiorum à vobis compositorum recitationem, ex qua & vsu ipso multa a vobis videri, & animaduerti, & animaduersa corrigi, & mutari possent, cupitis propterea, vt experientiam ducem, ac magistram habeatis, Missas, & alia diuina officia huiusmodi iuxta modum à vobis repertum, & in choris, & in Ecclesijs vestris celebrare, & recitare. Quarè pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis id faciendi licentiam ad annum concedere, vosque interim sic recitantes, & celebrantes à celebratione, & recitatione Missarum, & officiorum diuinorum iuxta consuetum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ morem facienda, ac à recitatione officij B. Virginis etiam per vos composita, attenta occupatione vestra, & longiori officio, interim à vobis celebrando, absoluere, aliasque desuper vobis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur in te præcipuè, frater Episcope, sperantes, & confidentes, quòd pro tua doctrina, prudentia, & pietate nihil nisi pium, & Canonicum, laudeque, & professione vestra dignum in hoc ages, agique à tuis sines; vobis omnibus, & singulis vestrum dumtaxat, vt Missas, & diuina officia iuxta modum nouum, per vos excogitatum, & componendum, in choro, & in Ecclesijs vestris per annum dumtaxat à data præsentium computandum celebrare, & recitare ad Dei laudem liberè, & licitè valeatis: interim ad celebrationem, recitationemque Missarum, ac officiorum huiusmodi iuxta consuetum Romanæ Ecclesiæ morem faciendam minimè teneamini: nec officium B. Mariæ, etiam per vos compositum per dictum annum recitare ex præcepto obligemini; sed ab omni alio more aliter celebrandarum Missarum, & recitandorum officiorum per dictum annum tantùm prorsùs exempti, liberi, & absoluti esse censeamini auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac vobiscum super quouis voto, obligatione, & professione, per vos factis, ad effectum præsentium dispensamus. Volumus autem, vobisque in virtute Sanctæ Obedientiæ inhibemus, ne dictum modum, per vos componendum alicui alteri vtendum, & legendum tradatis, antequam ille per vos ad Nos missus, & à nobis, & ab hac Sancta Sede fuerit canonicè approbatus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die 21, Ianuarij 1529. Pontificatus nostri anno sexto.

c

Blosius.

Facta Pontificijs his litteris facultate non impigrè grauissimum, atque operosum oppidò munus aggressi Patres, non pauca immutare, pleraque reijcerè, explorare omnia ad prisci ritus calculos: quę demum supra memorauimus, scitè ac ritè emendare. Abrogatæ quippe quàm plures martyrum historiæ; inductæ Sanctorum, clarorumque Patrum homiliæ, expunctis quæ ex Origene, & Eusebio Emisseno, alijsque suspecti nominis legebantur. Absona humanioribus auribus cùm verba, tùm hymnorum metra, suis numeris, & elegantiæ reddita; aptæ, concinnæque respondentes inter sese rubricæ appositæ: denique nihil prius fuit, quàm vt opus penè recoquerent. Planè, vt dolendum fuerit, nullum consecutum subindè exitum, fructumque. Enimverò, vt alibi de Clementis Pontificis Septimi moribus statuimus, eius illa indoles fuit, vt quantùm iudicij perspicacitate, ac præclaræ mentis acie in arduis, tùm concipiendis, tùm consultandis valeret, tantundem in eisdem expediendis lentus erat, incertusque animi: vt perrarò magnas curas continuaret, ac nimis cunctando dilabi sæpius præclara è manibus momenta sineret. Prolixa igitur eius consilia, ac morę eam precum reformationem

Prouinciam Breuiarij emēdandi impigrè suscipiunt Patres.

At nullus eius rei exitus.

In causa, lēta Pontificis indoles.

nem distulere; & quod Patres lucubrarant, graui cum eorum sensu, domestico interim lare, sinuque delituit. Carafæ in primis molestè id accidit, qui pro eo, quo incitabatur, zelo, perurgere nihilominus opus non destitit. Sanè, vt non vna egregium pectus ratio euerberabat; tùm incerta præsertim, aliena, atque inconcinna illa, quæ breuiario Romano fœdè irrepserant, vsque adeò afficiebant, vt ijs ineptijs, ac somnijs recitandis tempus terere minùs posset Vir grauissimus. Testatur id ipse apertè, & candidè ad Gibertum, quem persæpè compositis ad eum litteris monuit, pulsauitque exquisitis precibus, vt dignum Religione sua negotium ad Ecclesiæ totius dignitatem, ac bonum apud Pontificem curaret. At enimuerò, cum frustra omnia, ac rem penè conclamatam cerneret, prętextu quidem aduersæ valetudinis, ac grauis æui, re autem vera, vt inepta, atque inerudita in eo officio declinaret, exemptionem à diurno eo penso exoluendo efflagitauit, ac mox obtinuit: præsertim quod sud minore quidem stomacho dignum Breuiarium illud erat, quod Sanctæ Crucis vulgò dicebatur, à Francisco Cardinali Quignonio compositum. Quod quidem, vt à plerisque, & è Romana Aula ferè omnibus, quòd breue admodùm tribus solummodò psalmis absolueretur, vsu receptum fuit; ita grauissimi quique viri, quod à priscæ Ecclesiæ ritu longè dissentiret, improbarunt, nec in animum inducere vnquam potuere, vt illo vterentur. Quæ porrò errata in perbreui, recentique eo Breuiario auctor insperserat notat [a] Sotus diligenter.

Afficiebat id nostros, Præcipue Carafam, Qui ab incócinna precum persolutione abhorrebat.

Quare exéptioné mox impetrauit.

Quignonij Breuiarium absurdum.

a de iust. & iur. lib. 9. & lib. 10. quæst. 5 art. 4.

Opportunum verò erit, quoniam materiam semel attigimus, rem totam, etsi alieno in loco absoluere, ac explicare, quem tandem ea nostrorum Patrum solertia, ac studium in sacrarum precum instauratione exitum habuerit? Resumptum igitur sæpius negotium, dilatumque subinde sępius fuit; ac visa tandem digna Concilio Tridentino, ac sapientissimis ijs Patribus cura. Verùm cùm alia alijs succederent religionis, fideique in ea Sinodo momenta, vt publicę Antistitum consultationes in explicandis, confirmandisque Catholicis sententijs totę essent, nihil sub Maximis Pontificibus Paulo Tertio, & Iulio Tertio hac de re sancitum. Quousque adlectus Pontifex Cardinalis Theatinus in id, quod iam diù consilium, votumque pectore gestauerat, manum ipse admouere, ac perficere suo marte statuit. Quocirca proscripta statim Quignonij compendiaria ea orandi formula; quæ olim cum Thieneo, alijsque Patribus excogitauerat, ad examen iterum, ac lancem accuratè reuocando; tum noua ipsemet, ac secundas veluti curas adijciendo, rem pene confecit, ducto ad calcem, ac limam opere. At verò, vt obuia sunt bonis consilijs impedimenta, Campano eo bello, armisque intempestiuis interpellatus; tùm profundæ senectutis incommodis prægrauatus, proponere Orbi Christiano meditatum psallendi ritum minimè potuit: digestumque, ac pene absolutum succedaneę Pontificum curæ opus legauit. Res itaque agitari iterum cœpta in Concilio Tridentino, Pio Quarto Pontifice: precipuè, quòd a cunctis expeti summis precibus videbatur, ac Cęsar ipse per Legatos suos id à Concilij Patribus etiam, atque etiam efflagitaret; vt datis ad nostrum Bernardinum Schottum Cardinalem Tranensem literis [a] Thomas Golduellus, item è nostris, Episcopus Asaphensis, qui in eo Conuentu aderat, significauit. Eapropter egregios Pauli Quarti in reformando precum ritu labores cùm scirent Patres, ab ea Paulini operis idea non discedendum putarunt. Demandata igitur Asaphensi res est, qui statim cum Tranensi Cardinali, cui id etiam a Pio Quarto datum antea negotium fuerat, plerisque literis egit, vt quæ Paulus accurauerat, Tridentum mitteret. Eam nempe esse Concilij mentem; ex optarique summis votis cùm ab Italis, tùm ab Hispanis, Gallisque Episcopis Breuiarij emendationem. Res tamen in tanto grauissimarum curarum æstu prolixior adhuc visa, quàm vt posset pro dignitate examinari, instante præsertim Concilij exitu. Quare ad auctoritatem, iudiciumque Pontificis relatum iterum negotium est, ac tandem faustè absoluit Pius Quintus, qui in ijs, quas in Romani Breuiarij fronte litteras affixit, se, & Antecessores suos delineatum à Paulo Quarto exemplar, ac posthumas eius curas testatur secutos quàm studiosissimè fuisse, neque ab hac mente Tridentinorum Patrum propositum discrepasse, ijs verbis [Patres in illa salutari reformatione à Concilio constituta Breuiarium ex ipsa Pauli Papæ Quarti ratione restituere cogitarunt.]

Instaurata sacrarũ precum emendatio.

Ex Concilio Tridentino demandatur. Sed re infecta.

Paulus IV. dictus Pont. curas resumit.

Quas abrũpit Campanũ bellum.

Res iterum ad Concilij Patres.

a Tabul. Pont. lib. Neap. tom. 5. farrag. pag. 315.

Qui statuüt a Pauli IV. formula non discedẽdum.

Episcop. Asaphensis ea super re ad Card. Tranensem litteras.

Sed opus absoluit Pius Quintus.

Ad Pauli formam.

Cæte-

Cæterum quę præcipuè Paulus veteri in Breuiario accuratè emendauerat, aut expunxerat, [a] vt epistola ad Vincentium Massam è nostra Congregatione data, refert Hieremias Isachinus Clericus item Regularis, qui ab intimo Pauli Pontificis cubiculo, eiusque in horis canonicis persoluendis comes fuit, ad hæc ferme capita reuocantur. Origenis homilias, aliorumque non integræ religionis auctorum, non vno affixas loco, abrasit; inseruitque illibatam Sanctorum Patrum mentem, ac stylum. Graues ad nocturnos benedictiones pro ineptis, absurdisque apposuit. Incertas martyriorum narrationes, inuectas quæ probatissimę, comperteque erant, obliterauit. D. Thomæ Cartuariensis germanam martyrij historiam attexuit. Votiuos vtrique Cruci dies homilijs sancti Leonis Papæ insigniuit. Quæ solenni Beatæ Agnetis die lectiones recitantur, ex libro secundo Diui Ambrosij de Virginibus excerptas voluit. Absonos quosdam in festis Transfigurationis, ac Sanctissimæ Trinitatis hymnos abrogauit. Ad hæc, statuit, vt cuiusque Dominicæ ante & post Pentecostem commemoratio nullo pacto prætermitteretur. Implicatas, confusasque in Aduentu Domini rubricas planiorem in modum explicauit. Primam ex horis canonicis, aggestis psalmis quàm longissimam Dominicis diebus cani solitam, contraxit. Vltimas item diei preces, ac Completorium reformauit. Scripsit hæc porrò Isachitus ad Vincentium Massam, quòd instantibus Romanis, ac generalibus Comitijs anni sexagesimi primi supra sesquimillesimum cogitarent tandem Patres ad id Pauli Quarti exemplar orandi formam nostris hominibus præscribere. Quod quidem collatis votis, ac re maturiùs in eo Capitulo discussa, sancitum lege est, manauitque ordinatio in hæc verba. [Item placuit, vt circa officium decantandum, exoluendumque ritus ille seruetur, quem felicis recordationis Paulus Pontifex Quartus instituit: cùm id nobis facere priuilegia nostra permittant.] Quæ verò id nobis priuilegia permittant, ea sunt, quæ in ipso Sodalitatis exortu Pontifex Clemens adnuit; nempe vt ritus Ecclesiasticos quoad officia recitanda, missasque celebrandas immutare, ac suo accomodare instituto liceret nostris, vt in eo diplomate videre est, quod supra adscripsimus. Atque hæc quidem de illo in Breuiario restituendò nostratum studio: quæ fusiùs profectò enarrauimus, ne posteritatem præclara eorum mens lateat. Et verò, quòd ad hanc ecclesiastici ritus formam, splendoremque Romanum Orarium, diurnæque preces peruenerint, deberi nostris hominibus magnę laudis partem æquum est: quippe qui huic consilio, curæque egregiè insudarunt, præcipue Carafa, cuius in pectore nunquam intermortua pręclari operis conficiendi, expoliendique cogitatio: adiecitque vel inter assidua, ac grauissima orbis negotia egregium studium, ac stylum.

a è Romano Ban. Syluestri tabular.

Quid præcipuè Paulus IV. emendauerit.

Nostræ Cógregationis decretum de officij recitatione.

Sacrarũ precum concinnitas nostro Ordini ex parte adscribendo.

Nunc ad lineam redeat narratio, & ad annum, quem versamus recurrentis seculi vigesimum nonum: in quo tùm reliquos nostrates eximiè religionem, ac diuinorum cultum tractantes Venetijs reperies, tùm in primis Episcopi Theatini quietem oppugnatam, ac publicis perindè & maximis occupationibus pene expugnatam. Planè, si rem ad calculum exigas, ipsemet quod amabat intimè mentis otium, odisse etiam quodammodo videbatur, curasque simul & arcebat, & ardentissimo religionis, fideique zelo arcessebat. Nam qui rem Romanam, ac Catholicum nomen illibatum, sartumque, ac tectum vellet, gliscentem in Veneta ea Regione, ac terrarum Orbe morum licentiam, ac hæresim, vt tolerare generosum pectus non poterat; ita omni ope nitebatur, vt ea succideret ipse, iugularetque, si posset; sin minus, imperare sibi nequibat, quin Pontificem frequenter litteris interpellaret, vt maturè consuleret; antequam inueterata æuo suo mala artem postea omnem, studiumque eluderent. Eapropter Pontifex, qui præclaros Carafæ impetus, erectumque ad Ecclesiæ decus, candoremque animum longè ante nouerat, nouis subinde ijs monitis certiore testimonio confirmatus, plura, atque ardua exploratæ incomparabilis viri prudentiæ, atque integerrimæ fidei negotia Venetijs demandabat. Ea fuere, vt mox dicemus, Cleri, ac Religiosarum familiarum reformatio; hæresum quæstiones, & causæ; obortę rerum Ecclesiasticarum lites; atque id genus plura. Monita porrò, quæ diximus, Romam submittebat, datis litteris ad Gibertum, ac Ioannem Baptistam Sangam, Clementis Pontificis à secretis, qui eidem Pontifici, apud quem summo loco erant, tempestiuè referrent. Has litteras, vt quæ Carafæ pietatem, atque ingens sincerioris fidei studium egregiè commen-

Carafæ Zelus ad Venetijs.

Pontificem appellabat in mores, ac hæreses

Quorũ causę illi demandãtur.

commendant, hic dare pretium esset. Verùm nec historiam ea epistolarum lacinia, nec legentes onerare fas, & mens est. Illa certè monita non prætermittenda, quamuis admodum prolixa, quæ fratri Bonauenturæ, Ordinis Minorum, quem vocant de Obseruantia, Prouinciali Ministro dedit, vt de ijs coram eum Pontifice ageret suo nomine; digna sanè, quæ posteritati transmittantur, vt tanti Viri Imaginem, Religionem, Zelum, spirituum altitudinem inspiciat in hac scriptione lector, in qua visus profectò Episcopus Theatinus seipsum, studiumque catholici nominis graphicè delineasse. Non sum nescius, scripta hæc fuisse non quidem hoc anno, sed trigesimo secundo; visus tamen hic locus opportunior illa recensendi, cùm primùm in Carafæ Zelum incidimus: præsertim cum diù antea illa se meditatum, ac in animo gestasse testetur Giberto, ac desideratum solummodò interpretem, qui facundia, fide, probitate, quæ rem decebat, ea cum supremo Christianæ Reip: Moderatore sapienter, ac pro dignitate transigeret. Sed apponenda hic primum ad Pontificem ipsum Epistola, fidei conciliatrix, quæ sic habet.

Carafæ ad Pontificem monita per fr. Bonauenturam de obseruantia.

Beatissime Pater.

OPTAVERAM diù compertæ fidei nuncium, qui aliqua, mea quidem sententia, ponderis non exigui Sanctitati Tuæ à me referret. Exoratus nunc fr. Bonauentura, Ordinis Minorum de Obseruantia Minister, qui has litteras perfert, operam suam annuit. Vir quidem is est virtutum merito cum paucis mihi carus, & qui præter verbi Dei disseminandi studium, expiandorum præterea animorum munus summa cum integritatis, doctrinæque laude cùm Venetijs, tùm Neapoli, ac præcipuis plerisque in Italia Vrbibus obiuit. Plura, quæ Sanctitati Tuæ suggerat, cum ipso communicaui. Ob hanc rem tuis pedibus aduolutus precor, obtestorque, vt qua me olim excipere beneuolentia solitus eras, illum audias, faueasque perhumaniter ijs, quæ vel suo, vel meo ipse nomine significauerit: sciasque præter honorem Dei, ac Sanctitatis Tuæ decus, famamque nihil nobis propositum. Demeruisse interim gratiam, ac benedictionem Tuam Ego ipse, & fratres hi mei percupimus, rogamusque, vt Deus Maximus diù Te Ecclesiæ suæ seruet incolumem.

De quo litteræ Carafæ commendaticiæ.

Quæ verò fratri Bonauenturæ rerum capita commendauit, scripsitque ad memoriæ subsidium, Latinè ex Italico reddita, hæc sunt.

Romam, Deo auspice, ac Maiorum nutu concedes: vbi post adoratum Principis Apostolorum Templum, fusasque pro nobis preces, effectrices fidei Litteras Reuerendissimo Antistiti Francisco Vannuccio, Sanctæ Mariæ Transtyberinæ Canonico & Insanabilium Nosocomij Rectori dabis. Vt primùm adeundi Pontificis facultas fuerit, libatis sanctissimis pedibus de more osculis, benedictionem nobis impetrabis; habebisque quæsitissimas gratias pro singulari, qua vsus est in Sororis meæ Gynæceum, beneuolentia. Secundùm hæc, aperies, hoc te munere fungi longè anteà debuisse, ac pro rerum agendarum grauitate aures poscere proniores, ac beneuolentiores, cùm rara admodum tempestiua nunciorum fides, nec tutum porrò sit litteris agere. Quocirca prolixè orabis, vt cùm non exigua quidem Catholicæ rei, atque Orbis pars hęc sit Venetiarum Vrbs, ac Prouincia, audire in præsens quid necessitas, ac tempus postulent ad animorum emendationem, fructumque, quæ est Sanctitatis suæ benignitas, non dedignetur. Et quia, vt ait Apostolus, sine fide impossibile est placere Deo, à fide auspicandum: monebisque labefactari hic cœptos nonnullorum mores, vitamque, contempta solemni quadragesimalis ieiunij obseruantia, atque animorum expiatione: inspersam itidem plurimorum ingenijs, ac animis hæresum luem, sermonesque passim seri acatholicos; nec non teri multorum manibus proscriptos hæreticorum libros. Hoc verò sciat potissimum Pontifex, hanc siue hæresum, siue morum labem gemino ab fonte existere, ac propagari; ab Apostatis, sui videlicet instituti desertoribus, & à Religiosis quibusdam viris, qui à præclara, quam profitentur, disciplina, moribus abhorrent. Neque verò puto Beatissimum Patrem latere, flagitiosum illum Religiosorum hominum cœtum, insigni nuper quorundam pietate, studioque cœptum profligari, qui cùm corruptæ Religionis quendam, defunctum iam vita, ac

Monitorum exemplar.

A fidei repurgatione auspicatur.

Ieiuniorum obseruantia, & Sacramentalis confessio contempta.

Sermones, ac libri suspectæ fidei.

Vnde morū labes.

suis malis artibus, præceptorem audiuerint, vt ceu boni auditores, nomen, famamque Magistro suo concilient, hæretici sunt ad vnum omnes. Horum è numero est Galatæus ille, cuius mihi anno præterito quæstio fuit delegata; cumque reum hæresis, ac deploratæ omninò spei comperissem, supremo in ipsum supplicio decretum fuit; & adhuc carcere detinetur, re infecta; causanturque Administri, Sanctissimum Patrem nondum arma in eiusmodi vitiorum, atque hæresum portenta contorsisse; quarè neque sibi hac de re videri quicquam statuendum. Et quamuis constitutam de perditissimo homine pœnam sumere non abnuant, dilata nihilominùs res adhuc est.

Hæreticus à Carafa capitis damnatus.

Hujus porrò Socius ille est, eiusdem farinæ, atque Ordinis Bartholomæus, quem superiore item anno Episcopus Polensis, Nuntius Apostolicus, ob pestilentissimos, quos pro concione errores proseminauerat, declamandi munere interdixit in Diui Hieremiæ Templo; cumque adflandi ea lue animos præstructum sibi aditum cerneret, Augustam discessit, abiectoque turpiter habitu, in Lutheranum impius transfuga euasit; iactatque magnificè vilissimum caput, se Romano Pontifici timori esse; præsertim, quòd fama est, curasse Pontificem, vt Iacobus Saluiatus ad illum scriberet, ac ipsummet breues litteras, nescio quas ad illum pariter dedisse. Quod quidem in maximi mœroris causa ponunt boni omnes, dolentque vehementer, deceptum ab ijs Pontificem fuisse, qui summa illum fide monere debuerant, Hæreticos hæreticorum more accipiendos.

Eius Socius Apostata à Relig. & fide.

Certè supremum Ecclesiæ Antistitem eò aliquando deuenisse, vt humaniter illos litteris appellarit, ac beneficia interdum concesserit, etsi cum paucis ea quandoque comitas processerit, passim tamen cernimus, hanc præcipuam viam esse, qua eorum scelus, ac numerus gliscat. Et iam superbè ipsi, ac disertissimè declamant, certam inijsse rationem, qua ad honores sibi, existimationemque viam sternant, Romanumque Pontificem demereantur. Quòd enimuerò longe perniciosissimum, atque indignissimum. Horum etiam commilito, atque hæresum fax alia ille est frater Alexander, quem Antistes Patauinus, quòd pleraque euomuerat è superiore loco impia, in carcerem compegit: vbi detinetur quidem adhuc; quæstionem verò fernnt remissiùs haberi. Et quamuis è plerisque Ordinibus satis multi emerserint, suspectæ libatæ Religionis homines; attamen Antesignanus, ac signifer videtur hic esse, quem ipse noscis, Archihæreticus, qui longè, latèque, præclarisque in locis malum spargit, vt nisi Deus maturè adsit, pigere profectò Pontificem continget suæ in illum beneficentiæ, ac impunitatis, quam illemet superbè iactat.

Nulla cum hæreticis indulgentia vtendum.

Et quidem edoceri omninò Sanctitatem suam necesse est, vt sibi tandem persuadeat, tot argumenta beneuolentiæ in proiectæ spei hæreticum, id modò tantùm efficere, vt malas ille artes suas, dolosque expoliat, tegatque pulchriùs, atque adeò infensior reddatur Ecclesiæ hostis: & sibi quidem obstinationem augeat; Pontifici existimationem, nomenque imminuat; piorum verò lachrymas, sensumque doloris cumulet, dum Sedis Apostolicæ obtentu ab hisce tenebrionibus sub vestimentis ouium circumuentos vident non paucos.

Quid collata in eos beneficia effecerit.

Supplicandus propterea anxiùs Pontifex est, ne tantam litterarum Apostolicarum copiam indulgeat, modumque imponat administris, ne faciles adeò, pronique sint in ijs pro exigua quaque re expediendis. Quod ad Cancellariam spectat, sæpè monitus eius præceptor fuit, nec resipuit. De plerisque alijs nullus inclamandi, incusandique finis. Ar frustra omnia. Demùm, vt rem conficiam, pro Dei gloria, pro sui muneris officio afflictæ, diuulsæque Christianæ rei opem aliquam afferat Pontifex, vt excusatione vti quoquo pacto apud Deum possit. Et vt verum fatear, ea est hæc temporum ratio, vt assuetam premere, vetustamque viam, minùs opportunum videatur: verùm, sicuti graui bello incubante, nouis semper consilijs, ac munimentis cauetur malum; ita neque ingenti huic animorum discrimini, atque exitio indormiendum.

Litterarum Apostolicarũ copia restringenda.

Aptanda temporibus remedia.

Nouit præterea Sanctitas sua, Quæsitorum in hac Prouincia munus penes huiusce Ordinis fratres esse, qui rarò quidem in idoneum, ac parem muneri virum offendunt; cuiusmodi fuir frater Martinus, Taruisinus, diligentia, ac fide, ac optimæ memoriæ Episcopi Polensis commendatione Sanctitati suæ notus, quem nunc officio defunctum, excepit nescio quis insigniter, vt ferunt, ineptus. Quarè consulendum opportunè;

portunè;

portunè; & è re quidem esset, tùm locorum Ordinarios excitare; nam consopita vbique virtus; tùm gnauos, prudentesque viros hic designare, aut Legatum aliquem, non auri, honorumque, si fieri potest, cupidum, mittere, qui labefactatum Apostolicæ Sedis decus, nomenque restituat: mulctetque, aut in fugam saltem agat perditos hosce Nouatores, qui quò se cumque recipient, suummet scelus importabunt, ac luculentum Christianæ pietatis testimonium, quæ improbos nunquam, nusquam admittit.

At quia concipi solitam impietatis luem nouimus, aut publicis concionibus, aut librorum illecebra, ac scelerum, vitæque laxioris vsu, à qua facillimè in hæresim gradus, videtur honestè quidem, ac sanctè, summoque cum animarum compendio cauere his omnibus Pontifex posse, ea certè ratione, quam memini quatuor abhinc annis eidem me innuisse: vt scilicet, cùm huic præcipiat Patriarchæ, tùm alijs alibi locorum Ordinarijs, adscitis præterea quibusdam è Religiosis viris, perspectæ virtutis, doctrinæque laude conspicuis, vt qui Sacris concionibus, & confessionibus admoueri debent, vnà simul examinent perquàm diligenter: nec de eruditione tantùm, dicendique gratia, verùm de vitæ etiam ratione, famaque nominis inquirant: quique eo periculo admissi fuerint, ij nullo examinis, acceptæque facultatis pretio, obire id muneris duntaxat possint. Quòd si qui res haud æqua æstimatione metiuntur, obniti præclaro operi tentauerint, arguere profectò illos Pontificem par est; vt qui consilij præstantiam minimè intelligunt. Nec Religiosorum Ordinum priuilegijs quicquam imminuitur, quando id à Pontifice statuitur, quod temporum necessitas, & pietas poscunt. Quod si dicunt, supremos Ordinum Moderatores curare hoc ipsum posse: ò præclaram opem, ac studium, fortunatosque, qui hæc sibi adiumenta pollicentur! Quid hâc ipse de re noueris, Sanctitatem suam edocebis. At, timidiores fortasse alij, vbi non est timor, dicent, illiteratos, improbosque eos fratres, vbi se à concionandi, excipiendique fidelium confessiones munere decidisse, ac proindè præcisam lucri corrogandi spem omnem viderint, fore vt animum despondentes, ab Ordine, ac fide desciscant. Nauseam profectò mouent indigna prorsus hæc, ne dicam stultissima: eadem quippè ratione, siue irrationabili ignauia plura oporteret, quæ Pontificiam curam decent, prætermitti. Sed nec illud magni momenti est; concionatorum, nempè, & Confessariorum numerum ad paucos redactum iri. Nam vtinam non tot essent, modò boni. Quamuis non hæc summo iure agenda; nec seueriùs, quàm par est, resecanda perindè ad viuum res, quin pro loci, ac temporis conditione aliquos admittant Censores, Catholicos quidem, litteris licet non insigniter imbutos. Hinc nimirum bonorum animi, quòd cernerent, Pontifici curæ esse animorum commoda, mirificè erigerentur, hæreticis obtrectandi materia, atque argumenta præciderentur, Religiosi cuiusque Ordinis viri repulsæ metu, litterarum studijs incumbentes, mores etiam suos componerent. Et verò non exiguum consequetur eam curam fructus; nam vt Verbi Dei præcones, ceu rem satis compertam prætercam; Confessariorum quidem munus, non modò non minoris, sed eò pluris faciendum est, quò res communior, & in qua, ceu clandestina, nonnisi post factum erumpere interdum, ac lucere malum contingit: & ignauus insuper quisque è vulgo id sibi arrogat, vt planè fabellæ locum non occupet, quod mihi sæpius narratum; nempè in plerisque Religiosorum Cœnobijs quosdam, nondum Sacerdotio initiatos, per summam sese confidentiam, vt aliquid pecuniarum exculperent, audiendis confessionibus insinuasse. Mitto euulgata Sacramenti contemptu crimina: factamque grauissimis sceleribus, ac Pontificijs ipsis excommunicationibus indormiendi facultatem: quæ quidem Pontificum arma Confessariorum præsertim opera iam penè contemptui, ac derediculo sunt. At sciat velim Pontifex, plerosque hic melioris notæ viros semel in anno noxas suas confiteri; ac Sacram Synaxim adire solitos, monitique ab amicis bonæ mentis, excusant facilitatem, facultatemque sibi ipsis à Confessarijs factam, ea agendi, quæ probi quique, frugique homines horrerent. Neque verò commaculatam eorum Confessariorum, propter quos blasphematur verbum Dei, pudicitiam commemorem. Sat fuerit meminisse, prauos Vrbis mores illorum maximè exemplo conualescere: ac persuaserit semel sibi Sanctitas sua, hæc Confessariorum momenta maiora quidem esse,

Læditur maximè à Concionatoribus, & Confessarijs fides,

Ij de eruditione, ac moribus examinandi.

Neque ordinum Moderatoribus negotium credendum.

Serenuè examen hoc vrgendum,

Sed non sine æquitate.

Qui inde in rem Christia. nã fructus.

Quanti faciendum in Confessarijs improbitas,

A quibus Romanæ auctoritatis contemptus,

Et morum laxitas.

quàm vt hæ litteræ explicent. Ac proindè curet sedulò diuinam gloriam, ac suam, harumque salutem animarum: maturetque hoc rebus remedium, quod certè facillimum, ac obuium, certæque, nec exiguæ vtilitatis.

Apostatæ pessimum genus hominũ.

In heresim facilè prolabuntur.

Iam verò, quòd Apostatas meminimus, qui tandem exacto æuo fuerint, qui certè semper pessimi, vt affirmet iureiurando Augustinus, scelestius his genus hominum offendisse nunquam; hac quidem tempestate hoc passim cernitur, vt nullus Religiosum habitum exuat, quin fidem etiam eieret: nullique hæresim aut ingeniosiùs commenrantur, aut propugnant acriùs, aut amplificant studiosiùs; domos quasque ineuntes, adflantes Monialium Cœnobijs impietatem. Ad hæc, cùm nimia Ecclesiæ liberalitate puerorum plerique, ac militum tres interdum, ac quatuor Parœcias curent, vt quàm amplissimos ab ijs fructus decerpant; toti in eo sunt, vt quàm minimum in earum cultu, atque administrorum pensione insumant: cumque qui minore, quàm Apostatæ, pretio procurationem licitentur, nullus reperiatur, ea illis nullo delectu Sacerdotia commendant. Qui in eam Ecclesiarum, animorumque administrationem ingressi, nimiùm quantùm discerpunt omnia, diuexantque: vt planè Christi sanguinis contemptum, cladem fidei, sacrorumque nundinationem nullus exæquet sermo.

Externæ modestiæ specie nocentiores.

Et quia, etsi pietatem omnem, fidemque abdicauerint; longo tamen Religionis vsu, quædam improbis modestiæ imago, & color, leuisque rituum, ac litterarum vmbra adhæserit, cùm horum ostentatione, ac specie, tum illicio hæresum, quæ nouitate sua, licentiaque perquàm placent, fauorem vulgi, gratiamque demerentur Apostatæ. Vulgi verò nomine plausores, fautoresque eorum omnes appellauerim, quos enimuerò peccatorum nostrorum merito è vulgo eximunt mortales.

Pœnitẽtiariæ administris modus imponendus.

At enim, cùm execrandorum Apostatarum numerus adeò excreuerit, vt penè remedium sit desperatum, nulla saltem à Pontifice videtur obtendi posse, quominùs ingenti huic malo posthac manum admoueat, ac proindè vt Christianæ rei bono, Deique gloriæ, ac suæmet in primis saluti consulat, oratum illum peruelis, vt cupidissimis illis Pœnitentiariæ Administris modum statuat; caueatque, ne eorum compendia Catholicæ rei, animæque Sanctitatis suæ tanto constent. Profectò indicenda, si fas esset, fidelibus capitatio, quam puto, omnes vltrò exoluturos, modò ablegentur, eliminenturque tot pestes. Obtulit ille sese probatæ olim Religionis professus, grandæuus, Sacerdos, qui publica etiam munia in Cœnobio decennium obiuerat; & sunt qui ad vicenos etiam annos alijs præfuere: deindè mali dæmonis instinctu è complexu Religionis diuulsus, in conspectum se foti seculari habitu dedit: interrogatusque quæ isthæc monstra, respondet, Pœnitentiariam adnuisse; obsignata mox diplomata ostendit, quæ narrent, vi trusum in Monasterium fuisse, nec constante ætate, nec vnquam persistendi propositum adfuisse: tùm insanabili morbo correptum, & id genus nugas: re tamen propiùs, ac studiosiùs explorata, singillatim respondet, inijsse Ordinem maturum quidem æuo, sponte sua vouisse, libenterque in Cœnobio commoratum: Cur igitur desciuerit interrogatus? hic quidem, quòd altercatus cum socio est, alter vt Maiorum inuidiam, hoc est, correctionem tempestiuè declinaret: ille confidentiùs, ac impudentiùs respondet, ea votorum Sacramenta, ac Monachatum mortalium inuentum esse, ac nullo quidem iure ijs adstringi: munitum se porrò ijs litteris, vt fori quæstionem luderet. Plerique autem sunt, ac fortassè innumeri, qui Commissoriales, vt aiunt, ac subreptitias emunt ad habitum eiurandum litteras, nec continuò vt executioni mandentur, curant; Deumque interea, ac Sedem Apostolicam rident. Atque hi quidem in Sacrorum, animorumque procuratione vbique dominantur; Monialium conscientijs plerisque in locis admouentur; aperiunt nonnulli ad puerorum rudimenta ludos litterarios; quidam in Magnatum domo sacrificant: atque ita modis, vijsque omnibus effundere venena sua student, quæ porrò dilui vi Numinis, ac Sedis Apostolicæ manu, curaque dumtaxat possunt. Et tu ipse, Pater, domestica addes satis multa: monebisque Sanctitatem suam, vt executionum huiusmodi nullam probet. Miserrimi namque hi Apostatæ vera iam narrant, fueruntque à Pœnitentiariæ administris, adulterinis, spurijsque ijs narrationibus lusi; sed placent modò doli, quòd ijs curta omninò fides, & conscientia.

Eorum cum Religiosis varia facilitas.

Sperandum porrò, Pontifici potiùs, quàm alijs, fore à diuina Numinis bonitate acco-

accommodatam, vtilemque huic rerum neceſsitati mentem inijciendam; atque adeò ipſe in eam curam incumbat neceſſe eſt, ac meminerit de ſeipſo hîc agi ante alios, nec de rerum ſolummodò æternarum, momentiſque animæ, verùm exiſtimationis etiam, ac fortunarum. Videtur namque hoc in primis cum Lutheriana hæreſi conuenire, quæ inter alia quidem monſtra adſtruit, Religioſorum votorum fidem nullam eſſe. Et verò ſi nulla quidem cauſa, delectuque paſſim hæc Religioſi Inſtituti, habitusque abdicandi facultas detur, quid eſt quod hæreſi, ac Luthero faueat magis? Præcludatur igitur facilis hic ſe ſe excucullandi aditus, ſitque hæc penes Sanctitatem ſuam dumtaxat auctoritas, vt ea è Theologorum ſententia, conſultoque Canonum vtatur: cum illis nempè, quorum vel ætatis defectu, vel iure aliquo vota ſunt abroganda; caueatque vt diligenti cauſæ examine, ac maiori quidem fide, quàm ſit ea administrorum cupiditas, res peragatur. Quod verò ad eos attinet, qui iam deſciuere, ſtatuat ſaltem Sanctitas ſua, vt ab omni prorsùs animorum procuratione ablegentur, nulla Monialium ſiue in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus adminiſtratio commendetur; nec ſacras earum confeſſiones excipiant, nec ſermones habeant. Quo ſanè eorum ſaluti non minimùm conſultum erit. Præciſa ſiquidem lucri, honorumque ſpe omni, ſaltem vexatio intellectum dabit auditui.

Apoſtaſia à Religione cũ Lutheriana hæreſi conuenit. Præcludẽdus apoſtatandi aditus.

Nec illis modò, verùm alijs etiam, qui veluti arundo ventis agitata in Cœnobijs commorantur, ea legum ratio prodeſſet; qui quòd facili id negotio, paruoque cenſu obtineri, ac beneficijs inſuper a Sede Apoſtolica, ac proinde à ſecularibus cumulari id genus hominum vident, vehementer ad eorum imitationem, abdicandamque diſciplinam incitantur. Quando autem ſummum Pœnitentiarium ſecundum cor ſuum nacta modò eſt Sanctitas ſua, certè cur tot illius Officij ſanandis malis non ſedulò incumbat, nullus eſt excuſationi locus. Planè, bonus ille ſenex, cui parcat Deus, ſenectuti plus nimiò indulſit; de qua liceat dicere: Nemo immittit vinum nouum in vtres veteres, ſed expurgemus vetus fermentum, & exuamus veterem hominem.

Nã exemplo plerique a Religione deſciſcunt.

At quia rebus maximis impar eſt mens mortalium, ac ſermo; illudque tantummodò nobis licet, vt opem à Deo, qui curare magna hæc poteſt, imploremus, hoc ſaltem Summo Antiſtiti non tacendum. Eccleſijs nempè omnibus malè eſſe, idque partim nonnullorum Epiſcoporum indole, haud planè bona, nimiaque eorum cupiditate; partim quòd earum pleræque Paſtoribus ſuis ſunt deſtitutæ; vel quia alijs commendatæ, vel quia Antiſtites ipſi honorum, quàm par eſt, appetentiores, ijs vale dicto, ad Principum Aulas peregrinantur. Et ſunt nonnulli, qui Eccleſiæ procurationem inepto credunt fraterculo, Epiſcopi titularis prætextu, quem nouo quidem, inuſitatoque omnibus retro ſeculis in ea ſignificatione vocabulo, ſuffraganeum nominant; cum ſuffraganei comprouinciales Epiſcopi ſint, qui à ſuffragijs in ſui Archiepiſcopi electione olim ferendis, ſuffraganei dicebantur. Huiuſmodi verò Antiſtites, ſacra quadam fame extimulati è Cœnobijs exilientes, videntur, haud tantum poſſe è Sacrorum licitatione auri eradere, quantum pectora, animoſque longè cupidiſſimos expleat: eaque propter vendendis ordinibus, quippe qui merces ſunt venaliores, impenſiùs ſtudent, & cùm legitimis temporibus, tùm extra tempora non tantum admittuntur, ſed compelluntur etiam, vrgenturque omnes, animis quidem, quandoque & corpore cæci, ſurdi, muti, claudi; boni minimè, ſed mali omnes, & malis artibus, ideſt, per ſimoniacam hæreſim, vt impleatur Domus Domini fæce, ac ſordibus: ita vt ſecularium, ac iam ferè cuiuſcumque Ordinis Regularium Sacerdotum conditio in cauſa ſit, vt Miſſas, ſacrorumque officiorum cultum, atque Eccleſiaſticam omnem dignitatem homines auerſentur, de quibus dici ſanè poteſt, Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. Atque hinc quidem Nouatores noſtra traducendi, irridendique finem nullum faciunt. Nec ſuperbis oblocutionibus reſpondere, aut reponere quicquam poſſumus. Eò namque res euaſit, vt latere turpitudo, ac lues minùs poſsit. Et meminiſſe quidem Sanctitas ſua debet, cùm primo ſui Pontificatus anno ſeruum planè fidelem ordinibus ritè conferendis impoſuiſſet, cauiſſetque, ne quis hac ſe in re immiſceret, repertos nihilominùs fuiſſe iſtiuſmodi Epiſcopos, qui nulla Pontificis reuerentia, metuque obuios quoſque, ineptoſque Romæ impudentiſsimè initiarent. Coniectare hinc facilè ipſe poteſt, quid longinquis in locis accidat, quando media in Vrbe coram

Eccleſiarum calamitas ab Epiſcoporum ſiue cupiditate, ſiue abſentia.

Suffraganeorum nomen ſuggilatur.

Indignos Ordinibus initiari quę pariat mala.

Catholici auerſantur.

Hæretici irrident.

cotam Sanctitatis suæ maiestate id audeant improbi. Et hic quidem ingenti cum populorum scandalo de eiusmodi persæpè rebus aliquid noui fert rumor. Notatur que ante alios Episcopus Veliensis, quem aiunt, venditare se magnificè, factamque sibi à Sancta Sede facultatem præferte, initiandi vbique locorum extra tempora, quod & magno cum læsi Numinis, violatæque Ecclesiæ crimine impunè facit. Atque adeò istius, aliorumque scelere luxuriate eiusmodi Sacerdotum segetem vbique cernimus, quorum sanè ineptiam, inscitiam, stuporemque nec ferre animus, nec scribere calamus valet.

Præterquàm quod, vt lucrum festinent suum, ætatem vsque adeò acerbam Ordinibus consecrant, vt Sacerdotum aliquot vix sextum, & decimum annum diceres excessisse; vt videatur planè communis hostis cùm alijs artibus, tum hac præcipuè catholici nominis cladem, atque exitium molitus. De habitu verò, ac tonsura Clericorum nihil dicendum, cum nullus iam aut leno, aut miles fronte sit adeò perfrictus, ac impudens. Et verò, cùm magna sit Dei longanimitas, non exigua profectò est mortalium patientia, qui æquo hæc animo ferunt. Nec sanè scio, vt crescentia hæc seculi vitia tolerare potissimum Pontifex possit, quin vt suæ saltem conscientiæ consulat, in illa quoquo pacto animaduertat, quamuis nullum speret fructum consecuturum; ac consequetur profectò magnus. Quarè sumat vires, animosque, ac Deo duce rationem ineat aliquam, qua malis hisce consultum eat. Et quamquam publica, ac innumera penè alia Ecclesiæ commoda mentem aliò distrahant, intelligat nihilominùs necesse est, vt non minima ea est Pontificium curarum, ita neque postrema manu tractanda. Abroget Sanctitas sua facultates omnes, vel à se datas, vel ab Antecessoribus ad sacros Ordines promouendi, ac de ijs, qui deinceps contulerint, seuerè statuat. Ob innumerabiles verò, qui initiati ea facilitate, delectuque reperiuntur, committat locorum Ordinarijs, vt Sacerdotes omnes ad examen cogant, suspensisque ineptis, idoneos admittant. De peregrinis insuper inquirant: non desunt quippe, qui Sacerdotium mentiuntur. Quod sanè quàm maximo, præcipuè huiusce Ciuitatis emolumento cedet. Hac siquidem de causa restituet se se huic Ecclesiæ Patriarcha, à qua tamdiù cum sui, suique gregis detrimento, omniumque Ordinum oblocutionibus abest.

Clericorum cultus.

In male promotos quid statuendum.

Iam quod hæreticorum libros supra memorauimus, Sanctitatem suam admonebis, plerisque hìc in locis venales prostare; & à multis quidem tam Religiosis Viris, quàm secularibus legi, partim contemptu legum, pœnarumque, partim licentiæ prætextu, quæ si vera esset, limitanda sine dubio, aut omninò foret reuocanda. Enimuerò huiusmodi penes se libros habere, aut legere supremum plerumque exitium creauisse, exploratum satis, superque est. Non quòd insignis eorum eruditio, aut argumentorum robur id reuerà possit; sed quòd in debiliores, ac proniores eorum animos facilis ea doctrinæ lues illabitur: quippè & moribus etiam, vitæque conformis, & concolor. Neque verò ab ea istiusmodi facultates concedendi facilitate fructus promanare aliquis cernitur; nisi cum spectatissimis fortasse viris, Ecclesiasticis tantummodò, qui fidem, pietatem, doctrinamque singularem Sanctitati suæ probauerint, conceduntur. Cæterùm, cuiuis fraterculo, ac temeritati in primis, damnabilique secularium curiositati, qui humanis litteris intumescunt, legendos eos passim libros permittere, nulla prorsùs animorum fruges inde existit. Ac eorum quidem pars magna, quæ pestilentissima isthæc incitamenta manibus terunt, in apostasiam denique labuntur; multoque satius esset Sanctorum Patrum monumenta euoluere, quæ & fidem, & mores docent. Porrò ex secularibus significarunt plerique mihi ea se legendi facultate fuisse donatos: at ipse, qui gentium indolem apptimè noueram, precatus enixè sum, ne vterentur. Sed frustra omnia: didicique experientia, meliùs illorum saluti consultum fuisse, si monitis paruissent. Quapropter scio ego, posse me iure omni Pontificem obsecrare, ne facultates hasce indulgeat, concessasque ante hac abroget; nam reuerà nullum inde, vt significatum est, compendium: cùm horum temporum, ac Nouatorum hæreses peruetustæ omnes sint, ac diù ante ab Ecclesia egregiè profligatæ, fusæque; ac si quid porrò esset excutiendum, non est planè omnium. At reliquantur Pontifici, quod ad ipsum, sacrumque Senatum pertinet, vt

Librorum prohibitorũ lectioni occurrendum.

Eorum damnas.

Non passim legendi facultas concedenda.

Ab eorum lectione ad Apostasiã gradus.

Hæreses confutare non est omnium.

maiori

maiori celebritate pro singulari sua prudentia, rerumque opportunitate negotium curent; nec periclitetur passim catholicum nomen, ac fides imperitissimorum rabularum patrocinio, qui quasi tutores Ecclesiæ, ingerunt se se, cum ipsi curatore indigeant.

Dicenda modò res est magni ponderis, in qua videntur quidem omnia, quæ superiùs diximus, comprehendi, cuius gratia Episcopus Veronensis, & Ego vel ab anno præterito optabamus huiusmodi Nuncium Sanctitati suæ allegare. De statu scilicet Religionum agendum, à quibus siue salus, siue exitium Orbis pendet: salus quidem, si vetus illud primæuæ disciplinæ institutum floreat: exitium, quòd iam lapsum, deformatumque sit. Et quamuis prostrati, accisique Ordines propemodum omnes sint, de tua nihilominus familia sermonem institues; tùm quia tua, quàm extera tibi exploratiora; tùm vt Sanctitas sua ab vna discat omnes; tùm denique, quòd è re Pontificis, Christianæque Reipublicæ tua magis Religio, quàm quæuis alia, & ob ingentem Religiosorum hominum numerum, & ob præclarum paupertatis Euangelicæ institutum. Sed heu, heu, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; Infirmata est manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. Vastata est illa vinea Domini quondam electa, destructa est maceria eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam; non est botrus ad comedendum. At enim, etsi vulnus luculentum, præsentissimum tamen remedium est, & modò Sanctitas sua velit, facillimum. Proindè suggeras illi velim perquàm potes fideliter, me & fidem pro re hac, & caput oppignorare. Deligat nempè bonos, prudentesque tuæ Religionis viros; bonos, inquam, non specie tenus, & nomine, sed qui ad malorum tùm Religiosorum, tùm secularium inuidiam, & sunt reipsa, & habentur boni. Viris hisce egregijs remedium quod à me audiet, proponat, & mendax sim ego, nisi velut optimum, ac paratissimum adprobauerint. Quæ cùm ita sint, intelligat Pontifex, quo se nexu, noxaque implicet, nisi maturè prospiciat, sciatque, rem eò processisse, vt ni prudenter caueatur, truculentiora sint subindè monstra pertimescenda.

Religiosorum status in verãque partẽ via.

Eorum reformandi ratio.

Sed vt pauca nunc attingamus, cæteris cùm Pontifici vacauerit, aut adlibuerit, enarrandis, duo præcipuè cauenda. Alterum ad tuendum totius Congregationis corpus, ne maiore sui damno pessum eat, cumque ad eam, quæ deceret, pristinam disciplinam eniti minùs possit, saltem ne turpiùs peccet. Alterum, vt ijs consulatur, quibus & genius, & votum est, mores bonos excolere, qui pauciores omninò sunt. Primum quàm potero breuiter, exequar. Administret Sanctitas sua Congregationem, salua, ac integra eius libertate; illibatis nempè legibus, immutatoque comitiorum, ac cuiuscumque rei ordine; nec facilè exarentur litteræ Apostolicæ, quæ comitiorum maximè locum, ac tempus mutent. Sunt namque plerique ambitiosiores, qui quòd videant Prouinciale Capitulum intempestiuè cogi, nec fauere suis votis, ac studijs tempus, dant operam, vt ementitis causis breues litteras extorqueant, quibus aut festinent, aut differant, aut ad sui commodum Comitia aliquo pacto interuertant. Quæ verò antea per Prouinciam agitentur: vt discreti deligantur; vt diuexentur probi homines, mutenturque locorum præfecti, ac concionum, siue prælectionum prætextu extra Prouinciam amandentur, si Sanctitas sua scire aueat, ipse narres. Quo loco, quæ partes tuæ sunt, de his, quæ ad Prouinciale Capitulum spectant, Pontificem rogatum velis. Quod verò ad eos attinet, paucos quidem, ac probos viros, qui quod Deo vouerunt, laudabile institutum sartum, tectum, seorsim viuentes, volunt; planè id Pontifex nunquam negauerit. Quinimò etiamsi id ipsi non efflagitauerint, posset, & deberet fortasse eos cogere. At quia ignarum vulgus dicet, posse quidem inter ipsos vitam quemque in omni virtutum laude ducere, ipse collato propiùs pede cum omnibus, tam bonis, quàm improbis contendam, huiusmodi esse nunc eius Congregationis statum, vt absque insigni quadam reformatione non modò Diui Francisci Regulam obseruare, sed neque de ea loqui quis possit: quod gentium omnium testimonio, sensuque manifestius longè est, quàm vt probari argumentis petat. At, ruet prorsus Ordo, si boni ab Sodalitate diuellantur. Certè, qui hæc sibi persuaserit, sciuerit ille alia quidem multa, huiusce tamen rei pondus videtur

Relinquendi in suarum legum libertate Ordines.

Concedenda bonis reformandi facultas.

Neq; inde destruendum iri Ordinem.

prorsùs

prorsùs ignorare. Etenim poscit Religionis ratio, vt sint omnes vnanimes in domo, vt de primæua illa, felicique Religiosorum Sobole dicitur: Erat cor vnum, & anima vna: atque à dissimili hac mixtura morum ita nihil boni, sanctique expectandum, vt mali quidem non modò in bonam frugem non euadant, verùm deteriores in dies fiant. Itaque ad Orbis bonum, ad eorum, quæ memorauimus emendationem, ad vberiorem, felicioremque optimorum Concionatorum, ac Confessariorum numerum, simul & hunc aditum, & misericordiæ viscera aperiat necesse est, Sanctitas sua egregijs, pijsque vitis, qui sinceriorem disciplinam, cultumque complecti cupiunt; quorum sanè voces ad aures Numinis pro Sanctitatis suæ incolumitate, ac Sedis Apostolicæ dignitate perorabunt. Nec illorum dolos, ac deceptiones audiat, qui non quidem meliora afferunt, suadentque; sed Prædecessorum exempla premat, qui cum corruptam Religiosorum hominum communem rem diuino quodam lumine cernerent, nil prius habuerunt, quàm vt in illa redintegranda operam ponerent; hoc est, paucos illos viros vnà cogerent, qui absolutam Ordinis disciplinam, & possent, & percuperent obseruare: quorum postea exemplorum luce ad eandem laudem reliquos inflammabant, vrgebantque. Vtque alios prætercam, recolat Sanctitas sua, quid in vestro Ordine optimæ memoriæ Eugenius Pontifex confecit; quid nuper in Hispania in Prouincia Angelorum, quid in Lusitania, atque alibi factum. Postremò, quod rerum necessitate ductum Capitulum generale efflagitauerit duobus abhinc annis, vt loca quædam in singulis Prouincijs designentur, vbi veluti in Ciuitates refugij probæ mentis fratres sese reciperent, apertè declarat, in ea hominum multitudine, ac licentia seruati instituta, moresque Patrum non posse. Et verò qua morum simplicitate, diuinæque gloriæ incremento, ac proximorum fructu in paucis, atque exiguis huiusce Prouinciæ Asceterijs Religiosorum vita niteat, haud pigeat Sanctitatem suam audire, ineatque rationem, qua illi caueat disciplinæ, ne lædatur, exscindaturque. Et quamuis Ecclesiæ, atque Orbis commodum poscat, vt non tuæ solummodò Congregationi, sed alijs perindè omnibus optatissimum hoc Reformationis beneficium concedatur: vrgebis nihilominùs tua, vtpotè quæ strictiore indigent disciplina, ob ingentem, vt diximus, numerum. Vtque faciliùs impetres, sistes in tua Prouincia, ac in tua saltem hac Vrbe; ac dummodò affulgere aliqua præclari operis spes cœperit, libeat ab hac Ciuitate, quæ rem optat ardentiùs auspicari. Illorum præsertim procerum preces Sanctitati suæ denarres, tum Patris Generalis hac super re consilia, ac remedia; vt intelligat parua peti, & non nisi matura, ac confecta afferri negotia. Quo quidem in hac tantæ existimationis Prouincia initio erit deinde Pontifici perfacile ad alias non adeò magni nominis fructum vberrimum deriuare: nec par est, vt egregiam hanc laudem sinat sibi ab alijs præripi; sicuti neque præclara hæc in Deum merita contemnere. Enimuerò perfici ista omninò oportet: & iam Sanctitas sua eiusdem Congregationis, ac Patrum Capuccinorum, tùm aliorum in alijs terrarum locis impetus videt, qui vociferantur omnes, tumultuanturque, vna hac spe reformationis erecti; qui si semel votis suis senserint excidisse, nihil propiùs erit, quàm vt desperationi permittant sese, quod auertat Deus; satis quippè, superque malorum est. Igitur opus Catholicæ Religioni pernecessarium, perquàm vtile Clero, populis fructuosum, Ecclesiæ non insuetum, quà præsentibus, quà impendentibus propulsandis, arcendisque calamitatibus opportunum, capessere Sanctitas sua non pertimescat. Voluntatem enim timentium se faciet Dominus, & violenti Regnum Cælorum rapiunt; Deum Maximum precor, mi Pater, vt eam ipse à Pontifice, à Reuerendissimo Protectore, alijsque Patribus gratiam ineas, vt quæ rationum pondere, ac precibus, quæue tuis, aliorumque bonorum lachrymis petes, obtineas.

Hac arte Pótifices Maximi Religiones olim instaurarunt.

Reformatio bonorum votum.

Cæterùm, qui molestiora vsque dum prosecutus sum, gratioribus finiam. Occurrit mihi, difficillimis quidem temporibus consueuisse Ecclesiam militarem aliquem Ordinem scribere, cuius professores pro Catholici nominis, Ecclesiæque dignitate, aliorumque piorum operum propugnatione strenuè militarent. Cuiusmodi duo illi Hierosolymitani Ordines fuere: scilicet Sancti Ioannis, & Sanctæ Mariæ Hierosolymitanæ, ad sanctissimorum locorum munimentum, tutelamque peregrinorum, qui ea salutatum aduentabant. Tales etiam plerisque in Hispania locis Sacræ ad Maurorum

Militarē Ordinem suadet

Exempla superiorum téporum.

frænum

fratrum phalanges. Fuere & D. Dominici auspicijs institutæ, scriptæque copiæ, à Christo nuncupatæ in illos præsertim hæreticos, qui ea tempestate Ecclesiam diuexabant. Qui quidem militares hominum Cœtus, quamuis diuersi inter se.e moribus, in instituti sui cultum animati omnes, Deo, Sanctæque Ecclesiæ operam suam probauerunt. Et quousque stetit vitæ inter ipsos innocentia, aderat eorum ausibus Deus; vnus persequebatur mille, & duo fugabant decem millia; crescebat bellicæ laudis in dies fama, prælia summa felicitate administrabant, victorijs, spolijsque hostium aucti, quibus maximo terrori erant. At verò postea quàm amplitudo, & opes in luxum, pompamque, ac libidines degenerarunt, dilapsa legum obseruantia, ac virtus illa militaris; videturque læsi Numinis patientia illos deseruisse, ac permisisse trophea hostium; sicque extra Rhodum sumus: cum alia ex parte præfati Ordinis Sanctæ Mariæ Generalis Magister Lutherianis adhæserit. Porrò nostrorum temporum ratio, haud quidem superiori æuo est dispar: eædemque fermè nobis calamitates, & clades. Eapropter, si Deus bonus eiusmodi subsidia admoueret, non mediocre profectò emolumentum res Christiana demeteret. Cumque omnia intuentis Dei prouidentia conclamatis maximè rebus maturè adsit, certiorem Sanctitatem suam facimus, adflasse iam Cæli Numen generoso cuidam Viro præclaram mentem in Vrbe N., qui cùm memorato illi Sanctæ Mariæ Ordini nomen dederit, habitumque ad viginti annos gestauerit, Antistes insuper eiusdem Ordinis à Sede Apostolica renunciatus, geminæ præsit Ecclesiæ, quarum altera in ea est, quam diximus, Vrbe, altera in Ciuitate N., obstrictum se votorum religione videt, nec obseruare ea posse in illo rerum statu; quando corrupta iam Respublica præter externam habitus speciem priscæ obseruantię retinet nihil. Quarè cùm optet impensiùs quod semel vouit institutum, vehementer vrgere, fortunasque suas omnes, ac caput ipsum laborantis Ecclesiæ sospitati offerre; ad hæc, cùm in partem magni operis aggregare & alios optimæ indolis, excellentisque spiritus viros sibi persuaserit, qui hanc potiùs, quàm aliam vitæ rationem malunt, Sanctitatem suam obsecrat, vt quæ eius est, sanctæque Sedis prouidentia, ac benignitas, huic desiderio ad pristinum sese votorum, ac disciplinæ cultum reformandi suffragetur. Ad quam etiam prisci motis instaurationem adoptare eos possit, quos Deus excitauerit, Religiosæque militiæ, ac propulsandis Catholicæ fidei aduersarijs apti fuerint: qui hospitalitati insuper, alijsque Christianis operibus vacent, sintque Sedi Apostolicæ suis cum Ecclesijs, fortunisque immediatè obnoxij, easque omnino viuendi leges accipiant, quas Pontifex ipse imperauerit. Communi interim victu cùm è dictarum Ecclesiarum censu, tùm à quouis stipendio, oblataque fidelium pietate victitantes. Præfatæ verò Ecclesiæ sint Sodalitati perpetuò adnexæ. Porrò, quod ad primam hanc votorum nuncupationem spectat, Antistes aliquis, aut quiuis dignitate aliqua præsignis admittere supplicantis professionem queat. Habitum, & quæ pectore Crux pendet, hoc est, qua esse forma, ac colore debeant; tùm precum numerum, ieiunia, moresque alios ille idem Antistes, nutu eodem Apostolico statuat, temperetque. Postmodùm verò hic ipse, qui rogat, alios ad solemnia vota, expleto nimirum probationis anno, admittat, ac deinceps Successores alij post ipsum. At ne præfecturarum perpetuitas, ac moræ interturbare rem communem possit, cogi liceat Capitulum generale, quod Oratoris primùm abdicationem excipiat, mox per loca singula Priores singulos designet, ac præcipuè è Prioribus Magistrum, qui Sodalitium in Principe Vrbe moderetur; durentque per annum omnes, vel triennium, vel si Sanctitati suæ videbitur, eò ampliùs. Hisce verò Comitijs eligi ante alios possit Orator ipse, ceu temperando, formandoque pulcherrimo operi oppidò opportunus, ac gnauus. Tu verò, mi Pater, da operam, vt intelligat Pontifex, sperare me, fore vt res quàm maximo Dei honori, suoque cedat, sitque fortissimum fidei, huiusque Prouinciæ munimentum; præsertim quod Orator, ac Gens eius omnis suæ Sanctitatis, ipsiusque Domus longè est studiosissimus; ac plerique Viri nobiles præclara hac virtute excitati, erectique ad opus, diem hunc prestolantur, futurum enimuerò omnibus quàm lętissimum. Quare libellum ipse supplicem afferes, curabisque, vt obsignetur; tum qui rem subindè expediat, maturè aderit. Vt autem fidem mihi Sanctitas sua habeat, roges etiam atque etiam. Res quidem magna, ac ponderis non exigui ea est, & nisi

Eorum olim victricia arma quoad stetit probitas.

Vbi hæc languit, vicere hostes.

Eius militiæ institutum, ac leges.

fastidium

fastidium pertimescerem, adnumerarem hic plura, ac præclara rei commoda, quæ tamen dicentur in tempore, ac cerni etiam poterunt, si Pontifex adspirauerit. Pauca hæc officij, ac fidei plena suggeras, mi Pater, implorata iterum benedictione, adoratisque osculo pedibus.

Vides eximij cuiusdam, flagrantisque animi in hoc Episcopi Theatini commentario specimen, studiumque diuini honoris amplificandi, tuendæque religionis, atque Ecclesiasticæ maiestatis. Atque hæc quidem frequenter aliàs, nunc fusiùs scripsit: audiuitque admirabili humanitate, ac pronis auribus Pontifex, eorumque exemplaria efflagitauit, vt tempestiuam, salutaremque grauissimis malis adhiberet manum, ac commoda promoueret. Qua quidem rei Catholicæ solicitudine, ac zelo suæ ipsemet quieti, vt supra docuimus, Carafa insidiabatur, otij alioqui amantissimus. Enim verò, cùm ingenti existimationi, quam de singulari eius prudentia, ac eruditione conceperat olim Pontifex, isthæc in dies documenta, ac magnæ mentis indicia accederent, illum sæpius datis Apostolicis litteris interpellabat, deuocabatque ad arenam, ac grauissima negotia nolentem. Et verò, quia acerrimum Catholicæ fidei ardorem egregio in sinu alere potissimùm demonstrabat, illum excutiendis persæpe Religionis causis imposuit Pontifex, vt nulli aut libentiùs, aut frequentiùs eas credere videretur.

Testaturque Antonius Cardinalis Carafa, eo quo Venetijs morabatur, tempore Episcopus Theatinus, priuatæ quidem conditionis, & Clericus Regularis, cùm mulctandi hæretici, eorumque instituendæ quæstiones, aut formanda acta forent, infractæ eius diligentiæ, acrique iudicio committebantur. Ac plerasque id genus causas Apostolica delegatione sub id tempus expediisse, epistola, quam mox dabimus, ad Gasparem Cardinalem Contarenum, significauit ipsemet. Et in ijs, quæ modo exscripsimus monita, condemnasse hæreticum nescio quem scribit, doletque administrorum, vel desidiam, vel metum, quòd pronunciatam ab se mulctam in impijssimum caput, nondum irrogauerint. Qua verò animi constantia, fide que sanctitate ea orthodoxæ dignitatis negotia administrarit testimonio fuerit adnodùm luculento, Pontificem ipsum de ea re humanissimas ad Carafam dedisse litteras, eiusque laborem prolixiùs commendasse. Excidere quidem hæ Clementis, Maximi Pontificis litteræ, ingentia Carafæ zeli testes, at superstites apud nos eæ sunt, quibus vicissim ipse Pontifici respondet, easque a se quàm humillimè laudes reijcit, conijcitque in Episcopum Polensem, qui Nuncij Apostolici munere ea tempestate Venetijs fungebatur, ijsdemque fidei curis peregregie insudabat; & qui idoneam, insignemque Episcopi Theatini virtutem, virilesque animos in insectandis hæreticis quotidiano experimento nouerat, frequentiùs compositis ad Pontificem litteris eius laudes recensuerat. Iuuat hanc Carafæ epistolam attexere, in qua Clementis in eum studium, eius verò & modestiam, & implacabile in hæreticos odium, deuotumque pro Catholici nominis defensione caput vsurpare est vnico intuitu.

Carafæ zelus

Admotus rebus grauioribus a Pontifice.

Testatur Ant. Card Carafa in Apolog. ad Nauager. Demandatæ præsertim hæreticorum quæstiones.

Qua insigni constantia vrgebat.

Pontificis testimonium.

BEATISSIME PATER.

Carafæ ad Clement. VII. epistola.

HERI vesperi Reuerendissimus in Christo Episcopus Polensis S.V. in hac Vrbe Nuntius, litteras eiusdem S.V. mihi reddidit, plenas humanitatis & officij, quibus me rei in causa fidei fideliter, etsi non satis adhuc feliciter gesta Sanctitas Vestra commendandum putauit. Ego verò, Beatissime Pater præclarè mecum agi existimem, si hoc loco illud Euangelicum in me detorquerem; scilicet, Seruus inutilis sum, quod debui facere, feci: sed si minus id feci, quod ad me attinet, omnibus viribus elaboraui, vt facerem; & nisi pondus inclinati, ac propè labentis Orbis ad casum, atque ruinam omnia tam vehementer vrgeret, res iam ex Vestræ Sanctitatis, omniumque fidelium sententia confecta esset: sed quando ita comparatum est, ferimus interea quod est ferendum, & vasa iræ Dei iudicio reseruamus, qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Quod verò idem Reuerendissimus Nuntius Sanctitati Vestræ de me frequenter, officioseque scripserit, sic accipio, vt fidei, & pietatis meæ erga Sanctitatem Vestram, atque istam Sanctam Sedem testimonium non mediocre, & laudis, quam ille sibi ipsi detrahens, in me congerit, non agnoscam. Etenim, quod in hac causa diligentia, labore industria, dexteritate denique, atque auctoritate fieri potuit, id omne, aut ille fecit, aut ego eius consilio, auxilioque feci. Et quanquam dies mali sint, & instent tempora illa periculosa, quæ prædixit Apostolus

tamen

tamen aliquid adhuc futurum spero, vt ab hoc Duce, atq; hoc inclyto Dominio, & diuini honoris, & Ecclesiastica auctoritatis aliqua ratio habita esse videatur. Id autem cuiusmodi fit, ex litteris eiusdem Reuerendissimi Patris sanctitas vestra intelliget. Reliquum est, vt S. V. certò sibi persuadeat, me nec tribulatione, nec angustia, nec fame, nec nuditate, nec persecutione, nec gladio a sancta Catholica, atque Apostolica Ecclesia deuotione, pietate, ac fide separari, aut abduci vllo modo posse; vitamque mihi potius, quàm fidem, atque obseruantiam erga Sanctitatem Vestram, atque istam Sanctam Sedem vnquam desituram. Opto Sanctitatem Vestram semper in Domino bene valere, clauumque sibi creditum ita regere, vt quotquot in eadem Ecclesiæ Naui sumus, optatæ tranquillitatis portu, te Duce feliciter potiamur. Venetijs.

Epistolam claudit sincera tolerantiæ, ac fortitudinis testificatione, nulla periculorum facie expugnandæ; quod reipsa comprobauit, cùm, vt intrepidè, & ad votum ea fidei negotia promoueret, non hæreticorum modò latratus, ac plaustra conuiciorum, sed longè periculosiorem aleam, vitæque discrimen subijsse pluries, testatur ipse ijs, quas polliciti sumus, ad Cardinalem Contarenum litteris. Scriptæ hæ fuere anno eius seculi sexto, & trigesimo, cum eximium virorum par commendare Contareno contigit: memorat verò functa cum altero ex ijs Inquisitionis officia, exhaustosque simul hoc tempore labores. Consignate autem hîc eas par est, quòd inuidias, offensiones, pericula, & Carafæ, ea omnia pro fidei sinceritate contemnentis animum ad viuum exprimant.

In vindicandis hæreticis nullum periculum Carafam terret

REVERENDISS. IN CHRISTO PATER ET DOMINE OBSERVANDISS.

MAGISTER Martinus Taurisius Ordinis Minorum Conuentualium, huius Prouinciæ Minister tibi reddet has litteras, quas in eius commendationem scribere, illius testata virtus, mihi summis, grauissimisque temporibus perspecta, me compulit. Fuimus enim vnà pro defensione sacrosanctæ fidei sæpius obiecti morsibus impiorum; cum is haberet Inquisitionis officium: ego verò quorundam hæreticorum causas ex Apostolica delegatione cognoscerem: vbi quid narrem, qua fide idem magister Martinus mihi adstiterit, qua diligentia ministrarit, quàm constans ad fauores hominum fuerit, quàm incorruptus ad præmia, inuictus ad preces, intrepidus ad minas, infatigabilis ad laborem? Verè pretiosus labor in conspectu Domini; tametsi apud mundi huius amatores vilis habeatur, nec tantùm vilis, sed parricidialis odij, atque acerbissima inuidiæ adeò plenus, vt nos, qui Christum confessi sumus, ac pro Catholica fide ceruices nostras obtecimus, nunc omni auxilio destituti, venenatis canum nostrorum dentibus discerpendi quotidie relinquamur: hostes verò Christi victores exultant, & habent fiduciam, quod in os illud impurum etiam Iordanis influat, eò quòd viuificantur plerumque animæ, quæ non viuunt, & propter hoc laceratur lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium; quia impius praualet aduersus iustum; & consolatur nos Dominus, qui nos omnibus hominibus odio propter nomen suum futuros esse prædixit, nec tamen capillum de nostro capite periturum. Veruntamen liceat nobis vel apud amplitudinem tuam ista deflere, & eiusdem magistri Martini virtutem, & probitatem non vulgariter commendare; quem vt solita comitate suscipias, ac benignè meo quoque nomine audias, te etiam, atque etiam rogo. Aderit & eiusdem Ordinis Magister Paduanus Liciensis, huius nunc Prouinciæ Inquisitor, qui & aliàs sæpius, & hoc præsertim anno, non minimum virtutis suæ specimen dedit, cùm in hac Vrbe in magna hominum frequentia officium prædicationis exercuit; vbi & erant docenda, quæ recta sunt, & eius prædicatoris, qui illum immediatè præcesserat, erant abolenda vestigia, quæ ille in hominum leuissimorum cordibus, dulcium sermonum præstigijs demonstrata non leuiter impressa reliquerat. Et hunc igitur amplitudini tuæ suis meritis, & meo nomine commendatum velim. Plura me dicere, et de rebus fortasse non ingratis tecum familiariter colloqui occupationum tuarum ratio simul, & amplitudinis tuæ reuerentia prohibent. Veruntamen, & quæ nos verecundè reticemus, & longè plura, ac meliora, quàm pro nostra tarditate non capimus, ipse Spiritus Sanctus tibi suggerat, cuius Numine afflatus, eum te præstes, quem nobis, & tuum genus, & pietas, & ante acta vita pollicetur. Vale memor nostri in omnibus tuis. Venetijs 3. Iulij 1536.*

Testatur ipse data ad Contarenum epistola.

Porrò inter frequentiora hæc religionis negotia noua Romanæ Sedis iussa non deerant Carafæ, cuius neque animum, neque vires exhaurire vmquam visæ multiplices

Grẹcorum natio Venetijs turbat.

ces, ac superfusæ illi curæ. Excitauerat Venetijs turbas Græcorum gens, visumque adeo ingens, ac dignum non perfunctorio remedio malum, vt Pontificem consuli oportuerit, atque a suprema ea potentia, ac vi telum impetrare, quo monstra conficerentur. Peruulgati, notique omnibus, abhorrentes a Catholicorum, Latinorumque Patrum consensu Græcorum errores, eorumque in ijs tuendis, promouendisque ingenium, atque ars sanè Pelasga. Inoleuerant iamlongo vsu temporis, numeroque, ac propugnantium robore inualuerant: donec profligati in Concilio Florentino, eiuratique omnes fuere.

Damnati in Concilio Florentino eorũ errores.

Vbi præsente sacrorum Principe Eugenio IV. & Græcorum Imperatore Ioanne Palęologo, atque Antistitum, cùm è Latinis, tùm è Græcis pręcipuis, magnique nominis, visa profectò tanta Principum virorum celebritate, publico quodam funere elata in ea Synodo Græcorum hæresis. At non diù florentissimarum Ecclesiarum communionem gratulata sibi est orthodoxa religio. Nam, quæ gentis perfidia est, palpitare multiplex id monstrum, ac lacertos mouere paulò post Constantinopoli cœpit: donec rediuiua iterum ea lues Græcam denuò Ecclesiam, pristinis ac recantatis iam sententijs inuolutam, corrupit, confecitque.

Denuò emergunt.

Hos nempè errores Venetijs Græci ijdem euulgabant; vt ex litteris Hieremiæ Quirini, Venetiarum Patriarchę constat, quas vidisse inter optimi Antistitis Pennę, viri Hispani, Romanæ Rotę Auditorum Senioris schedas, testatur Antonius noster Caracciolus. Edocebat his egregius Antistes Clementem Pontificem, Græcos ibi non modò initam, pactamque olim in Concilio Florentino concordiam, ac fœdus non obseruare; verùm pro concione, scriptisque vulgi aures, ac animos solicitare, processionemque Spiritus Sancti à Patre solo, aliaque corruptę, scissæque fidei dogmata spargere confidentiùs, tuerique.

Venetijs præsertim.

Turbata hoc pacto re Venetijs, tunc demùm pręcisum iri mala putauit Pontifex, si ijs curandis Carafę zelus, atque eruditio adhiberetur. Igitur hoc anno vigesimo nono datis ad eum litteris Apostolicis, vt de ijs accuratè inquireret, iussit; vestigaretque pręterea, qua tandem ratione extingui possent.

Ijs emendandis adhibetur a Pontifice Episc. Theatinus.

Id quod postea Ioannes Baptista Sanga eiusdem Pontificis nomine, cuius erat à secretis epistolis, cum eodem Episcopo Theatino litteris egit, commendauitque illi opus in hęc verba. [Hęc scribo Sanctitatis suę iussu, quę cum anno pręterito eam tibi curam demandasset, vt excitatas isthic à Gręcis tragœdias, turbasque explorares, illasque compescendi remedia excogitares; certior modo fieri de ijs cupit, ac sententiam tuam audire, vt malis occuri queat? Quarè significes Sanctitati suę maturè omnia; meaque ipse opera, sicubi libuerit, vtare.] Procurasse perquàm diligenter hoc negotium Carafam, ab eo, quo fidei Deique causas studio pertractare solitus erat, coniectari facile potest.

Qui negotiũ accuratè perfecit.

Eius verò morę causam fuisse, tùm alias id genus curas tùm quòd ardua fortaßè imperata erant, ac censurę prolixioris, quàm vt poßint celeriùs expędiri: cùm percuperet alioquin ipse vir flagrantissimus, ac prudentissimus rem omnem exhaurire, ac tùm malum, tùm medicinam maturè significare, vt Pontifex iusserat.

Concionatorib. maxime aduigilat.

Demum integro eo temporis spatio, quo Venetijs egit Carafa ijs fidei quęstionibus incumbendum illi fuit, ac in repurganda Prouincia, malisque resecandis, si quę adnasci cerneret, totus erat. Concionatores pręsertim, qui facilè aut orationis illecebra, cultuque, aut inconditis clamoribus vulgus occupant, admirabili quodam zelo, curaque intentiore audiebat, quorum eloquentia vbi clandestini quid veneni instillare sibi videbatur, mirùm qua ope nitebatur, vt aut ab ea caueret populus, aut longè lues illa ablegaretur.

Patauij hæreticum declamatorem deprehendit.

Accidit hoc sub id tempus non semel: illud pręcipuè, quod in Apologia ad Nauagerium narrat quàm breuissimè Antonius Cardinalis Carafa. Nam cùm hęreticus quidam declamator Patauij magna quidem hominum frequentia, plausuque sermocinaretur, cognouit illicò corruptam hominis facundiam Episcopus Theatinus, qui eò fortè excurrerat; fucumque imperitis, ac Catholicis auribus teterrima ab ea dictione fieri: eòque grauiorem fidei, morumque iacturam pertimescebat, quòd ab ea Patauini Gymnasij, ingeniorumque celebritate cresceret doctrinæ existimatio, & robur.

Adlatrauitq; quoad ille expulsus.

Ergò re ad inclytum Venetorum Senatum delata, tùm apud ipsos Patauinos Ciues egregio ardore animi perorata, eo nisu adlaborauit, desudauitque, vt expulsus tandem ille Lutheri admissarius ab ea Ciuitate, ac Prouincia fuerit. Prolusisse profectò insigni hoc Religionis zelo visus est Episcopus Theatinus sibimet Purpurato,

ac Pon-

ae Pontifici, cùm ampliora quidem, ac luculentiora ad fidei Christianæ munimentum edidit; dicemusque in loco fusiùs: sed hæc Clericus Regularis, quibus ipse, socijque, quorum par in Dei causa zelus erat, & auxiliares interdum operi manus admouebant, Ordinis primordia consecrabant.

Noua demãdatur illi Prouincia.

Hoc item anno alteram imposuit prouinciam Carafæ Pontifex, quæ vt honorificam de eo, eiusque in agendis rebus prudentia Pontificis opinionem confirmauit; ita non minimum addidit Sodalitati nostræ nominis; quòd vixdùm nata, ceu matura iam æui, ac disciplinæ ad aliorum Religiosorum cœtus componendos, ac temperandos adhiberetur. Instituerat Iacobus Pauonus, vir quidem egregij spiritus, adnitente Ioanne Stafileo, Episcopo Sebennicensi Eremitarum Sodalitium, à Dalmatia nuncupatum, sub regula, tutelaque Sancti Hieronymi, Christi anno post Seculum quintumdecimum quarto & vigesimo, nostræ quidem Congregationis contemporaneum. Institutum, auctoritate Apostolica sancitum, tribus Religionis votis, vitæque cultu aspero quidem, remotoque à cœtu hominum constabat, suique Conditoris exemplo robusta quadam, seueraque disciplina adolescebat. Extincto citiùs optimo Parente, vt qui integras, suasque non dùm vires diuturnitate, vsuque Ordo acquisiuerat, timeri illi casus cœpit: & iam remitti rigor, neruique obseruantiæ, & quædam obtentæ imbecillitati permitti videbantur. Quare supplicarunt Pontifici, vt præsenti ope consuleret: qui quòd omnia sibi de Carafæ studio, ac labore pollicebatur, datis exeunte superiore anno ad eum litteris, quæ perlatæ ad illum nonnisi hoc anno fuere, vt hanc sibi destitutam à Patre sobolem adoptaret, iussit, complexusque ex animo negotium, figat ipse, refigatque ad nutum, ac prudentiæ suæ normam leges. In eam curam ingressus Episcopus Theatinus, cum qui viribus, animoque robustiores erant, integram eam inuectam à Pauono retineri disciplinam vellent, quam contrà imbecilliores, aut abrogatam, aut plus nimio imminutam optabant, ceu humana vi, ac patientia maiorem; ipse inter vtrosque medius, partiri se prudenter ex æquo statuit: & neque infringere sancitas, firmatasque exemplo à Fundatore leges, vtpotè Eremitarum instituto accommodatas, conformesque D. Hieronymi, eius Ordinis Tutelaris, legibus; neque sic eas tueri, vt non aliquas austeriores temperauerit. Sicque Eremitas Dalmatas, ne grauiore quodam casu ruerent, retinuit, emollita aliquantisper disciplina. Quamquam Pio Quarto postea Pontifice, hoc est, anno labentis eius seculi sexagesimo quinto, eiusdem Ordinis Eremitæ nimiam adhuc disciplinæ asperitatem auersati, modum, remissionemque efflagitauerint: quam vtique remissionem Carafa, etsi aliquam, vt diximus, indulserit, ne laudabile institutum videretur omninò aboleuisse, concedere tunc temporis detrectauerat.

Eremitarum Dalmatiæ procuratio.

Pontificiæ ad illum litteræ de Instituto moderando.

Negotium eo quidem temperamento expediit,

Vt prisca viuẽdi asperitas seruaretur.

Neque hìc planè dissimulandum, quod narratum olim Antonio Caracciolo fuit à Ioanne quodam à Poggio, qui ex eius Ordinis Eremitis postremus in Italia fuit. Accepisse is aiebat à Maioribus, inter quos constans, ac diuturna ea fama erat, Paulum Quartum, postquam salutatus Pontifex fuit, cùm, vt eius Congregationis, quam ceu formatum, expolitumque à se opus, amare ex animo videbatur, incrementa, statumque intelligeret; tùm vt illam apud Sabinos, opportunam Eremitis Regionem, propagaret, duos è Dalmatia Patres accersiuisse, Augustinum, & Eusebium. Et Augustinum quidem morum sanctitate spectatum, diuinarumque studijs litterarum apprimè excultum, in condendis etiam musicis organis, disciplinisque alijs mechanicis excellentem fuisse; ijsque nominibus percarus Paulo fuit. Commoratus porrò vterque diù Romæ est apud nostros homines in Ædibus Sancti Syluestri ad Cliuum Quirinalem, sub initium, quo procuratas à Paulo Quarto eas Domos Nostrates iniere: successere deindè simul ad Sanctum Orestem, & Aspram, vt suum in ijs eremis excoleret institutum, voluitque eos Pontifex Cardinali Farnesio, vtriusque eius Sacerdotij Rectori, commendatos.

Euocantur postea Romã à Paulo IV. eius instituti viri.

Quorum alter Paulo pec carus.

Quirinali in Domo cum Nostratibus aliquandiu morantur.

Tum S. Orestis Eremum petunt.

Hæc Carafa gnauiter Venetijs, nec segniores reliqui Patres erant, qui quòd cum rerum cælestium contemplatione, ac singulari quodam à cœtu, vsuque hominum, vt diximus, diuortio incredibilem animorum zelum coniunxerant, omnium Ordinum admirationem, amoremque sibi conciliauerant. Eorum pias exercitationes, conciones, sacrorum cultum supra memorauimus. Apponam hìc solummodò ad huius

Nostratum legendorum Euangeliorũ vsus. libri coronidem Sacrum quoddam studium, quod illis & sermonum argumentum, & piorum commentationum materiam, & imitationi exempla, & scriptioni stylum sufficiebat. Iterat Sacrorum Euangeliorum vsus, & continua quædam legendi series, ac ordo. Proposuerant namque sibi vel ab ipso Religionis exordio diurna inter pensa aliquid ex Euangelijs quotidiè legere: factaque ab Episcopo Theatino quotidiani operis partitione, qua singulis quidem hebdomadis vnum ex ijs integrum percurrebant, singulis verò mensibus absoluebant quatergeminum, id impigrè perficiebant. Diuisionem hanc recensuit quidem[a] Antonius Caracciolus, ac scriptam B. Andreæ Auellini manu, qui hoc forte Maiorum Institutum, moremque successionis quodam iure continuabat, inter eiusdem Auellini Commentarios habemus: quam quòd intercidere, piaculum sanè esset, illam ad huius libri calcem exscribere decreuimus, quæ sic habet.

Et partitio in singulos dies.

a In vit. Pau li IV. M.S.

MATTHÆVS.

Dominica. Cap.1.2.3.4.5.6.7.
fer.2. cap.8.9.10.11.12.
fer.3. cap.13.14.15.16.17.
fer.4. cap.18.19.20.21.
fer.5. cap.22.23.24.25.
fer.6. cap.26.27.
sabb. cap.28.

LVCAS.

Dominica. Cap.1.2.3.4.
fer.2. cap.5.6.7.8.
fer.3. cap.9.10.11.
fer.4. cap.12.13.14.15.16.
fer.5. cap.17.18.19.20.21.
fer.6. cap.22.23.
sabb. cap.24.

MARCVS.

Dominica. Cap.1.2.3.
fer.2. cap.4.5.
fer.3. cap.6.7.8.
fer.4. cap.9.10.
fer.5. cap.11.12.13.
fer.6. cap.14.15.
sabb. cap.16.

IOANNES.

Dominica. Cap.1.2.3.
fer.2. cap.4.5.6.
fer.3. cap.7.8.9.
fer.4. cap.10.11.12.
fer.5. cap.13.14.15.16.17.
fer.6. cap.18.19.
sabb. cap.20.21.

Nostratum in S. Euangelia pietas. Hanc igitur Sacrorum Euangeliorum diuisionem Nostrorum Patrum pietas instituit, tùm vt instituti, ac propositi sui quotidiè admonerentur; tùm etiam vt spirantem quandam Saluatoris imaginem ob oculos ad imitandum semper haberent; tùm denique, vt qui Crucis asperitatem, ac paupertatem, Christumque imitandum susceperant, qua veneratione, ac studio Euangelia, quæ Crucis, Christique mysteria continent, prosequebantur, demonstrarent. Et Carafa quidem ad Gibertum scribens, hoc de se quàm candidissimè testatur. [Singulari, inquit, erga Dei mei Euangelium deuotione afficior: quod quidem, quæ Dei est in me indulgentia, quoties aut legere contingit, aut audire, intimè corda colliquefieri necesse est.] Factum inde porrò est, vt assidua illa, ac in orbem redeunte Euangeliorum vice, non modo historiæ, ac res ipsæ hærerent animo, ac memoriæ; verùm etiam dictio ipsa, sententiæ, ac verba; quibus posteà siuè loquerentur, siue scriberent, intermicare eorum sermo, aut scripta quibusdam veluti gemmis videbantur; vt videre est in Thienæi, & Carafæ, aliorumque Patrum litteris, & commentarijs; quo scribendi charactere vsos Sanctorum Patrum præcipuos scimus: Bernardum in primis, qui vermiculata Sacræ Scripturæ verbis, distinctaque oratione stylum venustauit. Porrò, vt designatam eam Euangeliorum partem omninò Patres illi perlegerent, nouum Testamentum assiduò ferè terebant, ac gestabant manibus; proindeque in antiquioribus è nostris domibus, hoc est, Venetijs, Romæ, Neapoli, pleraque Euangeliorum volumina, parua quidem, vsuque, ac sanctissimorum Senum manu detrita reperta fuere, quorum quod B. Caietani fuit, ac subindè ad Marcum Pasqualinum, Marcellum Maioranam, & Vincentium Massam, Viros in omni virtutum genere laudatissimos, successione quadam hæredi-

Familiares illis Euangeliorũ sententiæ, & verba.

Scriptis inspersa.

Priscorum exemplo Patrum.

Gestabantq; assiduò Euangeliorum codices.

reditaria peruenere, Neapoli in Paulinis nostris ædibus ad posteritatis documentum seruantur; cum quo & alia duo sunt, alterum B. Ioannis Marinonij, Petri Fosçareni, eruditissimi, pijssimique viri alterum.

Quorum plerique in nostris Domib⁹ reperiuntur.

Cæterùm ea Sacri Euangelij gestatio historiarum monumenta euoluenti occurret quàmsæpissimè: testaturque [a] Cæsar Baronius, factitatum id vel ab ipsis Apostolorum temporibus, eandemque passim consuetudinem æuo consequenti inolitam memorant [b] Chrysostomus, & [c] Isidorus Pelusiota. Barnabas Apostolus vel cum ipso Matthæi Euangelio, à se conscripto, sepeliri voluit, vt perpetuò retinerent, ac venerarentur extincti cineres Codicem illum, quem ipse manibus perpetuò gestauerat viuens. [d] Cæciliam pretiosi cuiusdam elenchi vice illud pectore gestasse, res est celebratissima. Id quod & [e] Theophila, forma, ac sanctitate spectabilis Virgo fecit; secumque in Lupanar ipsum inuexit; legebatque ad sui vel præsidium, vel solatium; certè ad illustre impurissimorum iuuenum petulantiæ trophæum. Inter Sanctissimos verò Patres mos idem valuit; ac quemadmodum prisci Rhetores quædam rerum forensium præcepta, ac commentaria, vt refert [f] Ægineta, ad expeditam rerum agendarum consultationem circumferebant, quos coambulones nominabant, ita cum Euangelio ipsi coambulare ad omnigenam mentis eruditionem videbantur. Et Augustinus quidem vel inter honesta ludicra deferebat, iocis etiam ipsis allaturum pondus Euangelium. Nec à præclara ea consuetudine abhorrere Cæsares visi. [g] Theodosius, pietate, quàm Orbis imperio clarior Euangelio vsque adeò addictus fuit, vt ἰδιοχείρως, hoc est, sua manu litteris aureis, notisque picturatis descripserit; habueritque semper ob oculos ad morum regulam, & cultum. De Iustiniano item Cæsare habetur in [h] Chronico Alexandrino, venisse in Circum, ac sedisse in sua sede gestantem manu Sacrum Euangelium. De his verò hactenus, quibus clarè constat, parua illa Euangeliorum volumina triuisse Nostrates, recepto ab ipsa Apostolorum, ac veterum Patrum memoria laudabili vsu. Reliquas nunc Ordinis progressiones instituta à nobis narratio prosequatur.

a An Eccl. ad an. 312.
Perantiqua Euangeliorũ gestatio.
b Hom. 73. in Matth.
c L. 2. ep. 150.
Barnabas.
Cęcilia.
d Mat. apud Sur. ad diem 22. Nou.
Theophila.
e Ludou. Cresfolius in Mystag.
Prisci Patres.
f In Pref.
Cæsares.
g Apud Cresf.
Theodosius.
Iustinianus.
h Olymp. 326

LIBRI TERTII FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER QVARTVS.

Cleric. Reg. Ordo alijs etiam Ordinibus promouendis institutus.



CLERICORVM huic nostræ Sodalitati, cum non suæ tantummodò tuendæ disciplinæ, suisque incrementis insistat, verùm ad aliorum etiam Religiosorum hominum cœtus promouendos, vel instaurandos diuinæ quadam Sapientiæ destinatione instituta videatur, vt de Patrum Capuccinorum Ordine, ac de Eremitis Dalmatiæ paulò ante memorauimus, ac de alijs mox dicemus; hoc anno voluentis sæculi trigesimo dilapsam inter dicatas Deo Virgines sinceram legum obseruantiam restituere egregiè contigit. Excitato nimirùm Neapoli ad exactam D. Dominici disciplinam Monialium Collegio, cui nomen à Sapientia; quod sanè, vt sacrum absolutæ virtutis, ac sanctimoniæ Conclaue videri potuit, ita ab eo ad omnes ferè Neapolitanos Virginum Conuentus purior, ac strictior quædam obseruantia, sanctique mores singulari exemplo promanarunt. Maria Carafa, Episcopi Theatini Soror, quam virtutum omnium cultus, contemptusque generis æquè nobilitarunt, aggressa rem est, quam ipsemet Episcopus Theatinus ita administrauit, accurauitque, vt præclari operis auctor videri, & appellari iurè posit; adlegato præsertim Neapolim Bonifacio à Colle, viro inter quatuor nostri Ordinis Conditores, mirificè pio, prudentique, qui negotium, Sororemque præsenti consilio, ac ope iuuaret. Repetenda porrò altiùs narratio est, ne quæ legentes maximè oblectat, ac historiæ ducimus pernecessariam, rei origo, & occasio lateat.

Neapoli monialium disciplinà iuuat.

Quam Maria Carafa Episcopi Theatini Soror fundauit,

Eodem Episcopo, ac Bonifacio à Colle ductorib'.

Oliuerius Carafa, cuius ornamenta virtutum, atque amplitudinis decora supra adnumerauimus, publicum ad Vrbis Neapolitanæ eruditionem, ac decus, litterarum, artiumque studijs Gymnasium excitare destinauerat. Et qui magnis consilijs concipiendis idoneus, aggrediendis verò præferuidus planè erat, auspicatus illicò est commune illud ingeniorum Athenæum, nuncupauitque ad Romani Lycei exemplar à Sapientia. Quod sumptuosi operis ædificium fato, quod omnia interuertit, abruptum mox fuit. Extincto namque Oliuerio, sistere quæ cœperant iam magnificè assurgere studiorum domicilia, oportuit. Id quod diuinæ mentis consilium fuisse nullus dubitat, vt destinatas humanæ Sapientiæ Domos, imbuerent subindè Sanctior Pallas, ac Musæ diuiniores. Enimuerò par fratrum, magna indole, ac stirpe generis nobile, Petrus, & Marinus Stendardi, quòd iam præclaram diuinitùs mentem induerant, vt Virginum Asceterium Sanctæ Claræ disciplinæ exædificarent, dedicarentque; nullum fore locum opportuniorem, quàm inchoatas illas Sapientiæ Ædes existimarunt. Quarè coemptas ære suo, ac pro re, ac tempore concinnatas, nihil prius habuere, quàm vt illas laudabili Clarissarum Instituto addicerent. Igitur facta à Leone Pontifice Decimo facultate, lecta potissimum est ad recens illud formandum, instituendumque Gynæceum Lucretia Dentice, eorum Amita, ætate, atque excellenti genere prudentiæ maturior Virgo, quæ è Monasterio, quod à Iesu nuncupatur, in Sapientiæ Asceterium immigrauit, eiusque loci Præfecturam capessiuit: ac statim curare præclaris initijs rem cœpit, ac regulam Sanctæ Claræ, eiusque asperioris obseruantiæ mores sensim inducere, exemploque exhibere ipsa prior, quod reliquæ Virgines imitarentur. At enim, quod allud quidem, ad maiorem vtique Dei gloriam molitetur eo loci diuina mens, paucos annos Monasterium moderata Lucretia est; cùm administratione, ac vita defungi simul contigit, nondum adulta ea Clarissarum Virginum discipli-

Inchoatum ab Oliuerio Card. Gym.

Eius morte intercisum.

In Monialiū Cœnobiū cōmutatur a fratribus Stendardis.

Cui instituendo destinatur Lucretia Dētice.

na,

na. Supremo verò spiritu, ne, quæ ipsa posuerat regularis vitæ rudimenta, dilaberentur, amantissimæ, spectatæque virtutis Nepti, Sanciæ Carafæ, quæ in Monasterio Donnaromatæ vota nuncupauerat, cœptum opus commendauit; inculcauitque eam curam impensiùs: iniret nempè rationem, qua incunti illi disciplinæ caueret, augereturque inibi numerus, & virtus. Accidit porrò, commodùm, vt in eo tunc Donnaromatæ Cœnobio ageret Maria Carafa, quam diximus. Illic verò commorandi causa hæc fuit. Inuaserant Regnum Neapolitanum plerique Europæ principes, aduersùs Carolum Quintum Cæsarem fœderati. Obsidebatque Principem Regni Vrbem florentissimis copijs Odettus Fusius Lautrechius, Dux quidem Galliarum Regis consanguinitate, ac bellica sua indole superbè strenuus. Ad ipsa Vrbis mœnia situm cùm sit Sancti Sebastiani Gynæceum, cùm vt à proximorum armorum discrimine, ac iniuria militum maturè Virgines subducerentur, tùm maximè, quòd pernecessarium erat, vt eius Monasterij aditus pateret Ciuibus, quò excurrere liberè muros possent, ac Vrbem propugnare, abire hinc Moniales oportuit, vnàque omnes in Monasterium Diuæ Mariæ Donnaromatæ immigrauere. Quo quidem loco ea belli necessitas, ac metus Virgines diù tenuit; nec suis penatibus restitutæ, donec sublato teterrima, quæ grassabatur, lue Lautrechio, absumptoque Gallici exercitus robore, ac neruo, soluta obsidio fuerit. Rediere postliminiò omnes, præter Mariam Carafam, cui graui morbo interceptę immorandum inibi diutiùs fuit, donec febri defungeretur, ac conualesceret. Ea mora, ac valetudine apertum Marię virtuti theatrum. Enimuerò, cùm interea temporis extincta Lucretia, promouendę in Monasterio Sapientię disciplinę cura Sancię Carafę, quam diximus, esset imposita; ac volueret secum ipsa Sancia, quonam modò recenti, laborantique instituto consuleret, subijt extemplò in mentem, curari id negotium nec opportuniùs, nec sanctiùs posse, quàm si Maria eam prouinciam complecteretur. Magno quidem natu illam iam esse; quippè sexagesimum iam annum excesserat, quorum totos quadraginta fuerat in Asceterio Sancti Sebastiani emensa: cęterùm solidę, exactęque probitatis Virginem; prudentię laude, morum facilitate, paupertatis cultu insignem, quibus sanè virtutum ornamentis, ac luce fulserat inibi ad miraculum. Ergò explorare Marię animum Sancia: mox adhortari, ac vrgere ardentiùs. Adoptaret nimirum ipsa destitutam ab extincta maturiùs Parente Sobolem, foueretque suo sinu. Opus quidem fore ex se ingens, ineunti, tenereque adhuc disciplinę maximè opportunum, decorum sibi, nec iniucundum, ac Deo longè gratissimum. Obluctari illa, atque ad omnem modestiam, humilitatemque composita detrectare, quàm potuit viriliter, rem cœpit. Non illi se oneri parem, nec operosum id munus genio suo accommodatum, cui quies, ac repetita suo in Monasterio tranquillitas placeret: neque verò defuturam, quę robustiore quidem disciplina in spem maioris profectus eas Virgines erudiret. Atenimuerò, quòd numquam primo statim ictu quercus conciderit, instare Sancia operi, atque euerberare iterum exquisitis precibus Marię animum cœpit, quę etsi impensiùs obsecranti nondùm manus daret, videri tamen obstinatior nolnit: prętertim, quòd reputare apud animum suum cœpit, an Diuinitatis instinctu quodam ad id ipsa deposceretur, quod & aperire sibi faciliorem aditum ad pulcherrimarum virtutum cursum, & exaugere Dei gloriam posset. Igitur quę Episcopi Theatini fratris prudentiam singularem, atque acre iudicium nouerat, in eam sententiam incubuit, vt rem cum ipso transigeret; certioremque Sanciam fecit, id illicò facturam se, ceu voce Numinis eruditam, quod frater imperasset.

Quæ non ita post multo fato côcessit.

Commendato Sancię Carafæ Nepti Asceterio.

Maria Carafa in Monasterio Donnaromatę.

Cur in eo tûc Monasteriu ageret, Neapolitana à Lautrechio obsidio fuit.

Sancia Mariā rogat, vt Monasterij sapiētię procurationem suscipiat.

Idoneam illā putat virtute ętio.

Renuit Maria.

At repetitis precibus.

Consulere Episc. Theatin. fratrē statuit.

Re statim cum Theatino communicata, diuinitùs eam occasionem Sorori dari ille existimauit, gratulatusque in sinu est. Etenim amplissima in ea Vrbe Neapolitana inter tot Virginum Cœnobia, quod regulari quadam obseruantia, studioque communis rei, vitæque floreret, nouerat nullum esse. Laxiorem vbique disciplinam instituti, ac Sanctissimarum legum frænum penè excussisse. Nec strictiorem moribus clausuram esse. Siquidem quorum emendare mores interetat, veluti consopiti, passim, leuique ex causa indulgere videbantur; vt Sacris è penetralibus egressæ, in parentum, ac propinquorum diuturniùs domo morarentur. Ipsum in primis Sancti Sebastiani Monasterium nouerat quidem à præclaro Diui Dominici instituto, ac dignitate

Qui gratulatus offerri præclari Sorori occasionem.

Monialium Neapoli remissus rigor.

gnitate in liberiorem viuendi licentiam degenerasse: ita vt cum non multò antea re-
sciuisset, Mariam ab eo Neapolitanæ obsidionis periculo in Donnaroma'æ Monaste-
rium confugisse, arrepta confestim occasionis tempestiuitate, litteris cum Sorore ve-
hementiùs egerit, vt quando in eo, à quo discesserat Collegio, integer regularis vitæ
cultus, moresque prisci minùs vigerent, verteret iam eam temporum cladem in sui
commodum, hæreretque in Donnaromatæ disciplina; vbi sincerior quædam viuen-
di ratio, nec adeò remissus rigor suæ mentis tranquillitati, ac salnti apprimè consu-
a Neap. in Tab. D. Paul.
luisset. a Extantque eæ apud nos litteræ, vigore quodam dicendi, ac neruo vehemen-
tiores. Eapropter noua hac consultatione compellatus Carafa, quòd egregium, ac
longè præstantissimum ineundæ sanctioris vitæ consilium Sorori obijceretur, non mo-
dò probare statim opus visus est; verùm quòd eximia laude dignum putaret, neque
Sororem Carafa ad eam capessendam prouinciam propellit,
posse absque ingenti religiosæ disciplinæ addiramento, illarumque Monialium com-
modo, ac pijssimæ in primis Sororis fructu institui, compositis ad eam litteris, com-
mendare negotium impensiùs studuit: vtque ad eam laudem aut lentam extimularet,
aut incitatam acriùs inflammaret, non communi quidem stylo, ac perfunctoriè ad-
hortari, sed qua ipse dictione, ac eloquentia valebat, inserre vim ineluctabilem cona-
tus est, vt onus subiret; ac præter momenta rationum pollicitus & ipse est curas suas,
Suamq; operam pollicetur.
neruosque omnes, vt res ipsa conficeretur. Cum primum hæc fratris incitamenta ac-
cepit Maria, ceu lecta ijs in litteris Mente Numinis, factos mirificè pectori animos,
adiectasque faces sensit: nec operis magnitudine, nec imbecillitatis conscientia deter-
Et assentitur Maria.
rita, complecti inchoatæ iam institutionis curas statuit; susceptumque mox consi-
lium Sanciæ aperuit: quæ magnoperè gratulata, mirùm qua grati animi significatio-
ne, sensuque gratias Mariæ habuit, quòd obligatam extinctæ Amitæ fidem, tanta cum
spe fructus, eius ope solueret.

Iam, qui ad id oneris subeundum Mariam incitauit Deus, egregiam illi, ac ma-
gnam insuper mentem addidit, qua persuasit sibi, non vulgare quidem, sed arduum,
ac singulare quoddam opus aggrediendum. Ergo, eximia indolis celsitudine, ac pie-
tate in animum induxit suum, Regulam Diui Dominici, cui nomen iam dederat, col-
lapsamque in Monasterio D. Sebastiani diù deplorauerat, ex integro instaurare, eidem-
Sed inducere Dominicanam disciplinam statuit.
que cum suis Virginibus incumbere disciplinæ, rigorique, quo primum institutus ille
Dominicanorum Ordo fuit. Ac re cum Episcopo fratre collata, ille quòd inspiceret;
sua ipsius adhortamenta processisse, ac diuina quadam vi propelli sororem ad ma-
gna, promouere pulcherrimos impetus omni ope studuit; suscepitque mox prouinciam
Ac Episcopo Theatino agente litteras Apostolicas impetrat.
in se omnem rei conficiendæ. Maturauit proinde Apostolicas à Clemente Pontifice
litteras impetrare, quibus ad diem nonum Septembris anni 1530. datis, concessum
Mariæ est, vt immigrare in Sapientiæ Monasterium posset, nouamque inibi sub Diui
Dominici regula Monialium disciplinam instituere, illasque insuper Virgines admi-
tere, quæ ad alias regularis instituti, morumque leges vota concepissent. Obsignatum
diploma huiusmodi, quod petcuperet Episcopus Theatinus, vt quàm optimè, ac præ-
Cum quibus Bonifacius à Colle Neapolim allegatur.
maturè executioni mandaretur, Bonifacio à Colle, viro, vt diximus, è nostris Con-
ditoribus cum paucis probo, ac impigro dedit, adlegauitque Neapolim, vt in re per-
agenda conatus ipse omnes intenderet, ac si quæ obijcerentur difficultates, ac moræ,
præcideret dexteritate, adderetque incitatissimæ sorori vires. Sunt qui dicunt, ipsum
etiam Episcopum Theatinum vnà cum Bonifacio Venetiis Neapolim concessisse, vt
Carafam ipsum venisse Neapolim quorundam opinio.
præclaro in opere sorori adesset. Et verò vehemens eius in disciplinarum reformatio-
nem propensio, atque ardens, quo flagrabat, desiderium, vt optima soror è liberiore,
vti significarum est, Diui Sebastiani in strictiorem sese assereret viuendi formam, per-
suadere facilè posset, virum præferuidum id itineris incommodum suscepisse; ratum
nempè, satis ea in re opportunam fore sui præsentiam, vt quæ ardua plerumque sunt
rerum maximarum exordiù, frangeret ipse ardore animi, curaque intentione expedi-
ret. Verùm Neapolim non concessisse, sed vicariam eam curam dedisse Bonifacio, ple-
Nec vera.
ræque vltro, citroque eiusdem Carafæ, aliorumque datæ litteræ commonstrant. Sed
& debuisse Venetijs hoc anno hærere, grauissima, quæ pertractanda ab ipso cùm Se-
dis Apostolicæ, tùm Venetæ Reipublicæ, aliorumque Principum negotia suadent, quæ
& superiore libro delibauimus, & memorabimus infra fusius.

Igitur vbi primùm Bonifacius Neapolim appulit, incumbere extremo conatu operi cœpit; rebusque maturè compositis, paucos intra dies confecta res est; ac die tertia, & vigesima mensis Iunij, in ipso nascentis Ioannis Baptistæ peruigilio è Monasterio Diuæ Mariæ Donnaromatæ, vbi pro tempore agebat in Deiparæ à Sapientia Cænobium, vna è laicarum numero comite, nomine Catharina, Maria concessit. Aderat ipse Bonifacius, ac præterea è præcipua nobilitate eius consanguinei satis multi, qui Mariæ, velut iterum de rerum humanarum illecebris triumpharet, pompam illam prænobilem adornarunt. Oris speciem ad grauitatem, ac modestiam egregiè conformatam, spirantemque vultu internam morum sanctitatem, animique demissionem admirati profectò omnes in nobilissima Virgine; sed paupertatem in primis; quippe nulla vel necessaria supellex curæ fuit; non aurum, non tunicam, sed contenta pectoris cultu, Breuiarium solummodò secum ipsa ad exactæ specimen trophæumque paupertatis in nouum Cœnobium intulit. Vbi persolutis Deo gratijs, qui dedit velle & perficere, inuehere in eas ædes D. Dominici regulam, ac nomen statim cœpit. Enimuerò pro facultate sibi Apostolicis litteris facta, additis Diui Francisci instituto quas inibi reperit moniales, mutato confestim habitu, D. Dominico sacras, profiteri eius mores, atque obseruantiam iussit. Conceperat ipsa quidem eximiam, atque arduam ideam operis; at illi expoliendæ, accuratèque efformandæ aderat rerum gnarus Bonifacius à Colle, qui nec sua tantummodo documenta, sed quæ præclara, atque ab expertissima Episcopi Theatini mente hauserat, Mariæ suggerebat. Quarè ex hac tergeminæ industriæ consensione facile fuit perfectionem nouo instituto accersere. Itaque absolutam regularis obseruantiæ normam ordinare, ac temperare omnia Maria. Monasterij claustra quàm arctissima in primis voluit. Crates ad colloquendi vsum ferro vsque adeò communiuit, clausitque, vt cum alloqui Moniales contingeret, inaudiri quidem vox posset; cæterùm mutuo se se aspectu vsurpare colloquentes non possent. Proscriptam, exulemque iam à Gynæceis paupertatem vt reuocaret, precariò, nulloque censu, ac prouentu annuo victitare, laneoque vti indusio, ac in lana cubare iussit. Ad hęc, esum, vsumque carnium, nisi cum aliter sanciuerit morbus, ablegauit. Ieiunia item, quę D. Dominici leges statuunt, obseruari ad vnguem voluit. Quę quidem omnia, vt ingenti Marię spiritu promoueri, atque adolescere ex animi sententia, ac pręclarè disciplinam vidit Bonifacius, Venetias redijt; ac quę posita erant eo in Asceterio virtutum rudimenta, quamque concepta altiùs fœmina excellentem pietatis frugem promitterent, distinctè renunciauit Episcopo Theatino, cui successisse opus gratissimum fuit, gratulatusque ingens Dei beneficium Sorori est. Vtque eam Institutionem qua posset ope iuuaret, haud post multò laudatissimum par fœminarum, Cęciliam Marinam, & Barbaram ad Neapolitanum illud Cœnobium Venetijs amandauit; quas quòd solidę virtutis, ac spectatas in omni genere laudis, animo in primis ad rigidam morum censuram propensiore nouerat, & exaugere disciplinam exemplo, & prębere auxiliarem manum in eo rerum tyrocinio Sorori posse sibi persuasit. Et quidem non exiguo illarum virtus subsidio Monasterio fuit. Nam Cęcilia pręter priuatam animi pietatem, postquam excessit Maria, Cœnobij pręfecturam eo plausu capessiuit, ea obiuit laude, vt cum produci vltra triennium id munus minimè posset, impetrata à Monialibus Pontificia facultas fuit, vt illam iterum, ac tertiò legerent; totosque nouem annos tàm grauiter, ac sanctè Virgines rexit, prouexitque incœptos mores, ac regulam, vt continuasse Marię spiritus, idemque obseruantię zelus visus planè fuerit. Barbara verò admota semper præcipuis Monasterij curis, quam singulari prudentia, ac religione traduxit vitam, clausit relicto summo sui desiderio.

In nouæ instit tutionis opus incumbit Bonifacius.

E Monasterio Donnaromatę ad D. Marię Sapientię Cœnobium transit Maria.

Cum velo sacrarū precum libro.

Additæ D. Francisci Regulæ moniales Dominicanam complectuntur.

Quibus legibus temperauerit Monasterium Maria.

Re expedita reuertitur Venetias Bonifacius.

Rei benè gestæ Carafam monet.

A quo par Virginum Venetarū Neapolim mittitur.

Earum virtus, & mores.

Porrò, ad recentem eam morum formationem vrgendam non satis isthęc adminicula Carafę. Aderat continuò spiritu, ac litteris Sorori, ac officij perssępè admonere, sufficere plerumque animos, pręceptisque instruere curabat. Digna profectò sunt, quę publicis litteris tradantur, quę sub id tempus, composita ad eam epistola, scripsit, vt intelligat posteritas, qua rerum mortalium contemptione, quàm remoto à mundi illicijs, arcanoque animorum cultu, quàm simplici vitę ratione, ac paupertate institutum vellet Gynęceum Carafa, cui consona omninò fuit, atque vnanimis Maria;

Formādo nouo Asceterio aderat spiritu Carafa.

Eius insignes ad Sororem literæ. Maria; promptior ipsa exequendo, quàm egregius ille regularis obseruantiæ, ac morum magister præcipiendo. Epistolam igitur exscribere hic libeat, non quidem integram, nam prolixior ea est; sed nonnulla inde excerpsisse satis fuerit. Sic verò ait. [Quia Dei bonitas ereptam te è veteri consuetudine, nouaque in sede collocatam voluit, inire & sanctam Christianæ vitæ nouitatem oportet, vt non quidem temporum desidiam, sed Dei voluntatem sectere: vt exempla insignium virorum docent, Quæ preclara in ijs monita. quos ceu clypeos aureos, ad quos splendidissimi, æternique Solis radij pertingunt, Solem ipsum, ac Deum lucis repercussione commonstrare tibi persuadeas: quam quidem exemplorum lucem vbi intueberis, certè rectà non aberrabis. Ergò quæ mundo placent, vites, ceu suspecta. Studeas interim animi cultui; nam omnis gloria eius De cultu animorum. ab intus. Tuam, tuarumque Virginum vitam perindè temperes, vt nusquam, nisi Christiana simplicitas luceat. Nulla sit in diuinis officijs persoluendis vocum modu- De pópa, ac specie fugienda. latio, nec sonus; sed concinna, atque apta grauitati, Sacrarumque Virginum modestiæ pronunciatio, quarum nec audiri voces fas est: fugienda nempè pompa omnis, gloriæque illecebra. Exiguum æs campanum vestris operis distinguendis intra Ædes sonet. Victus simplex, obuius: in vestibus eximia paupertas; nihil oculis, nihil delicijs seruiat. Communia quidem omnia, ac singularum necessitati pro rerum angustia, ac modo consulatur. Nec epulæ struantur, nec gulæ inuitamenta; nec curiosa rerum opificia, nec pharmaca: alet profectò sine his lenocinijs inopiam vestram De colenda paupertate. Deus. Nec porrò improbo honesta quædam artificia, cùm ad otium, ac diem fallendum, tùm ad aliquod inde in communem vitam commodum deriuandum. Quòd si necessarijs aliquando destitui contigerit, tunc exorato primùm Numine, opem, stipemque illius imploretis, quem cælestis Aulæ afflatu destinari vestræ inopiæ subleuandæ cognoscetis: quòd si & spes hæc fefellerit, alterius pietas interpellanda. Amen dico vobis, non consummabitis Ciuitates Inda, donec veniat in vos Regnum Dei. Enimuerò quibus parcè, modestèque viuete propositum est, pauca sufficiunt, quæ ijs promisit Deus, quibus affixa Cælo mens, & spes omnis. Differet quandoque, idque ad vestræ fidei, & constantiæ periculum. At durate: nulla siquidem opportunior lucrandis rebus cælestibus occasio.] Pergit Carafa de exacta in Deum fide, ac paupertatis studio plura commentari; tùm ad animorum administrationem diuertit in hæc verba: [Permagni quidem interest, quis, & qua peritia conscientias procuret: qua de De Confessario eligendo. re aliquid statuere non ausim. De Confessarij nempè delectu agitur. Probarem ipse, vt si qua vobis facultas, aliquam, nec tralatitiam quidem operam collocetis, vt Confessarius contingat, qui sibi, suæque primùm studere animæ videatur; ac præter inculpatæ vitæ rationem, ea sit prudentia, vsuque rerum, vt discernere inter lepram, & lepram possit. Ætate quidem grauis, nam iuniorem, etiamsi edat miracula, nunquam approbauerim. Non affectu illum, sed reuerentia, quippè qui Christum in eo Sacramento repræsentat, prosequi par est. Vitanda proindè familiaritas, quæ venerationem facilè, statimque abrogat. Nec vestris in Ædibus habitet, cùm ad eius existimationem conseruandam; tùm ne ali delicatiùs oporteat, desciscatque sensim Monasterium in eas gulæ curas, ac labes, & cladem suam.] Et infra obseruantiæ vehe- De fugienda spe cómodi. mentiùs canet. [Audio iam, inquit, plerosque enixiùs petere, vt admitti filias suas placeat, illiciuntque spe commodi, excitandique sumptuosè Monasterij. Obtestor hoc loci per Deum vos, vt aures his dictis arrigatis; si contemneritis, pigebit fortasse seriùs. Omnipotentis, fortisque, ac zelatoris Dei nomine præcipio, ne promissionibus, pactoque auro, aut victus, struendæque fabricæ, siue quarumcumque rerum humanarum spe ductæ, Virginem aliquam admittatis, sed illas dumtaxat excipere mens sit, quas Deus obtulerit: scilicet quæ laudatæ pietatis testificatione, ardore spi- Quę Virgines in Collegium adoptandæ. ritus pertrahuntur, constantemque afflatum Numinis sentiunt, ad mundi, suique contemptum, ac paupertatis asperitatem, humilitatemque extimulantis. Quæ & seueriore etiam examine, censuraque probandæ. Post preces mora adhibenda, ac tempus. Ingenium, indoles maturiùs expendantur: naturæ namque ingratijs, inuitaque, vt aiunt, Minerua nil boni expectandum. Demum, an sponte sua veniant, explorandum; ne aut necessitas, aut improborum parentum, fratrumque sæuitia nolentes vrgeat. Nactæ denique idoneam, quæ profiteri mores vestros, humilitatemque

temque ex animo velit, admittatis vltrò vel nudam, tunicamque malè sartam, vestræ similem, venienti vtcumque inijcite. Reliquam scilicet curam Deus ipse suscipiet.] Pergit idem argumentum ad sororem Carafa, aggeratque subindè alia, quæ ne sim nimius, prætermitto.

Iam verò, eam legum obseruantiam, quam auctam, ac numeris, modisque omnibus absolutam in eo Monasterio volebat Episcopus Theatinus, quo zelo prosequeretur, & quàm vehementer excandesceret, si quam cerneret, præter instituti, suæque mentis rationem labem proserpere, argumento fuerint, quæ dicemus. Beatrix Carafa, fœmina ornatissima, eiusdem Ioannis Petri Carafæ, & Mariæ soror, vt quietem animo, ac tranquillitatem à recessu, ac silentio curarum impetraret, ducta secum nepte, decentique famulitio, sese in Cœnobium Sapientiæ receperat. Probauerat id quidem Episcopus Theatinus, gratulatusque magnoperè erat, quòd significauerant, consilium esse, vt Mariæ vestigia, eandemque austerioris vitæ rationem maximo nobilium fœminarum exemplo soror altera sectaretur. At postquam resciuit, non ipsam solummodò Monasterium inijsse, sed & adultam, viroque iam, ac pompæ destinatam neptim, famulasque, ac omnem seculi apparatum in ea paupertatis, ac modestiæ claustra vnà secum intulisse, nec propositum esse, vt inibi sese ad Religionis aram iugularet, consecraretque, mirùm quantùm præferuidus viri sanctissimi spiritus excanduit. Non carnem, non sanguinem respexit; exacuit confestim stylum incredibili quadam sermonis vi, ac zelo. Litteras ad Bernardinum Fuscanum, suum olim in Insulis familiarem, grauissimas, sed acriores ad Mariam sororem dedit, quas in Paulino nostro tabulario Neapoli conseruatas, legere pretium esset. Nos adscribere abstinemus, sensumque expressisse suffecerit. Igitur, etsi pius quidam, atque ingenuus omninò amor, profectusque sororis Mariam illexerint, ac illuserint; tamen quòd nimia facilitate affectuque peccauerit, & quod disciplinam non mediocriter labefactare id secularis sororis contubernium poterat, vehementer admodùm insurgit Theatinus, ac peracri obiurgatione Mariam reprehendit. Præclarum institutum, inductamque eximiam legum obseruantiam memorat: mox inclinationem, iacturamque morum, ac animorum ab ea secularium consuetudine, pomparumque intuitu ob oculos ponit. Tum regulæ minis, sacrarumque sanctionum pœnis, ac Pontificum anathemate perterret; interminaturque insuper, daturum se quidem operam, vt quando Ordinis instituta non obseruarentur, ipsa Ordinis, quibus fruebantur priuilegia, abrogata vellet Pontifex. Iubet postremò quàm potest ardentiùs, vt Monasterio quàm primùm, suæque conscientiæ consulat: ac sororem, neptimque clausura dicto citiùs emittat: neque id deinceps piaculum sororum, aut principum fœminarum, sed nec Reginarum, si quæ fuerint, gratia concipiat, admittatue. Quæ sanè, vt Mariam, quam & ignoratum crimen, & bona mens facilè absoluunt, mirum in modum exterruere, ita fratris imperio obtemperauit illa quàm citissimè. Videat hinc lector, quo tandem Spiritu, ac mente imbutum, formatumque Sapientiæ hoc Monasterium voluerit Carafa: vt meritò ab ijs initijs effloreat nunc inter præcipuas Neapolitanæ Vrbis disciplinas: fueritque iam inde ab instituti incunabulis tanta eius sanctimoniæ fama, vt ad illius exemplar, virtutumque normam, noui, ac laudatissimi postea fuerint Virginum cœtus instituti, ac restituti in plerisque Cœnobijs collapsi mores, ingenti cum Mariæ laude, ac nostrorum hominum, qui eam rem communem persanctè ordinarunt, egregijsque, vt dicemus adhuc institutis, tum quidem, ac succedenti æuo administrarunt. Vt verò nostratum postea curæ Summorum Pontificum nutu adiudicatum hoc Collegium fuerit, opportuniùs narrabimus.

Carafæ zelus de strictiore Monasterij obseruantia.

Fert indignissimè sororem alteram secularem receptam in monasterium.

Mariam arguit, quòd admiserit.

Et vt quàm primùm emittat, iubet.

Obtemperatque illicò imperio Mariæ.

Sapientiæ monasterium exemplo alijs fuit.

Non sine nostratũ laudesqui regebant.

Interim quæ floruere vel ab ipso nascentis Asceterij exordio omnigenæ virtutis inter sanctissimas Virgines exempla prætereunda non sunt. Mariæ præsertim vita, ac mores delibandi, quæ iactis strictioris disciplinæ fundamentis ad hanc, quam hodieque cernimus, magnificentiam, ac decus regularem Diui Dominici inter sanctimoniales obseruantiam excitauit. Par siquidem est, vt sanctissimi Pontificis, Conditoris nostri optima soror, & quæ Dominicano stipiti Theatinos admirabili quadam insitione mores adiunxit, nostris in historijs viuat, perennetque. Quæ quidem laudum commemoratio quamuis exiguum quidem tantarum virturum pretium est, non leue

Mariæ Carafæ vita, & mores proponuntur.

Digna, qui nostris historijs contignẽtur.

tamen

tamen legentibus ad pietatem erit incitamentum, ac stimulus. Porrò, tantę Matris paucis quidem, etsi germanis, suisque lineis adumbratam reperimus imaginem, ac sanctitatem. Nam quòd pompam, aspectumque formidabat humilitas, & quod nullus virtutum pulcherrimarum documenta memoriæ consignauerit, pleraque interciderunt, quæ sanè prolixiori commentario materiam abundè fuisse suffectura, constans fama est. Id quod solitam potissimùm dicere accepimus; pijssimam quandam ex illius monasterij senioribus matrem, quæ cùm de egregijs Mariæ virtutibus, de orationis præsertim studio, inuictaque animi patientia, ac sensuum mortificatione plura memoria teneret, quæ ipsa viderat; nil optabat impensiùs, quàm vt aliquis stylo exciperet, quod ipsa dictasset: fore namque sperabat, vt multum historiæ molis, plurimum venerationis nomini ab ea scriptione accederet; quod dum frustrà expetit, vouetque, è viuis abscessit, ac interim Mariæ res piè gestas obliuionis, ac temporum caligo inuoluit. De paucis igitur, quæ supersunt, vt neque omnia, ita neque fusè hisce monumentis consignemus.

Et si pauca eius humilitas sciri permiserit.

Quid de Maria diceret senior quædam ex Sapientiæ Monialibus.

Mariæ genus, ac parentes supra explicauimus, cùm de Carafa nostro egimus: clarior profectò vterque, quòd auitum splendorem eadem virtute auxerint, ac spreuerint. Indoles vel in ipsa pueritia magnam illam deprædicabat. Adolescentiam, floremque primum iuuentutis ingenuus vultu pudicitiæ color, ac virgineus morum candor commendabant: tùm singulare in parentes obsequium, atque insignis, quod caput est, in res sacras, ac Deum deuotio, vt persæpe externis operis defuncta colligeret sese ad pia quædam mentis exercitia, ac commentationes, sacrosque libros perquolutandos. Quòd Ioanne Petro fratre maior octennio esset, eius educationis curam suscepit, studuitque, non tàm pares natalibus spiritus, moresque instillare puero, quàm virtutem, ac pietatem: ac visa confestim eius educationis vis, inditeque pietatis fax in ea fratris vix duodennis seculi fuga, quam supra memorauimus; & quam quindennis iterum molitus est, eadem ad id operis sorore non modò incitante, ac rem omnem adornante; verùm etiam comite: quando ipsa etiam astu magnanimo paterna è domo dilapsa, eundem cum fratre ipso, eodem temporis momento dolum concinnauit, seque Diui Sebastiani Cœnobio dedicauit. Quod enimuerò visum in Maria oppidò præclarum, ac generosum. Nam eo maximè tempore forma, ac honestate spectabilem sobolem nobilissimo perinde, ac florentissimo opibus iuueni Parentes despondebant. Vt videas, quem in eo adhuc flore ætatis cælestium amorem medullis conceperat Maria: quando quæ capere potissimum, ac ludere Virginum animos soleat, connubium, fastus, vestium elegantiam, ac scenam omnem muliebrem vna contempsit fuga, abdicauitque. Complorationes Parentum, ac minæ æquè apud ipsam valuere, obfirmauitque vsque adeò animum, vt neque eos, quod vehementer efflagitabant, sui aspectu, atque allocutione dignatos tunc voluerit. Hac ferme mentis celsitudine celeberrimę illę Virgines Eustochium, & Proba, Auis, Atauisque Consularibus ortæ, regijsq; titulis, ac delicijs innutritæ, spretis amplissimis nuptijs, Virginitatem Deo consecrarunt. Quod verò ad fratrem attinet, quem eius in sinu educatum diximus, quòd tantus postea euaserit, & Aulam, regularemque disciplinam, ac Christianum Orbem animi sui magnitudine, rebusque magnificè, ac persanctè gestis oppleuerit, Mariæ profectò debemus, quæ tenera m fratris indolem ad eas laudes multò ante inflexit, illamque facili iu pectore virtutum segetem, ac gloriam proseminauit. Quod accuratæ, piæque sororis studium nunquam nullo in dignitatis gradu memori ab animo excidere passus est Carafa; eamque singulari quadam obseruantia, ceu Matrem prosequebatur, ita vt quas ad eam litteras daret, & obsequentissimi filij appellatione obsignaret, & venerandæ, caręque Matri inscriberet, ac nusquam non tantæ charitatis, curæque obnoxium se aperta promeritorum confessione profiteretur. Quod verò luculentiùs Mariam commendat, excellentis cuiusdam probitatis, ac sanctimoniæ apud fratrem opinio est. Nam vt in plerisque, quæ penes nos sunt, litteris inspicere est, testari apertè, ac venerari sanctimoniam sororis videtur: præcipue ad Ioannem Baptistam Sangam, amicissimum, ac Pontificis Maximi à secretis scribens, illam quam optimè de virtute ac religione meritam dicit: quo item pietatis nomine, datis ad Gibertum litteris, indignum se ex animo fatetur, qui sit laudatissimæ sororis non modò frater sed

Eius genus, Parentes, Indoles.

Ioan Petrum fratrem suscipit educandũ.

Cum quo è paterna se proripit domo, Religionem ineundæ studio.

Cùm nobilissimo destinabatur connubio.

Eius educationi debetur Io. Petri virtus.

Et agnoscebat ille sororis in se merita.

sed seruus. Et cùm iam Purpuratus ad eam aliquando scriberet, eò peruenit, vt diceret, non adeò se terreri culpis suis, quin speraret, fore vt antequam defungi vita contingeret, eius benedictione potiretur. Diceres profectò alteri Cæsario alteram contigisse Cæsariam, aut nouo Basilio, ac Gregorio nouam redijsse Macrinam: qui sanè Antistites, ac Patres perinde Sorores suas sunt venerati, ac si ipsorum matres essent, ac sanctæ.

Eamq; vt matrem venerabatur vel in purpura.

Tantarum porrò ornamenta virtutum, quarum paterna in domo rudimenta iam posuerat Maria, in Diui Sebastiani Asceterio consectari impensiùs cœpit, vbi cum puellari vestium fastu, cultoque cum capillamento, cogitationes, curasque seculi omnes visa est exuisse, ac totondisse. In ipso tyrocinio vel senioribus egregio documento erat. Postquam vota nuncupauit, vrgeri se ad professionis iter acriùs sensit; statimque aut integram, aut magnam eius viæ partem visa est confecisse. Nihil æquè in pretio illi erat, ac tempus; cuius dispendia, vt sibi compendio, ac lucro forent, diem tripartitò distribuit; vt primas diuinis precibus, ac cælestium rerum contemplationi daret, secundas Sacrorum librorum lectioni, tertias externis operis, quas Ordinis instituta, ac leges præciperent. Hac vsos temporis œconomia Sanctissimos prisci æui Ascetas, compertum habemus, quos à conceptis precibus ad lectionem, & ab hac ad opificia, ac corporis exercitamenta transisse pulcherrima vice, narrat Cassianus. Atque huic quidem operum vicissitudini ita addictam ferunt Mariam, vt cum vnum alterum continuò exciperet exercitium, nunquam marcentem otio, aut ad animi laxamentum vel minimum confabulantem illam viderint. Inuexitque subindè præclarum hoc institutum partiendi cum fructu temporis in Monasterium Sapientiæ, vbi hodieque summa cum laude viget.

Virtutes cumulauit in D. Sebastiani Cœnobio Maria.

Diē fructuosè diuidebat.

Nullamq; admittebat animi remissionem.

Has porrò Mariæ progressiones ideò laude digniores ducimus, quòd in eo Cœnobio ageret, vbi etsi Sanctissimæ Diui Dominici Institutiones obseruandæ proponebantur, non tamen perindè in earum Virginum florebant moribus, vt non aliqua ijs in legibus lacuna cerneretur. Quarè domestica exemplorum luce destitutam, ad purioris disciplinæ obseruantiam, virtutumque possessionem capessendam ipsammet sibi præferre, atque admouere facem, necesse erat: quo nihil ad Mariæ laudem pulchrius. Atque id potissimum causæ fuit, vt tùm ipsa, quàm Episcopus Theatinus noui Asceterij condendi rationem inirent. Ille, vt Sororem laxiori disciplinæ subduceret, daretque alijs egregij instituti Magistram; hæc vt suo Ordini, quem sincerè vouerat, adamabatque intimè, primæuus rigor ex integro renasceretur. Siquidem adduci singularis Mariæ modestia numquam aliàs potuisset, vt ab ea Monasterij institutione aliquam sibi nominis celebritatem, famamque conciliaret, aut nouarum Monialium magisterium iniret. Immigrauit igitur Maria, vt paulo antè explicatum est, è Diui Sebastiani Cœnobio ad Sanctam Mariam à Sapientia: & quando locus, vt virtutem interdum auget, ita nunquam illi derogat, vtrobique sanctissimè vixit: nisi quòd quam priore in loco didicit cælestem Sapientiam, docuisse in altero visa est.

Quod eò magis mirandū, quòd in laxiore collegio ageret.

Vnde strictioris obseruantiæ desiderio nouam regulam fundat.

Verùm enimuerò, quò Mariæ diues virtutum supellex accuratiùs æstimetur, illas publicum veluti in forum, ac lucem singillatim stylo exponamus. Ex quibus pretiosior profectò est, quæ videtur mortalibus vilior, nempè humilitas: ac proindè principe eam studio coluit Maria. Nec leue quidem eius virtutis argumentum fuit, quòd cùm omnia laudatissimæ Virgini accederent ad inuidiam, quæ præfecturæ redderent idoneam, prudentia, comitas, spirituum altitudo, charitas; exorari nihilominùs nunquam passa est, eo tempore, quo in D. Sebastiani Asceterio egit, vt præesset. Et cùm administrare postea Pontificis iussu Cœnobium Sapientiæ corrigit, id ea indole, animique demissione, ac in omnes beneuolentia curare visa est, ceu foret, non regendis imperio Sororibus, sed vniuscuiusque seruituti addicta: nullumque erat vel abiectissimum quodque in Domo munus, quod ipsa non adsectaret, obiretque. Illud porrò de eius humilitate non dissimulandum. Cùm eæ, quæ disciplinæ Regularis tyrocinium ponebant, puellæ Mariam à cœna conuenirent, vt illis ante cubitum, quod moris est, Antistita bene precaretur; benedictionem quidem impertire in genua procumbentibus pro sui muneris officio non abnuebat: verùm ne de eximia humilitate decerpsisse aliquid is actus videretur, nitebatur illicò & ipsa humi, earumque seriò prensa-

Eius virtutes enumerātur.

Earū princeps humilitas.

Præfecturas in D. Sebast. Cœnobio respuit,

Præest vero Sapientiæ Monasterio seruę propior, quā Antistitæ.

Quid cum puellis tyronibus consuesceret.

tis manibus, exosculatas vel inuitis, ac tantæ Matris reuerentia obluctantibus, singulas volebat. Et quia laboriosum quodque Cœnobij opus nobilissimæ virgines obibant, si quas ab assiduo labore callum obducere animaduerteret, aut etiam, quod interdum accidit, cruentatas ab attritu operosiore inspiceret, illarum manus, ijs illas verbis excipere, atque incitare solita erat; O fortunatas, quibus his insignibus cohonestatas ostendere supremo mortis articulo manus fas erit. Me quidem nullus commendat impensus istiusmodi labor; nulla meritorum prærogatiua: exoratasque, vt Deum ipsi propitiarent, dimittebat.

Vt illas alloqueretur.

Paupertatis amor.

Quæ cognata humilitati, ac propior est virtus, nempè paupertas, parem in Maria locum obtinuit. Nec parentum abdicasse opulentiam, splendoremque satis ad eius paupertatem fuit; sed quod in ea virtute summum, atque austerissimum est, raro quidem documento sectabatur. Enimuerò vel in ipso Sancti Sebastiani Cœnobio, in quo, vti significauimus, cùm cæteri veteris disciplinæ mores imminuti, tùm ipsa maximè paupertas erat; nihil ipsa peregrini cultus admittere; nec peculio, nec peculiari quauis recula vti; tunicam, quæ tegeret solùm, atque vnicam habere: postremò commoda aspernati omnia, ac supremæ solummodò necessitati consulere videbatur. Quod apprimè docuit, cùm Sapientiæ Monasterium iniuit; quò præter Breuiarium, nihil habuit omninò, quod inferret. Cumque recentis, atque adeò extremè pauperis Cœnobij commodis studere, non modò fas esset, sed & humana in primis suaderet prouidentia, nec deessent qui munifica manu opportunè largirentur; tamen nec corrogare, nec acceptare quicquam voluit; & cui figere arctissimæ paupertatis leges consilium erat, lautissimi patrimonij vice, ac quauis supellectili ditiorem eò secum vnà inuexit egestatem. Cuius planè obseruantiam illo in Cœnobio statuere, princeps cura fuit. Censum omnem, prouentusque annuos, ac virginum dotes proscripsit, Precaria stipe, Cæloque niti, id demùm esse Sancti Dominici mores aureos, ac priscum institutum imitari. Scire se, aiebat, religiosam paupertatem, ac spem amplissimas esse possessiones; nec verendum, ne ementiantur, fallantque segetem: quando extra hæc semper latifundia Cælum grandinat. Quocirca in paupertate dilaudanda, adhortandisque Monialibus, ne ab eo potissimùm emendicatò victitandi instituto, vllo vnquam tempore, vel transuersum vnguem discederent, sed vrgerent anxiùs votam inopiam, prolixior profectò erat. Propitium, ac beneficentissimum Numen fore, collocatis tam altè curis, pollicebatur: contra si faxint, iratum, infensumque. Addebatque vultu planè seuero, ac peracri: Caueant necesse est, quæcumque annis consequentibus rem communem curabunt, ne institutum hoc mutent, inducantque opes annuas, ac censuum labem; vindex namque violatæ paupertatis aderit Deus, & ipsa ego imprecari è Cælo in effectricem operis mala, dirisque acerbissimis deuouere numquam cessauerim. Hæc illa: certè, vt institutæ paupertati, quà dicendi vehementia, quà minis caueret; cæterum numquam putauerim, illam mulcta, ac fulmine animaduerti voluisse; si quando aliam inire viuendi rationem necessitas, ac diuersa temporum ratio cogeret; vt crescente subindè aliorum mendicantium numero, ac refrigerata piorum munificentia, non sine prudenti consilio, ac Concilij Tridentini indulgentia in eodem hoc Monasterio contigit. Porrò tantæ in paupertatem propensioni reliquus cultus par. Et quod ad cellæ ornatum attinet, quem ipsa sibi ad regulæ adamussim præscripsit, communem omnibus voluit, nec successu temporis immutatus. Nulla, conciliandæ pietatis specie, pretiosa in pariete effigies; non conopæum lecto; non quæsita sacris libellulis concinnitas. At simplex fouendæ deuotioni imago, aut Crux lignea; vna instratum culcitra cubile, rude scabellum; prætereà nihil, nisi mirificè in his lucens paupertas, ac mundicies.

In omni vitæ cultu.

In fundando Sapientiæ Cœnobio præcipua paupertatis cura.

Minatur grauia ijs, quæ paupertati detractum iuerint.

Ad paupertatis regulã cellæ ornatus.

Patiendi pro Christo amor

Multa in corporis afflictationibus.

Hanc verò paupertatem, quam tantoperè adamabat, ardens quidam patiendi pro Christo amor suadebat, fouebatque. Quod quidem patiendi studium eius in pectore vsque adeò exarsit; vt nihil supra. In corporis afflictationibus assidua erat. Indicta siue ab Ecclesia, siue ab Instituto ieiunia, aliaque sponte suscepta, ac penè continua carnis, gulæque detrimenta, nulla vi morbi relaxari tantisper voluit; nec suprema ipsa dies ex lana indusium abstulit, medicis inclamantibus; morique cum ijs exuuijs, pulchrum duxit. In aduersis non modò demittere se se, aut asperare quoquo

pacto

pacto supercilium visa, sed ceu supernis consolationibus inundaretur, serenior tunc frons, ac vultus amœnior. Explorare tamen accuratiùs ad Lydium læsæ existimationis, famæque lapidem insignem patientiam placuit Numini. Et verò Petro è Dominicana item familia martyri sanctissimo par, non vulgare inuictæ indolis specimen dedit. Rem ita accepimus. Morabatur in D. Sebastiani Cœnobio, insistebatque priscæ, vti diximus, disciplinæ secundissima exactæ cuiusdam probitatis fama; cùm malo quodam genio extimulante, inuecta quarundam in inculpatæ omninò vitæ Virginem inuidia est. Quippè quòd moribus solutiores assiduas, grauesq; Mariæ obiurgationes ferre minùs possent, vt simul & auctoritatem, & opinionem infringerent, illibato in primis eius honori, sanctæque pudicitiæ labem, nescio quam, inspergere non dubitarunt. Insitum mortalibus, vt mala pronis auribus excipiant, admittantque in animum plus nimio creduli; cùm exempla virtutum serò, ac vix fidem euincant. Quæ in Mariæ innocentiam commenta furor, ac leuitas euulgarunt, breui omnium animis insedere, ceu vera; atque adeò florentissima existimatio, quam spectato, ac continenti morum cultu comparauerat, veluti pestilenti quodam sydere afflata, momentò elanguit. Declinare illam omnes, ceu palmaris culpæ ream; obiurgare vultu, oculisque, nec verbis acrioribus parcere: suffragari, eiusque patrocinium arripere, crimen erat: nulla anteactæ virtutis, ac famæ ratio: iamque eò perducta res erat, vt de supplicio decerni cœperit. Meruisse ea Sororum conuicia, quibus abundè proscindebatur, sauciare intimè eius animum poterat; quid infamiæ notam, iacturamque nominis lectissimæ Virgini putandum cruciamenti, mœrorisque attulisse? Verùm quæ suæ tolerantiæ aream, theatrumque perquàm amplum intuebatur, vti ad sui profectum, virtutemque expoliendam ea criminatione, ac labe constituit. Eapropter; non fucum opinioni factum inclamare; nullis innocentiam argumentis tueri; non hominum fidem, non Cælitum implorare. Deo tantùm vindici tutelam, ac patrocinium sui committere maluit: eaque omnia, ceu diuinæ beneuolentiæ monumenta, ac victoriarum materiam secum ipsa reputans, plus solitò orationi incumbere, ac veluti de genu pugnare, tantique beneficij auctori gratias meminisse quàm maximas instituit. At, qui ad eius patientiæ periculum, vt sui moris est, tempestatem immiserat Deus, non diù passus illam sæuire, difflauitque mirificè, affusione incredibili voluptatis, libatique honoris redintegratione, ac incremento. Siquidem cùm maximè procella detonaret, arderetque vehementiùs in Mariam contumelia, & communis Cœnobij indignatio, ac sentiret ipsa tandem nescio quid humani patientiam verberare; ante Christi in Cruce pendentis imaginem in preces effusa, perorare lachrymis, ac suspirijs causam cœpit, & mox piè conqueri: Ecquid inuri fœdum crimen, famamque inumbrari pijssimus Saluator fineret. Scire quidem immunem, noxæque omnis expertem. [a] Vix ista, cùm obiectus illachrymantis oculis Christus, his illam verbis est allocutus: Vides hæc vultus dehonestamenta, atque imposita membris meis vulnera, sertaque capitis? Subijsse tui causâ volui, nulla culpa. Euanuit his dictis: reliquitque inter vberrimos fletus Mariam sensibus destitutam, ac penè exanimem, quæ, vt post paulò suæ menti restituitur, factique memoria recurrit, addi vires, ac robur ingens sensit, quò iam asperum quodque nauci penderet; traducique, ac despicatui haberi, vitamque pro Christo impendere, ac pro his ipsis, quæ nomen læserant, suauissimum duceret. Interea ea ab ore suspiria, isque ardor efflari videbantur, ceu abire vellet animus, & esse cum Christo. Tùm ad Confessarium, cui aperta sensa animi omnia volebat, hæc detulit: qui, monente procul dubio intus Numine, aperire hæc ipsa candidè Sororibus iussit. Nihil Mariæ modestiæ hoc imperio molestius: luctari primùm, tùm obsecuta imperanti est: ac momentò quæ omnium animos caligo occupauerat, ea confestim luce dispergi visa, redijtque nomini suum decus, ac menti tranquillitas: & quæ innocentissimam Sororem traduxerant, facti conscientia perculsæ, recantare iniuriam, veniaque exorata, resarcire illam laudibus occœpere.

In ferendis aduersis patientissima,

Inumbratur existimatio, ac pudor.

Qua animi patientia nomen tulerit.

Precibus rē cū Deo agit.

[a] Hier. Roger. in vita Mariæ M.S.

Christi aspectu recreatur.

Inde iacturā famæ contemnit,

Quæ mox ab ijs ipsis, quæ læserant, cōpensata.

Iam verò hanc ipsam, quæ inumbrata virtus fuit, corporis nempè, mentisque puritatem, qua cura, ac Religione aduigilauerit, ne quæ adflaret labes, conciperetque illibatus candor vmbram vel exiguam, illud profectò docet oppidò luculenter:

Quæ mentis puritas in Maria.

eodem scilicet momento, quo Sapientiæ Cœnobium ingressa est, vouisse, posthac nunqnam mortalium quemquam inspecturam, nec vicissim, vt à quoquam inspiceretur, permissuram; addiditque, quem primum spectaret olim hominem, fore Christum sponsum in Cœlo.

Eius de non aspiciendis vnqua hominibus votum.

Planè, vt floret in oculis animus, ita & marcere interdum contigit; ac frequentissimum est, vt traiectæ per oculos rerum imagines, ac lenocinia pulcherrimam virtutum, mentisque supellectilem ritu hostium populentur. Virgineus in primis pudor eius conditionis est, vt vulnerari, ac confici ictu oculi facilè possit. Ab oculo, hoc est, à gemino, iuratoque pudicitiæ hoste ea voti Religione opportunè, atque insigniter sibi cauit Maria.

Velari Moniales faciē, Mariæ inuentū.

Atque hinc ille, quem ipsa primùm inuexit mos laudatissimus, vt allocuturæ sanctimoniales illæ cuiusuis conditionis, ac gradus mortales, consanguineos etiam, ac parentes ipsos, inducto in faciem velo, modestiæ, pudorique consulant. Cuius planè præclaræ velandi vultus consuetudinis nulla, quæ ipse legerim, exempla priscis historiarum monumentis consignata reperimus.

Nusquam vnquam id factitatum.

Velari quidem caput non modo Corynthi ex Apostoli præcepto, sed vbique gentium solenne mulieribus fuit. Tùm sacrum velamen, vt vocat [a] Ambrosius, antiquum authorati persanctè pudoris, sacrarumque Virginum insigne est, quo nonmodò honestari, ac veluti maiestate quadam inumbrari, siue initiari virginitatem, sed tutari etiam affirmat [b] Tertullianus, cum ait: [Vera, & tota pura virginitas ad velum capitis confugit, tanquam ad galeam, tanquam ad clypeum, qui tutari eam possit.] At hoc tegendo, sacrandoque capiti adornatum: de vultu verò velando, ne viderent quemquam virgines, aut viderentur, nusquam mentio. Et vestigium eius rei aliquod in discipulo illo Diui Basilij, egregiè sancto, mihi videor animaduertisse, quem quoties cellula egredi contingebat, caput, vultumque ipsum integumento quodam inuoluere solitum narrat [c] Theodorus Studita: ne scilicet in quemquam mortalium, ac ne in lumen quidem Solis oculorum aciem intenderet.

a Ad Vir. Laps.

b De veland. Virg.

c Theod. Stud.

Ad pleraque Neapolitana Cœnobia inuectus velh vsus.

Igitur Mariæ Carafæ, eiusque virginitatis ingenio tribuendum huius velaminis inuentum, quod postea in alia Neapolitanæ Vrbis virginum Collegia scimus traductum. Quæ quidem virgines, quod tàm animi, quàm oculorum compotes sunt, & regere volubilem, atque igneam pupillarum vim sciant, meritò illarum virginitas appellari, (Oculorum auriga) potest, quo elogio græcæ sapientiæ [d] Antistites temperantiam olim nuncuparunt.

d Apud Stobaeum ser. 5.

Ὀφθαλμῶν Ἡνίοχον

Nunc iterum ad Mariam, à cuius eximio puritatis amore nondum planè velificandum. Enimuerò vsque adeò addicta, ac deuota pulcherrimæ virtuti fuit, vt vel suorum cinerum pudori consultum mirificè voluerit.

Mariæ pudicitia vel extincto in corpore.

Res hìc denarranda æquè admirabilis, ac comperta, quam Vincentia Constantia eiusdem Asceterij Monialis, auita, ac sua morum nobilitate longè clarissima, sibimet suæ iuuentæ, ac tyrocinij initio contigisse summa fide, ac maturior æui suo Confessario denarrauit. Seruabatur ea tempestate Mariæ, quæ iàm diù obdormiuerat, corpus ligneo quodam in loculo extra quidem, ac propè cœmeterium, non ea fortasse decentia, cultuque, quo honestissimum, sacrumque pignus seruari par erat; ita vt quà vetustate, quà loci non planè commodi vitio nonnihil arca dehisceret. Contingebat porrò, vt persæpè comportandæ ad compactilem quandam in Ecclesia molem materiæ, illac artifices pertransirent, & qui mos est eiusmodi gentis, adibant frequenter loculum, sacroque corpori inspiciendo hærebant prolixiùs; admiratione quidem defixi, quòd nihil penè spiranti detraxerit, nec lineamenta oris corruperit tempus, cuius ea vis, vt neque æterno cuipiam operi parcat.

e Ex Hieron. Angerio.

[e] Facilis ea hominum inspectio, ac confidentia, quam non aduerterant Matres, Mariæ pudorem, ac magnam animam, eius quondam honestissimi corporis hospitem, pulsauit: vt quadam nocte sub primam lucem, quam diximus, Puellæ obiecerit sese, leui somno consopitæ. Quæsit ipsa, docet, mox graui supercilio, vultuque: Quid causæ est, inqnit, vt ferre animus possit, extinctam me, measque exuuias tàm malè haberi? quoad in hoc Cœnobio vixi, ea modestiæ, atque honestatis cura vixi, vt nulli me mortalium aspectui permiserim; qui modò vos oblitæ in amantissimam Matrem officij, tantoque animi mei sensu ab ea hominum petulantia non cauetis Matri? En vt ausu temerario, manuque licentiore contrectare monumentum, meumque inspectare vultum non dubitant. Euanuit post hæc illicò; puellæque excitatę, ac bonę Matris aspectu insolita quadam dulcedine delibutæ, nil

Patere siquidem hominū obtutibus cadauer ægrè fert.

Monuitque grauiter, vt suæ pudicitię caueretur.

prius

prius fuit, quàm rem, vti euenerat, Cœnobij moderatrici euulgare. Visus statim loculus: contrectatum sæpissime, apertumque ab euntibus vltro, citroque viris, vt Mater monuerat, reperiunt. Qua propter quàm potuit decenter, pretiosa ea Lipsana curarunt: idque tumuli expoliendi, induendique nouo syrmate sacri corporis munus eidem Vincentię Constantiæ commendatum voluere. Neque verò eius officij immemor, aut ingrata fuit Maria. Enimuerò non post multò alio quidem oris habitu, ac fronte sereniore eandem nocte adolescentulam conuenit, ac disertè commendata, quam impendebat in sui corpus, opera, actisque prolixè gratijs, euanuit. Quo loco liceat coniectari, quo demum pudicitiæ flore, ac mundicie animum exornauerit Maria, vtque gallica niue purior illius mens fuerit, dum inter mortales ageret, quæ mortalitate defuncta adeò timuit, ne adspectu solummodò, afflatuque hominum extincti cineres contaminarentur.

Quod accuratè factum a Monialibus.

Visa deinde eidem Virgini lætior; acceptique beneficij gratias habuit.

In Orationis, ac contemplationis studio non est, quòd diutiùs immoremur: facile enim est ab eo candore mentis diuinorum commercium, allocutionesque cum Deo coniectari. Scitum namque inter ascetas est, purissimos quosque & accedere ad Numen propiùs, & contemplari impensiùs, & pijs commentationibus agi, rapique frequentiùs, ac feliciùs. Mariæ quidem ingens erat precandi studium, nec vllo vnquam externarum rerum auocamento, aut intermitti, aut distrahi visum, quin interdiù, noctuque diutiùs, atque intimè cælestibus inhęreret. Auctusque is ardor, postquam Beatus Pater Caietanus, ac B. Ioannes Marinonius Neapolim allegati, vt inibi domicilium figerent, admissi in eius Cœnobij curarum partem; admotique sanctimonialium conscientijs fuere: vbi Mariæ in primis pietatem, moresque experiri contigit; & vt ipsi erant cùm in omni genere virtutum, tùm in præclaro illo precandi studio insigniter, diùque versati, deuotam iam contemplationi eius mentem acriùs intendere; præceptisque animare vehementiùs ad beata illa animorum otia, ac cælestium familiaritatem occœpere. Quò verò hoc adiumento, suaque contentione euaserit Maria, quę sępius diuini Amoris argumenta, atque inter commentandum delicias promeruit, declarant: neque hæc ita dissimulanda nobis sunt, quin vnum, aut alterum exemplum in medium proponamus. a Nocte Christi incunabulis sacra post preces matutinas solenni Sacro intererat. Suauissima rerum facies, ac Dei vagientis historia tota animo inerrabat, & quà mysterij veneratione, quà ponderi deliciarum minùs sufficiens, prostrauerat sese humi: cùm cœlitum Regina spectandam se Mariæ dedit, ea vultus diuinitate, ac luce, vt intuendo impar esset: mox suaui quodam inuitamento, An, inquit, hunc, quem modò infantem peperi, amplexari cupis? Annuit illa, ac protensis confestim manibus, excepit sinu Numen, tenuitque inter innatantes mero melle, ac nectare affectus, quoad libuit; peractisque Deiparæ gratijs, Natum restituit, cuius impressa menti pulcherrima imago, ac species pectus assiduò, fibrasque omnes dulcedine inundabat.

Cum candore mētis coniuncta diuinorum contemplatio. Qua se insigniter exercuit Maria.

Maximè Thienæi, ac Marinonij ductu.

Cœlestes inter orandum blanditiæ.

a Ex eodem Hieron. Aug. Natalitia Christi nocte diuinum Infantem complectitur.

Iterùm, profundæ contemplationi in Odeo velificauerat, vt ascendentem Christum, cuius ea luce memoria solennis erat, prosequeretur, cùm ipse efferentem sese ad sydera Saluator, triumphali cultu magnificè paludatus, suo aspectu dignatus Mariam est; quę cùm arderet desiderio, aut euntem sequi, aut vt secum ipse, qui abiret, suum cor traheret, monita continuò fuit, duraret, quoad Patri, qui eam plurimum adamabat, placuerit. Interim inter plaudentium, ac fausta acclamantium choros Cœlum petens, salutari Crucis signo ipsi, & Cœnobio benè precari videbatur. His nempè diuinorum ac deliciarum incitamentis eius contemplationis studium augebatur, quibus etiam suas curas omnes, ærumnasque permulcere solita erat, ac vehemens præsertim desiderium temperare, quo abrumpi vitam, ac cælestem in thalamum immitti deflagrabat. An verò impetraret à Numine quicquid vellet, quę præclara hæc diuinę beneuolentiæ indicia promerebatur, si quis in dubium reuocaret, nescio an de Dei munificentia, amoreque congruenter opinaretur. Cæterùm id exploratum nobis est, eò virtutis, ac perfectionis Mariam deuenisse, vt nihil vmquam ita anxiùs peteret, vt impetrare peruellet; sed accōmodata ad diuinæ voluntatis normam oratione, nisi quod foret æternis legibus conforme, nihil vltra expetere videbatur. Ac dicere solitam accepimus, strenuos, piosque Dei seruos, plus capere voluptatis, cùm eorum Deus postula-

Saluatoris in cœlum ascendentis pompam videt.

Eius oratio efficax.

Sed diuinæ voluntati apprime conformis.

postulata non audit; quàm cùm compotes voti fiunt; nam cùm quod postulauerint, non impetrant; puta inter eas preces voluntas Dei lucet: at verò qui damnantur voto, exorantque omninò quod orant, ipsorum voluntati factum satis videtur.

Annis, ac meritis maturæ instat supremus dies.

Harum exercitatione, vsuque virturum ad profundam vsque senectutem vitam produxit Maria, vt non tam æuo, quam meritis matura, suo fato occurrerit. Quo quidem instante, mirum qua se religione, mentisque alacritate apparauerit, ceu patrijs penatibus longa post itineris incommoda, excipienda. Lustrata illicò, ac ritè sacramentis inter vberrimas sororum complorationes, quæ tantæ matris virtute, exemplisque destitui se acerbè admodùm ferebant; Quo rerum articulo illud commemoratione dignum accidit. Procuratis, vt diximus, sacris, concessa infirmæ, ac supremo pene spiritu colluctanti breuis quies. Addicta interim custodiæ est Agnes Carafa, Mariæ neptis, vix octennis puellula, quæ in eodem postea Cœnobio, solennia concepit vota, eiusque sæpius prefecturæ admota, rem communem ferè quoad vixit administrauit. Narrabat hæc porrò quàm sæpissime prædulci quodam animi sensu, quo tempore morientis Amitæ custodię relicta fuit, paulò post quàm reliquæ hinc moniales exirent, vidisse se nobilissimum Virginum cœtum, liberali quidem, ac venusta omnes specie, ac veluti supplicationem, instructo agmine, celebrarent, eam in cellam binas ingredi: quas inter erat & è laicarum sororum censu quędam, nomine Scholastica, quæ non ita pridem mortem obiuerat, ac solicitæ de ea Virgines erant, quòd correpta phrenesi non ritè expiari sacris potuerit. Igitur lectissimam aciem intuebatur Agnes, nec porrò efflagitare, quænam essent, curæ erat. Verùm, quod tanta oris festiuitate, cum minùs opportunum tempori videretur, accesserint; nec Amitæ suæ quieti parcerent, ausa est inter lachrymas, ac puellari simplicitate illas interpellare: Quid, inquit, meę custodię commendatam, ac modicè quiescentem excitatis? meę quidem partes sunt, curare, vt nullus huc cuiquam pateat aditus. Quarum quę vultus dignitate, ac luce prestantior ceteris videbatur, Sumus, inquit, filia, defunctę olim huius Asceterij Moniales, eoque huc consilio appulimus, vt egredientem Amitæ tuę, ac matris nostrę animam in cœlum comitemur. Scholastica presertim, quam nominauimus, ad illam propiùs vt accessit, iterauit sereniore vultu pluries, Ego sum Scholastica. Visumque euanuit. Conuenere mox eò Moniales, vtque expalluisse horrore quodam Agnetem viderunt, ecquid sibi accidisset, interrogarunt. Denarrauit illa, quod viderat, ac gratulatę in primis omnes, quod eo honore bonę Matris merita coronarentur. Tùm haud minima affusa omnibus voluptas est, quòd certior iam Scholasticæ salus. Nec post multò eo, qui supererat, spiritu adhortata ad exactam morum disciplinam, legumque obseruantiam moniales Maria, effusa in omnes erga Deum, vicinamque gloriam affectus, admirantibus, quæ aderant, opes animi, ac viuidum extremo eo temporis momento sensuum vigorem, placidissimè, ac quiescenti similis animam efflauit, die quarta mensis Ianuarij, anno secundo, & quinquagesimo supra sesquimillesimum.

Adest è Cœlo Virginum agmen, vt eius animam excipiant.

Quam ponit placidissimè.

Episc. Theatini ob sororis mortem sensus.

Episcopus Theatinus, qui tùm Cardinalis Carafa, & si oppidò tempestiuè occidisse virtus illa videretur, tamen quod ceu Matrem adamaret, ac veneraretur, peracerbè sororis obitum tulit. Additum verò Cœlo patrocinium, ac sydus tutelare ab eamorum integritate, ac sanctitate certò sibi persuasit. Et qui supremos postea Christiani Orbis fasces est consecutus, id sibi amantissimæ, sanctæque sororis precibus contigisse, non immeritò potuit æstimare. Nàm quamuis iam Orbis consensione, & cùm virtutis, tùm prouectæ ætatis suffragio maximo muneri longè par esset, tamen quòd ante sororis excessum eo sacrorum Principatu non fuerit inauguratus, id euenisse haud temerè quis dixerit, quòd nondum illud Cœlo illuxisset sydus, quod vigore, ac vi sua amplissimam Infulam adlaboraret.

Tribuendus eius precibus Ecclesiæ principatus.

a Omnia ex Hieron. Reger

Mira post mortē consecuta.

Portò, egregiæ virtuti contestandæ consecuta eius obitum quædam admiranda, quæ quidem ita litteris consignare animus est, vt nihil de sacris Pontificum sanctionibus detractum iuerim. Simplex namque rerum enarratio proposita stylo est. Cæterùm earum iudicium penes supremæ, Romanæque mentis censuram esto. Quod de plerisque etiam virtutum numeris, ac religione spectatissimis è nostratibus viris, quorum in his Commentarijs occurret mentio, præmonuisse opportunè hic volui: vt

Quæ ad Pōtificū ordinationum præscriptū narrantur.

memine-

meminerit lector, id meum esse institutum, vt intrà puræ historiæ fines scriptionem contineam.

Ergò quòd insolens, & paucis quidem mortalibus accidit, repertum diù post eius obitum integrum corpus, nec tempore, nec humidissimo, in quo diutiùs iacuerat, loco aliqua ex parte labefactatum; hodieque, qui quartus supra nonagesimum ab eius transitu annus est, nullo item libatum æuo, incorruptum, veluti adhuc viueret, cernitur. Quod tumulo post paulò sublimiore, ac decentissimè exornato exceptum, affixa insuper eius imagine, moniales, quorum in animis viuit admirabilis virtus Sanctæ Matris, sic enim passim nominant, summa veneratione, fusisque assiduò ad eam precibus, colunt. In quo illud præterea maximè admirandum, & quod fieri, nisi superiore quadam vi nequit. Dextera namque, totumque brachium suprà pectus fermè ad palmum sublatum pendet: compertumque est, principiò quidem, vtramque pectori manum, vt mos est defunctos componere, incubuisse, sed plerisque abhinc annis ad eum sensim modum, mensuramque, manum alteram mirificè elatam. Subducta verò ratione, id tunc accidisse Cœnobij seniores dicunt, cùm mutato viuendi ritu, abdicataque regulari paupertate, quam ipsa tantopere commendauerat, & ceu luculentum consequentibus Virginibus patrimonium legauerat, inducti census annui, sororumque dotes; perindè ac si elato brachio monere moniales voluerit, ne potiores paupertatis opes abijcerent. Quòd si mitiùs, vt par est, rem libet interpretari, atque ominari meliora. Certè, cùm Sancta Mater diras acerbiores, persæpè dum viueret, obnuntiasset, si quæ in paupertatis institutum ausa quid foret: cùm postea aliud, non quidem auri, viuendique splendidiùs cupido, sed necessitas, ac ratio viuendi genus suaserint, idque nec Deo improbari, nec sibi potuerit, elata manu, ceu securitatem spopondit: æquo nimirum animo essent, nec dictas olim imprecationes, ac minas suas pertimescerent, quando consilio, ac prudentia admissum paupertatis temperamentum eas absolueret. Quo etiam videtur polliceri haud obscurè, si quæ insuper Cœnobio immineant mala, suo ipsam brachio strenuè amolituram.

Integrū post mortem corpus.

Brachium supra pectus mirè sublatū.

Eius causæ.

Sunt porrò & alia, quæ sacro in eo pignore admiremur. Siquidem non longè post eius obitum visus è pede manare preiosus quidam liquor, manna non absimilis, quem vitreis exceptum vrnulis restituisse deinde non semel decumbentibus firmitatem, viresque corporis, compertæ fidei, ac seniores Monialibus affirmant. Feruntque potissimùm in Sancti Angeli exiguo quidem oppido Dæmones malos corripuisse ex ea gente plerosque, ac cœpisse immitiùs exagitare. Erant hi cuiusdam è Monasterij Laicis Sororibus consanguinei, quæ optimè cum gentilibus suis actum iri sibi persuasit, si salutarem illuc liquorem mitteret: fore namque sperabat, aut porrò exacturam rebelles eos hospites Sanctam Matrem, aut certè refrænaturam, ne adeò in obsessos impotenter desæuirent. Nec conceptam spem animo euentus fefellit. Enimuerò post legitimas euocationes, dirasque, vix inspersi eo rore arreptitij fuere, cùm indignabundi, inuitique mali genij Mariæ sanctitatem, cuius vi ab ea obsidione pellebantur, magnis clamoribus eiulgantes, ab ijs corporibus facessiuere. Quo mirum planè in modum propagata eo in Oppido in Sanctam Matrem, eiusque lipsana deuotio: propinatoque plerisque mox ægris eo alexipharmaco, omnes conualuere.

Liquor è pede manans.

Ægrotantib. salutaris.

In malos persertim Dæmones efficax.

Vim itidem in istiusmodi infernos hostes id adstruit, quod Episcopus Acerranus in nostrarum Historiarum supplemento narrat. Adfuisse ipsummet, cum Ioannes Paulus Montorfanus, Vir è nostratibus religiosissimus, ac grauissimus, qui Sapientiæ Cœnobij tunc erat à confessionibus, diuexatam malo à Dæmone mulierem sacrorum vi carminum adiuraret. Perurgebat ille quidem rebellem genium, vtque Christianis momentum adderet deuotionibus, tunicam, quam venerabilis olim Mater gestauerat, vt in energumenam inijceret, poposcit. Inclamare tunc illa, respuere supremis conatibus amictum, iterabatque sæpius, Illius fuit. Tandem iussa, vt indueret, vociferari vehementiùs cœpit, Ardeo, ardeo.

Eius tunica in energumenam iact.

Quædam item ex eiusdem Cœnobij Monialibus experta mirificè est præstantissimæ Matris præsidium, ac tutelam. Grauis quidem illam animi perturbatio, ac stimulus incesserat, nec vlla ratione restingui fax ea poterat, nec temperari, quamuis nullum non Cælitum adiumentum imploraret. Telum, quo acerrimè petebatur, ac factum

iam

Ab animi morbis conualuit eius ope Monialis.

iam penè vulnus aperire demum Confessario statuit, qui instinctu quodam Numinis eam ad venerandæ Matris sepulchrum prouocat. Iret ad sacram eius imaginem, ac pignus, afferret fiduciæ plenum, ac deuotum pectus, supplicaretque. Nihil cunctata; sepulchro se sistit Virgo, needum preces expleuerat, cùm difflatus turbo confestim præsens Matris subsidium commendauit. At enimuerò non diù post, quæ Dei arcana mens est, instauratis ceu viribus, eadem, sed praeferociùs tentatio secutam occupauit; simulque grassari vlcus pectore, cancro non absimile aduertit; vt quæ vix vni sufficere videbatur, geminam eam luem corporis, animique ferre se posse desperaret. Id verò modestissimæ Virginis pudorem maximè pulsabat, fore nimirum perneceßarium, vt quod marcebat, pectus medico aperiret. Ergo penè consternata, discerptum his curis animum iterum attulit Confessario, qui iussam bene sperare, erectamque, vt ab eodem itidem patrocinio opem peteret, non modò est adhortata; sed qua maxima potuit, auctoritate imperauit. Illa nocte appetente iterum ad Beatæ Matris tumulum, & quæ gemino, vt diximus, corporis, animæque malo diuexabatur, preces duplicauit; quibus & pondus addidit non modica quidem vi lacrymarum. Vt prolixiùs oratum, quod prouecta iam nox esset, vt in cellam se se reciperet, mulceretque somno curas, suasit tempus. Itaque dormienti visa sibi sub auroram adstare Mater, fronte quidem supra fæminam, ac mirificè comis. Ecquid, inquit, me externo vespere effusa in preces, ac lacrymas largiores rogabas? Cumque illa suas iterum molestias animi denarraret, proximè accedens Mater, admotaque clementer manu, læsi pectoris partem tetigit, monuitque, vtroque iam morbo defunctam. Expergiscitur interea temporis, & quæ animum diuerberabant, vrebantque molestißimæ cogitationes, inducta mentis tranquillitate, ac pace, consopitas sensit: mox pectore exploráto, nusquam morbi, pestisque adolescentis vestigia. Quarè salutem gratulata, liberatrici suæ litare quæsitißimis gratijs maturauit, accensa insuper ad sepulchrum face.

Quæ grauius iterum conflictata.

Curatur iterum.

Plura adhuc essent recensenda, quæ præsentem eius intercesßionem, ac lipsanorum vim subindè mortalibus adprobarunt. Sed parcimus adscribere, ne diuertere nimiùm videamur. Nunc iterum ad Monasterium, quod tam insigni optimæ Matris pietate, ac documentis formatum, nunquam profectò egregijs successiuè exemplis, atque omni virtutum genere non effloruit. Nec animus quidem est, eas omnes percensere, quæ stirpe generis, ac rerum humanarum scena, ac pompa omni celsiores, vitam in hoc Cœnobio sanctißimis moribus, atque humillimè traduxere: integram namque tam multiplici, spissæque virtuti adornare Historiam oporteret. Gens præcipuè Carafa in lectissimam, ac lætissimam hîc statim sobolem euasit. Planè, vindicare id sibi Asceterium iure quodam amplissima ea Gens videtur. Siquidem cœptum, vti significatum est, ab Oliuerio Cardinali Carafa formandis ingenijs studiorum domicilium, Maria Episcopi Theatini fratris auspicijs, ductuque, Oliuerij eodem ab stipite consanguinea, sanctiorem in vsum commutauit, absoluitque. Eapropter Auctorum merito æquum erat, vt eius stirpis pietas pulcherrima hîc indole pullularet. Quæ prior seueriori disciplinæ nomen dedit, duxitque cognatum nobilißimarum Virginum agmen, ea fuit Petronilla Carafa, Pauli Quarti Pontificis, ac Mariæ Neptis, Ioannis Alphonsi Montorij Comitis ex Catharina Cantelma filia, quam Religiosa in primis humilitas, ac paupertas eximia commendarunt.

Sapientiæ Cœnobiũ vt præclaris exemplis floruit.

Gens Carafa iure quodam id sibi Collegium vindicat.

Pleræque ab ea stirpe insignes virtute Virgines.

Maria Carafa Pauli IV. Neptis.

Consecuta Maria Catharina, Ferdinandi Montorij item Comitis, Pauli Quarti, & Mariæ Nepotis filia, Religionis legibus, ac perpetuæ Virginitatis sacramento, Parentum ingratijs authorata; qui cum vnicam filiam paternarum opum, ac titulorum hæredem amplißimo connubio iam destinarent, ipsa pulchra seruitute inter dicatas Deo Virgines regnare, quàm speciosa dominatus larua mortalibus deseruire maluit. Vitam nulla austeriùs instituit: non lectus, non culcitra Virgini delicatißimæ, nuda semper cubabat tabula, proscripta prorsus carnium illecebra: in abiectißimum quodq. Cœnobij munus incumbere: corpus asiduo verbere incessebat, cruentabatque; nunquam antelucanis visa precibus defuisse: interulam laneam, vel quando cum ægritudine conflictabatur, intermittere religio illi erat. Hisce afflictationibus exhaustus vultu color, accisæque corporis vires: quare mortem sibi, ac æuiternitatem maturauit.

Maria Catharina Pauli IV. Neptis.

Mundi illecebras egregiè aspernatur.

Eius austerior vitæ cultus.

Et pia mors.

Sub

Sub idem fermè tempus geminus, idemque lectissimus Virginitatis, ac nobilium puellarum flos ab Antonio Carafa, Montebelli Marchione, Pauli IV., ac Mariæ item Nepote Sorores, Constantia, & Agnes Monasterium iniere. Illa octennis, hæc quinquennis matura vtraque moribus illibatæ indolis primitias Deo consecrarunt. Et Constantia quidem in eius Collegij prudentissimis numeratur: instituti apprimè tenax, ac monitrix; vt quam ob morum suauitatem amarent Moniales, eandem ob disciplinæ obseruantiam, quàm acerrimè tuebatur, pertimescerent. Præfecturam verò loci, quæ eius erat humilitas, strenuè semper detrectauit: & ne ad eam aliquando capessendam adstringeretur, cauetat sibi Pontificis diplomate. Agnetis verò adultam vel ab infantia virtutem satis explicauerit, quod supra memorauimus exhibitum illi defunctarum Monialium spectaculum, dum morienti Amitæ excubaret. Eius porrò indoles adeò feliciter in pulcherrimam pietatis frugem efflorescebat, eoque induendæ Religionis studio deflagrabat, vt vix duodennis, quod insolens omninò erat, religiosum habitum promeruerit. Sub ipsum autem vouendi virginitatis articulum habuit profectò quo ingentes animos, addictamque Numini celsissimam mentem egregiè demonstraret. Enimuerò, cùm Paulo Pontifici illam Ferrariæ Duci splendidissimè despondendi oblata occasio esset, adlegatus Neapolim est Vir honestissimus, vt Puellæ voluntatem exploraret, aut flecteret. Timere Moniales, ne aut Pontificis auctoritas, aut internuncij facundia, ac solertia, aut denique nuptiarum splendor, ac pompa constantissimam Virginem expugnarent. Agnes, quo erat paupere eo Religionis habitu, ac vultu quidem ab assiduis corporis afflictationibus exangui, sed qui ingentem præseferebat fortitudinem, hominem excepit. Audita vix legatione, ac planè diserta, rem paucis diremit. Magnifica quidem abundè esse, quæ proponerentur, sed quæ animum suum numquam profectò caperent. Mirari verò se id cœpisse incommodi, vt Roma Cœnobium illud adiret, quando scire liquidò poterat, Deo sponso curas suas omnes, ac studia se dedicasse. Monitam in primis Sanctitatem suam velle, se vel clarissima Regum connubia, ac sceptra semilaceræ, quam gestabat, tunicæ, ac decoræ, quam conceperat, seruituti fore semper longè posthabituram. Hęc quàm breuissimè; subduxitque se illicò; ac visus Pontificis interpres, simul ad puellæ animos expalluisse, erubuisse ad triumphos. Sorores verò, quæ suspensæ admodum rei euentum expectabant, nimiùm quantùm gratulatæ Cœnobio sunt; ceu tùm maximè insignem, ac tanti spiritus, vigorisque Virginem adeptæ. Hisce pietatis initijs responderunt deindè in reliquo vitæ cursu adamussim omnia. Nihil Agnete, vel cum alijs suauius, vel secum ipsa asperius: nullam actuosiorem dixisses, nullam tranquillioris vitæ studiosiorem. Aut legere, aut piè commentari, aut lucubrare acu successiuè cernebatur: suæ manus studia, atque opificia concinnandæ, adornandæque cuidam Deiparæ Virginis Aræ, quæ propter Cœnobij Valetudinarium erat, dedicauerat; vt singulare in magnam Matrem obsequium contestaretur. Monasterium integrum Nouennium administrauit prudentia singulari, ac omnium commendatione, plausuque. Defunctam profunda senectute, ac meritis plenam communi adhuc desiderio prosequuntur.

Constantia, & Agnes Pauli item Neptes.

Constantia disciplinæ tenacissima.

Ne ad præfecturas adigeretur diplomate Pōtificio se munijt.

Agnes Ducis Ferrariæ nuptias respuit.

Vt eius rei nūcium habuit.

Eius in Cœnobio mores.

Egregium harum exemplum secutum mox nobile Sororum par, Ioannis Carafæ, Paliani Ducis, Pontificis Nepotis filiæ, Maria, & Paula, quæ in rebus mortalibus triumphandis vitæ præclara quadam contentione decertasse. [a] Mariam Ducis Aurelianensis, Henrici Secundi, Gallorum Regis filij coniugio, fama est, Paulum Pontificem destinasse, ac confecta penè res erat. Sublato Pontifice, nuptiæ cum Hostiliani Principe, iuuene opibus, ac titulis longè florentissimo transigebantur; quibus, quòd puriore flagraret igne, adduci Maria nunquam potuit, vt adnueret. Illudque in primis memoratu dignum. Adornauerat non sine consanguineorum consilio dolum Princeps, vt in Monasterio Sapientiæ incautam, recusantemque interciperet Puellam. Perijt illa, vt accedentem velut ab insidijs, admouentemque iam manus, Principem vidit; quarè turpe putans, tàm proxima adflari lue pudorem suum, veluti à facie colubri dilapsa, dictò citiùs fugit; relicta insuper inter Principis manus stola, numquam violandæ virginitatis indice. Mox in eodem se Cœnobio sponso Deo consecrauit, æquauitque laudabilem vitam pretiosa morte. Paula verò nuptias item quàm.

Maria, & Paula Paliani Ducis filiæ.

[a] Ant. Carac. Vit. Paul. IV. M.S. lib. 4. c. 2.

Prior, Ducis Aurelianēsis, Galliorū Regis filij nuptijs destinata. Mox Hostiliani Principis. Quod strenuè auersatur.

Et Monasterio Sapientiæ dat nomen.

quàm amplissimas aspernata, virtutis, vitæque iter iisdem cum Sorore vestigiis est emensa. Dedere & aliæ annis consequentibus ex ea gente Carafa eidem disciplinæ nomen, omnique virtutum laude insigniter claruere. In primis Maria Carafa ex splendidissima Hostiliani Principis Domo, Andriæ Ducissa, inter Principes fœminas numquam satis dilaudanda, Cœnobium, non luce generis, aut nominis claritudine, sed insigni abiectione, contemptuque sui illustrauit. Cuius planè transmissi persanctè in hoc Asceterio dies non cursim delibandi, sed narrationem paulò diffusiorem exposcunt, quam in loco adornabimus. Iam, & alias etiam memorare par esset, quæ ex omni fermè, eaque præcipua Neapolitana nobilitate laudatissimæ Matris exempla, ac Monasterij disciplinam expressere sanctis moribus, atque omnigena virtute: sed vix inire earum numerum quis posset, nec tàm longè à nostro instituto diuertere animus est. Mariam Constantiam Piccolomineam, Amalphi olim Ducissam, quà natalium, quà virtutum splendore longè ornatissimam, vel sanctissimis exacti æui fœminis, pietate, munificentia, despectione sui, mundique comparandam, optimè in primis de nostra Congregatione meritam, prætermittere, nec æqui, nec grati animi esset. Quarè tantæ virtuti fusè explicandæ opportuniorem nacti locum, suo veluti in vmbone præclaram statuam decenter collocabimus. Atque hæc quidem de Cœnobio Sapientiæ, de quo redibit fortasse hoc eodem in libro sermo.

M. Carafa Andriæ Ducissa mundo renunciat.

Maria Constantia Piccolominea, Amalphi Ducissa, eandem Sapientiæ disciplinã capessit.

At enimuerò, quia statuimus supra, non potuisse hoc anno Episcopum Theatinum in noui huiusce Monasterij institutione ipsummet Neapoli Sorori adesse, vt erat profectò in votis, eò quòd varijs, iisdemque grauissimis negotijs Venetijs distinebatur, poscit iam locus, vt ea enarremus. Et quidem frequentes hoc anno hærere sum, morumque censuræ, ac mulctæ contigere. Addita in primis fratrum Minorum, quos ab Obseruantia nominamus, in Veneta ea Prouincia reformatio, cui perficiendæ à Pontifice admotus, quòd longè, latèque peruagata, illius disciplinæ inclinatio, ac labes esset, grauissimam omninò prouinciam subijsse sibi visus est. Nec parum illi attulit molestiæ, quòd interceptus tùm morbo, tùm honestissimis occupationibus, interesse hoc anno Comitijs Vicentinis non potuerit. Sperabat namque fore, vt cœptum eius reformationis opus egregiè inibi promoueret. Quarè compositis ad Generalem Ministrum, qui Capitulo aderat, litteris, eum adhortatur, vt adumbratæ iam, designatæque à se Ordinis emendationi ipse, & qui Prouinciam procurabat, Vir integerrimus, supremam manum adderent: scripsitque in hæc verba: [Vobis omnem hanc Prouinciam relinquimus, & tibi in primis, mi R. Pater, qui hanc causam propè desperatam, & nonnullorum hominum cupiditate, atque improbitate obsessam, & oppugnatam, virtute, ac diligentia tua cum magna Reuerendiss. Cardinalis dignitate, atque huius inclyti Senatus gratia ab interitu reuocasti. Itaque mihi fortè inchoati, tibi verò perfecti huius operis palma debetur.] Et quòd de ipso Generali Ministro in ea plerique Veneta Prouincia acerbissimè conquererentur fratres, adeòque in ipsum inueherent, vt impingere grauia non dubitarent; & ipse vicissim Minister eorum quàm plurimos incusaret; ac proindè pulcherrimo inter præcipuas corporis partes fœdere abrupto, Ordo vehementer perturbaretur: commendata itidem à Pontifice Carafæ res est, qui instituta quàm diligentissimè quæstione, negotium explicauit summa fide; & cùm rei statum, tùm quæ præsentissima admouerentur remedia Pontifici prudenter significauit.

Episc. Theat. grauissimis implicatus curis Venetijs.

Reformationi Ordinis Min. de Obs admouetur.

Dissidia in eo componit.

Iam verò, præter Romanæ Sedis mandata, quæ in ea temporum inclinatione & ardua, vt significauimus, & assidua erant, nec minoris quidem ponderis, nec pauciores Carafam occupationes aliæ Venetijs distrahebant. Ea namque erat integritatis, ac prudentiæ fama, quam sibi, vel suopte ingenio latens Episcopi Theatini virtus excitauerat, vt non modò priuatus quisque domesticis illum in rebus, ac formatione morum consuleret, sed magnis etiam inclytæ illius Reipublicæ curis adhiberetur. Enimuerò plerique ex ea nobilitate Viri grauissimi, ac magni natu retulere sæpiùs Nostratibus, se suorum Maiorum testimonio compertum habere, Episcopum Theatinum, vnum è Tolentinatum Institutoribus, sic enim nos Clerici Regulares Venetijs audimus, vsum præcipuè perquàm familiariter Clarissimis Contarenis, à Scrinijs nuncupatis, eorumque commendatione Andreæ Gritti Principis Serenissimi gratiam inijsse:

In curarum partem adsciscitur à Veneta Rep. Carafa.

Contarenis, & Andreæ Gritto Principi percarus.

ſe: cumque eam eruditionem, vſumque rerum, atque eloquentiæ laudem, quam ſama euulgauerat, tùm Principi, tùm cæteris approbaſſet, accitum perſæpe in Senatum, vt ceu rerum humanarum conſultiſſimum, addictumque cum paucis rei Venetæ, conſultantem, dicentemque coram de publicis eius Dominatus commodis, momentiſque rerum audirent. Neque verò tam ingens de eo inclyti Ordinis opinio vnquam fuit, quin illam dicendi maieſtate, ac pondere non æquaſſet, auxiſſetque. Delectum propterea ab ampliſsimis Patribus non ſemel obortis controuerſijs componendis, memoriæ proditum eſt; ac in epiſtola quidem ſub id fermè tempus ad Gibertum data, narrat ipſemet, audiendis quibuſdam quæſtionibus, ac diſsidijs Senatus conſulto deſtinatum; quæ quòd ad Veronenſem Eccleſiam pertinerent, teneri ſe, ait, ea de re certiorem Antiſtitem facere: tùm quo eum affectu Princeps proſequeretur, & quàm de eius conſilio, animique præſtantia honorificè ipſe peroraſſet, diſertè, ac fusè in ijs litteris teſtatur.

Auditurq; ſæpe in Senatu à Venetis Patribus.

Dirimendis controuerſijs adhibetur.

Illud profectò maioris cùm fiduciæ, tùm exiſtimationis teſtimonium. Enata hoc anno inter Rempublicam, & Ferdinandum Auſtriacum, Comitem Auſpurgenſem, ac mox Romanorum Regem, demum Cæſarem, grauiſſima lis eſt: fortè de terrarum confinijs, aut aliquo iure poteſtatis certabatur: vtque ſimultates, & arma partes anteuerterent, diſsidium grauiſſimorum hominum iudicio placuit dirimere. Lecti controuerſiæ arbitri, compertæ prudentiæ Viri tres; nempe, Epiſcopus Polenſis, Pontificis Legatus ea tempeſtate Venetijs, Epiſcopus Salernitanus, è Gente Adorna, & Ioannes Petrus Carafa, Epiſcopus Theatinus. Hæc ex Paulo Paruta, qui preſſiùs rem innuit potiùs, quàm narret. Ex quo tamen eſt coniectari, quàm magnificè de Carafæ in rebus agendis prudentia, ac dexteritate ſentirent Veneti Patres, quem non Eccleſiaſticis modò, ſed ciuilibus etiam, ac magnis curis parem eſſe exiſtimabant.

Ijs præcipue, quæ erant inter Ferdinandum Auſtriacum, & Rempub.

Porrò quod ad res Eccleſiaſticas pertinet, cum verſaret ſeriò, conſuleretque Reſpublica, quid de Religione, ſacerdotijs in primis, ac Epiſcopis, Venetiſque Cardinalibus ſtatueret; tantum Epiſcopi Theatini eruditioni, ac fidei tribuendum putarunt, vt rogatum ipſum voluerint, ſuam vt ijs de rebus ſententiam lucubraret, ſcriptamque afferret Senatui. Commentatus ille eſt planè luculenter, ac fusè, habeturque ea conſultatio inter monumenta Flaminij Philonardi, Epiſcopi Aquinatis, quam Antonius noſter Caracciolus ab eodem Antiſtite ſibi creditam, raptim legiſſe, nec factam exſcribendi facultatem affirmat; dignam verò eſſe excellenti Viri eruditione, ac eloquentia, atque hæc potiſſimùm, quæ memoriæ inſederint, capita ſuadere, In ſectandis maximè Nouatoribus, ac iugulandis hæreſum monſtris ſtrenuè aduigilarent: non modò animos afflatu ſuo perfidiam perimere; verùm florentiſſima etiam Regna labefactare; ac ingentium Rerumpublicarum moliri caſum: inducijs præſertim, ac mora vel exigua hæreſeos mala conualeſcere: proindeque vt conficiantur, non expectandam maturitatem. Ad hæc, Sacerdotia, eorumque cenſus non intra paucorum opulentiam, aut auaritiam concluderent, ſed ex æquo pluribus diuiſa, & multorum merita alerent, & obtrectationes, atque odia præciderent plurimorum. Tùm, præfractæ Græcorum petulantiæ inijcerent frænum, nec niſi Catholico ritu ſacris operari, nec doctrinis, niſi quas Romana fides ſanciret, propinarentque, vti ſinerent. His, atque id genus alijs monitis, quæ egregijs ſubindè argumentis prolixè confirmabat, ſententiam dixit Carafa, qui perhonorificam, quam de eo Senatus opinionem conceperat, ac beneuolentiam, qua ſe affici continenter inſpiceret, ingenti in eandem Rempublicam ſtudio, affectuque compenſabat: illamque Itali nominis ornamentum, ac decus, libertatis domicilium, fortiſſimumque in barbaros propugnaculum appellare ſolitum accepimus, ac numquam non ſummis laudibus attollere videbatur, & illam intra faſtum maieſtatem Ordinum, & caſtigatum moderatione ſplendorem Ciuium, & quæſitiſſimam in exteros magnificentiam, & æquitatem, libramque fori, & pacis, bellique firmamenta.

De rebus Eccleſiaſticis ſententiam in Senatu rogatur,

Quam ſcriptis diſſert.

Subdiditque præclara in rem Veneta monita.

Carafæ de Rep. Veneta laudes.

Qua verò ope, ac præſidio adeſſe ipſe tantæ Reipublicæ poterat, eiuſque dignitatem, & commoda, Religionem præſertim tueri, id impigrè peragebat. Quocirca diligentiſſimè excubabat, ne qua ampliſſimam Vrbem, Ditionemque hæreſis inficeret; vtque exempla ſceleſtorum, ac doctrinarum venena maturè pulcherrimo corpori ca-

Eius Religioni excubat.

ri caueret, monebat identidem Pontificem, qui reuelli mores praui, bonique induci, ac seruari purior fides, ac Religio inibi posset: vt videre est in diserta ea lucubratione, quam fratri Bonauenturæ, Minorum de Obseruantia Prouinciali Ministro dedit, & nos supra meminimus. Persimilis ferè argumenti plures apud nos extant litteræ ad Gibertum, Veronensem Episcopum, quibus non modò fidei puritati, sed & Veneti imperij, ac populorum securitati præclarè consulit. Et in ea præsertim epistola, planè luculenta, quæ incipit: Non mihi si linguæ centum sint, rationem egregiè init, qua possit Pontifex eius Reipublicæ beneuolentiam, ac fidem demereri; nempè si id curet, quod Christi Vicarium decet, vt Ecclesiæ filij tuti in ea degant, nec sibi, suisque bonis, & commodis timeant: vbi argutam illam, grauemque de more sententiam scripsit: numquam laudabilem fore politicam, nisi Oeconomicæ stet sua laus. Scilicet, vt Orbem cum laude regat Pontifex, Principes vt filios habeat, eosque ita in suo ipsorum principatu contineat, vt simul ceu Paterfamilias & tuetur, & amet. Id quod & Socrates apud [a] Xenophontem innuisse, memini, (bonos, inquiens, Patresfamilias bonos Imperatores futuros. Quòd autem nullam iuuandæ Reipublicæ occasionem prætermiserit, illud præterea argumento fuerit. Nam cùm sub id tempus fato concessisset Episcopus Polensis, Sedis Apostolicæ ad inclytum Senatum Nuncius, quòd probè sciret, quanto cum hæresum incremento, qua Reipublicæ perturbatione, qua fraude populorum, ac morum labe, publico muneri quis non eius eruditionis, zelique Vir succederet, arrepto ipse calamo, dante animos eo, quo in Serenissimam Rempublicam, eosque populos studio deflagrabat, litteras ad Pontificem dedit, quibus Gibertum Episcopum Venetæ legationi ita proposuit, vt res ipsi Giberto clàm omninò esset. Nam cùm exploratum haberet, id illi fore minus gratum, consulere publicæ Venetę rei, quàm amicissimi capitis tranquillitati, ac genio maluit. Nempè, qui ob tot amoris, fideique argumenta summo loco apud illos Patres erat, ceu non vltima iam Reipublicæ pars, in eius semper dignitatem, ac decus collimare, ac gnauiter incumbere suas esse partes existimabat.

Ad Pontificē monita de Veneto Senatu demerendo.

a Lib.3.mem.

Gibertū Venetæ legationi idoneum putat,

Ac Pontifici significat.

Iam verò, quòd Contarenos à Scrinijs meminimus, eorumque in Carafam beneuolentiam, narrare hîc opportuniùs ducimus, quod Dionysius Deutice, Vir ex nostris à sacræ eloquentiæ fama percelebris testatum sincerè non modò voce, sed & scripto voluit. Anno scilicet huius Seculi, in quo viuimus, in magni Ieiunij ferijs Conciones habuisse Venetijs in Insanabilium Nosocomio, quod Thienæus noster fundauit: ac tùm quidem Franciscum Contarenum à Scrinijs, Virum natalibus, ac virtute prænobilem hæc sibi summa fide retulisse: accepisse nempè se è maioribus, quo tempore Venetijs agebat Carafa, Contarenis quàm familiarissimus, eorumque à Consessionibus, natam in ipsorum domo puellam, atque impetrasse ab eo parentes, vt è sacro illam fonte susciperet: cumque de nomine ageretur, ac iam animo auita quædam appellatio sedisset, rogasse ceu futurorum præscium Carafam, vt Concordiam nominarent: futurum namque fortassis, vt numerosior ab ea Soboles, ac nepotum series existeret, qui singulari quodam concordiæ exemplo, opum, domus, & quod caput est, animorum communione, nexuque diù viuerent. Id quod periudè accidit: enatis à Concordia Contarena filijs, ac subindè nepotibus, qui insigni cum germanitatis laude communi diutiùs patrimonio, eademque in domo vnanimes habitarunt. Commemorare hæc de Carafa sine magnę virtutis admiratione Franciscus Contarenus non potuit, addiditque plura cùm in Remp. Venetam, tùm in suam domum eius merita.

Quidā in Carafa futurorū sensus.

Ab externis modò curis, quę obibat egregiè Carafa, ad rem Theatinam reuertamur. Expleuit hoc anno, idest, labentis Seculi trigesimo Præfecturæ vices Thienæus; quo quidem auspice, ac moderatore auctum mirificè strictioris paupertatis studium, ac disciplina morum est: cùm in eo ipse munere administrando nullum non virtutis, ac prudentiæ specimen dederit; insigni præsertim temperamento auctoritatis, qua præerat, & humilitatis, qua se postremum omnium censeri vellet: visumque profectò est, vt æquè illi omnes, ac ille omnibus subesse percuperet. Intra hanc eius Magistratus trieteridem memoranda ea pestilitas accidit, quæ vt communis ferè Europæ fuit, ita & Venetijs etiam implere scenam suam visa est, planè luctuosam.

Magistratu Ordinis defungitur Caietanus.

Pestilentia Venetijs grassatur.

Læsi Numinis argumenta isthæc in homines mala sunt. Scilicet, cum abstergere perbenignè noxas mortalium minimè potest diuina Bonitas, nocentes ipsos suo cum scelere seuerè abradit, moliturque auctori criminis exitium, quod crimini dumtaxat vellet contigisse. Igitur grassabatur publico funere Venetijs lues, & qui vertere in suæ pietatis argumentum aliorum calamitates, atque infortunia egregiè nouerat Caietanus, siue fructu, exemploque elabi cladem, ac vastitatem Vrbis non est passus. Enimuerò horribili ea rerum facie, metuque nihil deterritus, cui aliena salus, quàm sua, longè potior, in ea sese vitæ discrimina alacriter iniecit. Præire ipse suis Clericis, quorum plerosque præclaro in eo opere socios habuit, & commilitones. Quò eos ægrotantium necessitas compellabat, ceu amuleto aliquo securiores, accurrere intrepidi, præsertim suis manibus opem afferre, corpora, quibus poterant, præsidijs impensiùs curare. Animos in primis iuuare, consilium, & votum erat; adhortatisque ad tolerantiam decumbentibus, eam præcipuè curam intendebant, vt Sacramentis ritè expiarentur, conciperentque bonam spem vitæ melioris. Rarissimum id profectò ad desudandam eamdem operam exemplum, atque incitamentum plerisque ea in Vrbe fuit. Nostrorum verò hominum lateri addita hinc est hæreditaria quædam fax in hoc genere, ac studio charitatis. Tanti siquidem Capitis, primorumque Patrum documento, si qua vspiam istiusmodi sese obtulit vouendi capitis occasio, nunquam enimuerò visi sunt Nostrates arenam detrectasse. Id quod difficillimis, ac deploratis planè temporibus in præcipuis Italiæ Vrbibus accidit, Patauij, Mediolani, Genuæ, Panormi, & nos in loco commemorabimus.

Quid in ea Caietanus, ac socij.

Exemplo alijs fuere.

In eo morbi discrimine hæreditaria nostratum charitas.

At enim non sola Italiam diuexauit pestilentia, verùm incredibilis etiam annonæ caritas malum cumulauit; quæ quidem fames, quamuis Italicas Vrbes omnes penè supra fidem exerceret, Venetijs tamen singulari quodam amore Numinis, ac prouidentissimi Senatus cura, minùs visa est desæuisse. Quare cum ingens passim inopum numerus, veluti in commune perfugium eò conflueret, pulcherrimus sese Thienæo campus ostentandi magnificè hoc aliud charitatis genus aperuit. Ea namque temporum difficultate, ceu non tàm Clericorum, quàm pauperum Pater, nihil domesticæ rei, suorumque solicitus, princeps illi studium erat, aduentantes inopes, enectosque fame alere. Quo quidem loco diuinam erga nostram Sodalitatem, atque inusitatum paupertatis genus Dei prouidentiam quàm optimo iure attollunt scriptores nostri. Familiam siquidem, quæ nec certis censibus, nec stipe emendicata, sed sponranea viuit piorum liberalitate, neque Romæ hærere, vbi communis ea fames acrior, neque Neapolim contendere, quò Nostrates cogitabant, vbi non impotentiùs quidem annonæ penuria dominabatur; sed Venetias appellere, arcana quadam vi rem adgubernante, Dei benignitas iussit. Vt scilicet qui incipientis Sodalitatis flos alibi locorum suprema egestate elanguisset, Venetijs, Cælo non tàm aspero, aduersoque adolesceret; ac tùm primæua Patrum spes tàm luculenta diuinæ prouidentiæ significatione habere in pretio paupertatem suam disceret; tùm posteri condocefierent, nunquam nulla temporum, rerumque angustia fore, diuina munificentia, curaque deserendos.

Annonæ item caritas in Italia.

Thienæi in pauperes beneficentia.

Et Numinis in nostrum Ordinem prouidentia.

Quæ Venetias nostros duxit, vbi minus inopiæ.

Inter hæc pietatis, ac virtutum officia defunctus, vti significatum est, suo munere Caietanus, Septembri mense eiusdem anni, in quo versamur, vt iam mos obtinuerat, inita de successore consultatione, communi votorum suffragatione crescenti Sodalitio iterum imponitur Epis. Th. Scilicet, hoc est, bonos merito virtutum præfecturas adire, vt cù laude, plausuque teneant, exuant desiderio, ac mœrore omnium; & si quando iterùm licet, eundem in locum impellantur vel inuiti. Planè vt succedere in Congreg. procuranda Carafæ nemo digniùs poterat, nisi Caietanus; ita Caietanum vicissim subsequi Carafa ipse debuerat, cui regularis obseruantiæ non vtcumque cultus curæ erat, sed rigor, votæque præsertim inopiæ studium ingens. In veste, vt mundicies, ita eximia paupertas, velut Infulis potior, ac pretiosior, cordi erat; eundemque in alijs indumentis modum, intimo quodam paupertatis sensu, exemploque suadebat. Victus etiam parsimoniam, cognatam contemplationi virtutem, ac bonæ mentis effectricem, mirum quantùm commendatam publicè, priuatimque voluit. Vtque ciborum à se scitamenta omnia proscripserat, ita si quam gulæ curam aduerteret in alijs, ceu laxioris vitæ, ac vitiorum rudimentum, acriter insectabatur. Nec

Carafa iterù Ordini præficitur, Comitijs an. 1530.

Regularis obseruantiæ in eo cultus.

Gulæ studiù vt oderat.

prætereundum omninò est, quòd eijciendum è nostro Ordine tyronem quendam duxit, quòd auidiùs fortasse incubuisse in cibos viderat. Nam qui prudentissimus erat morum inspector, ac Sanctorum Patrum documentis apprime eruditus, certò sibi persuasit, nec frugi hominem, nec religiosæ disciplinæ, laborumque patientem fore, qui propensiore in gulam genio, non se intra temperantiam contineret. Atque hæc quidem Episcopi Theatini germana in regenda Sodalitate, disciplinę ratio; hi intra domum, ac cœtum mores, quibus procurandis sufficiebat anxiùs vires, quamuis assiduis, plerisque occupationibus, de quibus fusè memorauimus, foras distraheretur.

Tyronem è Congregatione eijcit, quòd gulæ procliuior.

Perculit sub hoc fermè suscepti muneris initium Carafam viri ex illustri Religiosorum Ordine celebris, suique perquàm familiaris casus. Nostri hunc Commentarij Baptistam nominant, neque aliam præterea viri tesseram, ac notam addunt, nisi quòd pietatis, atque eruditionis opinione, publicis in primis declamationibus, ac senio conspicuus in ea Veneta Prouincia erat. Is igitur, cum aliud quodlibet ab eius doctrinę, famæque celebritate amici, & qui erudiendos sese eius virtuti tradiderant, expectarent, instituti pertæsus, à suo Ordine, magno cum nominis dehonestamento, turpissimè desciuit. Et quamuis pedem mox retulerit, cumulabat nihilominùs crimen perfricta fronte, qua excusare, ac tueri scelus, datis ad amicos litteris, per summam impudentiam est aggressus; trahebatque magis in lucem, ac scenam culpam suam, dum tegere excusatione conaretur. Quarè castigandam amicè viri confidentiam, suæque menti restituendum acriori epistola duxit Carafa, in qua fanè videri est eius & ingens zelus, & auctoritas, dum tàm prouectæ ætatis, ac doctrinæ virum tanta Apostolici spiritus contentione, atque asperitate dictionis compellare, & corripere non dubitat. Non abs re autem fuerit, litterarum, quæ robusta quadam eloquentia, atque ardore zeli plenissimę planè sunt, particulam hic in Latinum translatam, adnectere. Igitur postquam breuiter, quænam fuerit scribendi ocasio, & causa, præfatus est, hęc vehementer, & quàm grauissimè monet. [Ne tu tibi ipse imponas, mi Pater, at scias peruelim, præceps consilium, in quod non ita pridem ruere visus es, ingenti omnibus admirationi, ac scandalo iure meritò fuisse. Religiosum quippè virum, ea canitie, ac fama, post exactum præclaro in Ordine tot annorum cursum ab eo desciuisse, ac sine morum suorum teste, ac inspectore agere in domo mulieris nobilis, iuuenis, spectabilis formæ, bigamę, viduę, liberę, opulentę, nec optimæ omnino mentis, in qua bonum perindè, ac malum pertimescendum, ob eius potissimùm sexus, ac iuuentæ lubricum, turpissimæ profectò rei faciem repræsentauit. Secundùm hæc, haud minùs indecorum illam velut in triumphum in publica hominum luce, ac frequentia Mediolanum ducere, ibique eam officinam, forumque patuisse, vt nisi tempestiuè diuina Numinis bonitas malo consuluisset, consecutum planè non exiguum Christiani nominis dedecus foret. At enimuerò cum Dei pietas adspirauerit iam, ac veluti crine arrepto, ab eo te vi quadam labyrintho reuocauerit, quò malus dæmon compegerat, reddideritque Matri tuæ, quæ & enixa te est, & tot annos aluit, rem quidem, nec decoram magis, neç Deo gratiorem, nec vtiliorem Orbi vnquam facies, quam si temet, culpamque tuam recognoueris, ac ceu transfugam, ac desertorem Crucis, graui animaduersione dignum reputaueris. Contra verò nihil planè turpius, ac perniciosius conaberis, quàm crimini excusationem prætexere, ac querimonias habere, quod amici culpæ tuæ non fauerint. Enimuerò nullum hominum ingenium, aut ars argumenta excogitauerit, quæ absoluere id scelus possint, aut honestare, quod non modo sacræ scripturę, & Apostolorum monita, & Sanctorum Patrum instituta, & scita Canonum, & omnium instituta Ordinum, & bonorum sensus, ac consuetudo, sed & is ipse insitus à natura homini pudor, ac modestia redarguunt, ac damnant. Certè si prisco illo æuo gentilium quispiam, vt sacerdotium, aut philosophiam profiteretur, hominum frequentiam, coniugijque, ac mulierum commercia abdicasset, admouissetque sese ijs studijs cum eius reconditæ mentis socijs, & postea exuta ea mente, ac disciplina ab illo grauissimorum hominum collegio in puellæ contubernium, sinumque conuolasset, nullus profectò hominis impudentiam abundè deprædicasset, inclamassentque omnes, nullum par crimini supplicium esse. Quarè mirum tibi, mi Pater, videri non debet, si bonis iuxta, ac malis turpe omnino, ac prauum id consilium tuum visum fuerit, pudorem-

Religiosi viri casus.

Quem deplorat, redarguitque Episcopus Theatinus.

Scriptis litteris crioribus

pudoremque amicis, ac tristitiam iniecerit. Eaque propter oro etiam, atque etiam, perque illam te Crucem obtestor, quam tantoperè pro concione efferre solitus eras, vt te tibi, tuoque instituto, ac votis restituas, reputesque apud animum tuum, illum olim Baptistam è viuis iam excessisse, ac te quidem alium esse; & cum defuncto famam omnem, atque existimationem nominis abijsse; remansisse tecum dedecus, ac luculentam infamię notam. Illum quidem fuisse eximij spiritus, frugique virum, ac peregregium Ecclesiæ cultorem; te verò miserrimum quendam esse fratrem, non ignauum modo, sed nequam, ac transfugam, receptumque precariò in Cœnobij angulum ad criminum complorationem.] Hæc ad Baptistam Carafa, ac pleraque his similia ab ea planè ingenui, magnique pectoris libertate, ac vehementia non dissona.

Caiet. Veronā contendit

Iam verò Caietano, qui posito publico eo procurandæ Congregationis munere, studere suæ ipsius tranquillitati impensiùs decreuerat, non diu abdicatam communis rei curam, hoc est, sequenti mox anno eius seculi primo, & trigesimo, nisi me ratio temporum fallit, adhortante, ac iubente Episcopo Theatino perarduum planè negotium componere Veronę contigit. Ioannis Matthæi Giberti in formanda Ecclesia Veronensi, reformandisque eius Cleri moribus egregios conatus, quos Carafa noster vehementius vrgebat, innuimus supra, compertique ea tempestate omnibus fuere: vt vel ob hanc postea zeli præstantiam Carolus Borromæus, qui eandem reformationis orbitam, eius maximè exemplo premere statuerat, optimi Antistitis effigiem suo in cubiculo inter paucas habere voluerit, vt excellens præclari viri virtus, quam imago repræsentabat, ingentes inspiraret, foueretque animos magna aggredienti. Is igitur Gibertus, dum intrepidè conceptum eximiæ mentis opus peragit, qui inire à suis Canonicis, Cleroque gratiam debuerat, in eorum inuidiam offendit, enatæque vtrimque grauissimæ altercationes. Et ciues ipsi, quorum etiam vitam arguere, ac perstringere Præsul flagrantissimus occœperat, quòd Christianæ disciplinæ frænos pati dedignarentur; confidentiam, ac vires Canonicis, & Clero addere non dubitabant. Dissensiones, ac partium studia vt præcideret, monere primùm Antistes, ac permulcere humaniter obluctantes; tùm subasperè comminari: demum dignitatis, disciplinæque tuendæ gratia, zelo detonare, ac fulgurare voluit. Frustrà omnia, ac consenescentia iam tempore ea mala nil propiùs erat, quàm vt remedia penè omnia excluderent: ita vt ipsemet Clemens Pontifex, qui in Gibertum proniore semper animo incubuit, quòd cerneret, longiùs rem processisse, reuocare ab ijs fluctibus Romam, velut in stationem illum statuit: deditque Ioanni Baptistæ Sanghæ, qui sibi ab epistolis, & arcanis erat, negotium, vt suo illum nomine accerseret; & ipsemet inuitamento pondus addidit suo calamo. Et Sangha quidem hęc habet: [Si morari te Veronæ eo demum fructu esset, quem tibi proposueras, ac vigiliæ, curæque tuæ merentur, ab hac profectò Ecclesiæ cura nunquam te reuocatum vellet Pontifex: at verò cum assiduus rumor ad eius aures attulerit, eò minùs tibi respondere labores tuos, quò anxiùs insudas, semenque non modò in terram bonam non cadere, sed quæ luxuriet in venena, frustra isthìc discerpi te curis, religionem putat; suumque piaculum æstimat, perquàm optimum cultorem operam omninò sterilissimo in solo perdere.] Pontifex verò hæc addidit sua manu: [Cum satis iam exploratum habeas, in istis te moribus emendandis actum agere, par esset, vt illi tandem morem gerere videaris, qui te amat. Et quidem in præclaris cœptis tuis constantiam laudo, nec infringerem ipse vnquam, sed adiumento illis ero; verùm conflictari te quotidiè cum refractarijs istis Veronensibus tuis, angique propterea vehementer, non laudo]. Plura addit Pontifex, ex quibus videre est, vt à suo Antistite abalienati Veronensium animi, cum eo obstinatè dimicabant. Valuit mirificè his fluctibus componendis Caietanus, cuius fama sanctitatis Veronam iam peruaserat, affectumque, ac auctoritatem non mediocrem, cùm apud Canonicos, tùm apud Ciues omnes comparauerat: quarè accitus sub id tempus, cùm maximè fax illa ciuilis arderet, à Giberto, rem ille ita administrauit, vt quà rationum momentis, quà opinione probitatis, quà interdum minis; susis præsertim ad Deum precibus, quas afflictatione corporis efficaciores de more reddere conabatur, turbinem difflauit, peruiciique eam animorum contumaciam, ac

Giberti in formanda Veronensi Ecclesia sedulitas.

Cum Clero dissidium,

Fauebantq; Clero ciues.

Zelo vtitur Gibertus, nec proficit.

Ab ijs turbis reuocare illū Romam nititur Pontifex, Sanghæ litteris,

Et suis.

Caietanus dissidium componit.

ac restitutum Patri obsequium conditionibus vtrimque gratissimis consignauit, sanciuitque.

Nunc iterum ad Carafam, qui inter tot domi, forisque negotia ad Insanabilium hoc tempore Xenodochium animum appulit, Sufficere siquidem & magnificis Venetæ Reipublicæ, Romanisque imperatis, & ægrotantium commodis magna, ac pia mens poterat. Enimuerò, vt olim Romæ vnà cum Hectore Vernacia prima adhuc inuenta Insanabilium Valetudinarium instituit, vti monuimus, ibique, excitato postea Sodalitio Clericorum Regularium, assiduam vnà cum alijs Institutoribus in infirmorum procuratione operam collocauit: ita nunc Venetijs eorumdem Insanabilium Nosocomium, quod exactæ temporum calamitates, & clades labefactauerant, pristinæ pietati, ac splendori perinde restituit, ac si denuò ipse excitasset. Id quod memorat incomparabilis sanctitatis fœmina [a] Baptista Vernacia, Hectoris filia, in ea, quam ad Gasparem Canonicum Regularem epistolam dedit. Insigni quodam studio addicti huic operi erant Carafa, & Thieneus: quippè vel sub ipsam Sodalitij institutionem, hoc est, anno quinto, & vigesimo eius seculi, dum Romę olim morabantur, renunciati vterque eius Xenodochij Patroni communi Rectorum suffragio fuete. Qua de re publicæ extant tabulæ, earumque particulam adscribere hic satis erit, quæ sic habet: [Quoniam ita à natura comparatum est, vt res omnes, quorum consilio, & imiratione initium habuere, eorumdem fauore, ac protectione maximè gaudeant, augeantur, & conseruentur; hancq; fortunam valde recipiant res illæ, quæ diuinis vsibus, & mysterijs addictæ, per bonos, & verè Christianos homines sanctissima accepere adiumenta. Eapropter Nos Gubernatores Hospitalis pauperum vlceratorum insanabilium, tanquam maior pars Gubernatorum, ac nomine eiusdem Hospitalis, perspectam, & benè cognitam habentes probitatem, humanitatem Reuerendissimorum Patrum DD. Ioannis Petri Carafæ, Episcopi Theatini, & Caietani de Thienis, Clericorum Regularium, ad præsens in Romana Curia commorantium, quorum opera, integritate, doctrina, & exemplo ad Christi opera fuimus prouocati, nos subindè commonentium, miseris, ac valetudinarijs non deesse; quo tùm nostra, tùm aliena deuotio per antedictos Reuerendissimos Patres, Apostolorum vices in terris gerentes inflammetur.] Pergit patrocinij electionem explicare publicum instrumentum. Hac verò meritorum præfatione quid antea curæ, studijque in id operis contulerint, consilio quidem Carafa, nam Venetijs ante id tempus non fuerat, re autem Caietanus, satis constat. Hoc ipsum Valetudinarium, quod iam, vt diximus, legum, ac temporum inclinatione à prisca, atque insigni ea pietatis laude decidisset, inter precipuas curas suas hoc anno habuit Carafa, erectisque fidelium animis instaurauit. Quo in opere vnà cum suis Clericis ex vetere instituto, ac more cum laude versabatur, instructaque veluti arce, durissima necessitatis tela, ac pauperum infortunia, opportunis ad tolerantiam adhortamentis, aç præsenti ope propulsabat.

Carafæ curæ in Veneto Insanabilium Nosocomio.

[a] To.4. eiusd. B. Bapt. Vern.

Cuius fuerat olim lectus Patronus vnà cū Caietano.

Publicæ eius electionis tabulæ.

Hoc in Nosocomio vero simile putat noster Antonius Caracciolus, Episcopum Theatinum quadam postea cum S. Ignatio Loyola, Societatis Iesu Institutore amicitia initiatum. Quo item tempore & cum alijs è Nostratibus, spectatis viris egisse familiariter Venetijs Ignatium pro comperto habemus: presertim cum Caietano Thieneo, quocum id accidit, quod nostrorum hominum traditio ad posteritatem transmisit. Anno, scilicet, sexto & trigesimo super sesquimillesimum, cùm Ignatius Loyola Venetias appulisset; ad Clericos Regulares, qui inibi insigni tum fama virtutum agebant, diuertit: exceptusque ab ijs humanissimè, commoratus aliquandiù in Tolentinatę eo Cœnobio est. Qui quidem hominum conuictus, atque Apostolica viuendi ratio, propiore eo vsu, & contubernio vsque adeò illi placuit, vt adoptari in Ordinem à Caietano petierit. Qui, etsi alliceret Viri virtus, ac indoles; nihilominus, quę sunt religiosę prudentię leges, ac morę, explorandam rem precibus, atque agendum cum Numine priùs duxit. Quare Ignatium monuit, vt de re grauissima consuleret ipse Deum; facturos interim id ipsum se, ac suos; ac fore deindè, vt id consilij capesserent, quod Deus probasset. Non ita diù post Ignatio Caietanus respondit, non eam esse Numinis mentem, vt ad Clericos Regulares aggregaretur; sed vt alteram item Clericorum Sodalitatem fundaret actuosiorem. Quod faustè accidit: sed tedeo

In hoc Nosocomio amicitiam cum S. Ignatio contesseraui Carafa.

Alijque Clerici Regi precipue Caiet.

ad

ad Carafam, qui visus mox fuit studium aliquantisper remisisse. Siquidem cum quosdam Vir ille sanctissimus magnę virtutis ęmulos, qui sanè nusquam non bonis exercendis prompti, Venetijs offendisset, obortus statim rumor, propagatusque est, gliscente inuidia, Ignatium non semel in Hispania lęsæ fidei postulatum. Parisijs item scholasticę iuuentutis animos peregrina, falsaque eruditione corrupisse, delatumque elusisse fuga iudicium, ac pœnam. Perlata hac de homine extero, obscurique adhuc nominis fama ad Apostolicum Legatum, (erat is Hieronymus Verallus, qui deindè sui merito in purpuram euasit) & ab Episcopo Theatino inaudita, cui in istiusmodi fidei quęstiones, vt sępe monuimus, Pontificis delegatione plerumque ius erat; vterque cauendum publicę religioni, atque explotanda seriò hominis sensa, doctrinamque censuit. Carafa præsertim, vt erat hæretici nominis implacabilis vindex, eam suspicionem, famamque graui quidem supercilio excepit. Verùm expensa mox accuratè criminatione, cum virum optimum, ingentique subnixum virtute tùm Verallus, tùm Episcopus Theatinus competiissent; ille vacantem prorsus crimine absoluit, hic in sui familiaritatem, ac paupere frequenter tecto excepit: cognouitque Ignatius eius amicitię vsu, qua animi præstantia, vitęque sanctitate excelleret Carafa; & quàm fidei dignitati, candorique consentaneus ipsius tandem esset acerrimus in Nouatores zelus, ac rigor.

Sed de Ignatio Venetijs fama, Carafæ affectum refrigerauit.

Sed eius cognita vitæ testimonia.

Amor in egregium virum reuixit.

Cęterùm quòd subasperè Venetijs in eo primùm fidei discrimine S. Ignatium acceplisset Carafa, tumor nescio quis posteà manauit, instituto Iesuitarum Ordine, valuitque deindè apud eius Societatis Patres, animum non perindè gratiosum erga illos gestare Cardinalem Theatinum; ac proindè Sacrorum postea Principatu potitus, visus supręma ea dignitate Societatis Iesu homines perculisse, ceu infensissimus Sodalirati Pontifex contigisset. Verùm qui numquam Ignatium, eiusque laudatissimos mores, sed inspersam tantummodò notam, labemque criminis, quoad ritè discuteretur, tantisper abhorruit, nec aliqua vmquam iniuria fuerat lacessitus, quas enim recenset Orlandinus, reijciendas putamus, vt mox dicemus; & laudabilem Ordinem, & pręstantissimum Conditorem maximi semper fecit: factisque egregiè comprobauit. Salutatus namque Pontifex, & Ignatium in genua prouolutum, adorantemque honorificè, ac perhumaniter excepit, & Societatem plerisque beneuolentię argumentis honestauit; & pręclaros eius Gentis homines grauissimis Ecclesię curis admouit, & Laynium amplissimę Infulę parem aggregare Purpuratorum Senatui cogitauit, & Romanum Collegium fundare, & censum Scholasticis alendis, quem Iulius Pontifex Tertius decreuerat quidem, sed interceptus fato, consignatis litteris minimè sanciuerat, non modò concedere, sed & augere liberaliter cogitauit; confecissetque, nisi orta mox bella egregiam mentem abrupissent. Arque hęc quidem Societatis Iesu [a] historiarum monumenta habent: putamusque eam Pontificis beneuolentiam Venetijs, cùm primùm Ignatium, ac pręclaram eius indolem nouit, rudimenta posuisse, adoleuisse postea tractu temporis, nec summo in eo rerum apice defluxisse; vt alienum omninò à vero sit, simultatem aliquam adflauisse magnanimum Carafæ pectus. Et quando Orlandinum paulò ante meminimus, non dissimulandæ hic planè causæ, quas putat ipse labefactare Cardinalis Theatini in Ignatium, ac Societatem beneuolentiam potuisse. Duas omninò enumerat, quarum alteram nullam putamus, alteram non eam fuisse, quæ ingentem afficere eius animum potuerit. Examinabimus quàm breuissimè vtramque, quoniam veluti sub manu enata materia est, ne cœptæ semel huic scriptioni admouere iterum stylum cogar. Ait igitur Orlandinus, indignatum cum Iesuitis Cardinalem Theatinum ob Neapolitanum quendam adolescentem, cui nomen Octauius Cæsar, quem in Societatem admissum Pater, qui Hectoris Pignatelli, Montis Leonis Ducis erat à secretis, ceu non solido quidem spiritu, sed iuuenili abreptus leuitate id consilij capessiuisset, restitui sibi, ac matri postulabat. Accersitus mox Romam fuit ab Ignatio adolescens, nuper authoratus; eòque confestim conuolauit Pater, qui compellatum Iulium Tertium Pontificem, rogauit impensiùs, iuberet rem ad examen reuocari: nempè si maturè quidem de se, suæque vitæ rationibus statuisset filius, non eò se conuenisse, vt à laudabili instituto reuocaret; sin minùs, consentaneum rationi esse, vt non ille detineatur, qui mentem non perindè constantem,

Parum erga Soc. Iesu beneuolus reputatur Carafa.

Reuera eius nominis studiosissimus.

Et in Ordinē beneficentissimus.

[a] Orland. hist. Societ. lib. 15. Maff. l. 2. c. 11

Causæ cur Carafam suo Ordini infensum duceret Iesuitæ.

Altera adsciti in Soc. Ioannis Neapolitani, Patre inuito,

Qui Pontificē appellauit.

Demandatur Card. Theatino causa.

maturamque ad eam disciplinam attulisset. Negotium Cardinali Theatino à Pontifice demandatum, Viro, vt integerrimo, ita in eiusmodi spirituum, morumque inspectione cum paucis sagacissimo. Vix ille indolem Iuuenis, eiusque consilij causas seriò expendit, cum initam humano quodam instinctu, atque impetu Societatem animaduertit: statimque restituendum Parentibus pronunciauit.

Qui litem Patri adiudicauit.

Verùm quòd ab eo adolescentiæ flore spem concepissent non exiguam Patres, Pontifice exorato, ne discederet Octauius, impetrarunt. Perdurauit is aliquandiù in eo Religionis proposito;

Sed rescissa eius sententia Pôtificis nutu.

sed mox grauiore cum sui damno, nulloque Societatis fructu disciplinam exuit; comprobauitque is exitus prudentissimi Cardinalis Theatini iudicium; affectum etiam, quo Iesuitarum Sodalitatem prosequabatur, cui nollet aggregatos, quos non solida in primis virtus, ac melior impetus ad eam instituti laudem non excitasset. Planè ingens quidam Iulij Pontificis erga Societatem affectus videri potuit, vt latam à tanto Viro sententiam rescinderet.

Quod Carafæ in Societatem affectum nõimminuit.

At enimuerò, modestissimus Carafæ animus, cui nihil potius, quàm Pontificis Decreta venerari, cur non æqui, bonique consuleret, quod illa sanciuissent? aut cur Societatis Patribus succenseret, in quibus dilaudare suæ rei amplificandæ studium tunc poterat? Demum, an prolixam, veteremque in Ignatium, eiusque institutum voluntatem recenti illa, leuique ex causa Carafa imminueret; cogitet, qui eius indolem, animique celsitudinem, superiorem certè quauis iniuria, nouit.

Alteram Orlandinus simultatis causam proximè adnotauit. Offensum videlicet Cardinalem Theatinum, quòd cum is ex vtroque Ordine, Societatis nempè, ac nostro, vnum, eundemque conflari percuperet, abnuisset Ignatius.

Altera offensionis causa, Ordinum cõiunctio.

An id ex nostris aliqui optauerint, non huius loci est expendere; certè Carafam id pertentasse, ac transegisse cum Ignatio, neque vllis nostri Ordinis monumentis constat, neque ad posteritatis memoriam eius rei aliquis manauit rumor: neque profectò vero simile omninò est.

Petijsse illam Carafâ haud simile vero.

Nam si hoc semel consilium in eius animo insedisset, euectus mox ad supremum Ecclesiæ fastigium, cum scilicet pro imperio, nutuque conficere rem posset, negorium absque dubio maturasset: quid enim obfirmatæ Maximi Pontificis voluntati obluctari, moramque nectere potuisset?

Quid hac super re afferat Nigronus.

a Histor. Disput. §. 18. num. 70.

Et verò de hac Ordinum coniunctione egisse cum Laynio Paulum Quartum, ex veterum suæ Societatis Patrum sensu, famaque luculentiùs affirmat [a] Nigronus: ita tamen, vt voluerit Pontifex, non quidem nostros homines in Societatem IESV admitti, sed vt Societas ipsa in nostrum Ordinem transformaretur: inducta nimirum publica in Odeo psalmodia; contracta in temporariam perpetua Patris Generalis præfectura; ablegatisque nonnullis, quibus distrahi plus nimio à diuinorum cultu animus posset, Societatis muneribus. Quod sanè, vt perhonorificum Sodalitatis nostræ sit; nihilominus, ceu rationi, veroque, ac nostris historijs dissentaneum, accidisse denegamus.

Quod & falsum putam[b].

Enimuerò qui peracri quidem iudicio æstimare negotia solitus erat prudẽtissimus, ac sapientissimus Põtifex, homines dissimili planè disciplina educatos, alijsq. instructos moribus nõ ignorabat, neque optimè inter se se, neque diutiùs conuenire. Et vbi Parentes non eandem planè idem mẽtis, sensusque habuissent, neque sobolem in eadem omninò studia ita conspiraturam, quin in suos quæque impetus, & quam ingenerassent natales indolem, statim relaberetur: ac proindè quandam domiciliorum, non instituti, neque animorum coniunctionem illam fore. Quod quidem non vnam esset ex duabus Congregationem conflari, sed aut neutram existere, aut vtramque labefactari. Et quamquam Pontificis consilium esset, vti monuimus, vt in nostram fermè disciplinam transiret Societas IESV; ab ea tamen alterius instituti mixtione faciem profectò nonnihil mutasset primigenium illud Clericorũ Regularium institutũ, ab eo tam ingenti solertiâ elaboratũ.

Paulus IV. ad Apostolorum formã Sodalitium instituerat.

Quod immutari oportebat, si ad aliã disciplinam transirẽt Clerici Regulares

b In Archiu. & Pauli adan. 1533. 8. laudata.

Eaque propter quî putandum est, Paulum IV., ingentium alioqui spirituum virum, delineatum à se maximè Ordinem, excitatumque à vetustissimis veluti primigeniæ Ecclesiæ ruderibus summa laude; sancitis insuper ad Clericorũ Regularium rationem, nomenque præclaris legibus, eo potissimùm instituto, vt non admodùm excrescerent: quem quidem Ordinem, ceu quid in Ecclesia pulcherrimum tantoperè commendabat, vt compositæ quædam ad Gibertum [b] litteræ testantur; imminui postea aliqua ex parte, immutarique noua ea gentium, legumque communicatione voluisse? Quid

si ex-

si experientia iam didicerat, istiusmodi morum, disciplinæque insitiones non perindè, eaque spe fructuum, ac inter alienæ stirpis, ac succi arbores contingere? Aggregati olim ad Nostros, vt in tempore exponemus, Somaschæ Congregationis Patres fuere, Cardinale Theatino eius rei interprete. At non totum decènium ea dissimilium Societas tenuit; ipsoque sui Pontificatus initio & nostrum Ordinem suæ disciplinæ puritati, & Somascenos suis moribus restituit ipsemet Pontifex Paulus. Ergo qui semel coniunctionem, nexumque Ordinum, ceu legum nostrarum præstantiæ, exactæque paupertati minùs accommodatam prudentissimè præciderat; eandem iterum moliretur, aut adfectaret communicationem?

Exemplo fuerit cum Somascenis coniunctio.

Adnectam hic modò, vt abstersa dubitatione prorsus omni rem conficiam, quicquid apud Pium Pontificem, eius nominis Quartum de hac Pauli mente testati candidè sunt grauissimi viri duo, alter iam Purpuratus, alter haud post multò ad Augustos Patres additus; ille Cardinalis Vitellocius Vitellius, non minùs tunc Pio carus, quàm intimus Paulo fuerat: hic Guglielmus Sirletus, egregiam famam nominis ingenio, ac moribus promeritus, vt de eo non vno in loco narrabimus. Rem suis litteris tradidit a Ioannes Baptista Castaldus, extatque in nostro Neapolitano Diui Pauli Tabulario eiusdem historiæ autographum Michaelis Ghislerij, Viri è nostro Ordine compertæ probitatis, qui prolixam eruditionem æquauit etiam æuo, viuitque dum hæc scribo, octuagenario maior. Igitur quam in Gentem Carafam intulit cladem Pius IV. deriuasse etiam sub id sui Pontificatus initium in nostram Sodalitatem visus est, quæ ab immortalis memoriæ Paulo Quarto Carafa enata, Parentis ex asse hæres; minùs propitium successoris animum promeruit eo nomine. Quarè communi eo in Carafas impetu, & de nostro Ordine seuerè statuerat, illumque ad Societatem IESV aggregare in animum induxerat suum. Accesserat, quæ familiaris Aulæ pestis est, nonnullorum assentatio, qui quòd eò Principis genium proniorem viderent, inire ab eo gratiam arbitrabantur incitamento: neq; defuere, qui adornatis inspeciem mendacijs vrgere negotium nitebantur ijs maximè argumentis: Ea videlicet Clericorum instituta cùm habitu, tùm legibus eadem ferme esse: & quod caput est, idem olim Paulo IV. Institutori placuisse, eandemque aliquando coniunctionem meditatum. Re sic à Pio Pontifice constituta, conficiendam maturiùs statuit: adijtque commodùm ad Quirinalem Sancti Syluestri Ædem, auditoque inibi Sacro, ingressus domum est, ceu frui loci, prospectusque amœnitate animus esset. Aderant, quos modò nominauimus, Cardinalis Vitellius, & Sirletus, quibus aperire, quam ipse de eo Theatinorum Ordine conceperat mentem, cuius gratia illuc accesserat, cœpit: atque ea potissimùm inculcare, similes omninò eos Ordines, & coalituros facilè mores. Tùm, adolescere, atque augeri tot Religiosorum hominum familias Christianæ rei non adeò necessarium: additque scire se, idem & Paulo Quarto, qui condiderat, consilium fuisse. Æquali in nostrates studio par illud hominum præstantissimorum ferebantur; ac tùm quidem, quòd aut suamet propensione, aut aliorum officijs, ac malis artibus circumuentum Pontificis animum cernerent, iactura Ordinis permoti, in tuenda disertè eius causa peregregium beneuolentiæ specimen dedere. Et primò, quod ad Instituta ipsa spectaret, responderunt: etsi in vtroque Ordine similis quædam externorum species, habitusque videretur, disciplinam nihilominus aliam omninò esse: ac propiùs à Diui Francisci, aliarumque familiarum legibus, quàm ab Ignatij institutionibus abesse Clericos Regulares, quos non adeò actuosiores mores, magnæque occupationes illexerant. Tùm, annuorum censuum, opumque abdicationem prorsùs omnem, nec emendicatò, sed insigni quodam, perennique miraculo, diuinæ prouidentiæ annona, ac penu viuere, illos longè, te toque, vt aiunt, cælo à Iesuitis secernere, quorum & certis prouentibus Collegia, & Professorum Domos precariò victitare exploratum habebant. Præterea, interdiù, noctùque in Odeo canere; Sacri Aduentus, aliaque per annum ieiunia celebrare: Ordinis administrationem optimatum Reipublicæ persimilem: vt planè cùm plerisque Religiosorum familijs communia Theatini habent, ita in ijs à Iesuitis quàm maximè distare: ac proinde disparem vtramque disciplinam nunquam in idem omninò corpus, ac indolem abituram. Neque id è re fore Ecclesiæ, cui multiplex sacrarum familiarum census, ac varietas venustatem, formamque adau-

Pij IV. consilium de Ordinum coniunctione.

a Vit Pauli 4. cap. 17.

Potissimùm ex Pauli IV. mente.

Pij persuasione abstersere opportuniùs Vitellius, & Sirletus.

Rationum momenta, à dispari disciplinæ cultu petitis.

A paupertate.

A psalmodia, & ieiunijs.

adaugere non minimùm videbatur, scriptumque de ea esset: Circumdata varietate. Pontificem verò Paulum Quartum isthuc etiam animo versasse, persuaderet sibi Sanctitas sua, rem haud quidem à Clericorum Regularium amicissimis insinuatam: nec par esse, hoc de Paulo Quarto existimari, qui sancitam semel cum Somaschis coniunctionem, refinxerat ipsemet, vt institutam à se, suisque socijs disciplinam ab alieni instituti mixtione vindicaret. Postremò non eam fuisse Pauli Quarti mentem, tùm incorrupta aliorum fide, tùm sui ipsorum, qui Pauli sensa intimè nouerant, testimonio constabat. Tantorum virorum dictis visus refrigerari Pontificis calor, ac mox, quæ veri vis est, passus omninò exorari, quam attulerat animi sententiam abrogauit; testatus, alia quidem facie propositam sibi rem fuisse. Quod nos ideo commemorauimus, vt alienam ab ea communione Ordinum Pauli mentem intelligat lector, Vitellij, ac Sirleti monitu, quos ille in consiliorum suorum partem adhibere solitus erat; ac propterea haud potuisse hac de causa beneuolentiam Pauli erga Societatem libari, illumque, nulla vnquam iniuria lacessitum, optimè semper affectum erga eius instituti Patres fuisse: quod documento posteritati fuerit, vt prisca floreat inter vtrumque Ordinem charitas.

Ab alieno Pauli IV. cōsilio.

Ab aliorum, ac sui fide.

Mutauitque sententiam Pontifex.

Quo loco non id prætermiserim, quod in eodem autographo adnotauit Ghislerius, Pontificem, qui eius interim Quirinalis Domus recessum, nitoremque, ac seueram Patrum disciplinam secum ipse probauerat, audita attentiùs à grauissimis Viris instituti ratione, exquisitaque, quam colebant, nulla nec stipe, nec annua censuum pensione, paupertate, eximio quodam affectu prosequi nostram Sodalitatem cœpisse, quem postea munificentia abundè cumulauit, erogata per interualla temporum, quoad vixit, ad inopiæ subsidium stipe. Adauctus hic porrò Pontificis amor Caroli Borromæi sanctissimi Nepotis commendatione est; qui eo S. Syluestri silentio, secessuque incensus, conuenire Guglielmum Sirletum, qui inibi inter Nostrates agebat, moramque cum illo ad horas trahere consueuerat: & quos tunc eximios Patrum mores, exactamque legum obseruantiam, tùm loci cultum, ac mundiciem spectabat, Auunculo cum laude memorabat: ac vicissim scimus, interrogari persæpè Carolum à Pontifice solitum fuisse, an Patribus S. Syluestri benè esset, exploraret accuratè, ac submitteret subsidia, si quæ angusta Domi res esset.

Concepta in Ordinem beneuolentia

Quam testatam Pōtificia liberalitate voluit.

Illamq; adauxere Card. Borromæi laudes.

Huc nos Venetum Xenodochium à Carafa strenuè accuratum impulit, qui hoc maximè suæ præfecturæ tempore, Religionis bono, ac dignitati consulere intentiùs studuit. Præcipuas namque duxit sui muneris partes, vt excitatum Romana iam auctoritate nostrum Ordinem, ac multiplici Clementis Pontificis fauore auctum, Sedis Apostolicæ pondere, ac munificentia ampliùs constabiliret, firmaretque. Enimuerò in prima illa Sodalitij institutione, quamuis summa ope conati Patres, vt grauissimum negotium perquàm studiosè transigeretur; nihilominùs quæ sunt rerum omnium exordia, exactè admodum confici res minùs potuit. Et Apostolicæ quidem litteræ nimia quadam verborum parsimonia, ac pressiùs, quàm vt Pontificis amplitudo posceret, religiosè innuisse potiùs, quàm explicauisse momenta rerum videbantur. Præsertim quòd immediatam Romanæ Sedi subiectionem, quod sanè præcipuum, & quò primariò Conditores nostri collimarunt, vix strictim libauerant; vt dubiam, aut certè non ita claram interpretationem haberent. Tribuit id Episcopus Theatinus Cardinali Puccio Sanctorum Quatuor Coronatorum, qui vel quòd noua non probarentur, vel seuero quodam naturæ genio in ijs, quæ composuit diplomata, detraxisse Pontificis munificentię, ac Patrum voto ieiuna quadam dictione voluit. Et quidem quamdiù illa conficiendarum litterarum auctoritas penes Puccium fuit, de Ordinis facultatibus, ac priuilegijs amplificandis agere, intempestiuum duxit Carafa, quippe qui ab ea indolis austeritate haud mitiùs agendum sciret. Hoc porrò anno, cum Gibertum, quem addictum apprimè Sodalitati sæpè memorauimus, Bononiam, quò Pontifex inuitauerat, propè diem concessurum ab eiusdem Giberti litteris resciuisset, neque ea inibi futura impedimenta, quominùs singularis in nostrum Ordinem Pontificis beneuolentia liberaliore sese munificentia infunderet; in id incumbere, nec perfunctoriè quidem cœpit Carafa: vt videre est in litteris ad Gibertum datis, quæ & numero satis multæ, & stylo efficaciores, quàm hæc illum cura diuexaret, commonmon-

Amplificādas Religionis immunitates curat Carafa.

Quæ in Ordinis institutione concessa fuerant, non satis explicata.

Id cum Giberto agit.

monstrant. Roborari nouo Romanæ Sedis decreto, assensuque Institutum, explicari luculentiùs, ac verbis significantioribus omnimodam Apostolicæ auctoritati subiectionem; publicæ rei administrationem ad optimam regiminis formam exigi; extendi item, augerique priuilegia; ad amplificationem, decusque Ordinis, ac Religiosæ disciplinæ incrementum, & vt solido quodam, constantique rerum statu posteritati caueret, pernecessarium duxit. Atque impetraturum isthæc facilè sibi postulata persuasit; tùm quia Clericorum Regularium Institutum, quod antiquissimum, ac præstantissimum in Ecclesia est, cumulari quadam benignitatis affusione dignum omninò erat, quò tantum Ordinem velut è tenebris, situque vindicatum, ac pulcherrimè reflorescentem gratulari sibimet ipsi Christiana Respublica videretur; tùm etiam quia munire, atque exornare ingentibus beneficijs Congregationem iure quodam tenebatur Pontifex ipse, quando suis illa auspicijs lucem aspexerat, suaque ipse veluti manu nascentem exceperat, fouerat que peramanter infantiam, ac vitæ primordia; vt ingenito quodam impetu, affectuque Patris in illam ferri æquum esset, non minus quàm Conditores ipsi. Atque hæc quidem rationum capita in plerisque, vti significatum est, litteris, quas ad Gibertum dedit, inculcat sæpius Carafa; neque in ipsummet Gibertum fidem dissimulat, cuius assidua collatæ in Ordinem beneficentiæ argumenta omninò pollicebantur, fore, vt qui Religionis olim cunabulis auctoritate, ac ope fauerat, in eiusdem etiam confirmatione, atque incremento eadem voluntatis propensione præstò nunc esset.

Ac rationi cō sentaneum putabat, si obtinuisset.

Hac igitur Episcopi Theatini sedulitate, studioque incitatus, strenuè Gibertus Boniæ negotium accurauit: & quà eius diligentia, ac solertia, quà pronlore Pontificis animo, res perindè ad votum cecidit, ac si Patres ipsi sua sibi postulata, ac diplomata consignassent. Igitur in prima Ordinis institutione magna quidem impetrauerant Patres, parcè licet, ac religiosiùs, vt diximus, explicata: consequenti verò tempore & alia item non leuia collata priuilegia fuerant: præsertim, vt in excipiendis fidelium confessionibus vti Nostrates possent verborum forma, qua cùm à noxis, tùm à censuris etiam omnibus, atque irregularitatum nexibus soluerent; idque tantùm non inter seipsos, & cum Clericis, laicisque nostris, verùm etiam cum exteris etiam sacerdotibus. Præterea, vt pro tempore Præpositi dispensare cum subditis suis, qui aut valetudinis, aut studiorum causa fuerint impediti, quoad Diurnum diuini Officij pensum valeant, modò certum quendam psalmorum numerum recitent. Concessum item circa earumdem Canonicarum precum Ordinem, vt anteuerti, prout res postulauerit, aut postponi, aut vniri, aut diuidi, cùm publicè, tùm priuatim liceret. Quædam insuper de ieiunio, ac vespertino ientaculo benignè sancita; vt videre est in nostrorum priuilegiorũ indice. At postrema hac Pontificis benignitate, in qua Carafa biennium totus fuit, abundè ornata, atque instructa immunitatibus, pijsque beneficijs, amplissimo diplomate Sodalitas fuit. Quo probata denuò, ac confirmata Instituti ratione, corroboratisque nouo Pontificis anulo, atque auctoritate quæ fuere sub Ordinis initium priuilegia communicata; præstantiora ad Sodalitij dignitatem, eiusque politicum regimen, ac regularem obseruantiam obtinuimus. Quod maximè vrgebat Episcopus Theatinus, ea erat immediata Pontificiæ potestati Ordinis subiectio, atque ab omni iure mortalium, vt ipse ad Gibertum scribit, exemptio; quam conceptis, disertisque adeò verbis, declaratam peroptabat, vt nullo vnquam tempore reuocari posset in dubium. Maximum profectò hac in immunitate momentum esse, nouerat Carafa; illo præsertim tempore, cùm rara admodum Antistitum, æui nempè vitium, eruditio, ac virtus. In magnis etiam, ac vetustioribus Religiosorum Ordinibus id præcipuè cautum, vt non modò in amplissimũ Ecclesiæ corpus adoptarentur, verùm vt in ipsammet Pontificũ clientelam, fidemque asserti, pro eorum dumtaxat nutu, atque imperio regerentur. Decere hoc potissimùm Clericos Regulares, qui ab ipso Apostolorum, ac Pontificum Principe, eaque ab origine fecunda quadam successione per tot labentiũ seculorum interualla propagati, pertinere ad Romanos ipsos Pontifices peculiari quodam iure videntur. Expleta porrò Carafę, Nostratumque omniũ vota hac ex parte cumulatissimè fuere. Amplissimis namq; verbis, atque explicatissimè nouo hoc diplomate inter Pontificias curas immediatè numeramur, ab omni alio Antistitum iure absoluti,

Et Giberto adnitēte obtinet.

Magna quidem in prima Ordinis institutione, ac deinceps cōcessa.

At maiora hoc anno.

Exemptio ab omni inferiori Antistite, quam Carafa optabat,

Magnificè amplificata.

Perfectam Religionem esse nostrum Ordinem, decernitur.

Ad animorum præterea tranquillitatem, atque ad sciolos plerosque redarguendos, qui præter priscas illas Mendicantium Religiosorum familias nullam aliam à Romana Sede approbatam censeri vellent, sancitum est, quicquid ad perfectæ Religionis numeros, ideamque pertinet, in nostra ad vnguem existere; ita vt qui ineundæ Religionis votum generatim conceperit, liberasse fidem suam sit existimandus, si nostrum semel Ordinem capessiuerit. Ad hæc, vt pro locorum, ac regionum genio accommodare se Nostrates laudabilibus Clericorum moribus, Ecclesiasticisq; ceremonijs, ipsisque indumentis, ac cætero vitæ cultui possent; idque ea potissimùm de caussa impetratum; vt cum non abhorrere à communium Clericorum institutis, externoque cultu nostros homines vulgus viderit; neque abhorreret ipse à nostris legibus, ac moribus, atque adeò illa habitus, rituumque communione, ac veluti popularitate conciliatis mortalium animis, facilior animorum procuratio, & quæstus, quò nostra in primis collineat Sodalitas, redderetur. Necessarium item hunc ipsum cultum duximus, vt Clericos nos esse ipsa statim amictus, morisque consensione ostenderemus; neque nouum inuexisse in Orbem Ordinem; sed cùm priscos instaurare Clericos, tùm præsentium disciplinam ad eam normam insigni vitæ reformatione exigi, consilium esse. Et quòd Sacrorum Canonum consulto, Concilij præsertim [a] Lateranensis cauetur, vt Clerici clausa deferant desuper indumenta, consulere & minutissimæ huic rei Pontificio hoc diplomate voluit Carafa, vel in tenui accuratissimus: atque id maximè curauit, vt possent nostri ad honestissimorum vbique gentium Clericorum ritum, vestitu cum manicis super pallium exertis vti: quod Pontificiæ ipsæ litteræ disertè exprimunt.

Nostratũ vitę cultus pro locorum diuersitate.

Circa indumenta aliaque item statuuntur.

[a] Sub Leon. 3. c. 13.

Et circa Ordinis administrationem.

Iam verò, quod ad Ordinis administrationem, Domorumque nostrarum moderatores pertinet, cùm extendi iam in noua domicilia Sodalitium, ac non vnis in Castris militare oporteret, lata in prima ipsa institutione lex, vt videlicet renunciatus ad annum Præpositus non vltra triennium continuare præfecturam posset; aduersari publico Religionis bono in eo paucorum hominum cœtu videbatur: quapropter statui voluere, vt Præpositus non quidem in eadem domo, sed in alia, refici ad alterum triennium posset. Nostri verò Ordinis conseruationi, qui tunc instar Reipublicæ, Optimatum prudentia regebatur, vt in loco memorabimus, præclarè consultum iri putauit Episcopus Theatinus, si Patres ipsi, qui rem communem temperarent, quos Vocales nuncupamus, prudentiores, ac planè optimi fuissent. Cum enim diffundi à capite vis corporum, & qui membra animant, spiritus debeant, tunc demum incolumem, saluamque Rempublicam, & valere, & efflorescere continget, cùm bona Rectoribus mens fuerit, atque illam hominum vniuersitatem sapientissimi quique procurauerint. Contrà verò labi publicam rem, ac languescere oportebit, si capite laboret suo. Cùm igitur ingeniorum quadam diuersitate non eadem omnibus in rebus administrandis sit facultas; ac plerique spectatæ licet probitatis, incorruptæque virtutis cùm sint, non ea tamen vi mentis, & consilio valeant, vt negotijs pertractandis, regendisque familijs sufficiant: nullo eos delectu inter Vocales adnumerari, fieri profectò sine graui Congregationis detrimento vix potest. Proindè & id Pontificijs ijs litteris additum, vt nemo ex nostris ius ferendi in Comitijs, alijsque domorum Conuentibus suffragij adeptus censeatur, nisi qui, expensa priùs quàm accuratissimè cùm iudicij, tùm morum grauitate, communi Patrum suffragatione cooptatus in eorum censum fuerit. Peculiare hoc in nostro Ordine, receptusque mos est à primæua sui institutione in hæc vsque tempora planè rigorosiùs, magno cum priuatæ virtutis, communisque rei incremento. Priuatorum quidem hominum; nam cum acerrimum in examen reuocandam illi sciant indolem suam, morum disciplinam, prudentiam, verba, incessus, gestusque ipsos, vt in Patrum numerum adscribantur; non exiguo sibimet ipsis incitamento sunt, vt tales sint, aut fiant, qui communi subindè Censorum calculo admitti in Reipublicæ regimen, & curas mereantur: quod quidem non tam honorificum, ac magnum est consequi, quàm non assequi indecorum, ac insigne quoddam dedecus repelli. Sodalitas verò vniuersa id inde commodi, ac fructus capit, vt penes paucos, eosque cùm doctrinæ, tùm iudicij laude maturiores, summa rerum sit: quo & stare præstantiùs disciplinæ ratio, ac dignitas, & expendi Religionis negotia

Quinam in Vocalium numerum adscribendi.

Grauiore quodam examine deligendi.

Fructusque inde non mediocris.

tia accuratiùs, & consuli communi bono studiosiùs potest. Vtinam acris isthæc legendorum Vocalium censura diù duret, eaque seueritate, ac Religione apud posteros id negotij peragatur, qua cœptum apud prudentissimos perindè, & sanctissimos Maiores nostros, deductum feliciter ad nos est. Enimuerò, vt eligendi facilitas, neque adeò diligens meritorum excussio neruos in singulis strictioris obseruantiæ exscindit; ita expendi exactiùs vitæ rationes, ac plerosque repulsam pati, componeret profectò exemplo eius notæ reliquos ad optimam disciplinæ amussim, ac floreret indè bonis tùm subditis, tùm Moderatoribus Religio.

Vtinam strictior hæc morum quæstio perduraret.

Postremò in elargiendis, amplificandisque priuilegijs liberalitatē planè Pontificiam Sodalitati probauit Pontifex Clemens. Concesserat olim ille, vti significatum est, disciplinæ iam tùm nascenti immunitatum, ac priuilegiorum omnium communionem, quibus Canonici Regulares fruuntur: nec planè vulgaris munificentiæ specimen id fuit; quando amplissimis facultatibus successiua Pontificum benignitate instructum, adauctumque præclarum illum Ordinem scimus. Nunc verò, quòd cerneret, enatam suis auspicijs Congregationem pulchrè adolescere, ac in ipso sui flore polliceri progressiones omninò non pœnitendas, magno cum animorum fructu, exemploque fidelium; vt spes illæ, conatusque Ordinis promouerentur, condecorandum nouis, ijsque amplioribus gratijs duxit. Et verò singulari beneficentia, vtraque, vt aiunt, manu Ordinem cumulauit. Siquidem, vt ipsis Pontificiæ Bullæ verbis vtar, [Omnibus, ac singulis Priuilegijs, Indulgentijs, Prærogatiuis, Exemptionibus, Immunitatibus, Gratijs, Indultis, quibusque etiam Cisterciensibus, & Cluniacensibus Monachis, alijsque tàm mendicantium, quàm non mendicantium Ordinibus tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, etiam communicatiuè per quoscumque Romanos Pontifices concessis olim, vel postea concedendis, potiri Nostrates donat, ad quos perindè extendit ea Religiosorum Ordinum Priuilegia, ac si nostro communicata præcipuè fuerint.] Atque hæc quidem ad Religionis siue dignitatem, siue præsidium, certè ad ingens disciplinæ incrementum Pontificia diplomata; quæ licet obsignata ineunte anno huius seculi tertio, & trigesimo fuerint, transegerat nihilominus longè antea Carafa, vt monuimus, datis, acceptisque ab Episcopo Giberto vltrò, citròque litteris. Cui porrò insigni Clementis Pontificis beneuolentiæ, cum & alia succedentium aliorum Pontificum, vt suo quæque loco, ac tempore censebimus, accesserint Priuilegia, splendidiùs, atque magnificentiùs honestari noster Ordo non potuit: vt meritò cum ea maturè expenderit Vir ingenij fama, scriptisque voluminibus celeberrimus, Nauarra, penè fidem suam vicisse, testetur ijs verbis. [Tùm quia ista Congregatio habet plurima, & grandissima Priuilegia Summorum Pontificum, quæ vix credidissem, nisi ea legissem.]

Aucta à Clemente Pontif. priuilegia.

Communicatis, quę cōcessa olim Cisterciensib. & Cluniacēs. & tam Mendicant. quàm non Mendicant. Ordinibus.

Nauarræ de priuilegijs nostris sententia.

Planè vt hanc Romanorum Pontificum in Religiosos Ordines magnificentiam plerique perstrinxexint, ceu nimiam, locorumque Antistitum potestatem, decusque delibantem: attamen si rectè calculum ponas, quantùm ornandis illis impenditur, tantumdem reperies, & Sedi Apostolicæ, & priuatis Ecclesijs, earumque Pastoribus munimenti, ac splendoris addi. Intuentur id summi ipsi sacrorum Principes; qui præalto in fastigio collocati, ac cæteris mortalibus celsiores despicere liberiùs cuncta, atque ingens Ecclesiæ corpus, quantum quantum est, eiusque singillatim membra æstimare accuratiùs, atque attentiùs valent. Vident quidem, illustrem, ac præcipuam Ecclesiæ partem Religiosas familias esse: honestari, florere Christianam Rempublicam, cum ipsæ florent; atque intra orthodoxæ dignitatis sinum effundi, quæ exundat in Regulares Ordines publica Romanæ Sedis liberalitas. Adde, quòd cum à præclaro, diuinoque Religiosorum hominum statu ingens existere catholicæ rei ornamētum, tutelamque intelligerent communes fidei hostes, ac teterrimi Nouatores; id per omnes temporum ætates, quà verbo, quà scripto quàm maximè contenderint, vt illum facto impetu conuellerent, adornatisque disertè criminationibus, ac conuicijs acerbè saltem traducerent, infamarentque: rati nimirum, Religiosam disciplinam orthodoxæ fidei momentum esse, ac tùm demum potiorem se victoriæ partem consecutos, cum illam acri pugna attriuissent, ac triumphassent. Testantur truculenta illa hæreticorum capita, Donatistæ, Iouinianus, Vigilantius, Guiglielmus,

Pōtificis munificentia in priuilegijs largiendis vtique carpitur.

Quippe honestari Ordines, ipsam Ecclesiam honestare est

glielmus, Caluinus, Lutherus, Melanchthon, aliaque impietatis nomina, quorum ea mens, ac conspiratio, vt Monachorum cœtus, eorumque disciplinam, ac Cœnobia, Ascetasque omnes Africanos, Italos, Gallos, Anglos, Germanos stylo, lingua confoderent; perderentque ea virtutum documenta, quæ & eorum crimina acriter vindicabant, & Christianum Orbem strenuè tuebantur. Sacros verò Ordines dum impetunt hæretici, non tàm ipsos, quàm Ecclesiam impetere est animus: quocirca ne vehementiùs pulsati, proscissique ab hostibus consternantur, atque adeò lædatur Catholicum nomen, ac fides; erigendi beneficijs, ac tot vicissim gratijs, ac facultatibus munificè ornandi, quot passim hæreticorum maledictis onerantur. Hinc fit vt simul & à Religiosorum splendore niteat Romana Religio, & rumpantur inuidia Nouatores, dum gliscere eorum dignitatem, atque amplificari in dies cernunt, quos euersos funditus vellent: & denique Religiosi ipsi homines hisce beneuolentiæ testimonijs excitati, ad excolendam suæ disciplinæ rationem, moresque mortalium emendandos, formandosque prolixiùs incumbant.

Ideo fauen priuilegijs æquum est, vt animentur.

Et tabescant inuidia hæretici.

Iam verò quid Religiosi viri in commune Romanæ rei compendium, ac decus conferant, ac strenuè contulerint, non est, cur hìc prosequamur. Fuerint ne ipsi vbique gentium, ac terrarum Catholici nominis columina, ipsiusque Lateranensis, atque vniuersalis Ecclesiæ fulcimenta, abundè profectò intelligimus, si Christianum Orbem longè, latèque diffusum, exactique æui tempora mente, ac cogitatione excurramus. Enimuerò præter communem illam vtilitatem, quam à Religiosorum precibus, à vigilijs, à virtutum exemplis, à litterarum monumentis, à Sacris concionibus, ab instituendis, expoliendisque fidelium moribus, à procurandis sacris per summos labores, contentionemque animorum, Christiana Respublica in sinum deriuat suum: tùm illud illustrins, atque operosius, nullibi vsquam gentium, populorum, terrarumque, fidem, nisi à Religiosis, ac Monachis propagatam; nullasque rursus Prouincias, ac Regna esse nostro ab orbe mari, ac montibus diuulsa, quò non illi Euangelij luce, ardoreque animi penetrarint. Voluentibus historiarum Annales è vetustissimis æquè, ac florentissimis Cœnobijs Ascetæ passim occurrent, eximiè sancti, natique Religioni propagandæ, Rhemigius, Martinus, Augustinus, Vilfridus, Suitbertus, Bonifacius, Albus, Gaudentius; tùm è Benedicti disciplina innumeri, qui Galliam, Sueuiam, Britanniam, Germaniam, Hollandos, Dacos, Gothos, Sarmatas, Lithuanos, Moschos primis Christianis sacris, fideique rudimentis imbuere. Quæ verò Dominici, ac Francisci, Ignatij, aliorumque clarissimi Ordines, è Peruanis, Persis, Medis, Cataio, nouoque ex Orbe trophæa reportauerint, nullus profectò æquauerit stylus. Accessisse itaque Ecclesiæ censui tot Regum Barbarorum purpuras, ac fidem; adauctos tot efferatarum gentium nominibus Christianos fastos; stipendiarium Romæ, Romanoque Pontifici Orbem factum, Religiosorum profectò opus, ac labor est. Quorum hac etiam tempestate industria, ac virtus ad vtrosque Indos, atque Africæ, Asiæque recessus intimos amandata, nimiùm quantum suo persæpè sanguine purpurata, cum aliorum fructu efflorcat. Hos inter exigua etiam Nostratum manus, non vno quidem in loco, nec impigrè desudat; ac tùm Georgianas cautes nouis moribus emollire; tùm Colchidis Regna, eiusque soli infelicitatem, disseminata fide, fæcundare; tùm interiores Indias, vastosque Golgondæ terrarum tractus complere Euangelio egregiè student: nec subsidiariæ desunt per interualla temporum copiæ, quæ iuuando maximo operi submittuntur, vt in loco, Deo adspirante, narrabimus. Quorsum verò isthæc commemorauimus, nisi vt intelligat statim lector, meritò quidem Religiosorum familias Apostolica munificentia, summisque Pontificum beneficijs cumulari, quæ in propugnanda, ornandaque Ecclesia tàm insignem operam ponunt. Id enimuerò apud omnes institutas egregiè Respublicas mos tenuit, vt qui pro vindicando, augendoque Imperio, atque asserenda Senatus dignitate præclaram vim animi, ac pectoris robur strenuè adprobassent, ijs insignia laudum authoramenta, & sua præmia starent, tùm vt virtutem ipsam alerent, ac insignirent, tùm vt nepotum succedentium animis faces adderent, quibus Reipublicæ bono conarentur & ipsi magna; adijcerentque vicissim suas etiam ad illas Maiorum quercus, ac lauros. At enim tanto splendidiore beneficentia honestari Religiosos viros

Quid in commune Ecclesiæ bonum contulerint Religiosi.

Fidē ad Barbaras gentes disseminaūt.

Et hac etiam tempestate disseminant.

Et laborum partem nostri etiam sibi vēdicant.

Quarè labori sit suum præmium necesse est.

Qui mos est optimarum Rerump.

par est, quantò præstantiora, ac maiore quidem conatu aggrediuntur. Arma siquidem, opesque hostium profligasse; addidisse Imperio Vrbes, ac nomina populorum, quantum demum est, si cum vitiorum clade, cum virtutum documentis, cum sacrorum cultu, cum animorum denique institutione componas, in quibus Ascetæ summa laborum tolerantia toti sunt. Ergo sacrarum familiarum labores in publica Ecclesiæ commoda exanthlatos, eorumque studia, eloquentiam, cruorem, cædes, amplissimis excipere priuilegiorũ, ac facultatum præmijs æquum omninò est; ac non tàm beneuolentiæ argumenta, quàm pretia meritorum, ac trophæa victoriarum sunt, quæ summi rerum Arbitri, Romani Pontifices, quorum est æqua lance industriam, atque egregias curas æstimare, fortissimis perindè, ac benemerentissimis Religiosorum legionibus largiuntur. Atque hinc est, quòd hisce prærogatiuis, atque immunitatibus instructi Ascetæ, qui sua indole, institutique ratione impigri, erectique ad Religionis, fideique causam erant; generosiores ijs adiumentis fiant, habeantque Pontifices, inferioresque Antistites, siue bella in viria struant, siue excolendis moribus vacent, optimos, & cooperatores, & commilitones. Eò namque eorum studia omnia, ac vigiliæ spectant, vt in Ecclesiarum procuratione auxiliares Episcopis operas, ac manus locent. Illud postremò huiusce digressiunculæ, quam instituimus, velut corollarium esto. Dilaudandos videlicet peregregiè Summos Pontifices, qui eximia Religiosorum Ordines auxere liberalitate. Illustria siquidem ea Ecclesiæ membra dum nobilitarunt, & caput ipsum, totumque corpus visi condecorasse: adepti quidem iustitiæ, ac munificentiæ vtramque laudem, honestata nempè liberaliter virtute, & collato laborum pretio. Atque hæc quidem de priuilegijs, de quibus & aliàs redibit sermo.

At Religionis eò maiora beneficia debentur, quò præstantius desudant.

Quibus alacriores redduntur ad ardua capessenda, Præstandasq. Episcopis auxiliares manuur

Ad lineam nunc redeat narratio: Atque ad in sequentem voluentis seculi annum trigesimum secundum, in quo habitis Venetijs Comitijs iussus Carafa est, prosequi munus regendæ Sodalitatis. Illudque de eo hoc anno adnotandum, etsi multi adscribi in Ordinem petiuissent, paucos admodum, rigida quadam iudicij maturitate admisisse: in quod & conuenire Patres reliqui videbantur. Nam qui exploratum habebant [Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate consistere multitudinem,] vt ait [a] Chrysostomus, nostro potissimùm Ordini id ab ipso rerum initio propositum voluere, vt intra paruum quidem numerum cresceret disciplinæ obseruantia. Et verò, quòd etiam ab hominum vel virtute, vel ignauia pendere familiarum siue incrementum, siue exitium probè nouerant, eorum vsque adeò exacta, atque acris in adsciscendis fratribus cura erat, vt non nisi quorum egregij animi impetus, ac spiritus, acerrimo quidem virtutis examine, atque experimento, comperti omninò essent, hoc est, paucissimos, admitterent. Ad hæc, qui non certis commodis, opibusque, sed extrema paupertate, ac precaria piorum beneficentia nitimur, satis profectò nostræ inopiæ, atque instituto consentanea ea paucitas est: vt excitare quidem, nec prouocare Numinis prouidentiam; fouere fidelium charitatem, non obruere videamur. Et quidem is fuit à primæua ea Patrum prudentia haustus succedentium postea Nostratum sensus: hæc assidua prudentissimorum hominum, & qui nostra amant, curantque, ad nostros adhortamenta. Nam qui institutos successiuè sacros Religiosorum Ordines accuratè excusserit, comprehendet enimuerò, tunc demum dilabi regularem obseruantiam cœpisse, cum inducta capitum multitudo: in quam cum facilè confusio, atque animorum, sententiarumque quædam veluti scissio, ac distractio irrepat; contineri in sua disciplina, nexuque charitatis ordo vix potest. Præterquàm quòd, cum non ea sit hominis mens, vt cum præter modum excreuerit regendorum numerus, peruadere vastum corpus, atque animare suo spiritu, ac consilio totum possit; contingit sæpè, vt quæ Moderatoris afflatu, animaque membra destituuntur, dissoluantur, ac diffluant, afficiantque mox contagione sua reliqua, serpatque subindè per partes omnes malum.

Comitiis Venetijs habentur. Reficitur Præpositus Carafa. Pauci in Ordinem capessendi facultas fit à nostris.

a Homil. 40. ad Pop.

Hominum nempe ingenia diligenter expendebāt.

Et quòd strictior paupertas id exigerit.

Religiosarũ familiarum casus à multitudine.

Nam regi vasta familia via possunt.

Igitur hanc potissimùm mentem secuti Patres, paucos admittere consueuerant, & non nisi qui votum consilio, atque assiduis precibus maturauerant. Talis fuit Benedictus Titionius, Fundanus, qui hoc anno, & Sodalitati nomen dedit, & quædam Nostratibus Neapolitanæ professionis, coloniæque occasio fuit; vt dicemus.

[Benedictus Titionius dat nostræ Congreg. nomen.] Nunc verò Diuinitatis ductu in nostrum Ordinem fuisse adscitum, mutata repentè velificatio, initumque ex insperato confilinm clarè demoustrat. Rem ita habuimus. [Occasio.] Inierant quidam Neapoli Clerici consilium, remotiorem à seculi, vulgique rumoribus vitam instituere, [Remotioris vitæ consiliũ Clericis Neapolitanis.] inter quos eminere videbatur Benedictus Fundanus, vir quidem non suæ Gentis, ac natalium luce conspicuus, sed quem cum paucis commendabat quæ à splendote virtutis claritudo animorum gennsnobilitat. Moribus verò ad omnem disciplinam exactis par erat ingenium, bonis artibus, atque excellenti genere eruditionis excultum; [Inter quos Titionius, ingenio, ac moribus excultus.] accedebarque, quod præclarum est in litterarum studijs ornamentum, non modò Italicæ, sed & Græcæ, Latinæque linguæ vsus, ac elegantia. Is igitur, vt qui efficaci vir ingenio, exertoque erat, curare consilium, ac maturare eam viuendi formam, cui se ipse, alijque dedicarent, occœpit. [Locum constituræ disciplinę designat ipse, & curat.] Locus ad Porram Ianuariam extra Vrbis mœnia delectus, quem rarus hominum aditus, atque exigua, ac vetusta quædam litandis sacris Ecclesia, Sanctæ Mariæ à Misericordia dicata, opportuniorem reddebant. Hic ille pro census tenuitate, ac piorum ope modicas quidem excipiendis Clericis Ædes dum cogitat, perlatum viri studium ad Ioannem Antonium Caracciolum, [Iuuatq. opus Oppidi Comes.] Oppidi Comitem, virum ea tempestate ab indole virtutis, magnificentiæ in primis laudatissimum, vt legatum postea promouendæ suæ gentis virtuti amplissimum patrimonium, præscriptique ad æternum inopiæ subsidium, ac suæ pietatis argumentum census annui luculenrer commonstrarunt. Is, vbi Titionins lentis quidem conatibus ædes moliebatur, accessit, admiratusque in tanta rernm angustia amplissimos viri spiritus, profectò, inquit, non extinctus, sed ardens, ac viuus titio hic est. Et qui setiùs, aur nunquam exiguis ijs sumptibus rem absoluendam comprehendit, vltrò se Titionio, suamque opem in præclaro eo opere obtulit. Instauraret, expoliretque eam Misericordiæ Ædiculam, extrueret proximè domicilium, atque adornaret; substructioni, ac reliquo cultui non d. futurum se animo, ac liberalitate. Quod planè munificè [Domicilio exacto, de viuẽdi ritu delibe rat Titionius.] executus, breui ædificium Clericis absolutum. Atenimuerò cum Titionius quasnam potissimùm sibi, suisque vitæ rationes, discip'inamque proponeret, nondnm constituerit, incertusque animi esset; id mentis cœpit, vt Venetias excurreret. Si quidem de laudabili Thienæi, & Carafæ instituto, atque optimo vitæ genere iam magna vulgauerat Neapoli fama; ac pretium operæ non exiguum facturum se putauit, si illuc traijceret, vt inspectis propiùs, obseruatisque adamussim Clericotum Regularium [Venetias cogitat, vt nostros mores addisceret.] moribus, addisceret ipse prior, quæ mox suos edoceret. Placuit id etiam consilij Comiti Oppidano; nec mora; viæ se continenter commisit. Verùm Tirionio quidem vltra votum res successit, reliquis non ex voto. Quippè exceptus ille Venetijs quàm humanissimè à Nostratibus, dum omnem regularis eius vitæ ordinem, morum grauitatem, eorumque ad sanctitatis formam temperationem, officiorum partes, paupertatis cultum, ac leges, religionem, studia litterarum, nihil denique non in laude summum obseruat; [Capitur nostro instituto.] capi ea virorum consuetudine, exemplisque mirificè sensit, simulque reputare apud se cœpit, religiosæ obseruantiæ voti se religione obstringere, quàm liberum, ac nulla compede disciplinam profiteri, longè pulchrius esse: cumque anceps adhuc esset, an regularis disciplinæ ratio, quæ tàm sanctè constaret iam in Veneta illa Clericorum Regulariũ familia, in suorum Clericorum cœtu successus Neapoli habuisset; impulsu quodam Numinis statuit secum ipse, obfirmauitque animum, certis, pręclarisq; ijs legibus Venetijs insistere, nec incertam vitæ, disciplinæque aleam Neapoli subire. [Admittique in Ordinem petit.] Ergò, aggregari ad nostrum Ordinem exquisitis precibus petijt: viroque optimis & litteris, & moribus insignitet instructo adscribi in familiam haud difficilè fuit. Intellexerant quippè statim Patres, præcipuè Carafa, qui primas tenebar, quantos gestaret animos Tirionius, qui nullo territus incommodo, ea fiducia, ac contentione Patria soluerat, longumque iter instituerat, vt regularem, veramque philosophiam addisceret, vt plane vires, ac vim mentis egregiam ad aspera quæque Religionis subeunda afferre videretur. [Et adscitur, auditque Seuerus.] Admissus die 7. Octobris eius anni, vocatusque postea Seuerus, accommodato planè ad disciplinæ seueritatem, quam ad extremam vsque vitæ lineam retinuit, nomine: vt dicemus suo loco.

[Eodem mẽse admittitur Petrus Fuscar.] Hoc item eiusdem anni mense aucta Sodalitas est & alio insigni quidem Viro, cui nomen Ioannes Simon, postea Petrus, Fuscatenus, quà doctrinarum splendore, quà

vitæ

vitæ innocentia ea tempestate celeberrimus; inijtque cum Seuero tyrocinium, inter quos insignis fuit animorum quidem nexus, at pietatis æmulatio; ac tùm primùm visa est in tyronibus emerita, atque exacta ad omnes numeros virtus. Patria Veronensis fuit Fuscarenus, loco natus perhonesto, educatusque liberaliter. Ab adolescentia, atque à litteris humanioribus simul enatauit. Cumque non vulgare quidem sui specimen, ac documentum ingenium daret, promouere quam de se Adolescens spem excitauerat, Parentes decreuere; ac Parisios ad florentissimam eruditionis, atque ingeniorum Academiam amandarunt. Ciuili, sacroque Iuri operam nauauit: & qui Clericali habitu diuino sese cultui mancipauerat, visus est, accuratiùs Sacrorum Canonum studia complexus; vsus præceptore Antonio Sollerio, cuius in eo tunc Gymnasio eruditio, ac fama dominabatur: eiusque testimonio tanto cum scientiarum incremento, gloriaque nominis litterarum in puluere desudabat Petrus, vt non discipulus, sed magister videri statim potuerit. Inauguratus mox est Parisiensi Laurea, qui sanè gradus is tunc erat inter litteratos, vt quælibet insignia dignitatum, ac titulos exæquaret: neque enim cuiquam passim contingebat, nisi qui solidum quidem diem argumentis acriter oppugnatus, alijs subindè, atque alijs recenti telorum iactu, ac redintegrata veluti pugna succedentibus, frequenti in erudítissimorum hominum theatro, publico ingenij experimento, ac laude non disceptauerit. Id certamen strenuè inijt, absoluitque Petrus omnium plausu; creuitque vulgò vsque adeò nomen, ac studiorum opinio, vt non post multò Ecclesiæ Baiocensis Cancellarius fuerit renunciatus: honor profectò insolens, ac magnus viro Italo. Verùm qui non Galliæ, sed Italiæ bono, & nostro potissimùm Ordini expoliuerat hominem Deus, aperire huic destinationi viam cœpit. Nam Episcopus Gibertus, qui enatam Veronensi in solo arborem, alio Cælo viuere, vmbramque ac fructus impertire exteris, minùs æquum putabat; inuitare illum perhumaniter Veronam. Patriæ nimirùm, quàm Galliæ rationes potiores esse: posse hìc studia litterarum, atque opes animi magno cum animorum quęstu, suique laude impendere: addiditque inuitamento pondus, nempè in Veronensi Diœcesi Sacerdotium. quod honori viro celebri, & commodo foret: ac ne Cancellarij munus excusaret, impetrauit à Pontifice, vt Veronensis ea præfectura Baiocensi dignitati nulla ex parte derogaret. Ille, etsi prouinciam detrectaret, passus tandem est exorari, ac Veronam redijt. At cùm maximè in eius Sacerdotij curas incumberet, nec labori, nec industriæ parceret, quod iam Clericorum Regulariũ Ordo in ea potissimùm regione omnium linguis celebraretur, admoueri arcanum, atque ineluctabilem quendam ignem pectori sensit, quo humana omnia fastidire, ac propelli in eam Clericorum disciplinam cœpit. Cogitationem, quòd iniectam diuinitùs cognouit, non diutiùs versandam animo duxit, adijtque ad Gibertum, à quo impedimentum profectò, moramque aliquam subuerebatur, ne commendatam semel, cœptamque animorum curam desereret. Verùm ille Nostraribus magnoperè addictus, vt præclarum ineundi eius instituti consilium inaudiuit, probauit illicò, gratulatus eam viri accessionem nostro Ordini. Ergò adscitus in Sodalitatem die 17. Octobris, exceptaque à plerisque non sine admiratione eius rei fama, quibus virum ornatissimum sugillare nonnihil placuit; quòd qui omnigena doctrina, ac prudentia iuuare mortales posset, quique excubare animorum saluti iam cœpisset, suæ tranquillitatis, otijque nimis cupidus, ab eo puluere in vmbram se recepisset, relicta sua Spartha. Ipse, etsi non ignoraret, quæ momenta in re tàm graui haberent, aut amicorum affectus, aut vulgi tumor; tamen propugnare egregium consilium voluit disertissima scriptione, quam licet Sollerio, eius olim Præceptori tribuant nonnulli, à Fuscareno lucubratam, pro comperto habemus. Is fuit Dialogus de Vita contemplatiua, in quo Solletium, qui fortè discipuli mentem minùs probauerat, secum ipse colloquentem inducit; & quà Philosophorum sententijs, quà Sanctorum Patrum testimonio, exemplisque actioni contemplationem, ac recollectam intra sui ipsius penetrale animam dissipatæ, distractæque veluti in foro menti longè præferendam euincit: nec insolens esse, vt quis è Sacrorum administratione, ceu contractis velis, afferat sese in locum tranquilliorem, vt sibi, ac Deo vacet; quando non vnum quæsitum è sacris historijs istiusmodi prisci æui exemplum repræsentet posteritas. Id genus argumentis initæ

Eius Patria, & educatio.

Studia Parisijs.

Et Parisiensis Laurea.

Renunciatus post pauló Baiocensis Cãcellarius.

Veronam inuitatur à Giberto;

Et honesto Sacerdotio inficitur.

Capessendi Ordinis mẽtem induit.

Probatque consilium Gibertus

Et à nostris adoptatus in Ordinem.

Carpitur viri consilium.

Qui pro se Dialogũ apologeticum scripsit.

mentis præstantiam diserta in ea lucubratione probat Fuscarenus; qui statim in ipso suæ vocationis initio consignatis litteris in Pontificis manus, Baiocensi sese munere abdicauit. In quo sanè illa Episcopi Theatini religio oppidò admiranda. Siquidem cum eius abdicationis litteras Giberto commendaret, rogat enixiùs, obtestaturque per Deum immortalem, ne se in illius collatione immisceat, neque aut reseruationis via, aùt pensionis extensione suo, aut alterius nomine quid transigat; nec alios moneat, vt sibi consulant; sed candidissimè, & clàm omnibus litteras Pontifici reddat, qui ex animi sui sententia ea de re statuat. Secus si faxit, diem Domini magnum Antistiti interminatur. Exemplum profectò Ecclesiasticis luculentum, ac ingens, vti se, in Sacerdotiorum, aut abdicatione, aut ambitu gerant.

Baiocensem dignitatē abdicat.

Quid in ea abdicatione Giberto perscripserit Carafa.

Cum his adnumeratum in Commentarijs nostris hoc item anno reperimus Theodorum Maurocenum, è patricio Venetorum Ordine, genere, & virtutis indole illustrem apprimè adolescentem; at breuis æui, quippè adoptatus in Ordinem, dum emetiri cursum asperioris vitæ enixiùs contendit, fato interceptus præmaturo, sui, suæque appetentis iam sanctimoniæ desiderium reliquit. Scribit de Theodoro hoc Episcopus Theatinus ad Maurocenum, eius Patruum, Virum religiosum, cumulatque ijs litteris, quæ penes nos sunt, summa laude adolescentem: morum probitatem, suique deiectionem, constantiam in primis attollit; quòd cum eius imbecillitati, ac valetudini satis metuerent Patres, si duriorem eam Theatinorum obseruantiam iniret, ac propterea admittere detrectarent, frangerentque ea vota temporis diuturnitate; rem ipse eximia contentione prosecutus, nec vires suas, nec repulsam æstimauerit, ac professus persæpe conceptis verbis fuerit, malle se loci, rerumque omnium angustiam pati in eo Clericorum Regularium Cœtu, quàm in alias & celebritate, & vectigalibus amplissimas familias cooptatus, earum splendore, & commodo frui. Meminit porrò ijs etiam litteris Carafa Caroli Mauroceni, Theodori fratris, qui & animo, & opibus Nostratum inopiam in Veneta ea domo subleuabat; vt non immeritò in prænobilem Gentem Maurocenam peculiari quadam affectu, animique deuotione feramur Clerici Regulares, quippè qui vel ab ineunte Sodalitate eius stirpis virtutem, floremque delibauimus in Theodoro, & fuisse nos Caroli munificentia, ac pietate obstrictos, scimus.

Adoptatur item in Ordinē Theodorus Maurocenus.

Qui paulò post obijt.

Laudaturque Carafæ litteris.

Quibus & Caroli Mauroceni in Ordinē liberalitas cōmendatur.

At dum ij censentur, qui nomen apud nostram Sodalitatem professi hoc anno sunt, à narratione haud puto alienum, si quem memorauero, qui eo quidem desiderio flagrauit, sed minimè admissus, humana quauis celebritate, & commodo altiores nostros declarauit, ac summè solicitos, ne quid susceptæ institutioni, rigorique detraheretur. Is fuit Marcus Antonius Flaminius, Vir suo æuo celeberrimus, Græcè, ac Latinè apprimè doctus, omnique amœniore disciplina, ac bonis artibus instructus; qui posteà, quæ grandium ingeniorum frequens infelicitas est, in communem eam cladem de iustificatione per solam fidem, quæ plerosque ea tempestate insignes viros inuoluit, incidit: arcano quidem Dei iudicio, vt lapsum erigeret, ac reuocaret Episcopus Theatinus ingenti precum vi, ac facundia, vt in loco explicabimus. Is, quòd placuerant emendati, sanctique Nostratum mores, ac instituta, exigere ad eam normam suæ vitæ rationes in animum induxit suum. Verùm, cui non admodum firma, ac robusta valetudo erat, ita se instituto, seuerisque eius legibus obligari animus erat, vt sartam quidem, ac tectam, constante vndique obedientia, reliquam disciplinam vellet; sed vt affecto corpori benè esset, mulceri sibi aliquantisper victus rationem, ac frequentiùs domum animi causa egrediendi facultatem fieri, efflagitabat. Decus, quod Ordini Vir eius notæ conciliaret, incitamento futurum putabat, vt eam sibi legum asperitatem temperarent Patres; tùm, se tradendis in Congregatione litteris strenuam operam nauaturum; & quòd angustias nostras domos cerneret, vt alliceret magis, suffecturum insuper illis amplificandis sumptus, polliceri. Demum quòd in id se Patrum contubernium admitti, maximoperè cuperet, vt res succederet, Franciscum Cappellum, Virum grauissimum, ac Senatorium, ac de nostra potissimùm Congregatione optimè meritum rogauit, vt quà auctoritate, quà precibus rem ipse optatissimam conficeret. Egit confestim cum Thienæo litteris Cappellus, nec quidem perfunctoriè: nam & Viri præstantiam, quæ perspecta etiam nostris erat, & studiorum splendo-

Marcus Ant. Flaminius, vir celebris Ordinem efflagitat.

Intercessitq; Franc. Capp.

ſplendorem, & Ordinis incrementum, & commodum ſingillatim explicauit; addiditque poſtremò omnia, quæ ponderi eſſent, ac flectere ad eam poſtulationem Patres poſſent. Caietano, inſtituti ſui, atque vnanimis diſciplinæ tenaciſſimo, nihil abſurdius fuit. Rem cum Socijs, præcipuè cum Carafa contulit; mox Cappello modeſtè quidem, quippe cui cùm multum deberet, plurimum debere vellet noſtra Congregatio; ſed ſummo candore animi, ac dicendi libertate dignam egregia ſua mente, dignam inſtituto reſponſionem dedit in hunc ſenſum, quem è prolixiore epiſtola in pauca hæc verba contraximus. Epiſtolam ſcilicet legiſſe, communicaſſe illicò cùm Patribus: eiuſque ſententiæ eſſe omnes, vt qui adſcitum in Sodalitium vellet, vnius moris in eo futurum, proponat ſibi neceſſe ſit: nil ſiquidem magis cum re communi certare, quàm ſingularitatem. Deberi quidem ætates, vires, valetudinem librari æqua lance, vt vna quidem manu, non vna, eademque omnibus menſura quicquid opus fuerit, impertiat caritas, ad priſcæ ſanctitatis exemplar: diuidebatur namque ſingulis, prout cuique opus erat. Id verò æſtimare, ac penſitare Præpoſiti officium, ac munus eſſe. Flaminium ergò Congregationem, ac receſſum expetere, bene eſſe. Perſuadendum nihilominùs ſibi fore, Congregationem Dei bonitate, nutuque regi, qui ſciuerit tantundem lucis Moderatoribus infundere, vt cerni cuiuſque imbecillitas queat, ac tantum charitatis, quæ eius imbecillitatis onus ferat. Ac proindè ſi mens eſt, Inſtitutum capeſſere, vt ad Christi pedes, atque inter Religionis brachia ſtrenuè ſeſe, ac liberè abijciat, oportere; nec maius ſibi imperium ſui, ac libertatem fore, quàm cuique ex Ordine. Erogatas verò in communem vſum opes, ac ſtudiorum communicationem nonadmodum mouere eos, quibus, quàm quoduis commodum, potior eſt obſeruantiæ rigor, & Chriſti Crux. Cæterum, præclaram tanti Viri eruditionem placere quidem, ſed quòd diſcere ipſe inter pauperes Chriſtianæ pietatis rudimenta velit, placere magis. Hæc Caietanus ad Cappellum. Quo ſpiritu, & quàm erecta, celſaque mentis indole, quiſque videt. Nouerat quippè litterarum celebritate faſtum, ac remiſſionem interdum officiorum irrepere in Ordines, quos vnanimis caritas, ac ſtrictioris diſciplinæ ſtudium ſemper auxit.

Qui litteras ea de re ad Caiet. dedit.

Digna Caiet. reſponſio.

Cui potior regularis obſeruantia, & Chriſti Crux, quàm Viri ſtudia.

LIBRI QVARTI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER QVINTVS.



DIV Iam intra Venetos eos fines continuerat sese nostra Clericorum Regularium Sodalitas. Verùm quòd iam & numero, & robustiore quidem spiritu constantibus adoleuerat incrementis, efferre extra eos lares pedem, ac se in liberiorem campum permittere posse videbatur. Enimuerò, licet is nostrorum hominum cœtus in ea tantummodò Vrbe desudaret, necdum celebritatem industriæ, ac vigilijs suis nouo in theatro posceret: nihilominùs, quæ virtutis est indoles, claudi quidem, nec latere nomen, ac fama longè, latèque peruagabatur, accenderatque iam multorum studia vehementer, illustria ea Patrum exempla cominùs intuendi, fruendique insigni disciplina, ac moribus. Neapolitani, qui partem non planè vltimam, aut exiguam eius sibi familiæ vindicabant; quandoquidem Episcopum Theatinum, gentilem suum, eius famæ, ac præstantiæ virum, inter Ordinis Auctores non postremum fuisse nouerant, eam disciplinam, ac laudabile institutum, ceu peculiarem quendam Neapolitanæ industriæ, ac virtutis fructum deposcebant; & quò feliciore admurmuratione eximiam virorum consuetudinem, atque exempla fama loquebatur; eò vehementiùs vota inflammabantur. Expertierant persæpè Viri proceres à Carafa, vt quod Venetias Institutum tanto cum eius Vrbis compendio, sacrorumque incremento importauerat, Neapoli propagaret, fieretque eius beneficij compos Patria, quod exteris contigerat. At ille, vel quòd vnà cum humanis rebus omnibus affectum etiam in patriam exuerat, & suæ quieti cauerat absentia: vel quòd Gallicis armis, ac mox grassantibus lue, ac fame, diuexatam eo maximè tempore Vrbem illam, minus idoneam excipiendæ, fouendæque Sodalitati reputaret, vt secundas postulatis aures præberet adduci nunquam potuit. Tandem Benedictus Titionius, de quo supra memorauimus, qui Venetias soluerat, vt Clericorum Regularium sibi, suisque leges exscriberet, sanciretque, pulcherrimam communi desiderio viam aperire, instaurandique acriùs vota occasionem porrigere visus est; Etenim cum is captus nostro instituto, Venetijs, vt diximus, hæsisset, Ioannes Antonius Caracciolus, Oppidi Comes, qui cellas ad Portam Ianuariam ipsi Titionio, eiusque Clericis exædificauerat, spe, quam de ipsis conceperat, frustratus, diuinæ prouidentiæ nutu id factum putauit, vt scilicet eas ipsas Ædes ipsissimet Clericis Regularibus dedicaret: statimque in eam deliberationem ingressus, assensuros facilè expeditioni Patres, certò sibi persuasit, si destinatum iam locum, concinnatas domos, adornatamque sacram Ædiculam semel inaudiuissent. Igitur re cum plerisque è Neapolitana nobilitate communicata, exarsere denuò omnium studia: nihilque cunctandum rati, quò faciliùs & Carafam, & aliorum animos expugnarent, tùm communi Ciuitatis nomine, tùm priuatim plurimi, veluti instructo agmine, rem aggredi compositis litteris decreuere: illas omnes hic percensere, prolixior sanè res esset: instar omnium erit obsignata publico nomine Septem-Virûm Epistola, quòd in ea concepta Theatini instituti, Patrumque opinio, atque ex omni ætate, ac censu hominum vota abundè explicantur. Cuius exemplar latinè redditum, id est.

Anno iam Sodalitas peti multorum studijs cœpit.

Neapolitani plures Institutum postulauerant.

Negauerat multiplici ratione Carafa.

Comes Oppidanus denuò rem vrget.

Excitatis procerum, ac Vrbis studijs.

Ad Carafam Septem-Virû litteræ.

Ioanni Petro Carafæ, Episcopo Theatino. Erecti à præclara, quam adornasti seculi fuga, atque ab ea, quam instituisti, vitæ ratione, persæpè ad te scribere animus fuit, vt ad Dei primùm gloriam, tùm a huius Vrbis solatium, fructumque, quæ, ceu Mater amantissima, tantum sibi filium magnificè gratulatur, ea hic virtutum

exempla disseminares, quæ sparsa alibi pulchrè iam sobolescunt. Nunc verò quia Oppidi Comes ardore animi, ingentique in Sodalitatem vestram zelo excitatus, opportunum quendam locum, vbi diuina procurari, atque vrgeri insignis vestra disciplina possit, extruendum curauit: impensiùs precamur, vt Ciuitati huic tuæ eo te beneficio beneuolum, pronumque exhibeas, quod ad proximorum vtilitatem, diuinumque honorem, efflagitamus: nec abnuerit profectò quisquam vestrum suæ hic probitatis vestigia consignare, vbi Apostolorum Princeps Petrus monumenta suæ dignitatis, ac nominis relinquere, non est dignatus. Locus quidem propè mœnia percommodus, amplus, salubri cælo, longè à fori, vulgique strepitu, vt quibus est veræ sapientiæ cultus ad cor, sectari hìc illam, atque excolere pulcherrimè possitis. Nostræ te deuotioni propitium pollicemur. Cum Titionio, quem nuper spectatæ quidem probitatis virum, inter vos excepistis, adlegare huc libeat saltem duos, succedentque mox alij, Deo dante, vt possit Vrbs hæc thesauros suos in cælo collocare, ac in vestra inopia Christum pascere. Interim dum nos tuis, tuorumque precibus ex animo commendamus, hæc nostrum omnium vota minus frustratum iri speramus. Neapoli die 4. Octobris 1532.

Non parum apud Carafam momenti hæ litteræ habuere; ac vereri maximè cœpit, ne quod priuatis antea procerum, atque amicorum postulationibus negauerat, si publicis modò Vrbis precibus non indulgeret, obstinati, præfractique nimis animi, ac mentis in Patriæ bonum minus intentæ, opinionem sibi apud gentiles suos excitaret. Ad hæc, Mariæ Sororis, quæ & ipsa populorum studia suis litteris cumulauerat, inuitamentum, ac preces potissimùm valuere. Quippè quo erat in Sororis profectum animo Episcopus Theatinus, recentem, strictamque eius Cœnobij, quod ipsa non ita pridem excitauerat, obseruantiam, nostratum consilio, atque ope curari, augerique magnoperè cupiebat. Quarè cùm non vnum ad eam Vrbem, cùm priuatim, tùm publicè commodum deriuaret, si colonia illuc Patrum duceretur, inclinare sensim Carafa ad eam profectionem animum cœpit. Collatum illicò cum Caietano, ac socijs consilium fuit, quorum sanè non vna difficultas versare animos cœpit: ac demùm excussa diù re, adornandam expeditionem censuere omnes. Verùm, quòd à Pontificis Maximi nutu vt penderet familia, semel decreuerant, seque supremo illi imperio ex animi sententia mancipauerant; consulere in re tam graui illum Numinis, cælique interpretem, pernecessarium duxere. Rem Giberto Veronam significant, rogantque, vt quoniam conuenturum propè diem Pontificem sciuent, agebat tunc Bononiæ Pòntifex, negotium cum illo transigeret. Sufficere nempè filijs obsequentissimis magni Patris explicatum breui sententia, atque imperio sensim, ituros, hæsuros confestim, pro nutu, aut renutu. Illudque inculcatum quàm maximè Giberto voluere, vt quò luculentiùs manare Cælo oraculum intelligerent, nihil ipse insinuaret, sed puram, suique veluti coloris Pontificis mentem exciperet, redderetque. Ea nostratum addubitatione, ac mora, tùm quòd non adeò maturè Bononiam concesserit Gibertus, vt negotium ad Pontificem deferret, dilata ea deliberatio aliquandiù fuit: quo Neapolitani, haud sedere Patribus nouam illam expeditionem, ac domicilium, coniectarunt: cumque incitati pridem pectoris vehementiùs ardor cresceret, vtendum vi putarunt, remque ipsi vrgere apud Pontificem cœperunt; ac peruenere Neapolitanorum procerum postulata, quo tempore & Nostri homines ea super re summum ipsum Christi Vicarium, Giberto interprete, consulebant: factumque vt ineunte mox anno eius seculi tertio supra trigesimum, expeditum Bononiæ diploma, allatum Patribus fuerit, in quo non adhortari modò, aut aperire mentem suam Pontifex studet; sed quò difficultatum nubem omnem dispelleret, dubiosque in ea expeditione confirmaret, summo iure agit, vt ipsorum aliqui Neapolim sese quamprimùm conferrent, supremis obedientiæ legibus præcipit. Planè, non hìc suggillandi nostri homines sunt, quòd ceu ampliorem aream, lucemque publicam detrectarent, moras necterent, ac proindè ea decreti vi fuerint adigendi. Enimuerò, etiam si præclarum omninò, ac gloriosum opus fuerit, quod virtuti proponitur, morari tamen aliquantisper, ac veluti addubitare, vt rem interim, & tempus, & iudicium, & sapientum mens probent, id demum summa prudentia est; atque adeò quòd suspensis

Valuere apud Carafam litteræ.

Probatque Neapolitanũ domicilium Sororis potissimùm causa.

Negotium cum Caietano, & socijs confert.

Qui consulendum Pontificem putant. Explorandàque Pontificis voluntatẽ Giberto cõmittunt.

Mora vehementiùs Neapolitanos inflammat.

Ac sua ipsi studia Pontifici suggerũt.

Qui summo iure agit, ac iubet.

suspensis admodum vestigijs, ac lentè in id negotium ingressi Carafa, ac reliqui Patres fuerint, quoddam deliberationi pondus, ac laudem addere, hoc fuit. Tùm, consulendus omninò Pontifex; vt ijs auspicijs sibi, ac Neapolitanæ Ciuitati expeditio benè verteret. Secundùm hæc, quòd tanto studio expetebantur, nonnihil profectò timoris inijcere viris modestissimis videbatur, ne tantæ expectationi, quam fama concitauerant, minùs responderent: præsertim cum plura desiderari capita viderentur, vt ad desideria tantæ Vrbis explenda transmitti copiæ numerosiores possent. Nec sanè affectus quidam, adultæque mutuis officijs caritatis sensus deerat; planè vt acerbius Patribus videretur illud sanctæ, ac diuturnæ consuetudinis diuortium. Cęterum qui vigiliarum, laborumque materiam, ac segetem gloriæ auersatos illos putabimus, inter quos rem tunc communem moderabatur Carafa, cuius amplitudo mentis, ingentisque animi terras omnes complectebantur? Neque alium cum Thienæo, ac socijs scopum, ideamque habuisse vnquam compertum est, quàm suo, suorumque exemplo, atque eruditione Religionem extendere, atque emendatos mores in omnem Christianum Orbem, ac posteritatem inducere. Quatè quæ videbantur hęrere, incitatissima per se quidem erant, pectora, vt potè ad animorum bonum facta, ac nata; præceptumque Pontificis quos alacres inuenit, reddidit promptiores. Porrò diploma hìc Pontificium exscribere è re fuerit, vt legenti statim occurrat Maximi Pontificis in nostros beneuolentia, & virtutis existimatio.

Cur in Neapolitana profectione Nostrates cunctabundi.

Carafa, ac socij in cōmune bonum incitatissimi.

Promptiores fiunt litteris Pontificijs.

CLEMENS PAPA VII.

Venerabili Fratri Ioanni Petro Carafæ Episcopo Theatino, & dilectis filijs, Caietano Presbytero Vicentino, ac eorum Socijs Clericis Regularibus nuncupatis.

Earum exemplar.

VENERABILIS Frater, & dilecti filij, salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, vos per hoc fermè quadriennium à nonnullis deuotis, etiam nobilibus Laicis, ex Ciuitate Neapolitana crebris pulsatos precibus, ac demùm ab ipsa Ciuitate publicis litteris vehementiùs fuisse rogatos, vt illuc aliquot ex vestris Clericis mitteretis, qui locum in eadem Ciuitate iam nomini vestro constructum, recipere, atque inibi Domino famulari valerent. Vosque itineris longinquitate, ac difficultate deterritos, simul & de vobis ipsis humiliter sentientes, nec ad satisfaciendum illorum expectationi vos idoneos cognoscentes, hactenus illorum precibus acquiescerè distulisse: sed cum hinc tàm deuota Ciuitatis vel preces contemnere, vel deuotionem fraudare, vel certè liberalitatem aspernari durum, & inhumanum, illinc tanto vos itineri credere, tam longè posita loca recipere, & quod maius est, tantam opinionem, expectationemque sustinere, audax nimium, & supra vires vestras vobis esse videatur, haretis in ancipiti, nec omninò vel quid fluctuatis, vel quod petentibus responsum detis, inuenire potestis. Quapropter diuino auxilio assiduis orationibus inuocato, ad nos tandem confugiendum putastis, nobisque pro vestra in nos, & in hanc Sanctam Sedem pietate humiliter supplicare fecistis, vt quodcumque nobis super eo videretur, vobis paternè consulere, de solita Sedis Apostolica benignitate dignaremur. Nos igitur deuotioni vestra satisfacere, quantum cum Domino possumus, cupientes, consultationi, ac petitioni vestra taliter respondemus, quòd cum ex Domini precepto, nos omni petenti tribuere, atque angarianti mille passus, alia duo simul pergere debeamus: cumque nos Paulus Apostolus non qua nostra, sed quæ Iesu Christi sunt, quarere doceat: quemadmodum ipse non quod sibi esset vtile, sed quod multis, vt salui fierent, se quæsisse testatur: debetis & vos aliquid laboris assumere, vt iuxta Domini preceptum valeatis proximorum vtilitatibus inseruire. Quòd si qua vobis exponi contigerit, qua vires grauare videantur, non debetis in virtute vestra confidere, sed in eo, qui diues est in misericordia, & qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dat verbum euangelizantibus virtute multa. Quarè ne vlterius sub ambiguitatis velamine latitantes, perplexa cogitationis æstuetis angustijs, vobis in virtute Sancta Obedientia præcipiendo mandamus, vt aliquos ex vestris Clericis ad eandem Ciuitatem Neapolitanam quàm citiùs destinetis, qui loca quacumque oblata recipere, atque in ijs diuino cultui, & humana saluti seruiendo iuxta clericalia instituta, & vestras laudabiles consuetudines Altissimo valeant in virtutum exercitio famulari; ne illius fidelissima Ciuitatis, qua fidem Catholicam ab ipso Beatissimo Petro Apostolorum Principe, vt piè ibi creditur, acceptam, semper constantissimè, fideliss imeque seruauit, deuota desideria diutiùs diffe-

differantur. Nec tu frater Episcope Patriæ tuæ te amanti, & roganti defuisse videaris. Volumus autem; vt ibi omnibus ijs priuilegijs, & gratijs gaudeatis, quibus alibi vobis per hanc Sanctam Sedem, & per Nos, aut concessum est, aut concedetur in posterum, vti, & potiri, & gaudere, contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum in Ciuitate nostra Bononiæ sub anulo Piscatoris die vndecima Februarij M.DXXXIII. Pontificatus nostri anno decimo.

Ergò quòd diuini Numinis voluntas in his à Romano Pontifice admotis faculis abundè eluceret, sequi quò vocarentur, & obsequi nulla mora decreuere Patres; delectusque profectioni, ac muneri, tùm Carafæ, cuius primæ tunc partes, tùm communi omnium suffragatione, Caietanus Thienæus. Socius verò adiungendus cum esset, placuit Episcopo Theatino ob tanti Capitis reuerentiam, vt ipsemet sibi, quem libuisset, adiungeret: qui diuino quodam ardore animi in eam statim vocem, admirabili viro, ac posteritatis memoria dignam, erupit: Me ne Socium deligere, quem malim? Conuersusque ad Saluatoris in Cruce traiecti, quæ aderat, imaginem, immò, inquit, hunc obsecro, obtestorque, ille vt mihi vestra deliberatione socius contingat, quem sciuerit ipse minus voluntati, genioque conformem. Atenim egregium hunc absolutissimæ virtutis, atque obedientiæ impetum eiusdemmet Socij præstantia, ac sanctitate compensatum voluit Deus; factum namque est, vt is à Patribus designaretur, quo nihil Caietano vnanimi voluntate, visque virtutum poterat esse aut similius, aut conformius; nempe Ioannes Marinonius, cuius prima ætatis, ac sanctimoniæ lineamenta iam descripsimus, exornabuntque sæpius historiam res eius piè gestæ. Apparatu quidem aut nullo, aut modico opus fuit sanctissimis viris, quibus sua paupertas pro quæstito itineris commeatu erat. Nec alienum anni tempus, quippè mordente acriùs cęli sydere, deterruit; soluerunt que bono cum Deo Venetijs hoc anno sexti voluentis seculi tertio, & trigesimo, die 2. Augusti. Romam, quò Pontifex postliminiò iam redierat, cum peruenissent, rectà Ioannem Matthæum Gibertum conuenere. Dederat ad eum litteras Episcopus Theatinus, vt aggressos Neapolitanum iter eius auspicijs Patres exciperet, foueretque quà consilio, quà ope, eosque totiusque Congregationis obsequium, fidemque Pontifici exhiberet. Nouerat abundè viros, eorumque mores, ac pietatem Gibertus, ruitque in eorum statim amplexus: nec mora: ad Clementem Pontificem cum illis adit, quos summus Pater ad sanctissimos pedes suos humillimè aduolutos, ac nimio sole, æstuque decolores vt vidit: Quo, inquit, filij, hoc sæuientis caniculæ tempore tanto cum vitæ discrimine abitis? Cui Thienæus; Præstat, Beatissime Pater, vitam proijcere, quàm tuis statim iussis non obtemperare. Agnouit Pontifex, maiorem æstu virtutem potuisse, anni leges, ac vices magnificè triumphare, ac contemnere: admiratusque est insignium virorum obsequium, animique promptitudinem: tùm de Congregationis progressionibus, statuque interrogauit, aliosque cum illis sermones seruit: ac perhumaniter appellatos, illisque benè precatus, dimisit. Non diù Romæ apud Gibertum morati, quippè quos flagrantia Neapolitanorum studia perurgebant, iter prosecuti, Neapolim peruenere; exceptique gratanter, ingentique beneuolentia: præcipuè Caracciolus, Oppidi Comes aduentantes ex animo complexus, extructo à se pridem, vti significatum est, instructoque domicilio excepit: cui quòd attigua erat Sacra Diuæ Mariæ à misericordia Ædes, accommodatum profectò Religiosorum hominum pietati, virtutumque exercitijs Asceterium videbatur. Et primò quidem Patribus tutela, ac nomen Deiparæ placuit; tùm illum loci genium, ac faciem, vtpotè extra portam Ianuariam, vbi non ea tunc ædificiorum celebritas, visi non improbasse; quòd eo silentio, recessuque conciliare piorum hominum pietatem, suamque adaugere mentis deuotionem possent. Nam, etsi Clericorum Instituto, quod, vt fusiùs diximus in loco, non contemplationem solummodò, ac recollectam vitę rationem, sed effusa, ac dispersa in commune bonum studia sibi proposuerat; minus consentanea solitudo illa videretur: eo tamen rerum initio opportuniorem iudicarunt, cùm vt è remota veluti specula gentis mores sensim æstimarent; tùm vt orationi attentiùs vacarent, ac sine curarum auocamento conciperent ipsius priùs rerum diuinarum vim, quàm in confertam posteà effunderent multitudinem. Huic igitur affixi domicilio, nihil proliziùs illis fuit, quàm peracti cum Deo itineris, collatæque in ipsos beneuo-

Figendo Neapolitano domicilio eligitur Caietan.

Qui eligere sibi socium recusat.

Patrum nutũ contigit illi Ioannes Marinonius.

Venetijs discedunt summa æstate.

Excipiuntur Romæ humanissimè à Giberto.

Qui illos Pōtifici sistit.

Nō sinè eius admiratione quod æstiuos calores insuper haberēt.

Neapolim perueniunt.

Excipit Caracciolus in Aede Deiparæ misericordiæ.

Arridet loci situs.

Velut opportunior ijs initijs solitudo.

neuolentiæ, atque hospitij monere Episcopum Theatinum. Scripsit Thienæus, descripsitque loci situm, prospectumque; & ab ea parte, quæ contemplationem respicit, commendatum voluit. Addiditque, si mitteretur quàm primùm sociorum manus, sperare se, fore, Neapolitanos ad audiendum Dei verbum, ac mysteria frequentanda vehementiùs in dies eousque alliciendos. Quòd si ijs vigilijs minùs respondissent populorum concursus, ac studia, haud difficile fore, commodiorem in locum transferri, vt instituto, atque animorum procurationi vacarent. Humanitatem, ac munificentiam Oppidani Comitis dilaudauit, significauitque præterea multa, quæ Carafam edocuisse, pretium erat.

Carafam eius domicilij monent, ac familiam augeri petunt.

Inter hæc Septembrium Comitiorum tempus appetijt, expletaque triennali Episcopi Theatini præfectura, uffectus Bonifacius à Colle, vir, vt memorauimus, exactę prudentiæ, ac pietatis. Perlectæ in Veneto eo Conuentu, quas Thienæus ad Carafam dederat, litteræ; atque agitata, quæ de Neapolitana ea statione significabant. Et quidem concepta euentuum prosperorum, atque Ordinis progressionis spe, probata ea loci rudimenta fuere: vtque gnauiter quàm primùm in proximorum salutem incumberent, ac communicatis, iunctisque operis in rem communem strenuè conspirarent, formandum certo numero, augendumque cœtum illum statuere. Ergo renunciato primùm eius domus Præposito Caietano Thienæo, designati ad eam sedem sex alij: nempè Marcus, & Laurentius Veneti, insigni probitate presbyteri, qui postea Neapoli vitæ, regularisque obseruantiæ cursum quàm longissimum emensi, in summa inibi, bonaque senectute spiritum posuere. Delecti presbyteri item duo, Petrus Veronensis, Doctor Parisiensis, & Cancellarius olim Baiocensis, vti diximus, & Michael Mazzalorsus, Monopolitanus, qui vt inter Nostrates adoptaretur, non ita pridem Neapoli Venetias discesserat, ac restitutus nunc eidem Vrbi, vsque adeò incomparabilem morum probitatem, atque eruditionem omnibus probauit, vt quà dubijs animorum rebus componendis, explicandisque, quà præbendis sacræ confessioni auribus, totum sibi Neapolitani proceres, ac vulgus vindicauerint; nec vllum vel temporis momentum, aut suæ quieti, aut communibus, statisque nostræ disciplinæ obseruantijs viro occupatissimo reliquum esset. Is postea Venetias iterum amandatus, mortalitatem ibi exuit, superstite fama virtutis decumanæ. Postremi duo nondum Sacerdotio initiati, fuere Hieronymus Consiliarius, Pauli frater, & Andreas Versus, Romani. Hi ad diem duodecimum mensis Octobris eiusdem anni, vsi tempestiua Autumni temperie in iter ingressi, breui Neapolitanam Coloniam auxere: statimque ad Thienæi votum, qui communem eam curam pro delati muneris officio capessere non detrectauit, ordinari res domestica, ac disciplinæ ratio cœpit; sacrorum in primis cultus, atque administratio ad Venetæ domus, atque instituti exemplar examussim exigi. Antelucanæ siquidem horæ diuinis laudibus dedicatæ: diurnis, statisque interuallis reliquum diuini Officij pensum distributum: expiandis conscientijs festis, profestisque diebus assidui aderant, concionesque habebantur ingenti cum aduentantis viciniæ fructu, ac voluptate.

Habentur Venetijs Comitia eius anni 33. Ordinis Prępositus Bonifacius à Colle

Neapolitanæ Domus Pręposi. Caiet.

Amandantur Neapolim formandæ Domui fratres.

Auctusq; eo numero Caietanus regul. obser. instituit.

Hæc Neapoli disciplinæ tyrocinia ponebantur. Atenimuerò, amplificando Clericorum Regularium instituto, sacrisque promouendis, non ab ea tantùm Ciuitate expetita nostra Sodalitas fuit. Nam sub id omninò tempus, quo expeditio Neapolitana apud Pontificem cudebatur, perlatæ ad Episcopum Theatinum litteræ fuere Ioannis Baptistæ Seluaghi, Genuensis, viri egregiè pij, ac vetere amicitia cum ipsomet Carafa coniunctissimo: quippè Romanam pietatem vnà cum Hectore Vernacia vnanimi contentione Romæ olim vterque excitauerat. Is quòd Venetos Congregationis progressus inaudiuerat, & commune bonum curare nostros homines strenuè, atque idoneos ad animorum quæstus, quàm qui alios, esse intellexerat, adhortari Carafam litteris instituit, vt egregios iam suos, suorumque labores intra vnius Vrbis documenta auarè concluderet. Sperabat nimirùm vir optimus, vt si, exuta semel infantia, Sodalitas, liberiore tandem gradu cœperit inambulare, fore vt ea virtus, ac præstantia morum deriuare in Patriam posset, suique Genuenses ea exemplorum luce perfunderentur. Episcopus Theatinus, qui eo maximè tempore Neapolitanis postulatis, ac penè

Ioannes Baptista Seluagus Carafam hortatur, vt extendi Sodalitium fines.

Ea mente, vt institutum Genuam induceret.

penè conuicijs angebatur, comprehendebatque necessarium omninò fore, vt in eam tandem Vrbem nostri immigrarent; tàm citò, tàm paucos homines profectiones alias instituere, haud commodè posse existimabat: Seluago respondit, se quidem, ac suos institutas semel vitæ rationes perurgere; verùm ad eum nondum capitum numerum excreuisse, vt sufficere nouis domicilijs possent; idque vt regulari disciplinæ, charitati, hominumque præstantiæ, consulerent, quæ sanè omnia non amplificato quidem, auctoque nimis numero constant. Quæ Carafæ ad Seluagum epistola, quòd eximiam eius prudentiam, obseruandumque in nostro Ordine in admittendis socijs delectum, ac modum repræsentet, digna est, quam hic saltem ex parte adnotemus. Sed alia tuoc Carafæ mėt. Respondetq; eius litteris insigni prudentia.

Nobilis Vir, & in Christo Frater honorande. Præteritis hisce diebus perlatæ nobis fuere tuæ litteræ ad diem septimam & vigesimam mensis Februarij, ex longo illæ quidem tempore consignatæ, sed quas recentes admodum fecit, quo tenebamur, desiderium audiendi, tibi, amicisque bene esse: cupimusque si quando adspirauerint horæ, Deusque adnuerit, tuæ, amicorumque sospitatis, rerumque illhic in Domino gestarum frequentioribus quidem nuncijs fieri certiores. At quòd non ita promptum, ac tutum, vltrò, citròque litteras transmittere; & te nos excusamus, & eadem vicissim nos apud te excusatione vtimur. Quæris quæ nostræ progressiones; qui numerus, & an extendi Ordinem mens sit? breuique respondemus, diuinæ quidem beneuolentiæ argumenta, & magna in nos olim extitisse, & experiri quotidiè maiora. Sed quod decumanis hisce beneficijs nos vicissim reponimus, adeò exiguum est, vt pudeat subtili narratione res nostras prosequi. Illud solummodò non prætermittendum, Dei nos bonitatem miro quodam animorum nexu innicem colligasse, ardensque in cuiusque nostrum pectore studium excitasse, illi ex animo, ac sincerè deseruiendi, nullo, præter ipsummet, operis pretio. Quod verò ad numerum, excrescendi nobis desiderium videtur Deus minimè ingenerasse: metuimus quippè, ne ea in nostrum Institutum incommoda multitudo inuehat, quæ in alijs dolemus: atque id planè causæ est, cur in Congregatione dilatanda non admodùm laboramus: cogunt namque domicilia, vt crescat interdum absque delectu numerus. Cæterum quiquid de capitum, locorumque incremento statuerit Deus, ita ab eo rem temperandam speramus, vt nunquam nos obsecutos illius voluntati pigebit. Pauca hæc è Carafæ ad Seluagum epistola excepisse, satis, superque fuerit.

Agebantur porrò hæc, vti innuimus, paulò antequàm Neapolim immigrarent nostri, eodem nempè anno tertio supra trigesimum; quo exeunte, ipso scilicet die Sanctorum Innocentium memoriæ sacro, obijt Venetijs Bartholomæus Veronensis, cuius iam felicia virtutum incrementa supra tetigimus. Quinquennium inter nostrates vix egerat, cum ereptus Sodalitati est contra votum, suumque ipsemet fatum persancte solicitauerat: ea quippe contentione, ardoreque animi excolendos, formandosque ad omnem sanctitatem mores suos susceperat, vt dum seueriore lima spiritum expoliret, annos attriuerit; consummatus quidem in breui, sed qui cóplexione, compendioque virtutum expleuit tempora multa. Quæ namque fuerit, quibusuè innocentiæ, pietatisque documentis exornata eius vitæ periodus, exitus comprobauit, quem Episcopus Theatinus ad Caietanum, aliosque, non ita pridem Neapolim appulsos fratres, datis litteris, ea laudum commemoratione, ac lachrymis describit, vt parentasse optimo fratri, nec magnificentiùs, nec sanctiùs, nec perenniore quidem titulo potuerit. Epistolam hanc ineunte mox anno consequenti à Carafa obsignatam, adscribendam hìc integram, etsi longiusculam, omninò ducimus; tùm quòd inuidendam Bartholomæi mortem fusè denarrat; tùm quòd nostras eius temporis historias videtur perpetuo quodam filo continuare: nam de Neapolitano domicilio quædam, multa de adsciscendis, adscitisque in nostrum Ordinem, domestica etiam nonnulla notatu digna, pleraque de Venetæ domus statu, amicorumque beneuolentia memorat: tùm denique, quòd vt Antonius Caracciolus verissimè adnotauit, colligi ex ea abundè potest, vt ipsius semel verbis vtar, quæ cunabula, qui spiritus, quanta in Dei cultu religio, quàm solida, viuidaque ad inuicem charitas, quã ingens paupertatis, puritatisq; zelus nostris illis Patribus extiterit: profectò vt hæc sola epistola integram ipsam priscæ nostratum sanctitatis imaginem ad viuum repræsentet Bartholomæi Veronensis obitus. Quem vitæ asperitas festinauit. Carafæ laudibus honestatur in Epistola ad Patres Neapolitanos. Quæ hic exscribatur

sentet

sentet. Præterea videre in ea erit tenacissimum primæuæ,ac seuerioris obseruantiæ Carafæ animum, stylumque sacræ Scripturæ locis pulchrè distinctum,ac veluti tessellatum, Bernardi more, aliorumque Sanctorum Patrum. Ea igitur sic habet.

Caietano Thienæo, & cæteris Fratribus, Neapoli commorantibus, salutem.

FRatres dilectissimi. Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & à Domino nostro Iesu Christo cum omnibus, qui diligunt aduentum eius. Litteras vestras ad XIV. primò, deindè ad XXII. Nouembris datas cum ijs, quas antea vos dedisse scribitis, diuersis temporibus accepimus, & respondere vobis non casu, aut negligentia, sed consultò distulimus, quòd in hac familiolæ nostræ diuisione, præsertim in tàm longa distantia, multa nobis necessariò prouidenda viderentur, quæ nisi assiduis precibus Domino commendata, & diuturna meditatione digesta, nec non frequenti, ac diligenti examinatione discussa, effundenda non fuerant. Adde, quòd ne illud quidem breuissimum litterarum genus, hoc est: Si valetis, nos valemus: ad vos scribendum fuisse, exitus ipse demonstrat: contigisset enim vos à nobis, etiam nolentibus decipi: quandoquidem his diebus carissimus Frater noster Bartholomæus Presbyter sanctissimè, ac religiosissimè migrauit ad Dominum. Nunc autem dicimus illum vnum ex omnibus nobis verè in Domino beneualere, quòd ita recessit à nobis, vt nos illum præmisisse, non amisisse putemus: reliquit enim nobis incredibile sui desiderium, & sanctæ ædificationis exemplum. Primùm quòd apud nos irreprehensibiliter vixit, iugumque Domini vsque ad mortem constantissimè, libentissimeque portauit: tum quod in exitu longè maior apparuit, quàm quisquam illum existimare potuisset.

Bartholomæi Veronensis exitus.

Quo morbo. Decessit enim ex non longa, licet graui ægritudine, catarrho scilicet illo, quo, vt nostis, iugiter infestabatur, sed tunc longè quidem acriùs, quàm vnquam antea. Nam post intolerabilem dentium dolorem, & vnius molaris euulsionem, vis morbi vehementer inualuit, ita vt febres ardentissimæ, atque omnia vicinæ mortis indicia spem omnem corporeæ salutis auferrent: tùm verò Christi miles non tristis effectus est, sed quasi rediturus in patriam, totus ad Dei laudes, ad Psalmos, ad Hymnos, precesq; conuertitur, à quibus os illud sacrum vsque ad vltimum spiritum nunquam cessare visum est, nisi aut psallentibus circa eum nobis, aut aliquid ex diuina lectione recitantibus, quibus tamen ipse respondebat, aut præueniebat interdum. Quid illo sancto viro in tanto corporis, atque omnium membrorum cruciatu, atque in ipso mortis agone patientius? quid constantius? quid sapientius? quid deuotius? Voluuntur per ora lachrymæ, dum ista scribimus, & dicere de illo, quæ instituеramus, fletu interrumpente, non possumus. Quid vltra quæritis? In Sacratissima Dominicæ Natiuitatis nocte venit ad Ecclesiam, accepit sanctum Viaticum, in cuius fortitudine vsque ad Dei montem intrepidus pergeret; & brachijs fidei complexus cum Simeone Puerum, dixit: [Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.] Et reuera factus est in pace locus eius, & consummatus in breui expleuit tempora multa: raptus est, ne malitia mutaret mentem eius; & ita raptus, vt postquàm lecto decubuit, vix tribus noctibus, circa eum dispositis stationibus, vigilatum sit, & tandem Dominico die in festo Sanctorum Innocentium post vesperas Christi pugil, & athleta extremi certaminis vnctione perfusus est. Qui Sacramentum illud summa cum deuotione, & alacritate, quasi futuræ victoriæ insigne suscipiens, eadem nocte hora circiter decima inter choros Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, & Apostolorum victor abscessit.

Quo sensu pietatis.

Ducitur eius funus piè. Manè autem facto, corpus Sacerdotalibus indumentis ornatum, in Ecclesia positum est; omnesque pro eo Hostiam salutarem obtulimus, illud Amos Prophetæ interim dicentes: [Festiuitates nostræ conuersæ sunt in luctum, & cantica nostra in planctum.] Deindè post vesperas defunctorum vigiliæ celebrantur, nec funus effertur vsque ad diluculum sequentis diei, quo post victimam salutis oblatam, iustaque facta, reuersus est puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus ad Deum, quid dedit illum. Ergo & vos, fratres amantissimi, celebrate frequentes exequias, cumulate altaria donis, plenosque calathos odoratis sanctarum precum floribus super fratris tumulum spargite: nunquam illius apud nos intermoriatur memoria, qui viuit in Christo. Sed

abstersis

abſterſis parumper lachrymis, ad veſtras litteras redeundum eſt; nec tamen ordinem exigite ab afflicto ſene, mœrore, & fletibus conſternato, cum quicquid in buccam venerit nunc ſatis eſſe oporteat: poſt autem, ſi vitam Dominus dederit, quod defuerit, repenſabitur. Scribitis multa de Eccleſia, deque loci iſtius qualitate, & diſpoſitione; ad quæ omnia dicimus, placere nobis ea, quæ de ipſius Eccleſiæ honeſtate pariter, & libertate ſcripſiſtis; quòdque nulla ſit in ea ſuperſtitio, nulla ſecularium ſeruitus; quòd placida in ea ſolitudinis quiete fruamini; quòd procul ab aura populari, procul à vulgi rumoribus latenter, ſilenterque viuatis: quòd à paucis tantummodò deuotis amicis viſitemini, nulluſque ad vos profanus arbiter, nullus curioſus interpellator accedat. Item quòd nulla vobis hypocritarum, nulla muliercularum blandimenta ſurrepant. Hæc verò nobis ſummoperè placere teſtamur, atque vtinam Dominus Ieſus ſic nos ſibi viuere, ſic ſibi cohærere faciat, vt mundus nos vixiſſe non ſentiat. De ædificio autem dicimus placere nobis, vt ea, quæ ad neceſſitatem pertinent, requiratis, vt ſcilicet ſarta tecta habere poſſitis, vt cellulam quiſque ſuam habeat, quò ſe tanquam in portum recipiat, ſimul vt reliquæ officinæ ad communia miniſteria peragenda, pro loci exiguitate, non deſint. Nam de Eccleſia nihil aliud dicimus, quàm vt moleſtiſſimum illud præ foribus operarum emporium, & publicus per Eccleſiam tranſitus, ſi fieri poterit, auertatur, quod nobis Seuerus noſter non difficile factu eſſe monſtrauit. Hæc autem omnia ſic accipienda eſſe dicimus, vt quanquam totus hic mundus nobis exilium ſit, ſpecialiter tamen in iſta Ciuitate vos aduenas, & peregrinos eſſe noueritis, & idcircò operæ pretium eſſe ducimus, quod & fieri cum Dei auxilio poterit, vt ſic in omnibus, & cũ omnibus conuerſemini, tanquam iſthinc propè diem migraturi: nondum enim portas Ciuitatis intraſtis, nec adhuc ſcire poſſumus, quid craſtina die iuſſurus ſit Dominus; quanquam iſta non dicimus, vt pro locis intra Ciuitatem eligendis vos debeatis eſſe ſoliciti. Scimus enim ſi vos iſthìc Dominus eſſe voluerit, loca opportuna nobis intra mœnia, Dei benignitate, & ipſius Ciuitatis liberalitate non defutura. Nam de ijs locis, quæ vobis dicebatis offerri, valdè adhuc hæſitamus, quòd in altero, antiquam illuſtris familiæ domum dedicare difficile ſit: in altero verò Eccleſiam ab harpijs auferre, nec illarum contractu fœdari, multò quidem difficilius. Quanquam præter hæc eadem Eccleſia, etſi nobis, & Apoſtolica reuerentia, & veneranda illa vetuſtate ſummoperè placeat; tamen in celeberrimo Vrbis loco poſita, tanta vndique ſecularium ædificiorum mole comprimitur, vt locus ibi tolerabilis hoſpitij eſſe vix poſſit, honeſti certè nullo modo poſsit. Quare vox Domini expectanda, & aſsiduis precibus, atque intenta cordis aure captanda eſt; & nihilominus quid interim vobis de eiſdem, vel alijs locis à quoquam dictum fuerit, ad nos diligenter ſcribendum curabitis.

Domus Neapolitanæ ſitũ commendat Epiſc. Theatinus.

Quid Eccleſiæ cauendũ.

Domum intra vrbis mœnia à Domino expectãdam. Loquitur de Eccleſia D. Pauli, quæ poſtea inſtituto acceſſit.

De duobus illis nobilibus Clericis, qui ad nos venire cupiebant, nunc neque hìc, neque iſthìc nos illorum deuotioni ſatisfacere poſſe videmus: multa enim ſunt, quæ nos rationabiliter mouent, eaque nunc dicere non eſt neceſſe; & tamen vt in aliquem commodioris Congregationis portum ſe conſerant, genuſque illud vitæ periculoſiſsimum fugiant, ſuadendum putamus, oſtendendumque eis, in hac noſtra pauperrate, & perſonarum paucitate delicatulos iuuenes abſque maximis incommodis, & laboribus non ferendis eſſe non poſſe: vt ſic & ea, quæ vera ſunt, non abſcondatis, & eorum ſaluti meliùs conſulere, atque in pace dimittere valeatis.

Par nobiliũ Clericorum adiungere ad ordinem recuſat.

De funeſtis illis nuptijs eſt quidem dolendum, ſed minimè in fœminea leuitate mirandum, quod ſcribitis; & neſcio, an eis ſuccenſendum ſit, apud quas nullus eſt rationi locus, ſed totum furor poſsidet; nec dignæ de quibus tot verba fecerimus. Digna verò eſt venerabilis ancilla Chriſti, Mater noſtra, & de qua loquamur, & quam omni venerationis obſequio in Domino proſequamur: & tibi in primis grarias agimus, cariſsime frater, pro ſinceræ caritatis affectu, quem in eam, non modò iſthìc præſens, ſed nobis abſens tàm crebris litteris, tàm diligenter, tàm amanter de ea ſcriptis oſtendiſti; ſed ad cauſam illius Monaſterij pro voto expediendam, in tempus valdè alienum incidimus, nec tamen deſtitimus in hac Pontificis abſentia tentare ſi quid effici potuiſſet:

In Mariam Caraſam ſororem obſequium.

& Veronensis noster, qui nos diligit, quique vestras ad nos de eadem litteras cum nostris, ingenuè fassus est, se absentem etiam in suis ipsius expeditionibus vix audiri. Sed cognito Pontificis in Vrbem reditu, iam aliquid tentare decreueram, eramque dubius animi, vtrum tu, frater, mittendus ad Vrbem esses, an litteris res agenda. Et certè, vt tu accederes, magis sedebat animo; quòd plurima essent, quæ nos ad id hortati viderentur, adeò, vt iam ad eundem Veronensem litteras dederim, quibus apud eum agerem, vt te Sanctissimo Domino Nostro per amicos suos studiosiùs commendaret, litterasque super eo ad te Neapolim, vel ad Vrbem mitteret, quas tu eisdem reddendas curares. Verùm in hoc paululùm subsistendum duximus, & in tempus non ita multò longiùs, sed certè opportuniùs differendū. Te verò, mi frater, etiam, atque etiam rogo, vt in illo Monasterio à secularium seruitute liberando, eiusq; vicinia purganda, illaque muliere, eiusdem monasterij vexatrice, inde abigenda, atque arcenda pro viribus labores: atque vtinam resipiscat, antequam iram Dei, quam prouocat, suo magno malo experiatur. Supradictam verò Matrem nostram, fidelem Christi seruam consolare in Domino; & dicito illi, si quid velit, non a me, sed a Domino petat; nam & ipse veniam ad vos, si Dominus iusserit, atque omnia faciam, quæ illam, teque, frater, velle intelligam. Et de formula Breuis tentabo quid, adiuuante Domino, in eo genere valeam, quidue mihi per occupationes meas liceat, quæ me vix pauca hæc ad te sinunt scribere. Fratrem nostrum Petrum Presbyterum intra cordis nostri penetralia iam pridem recepimus, Sed ne quid eius deuotioni deesse videatur, etiam ad expressam professionem, quam, vt dicitis, instanter offert de communi fratrum consensu, nostro, & totius Congregationis nomine admitti libentissimè volumus, & formam, quam in similibus obseruare cupimus, donec melius aliquid ostenderit Dominus, ad vos cum his litteris mittimus. De illo autem iuuene, qui de vxoris consensu relinquere seculum cupiebat, & post sancta desideria auctus est filio, quid dicam nescio, nisi quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos fratres mei videtis, & non viderunt, & audire, quæ intima cordis aure vos auditis, & non audierunt: non enim est in homine via eius; & à Domino gressus hominis dirigunrur; & non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Nostrum verò in Christo carissimum Comitem Oppidi toto mentis affectu complectimur, & in eo, quod pro nobis immeritis facit, Domino fœneratur; & quoniam non sua, sed ipsum quærimus, in eo maximè gaudemus, quod nobis de eius fide, ac deuotione scribitis. Quòd verò domui suæ disponere, dum viuit, & valet, & testamentum condere cupiat, nos valdè probamus, ne in mortis articulo, quando de sola anima cogitandum est, superflua, & inutili rerum pereuntium solicitudine distrahatur. Quid verò, cui legare debeat, hoc certè nos benè consulere posse diffidimus. Illud dicimus in huiusmodi in primis iustitiam esse seruandam, & neminem eo, quod iurè sibi competat, pietatis obtentu, sine causa, esse fraudandum. Si quem læsimus, si cui damnum intulimus, seu damni causam, auxilio, consilio, fauoreque dedimus, largè resarciendum est; iuxta sancti illius Publicani exemplum, qui quadruplum reddidit. In ijs verò, quæ voluntaria sunt, adhibito religiosæ discretionis examine, faciat, quod voluerit; tantummodò oculus eius simplex, & rectus sit; vt nec tuba canat, nec rumusculos hominum aucupetur; nec in aliquo sinistra nouerit, quid dextera faciat: nam eorum tantùm operum remunerator est Dominus, quæ sui causa facta fuerint; eorum verò, quæ ad huiusmodi gloriam fiunt, non remunerator, sed vltor est.

Eius à sapientia monasterium Caietano commendat.

Ad professionē admittit Petrum Fascarenum.

Oppidi Comitis in nos beneficentiā, ac in Deum pietatē gratulatur.

Condēdi testamenti modum perscribit.

Scito etiam, nos omnes Christi gratia in sancta pace, & tranquillitate viuere, & mutua caritate connexos, ab inuicem non posse discedere, magnoque omnium vestrum, ac tui in primis, charissime frater, desiderio nos teneri. Gregorium fratrem nostrum ad Diaconatus ordinem promouimus, eucturi eum ad sacerdotium, si Christus iusserit.

Iuuenem quendam Bergomensem annorum circiter triginta recepimus, nomine Simonem, quem priùs quàm reciperemus, longa dilatione fatigauimus, & vt illius perseueranriam, ac patientiam probaremus, simulque vt de eius natalibus, vita, & moribus per fideles amicos certiores redderemur. In Hospitali

spitali Sanctorum Ioannis, & Pauli nostris inibi in Christo filijs Gubernatoribus studiosè eum commendauimus; ibi cum diligentissimè se, fidelissimèque gessisset, ita vt ab omnibus ibidem conuersantibus summoperè laudaretur, cumque ad nos venire vehementissimè cuperet, instantissimèque rogaret, tandem illum Hospitio recepimus, nec vltra progressi sumus; quanquam & ipse id assiduè flagitat, vt ad habitum admittatur, & nobis certè non indignus videtur, qui exaudiatur; sed hanc dilationem nihil illi nocituram putamus, eò quòd in omnibus domesticis laboribus libenter exercetur, & imperata facit, non secùs atque vnus ex nostris; nec admiratione stupet, nec stupore languescit; & si caret litteris, non caret ad eas addiscendas ingenio. *Vt iuuenem habitū efflagitantem probauerit.*

Theodoro nostro paucorum mensium absentia nonnihil profuisse videretur: fert enim aliquantò leuiùs consueta certamina: sed vt nihil fuisset meliùs habiturus, certè quò minùs reduceretur à nobis, vitari sine maxima omnium bonorum offensione non potuit: itaque quocumque res verterit, satis omnibus factum putamus: nam suis propinquis nihil potest esse modestius. Vos igitur illum specialiter iuuate precibus; dignus est enim, qui ab omnibus nobis ametur. Quid dicam de cœteris fratribus? Quid de ipso Præposito? Dici non potest, quantum me per illum seruum suum, perque reliquos Dominus consoletur. Vidisses in obitu fratris nostri ad ministeriorum obsequia omnes certatim ruere, satagere, trepidare, discurrere; vt singulorum salus in eo periclitari videretur: post obitum verò præ lachrymis, pijs illis quidem, & religiosis, omnium tristes ac tumentes oculos, nec posse quemquam alterum consolari. Itaque, vt verum fatear, vulnerauerunt cor meum iaculo dulcissimæ caritatis. *Bonifacium à Colle Præpositum commendat.* *Nostratum caritas.*

De rerum autem diuinarum, & aliorum operum assiduitate quid referam? Certè non multa in hac paucitate requireres ex ijs, quæ à maiori fratrum numero fieri consueuerunt: portant enim strenuè pondus diurni, nocturnique laboris; præsertim cum à me parum admodum adiuuentur: quoniam iam ingrauescente ætate, non modò corpus, sed animus ipse me deficit. *Et Sacrorum cultus.*

De amicis verò tam Venetis, quàm exteris nihil noui, quod magnoperè scire cupiatis, habemus. Soror nostra Cappella cum tota illa Christi familia rectè valet. Prior Sanctæ Trinitatis Christo ministrare non cessat. Augustinus Amulius magno nos amore prosequitur. Venerius, & Contareni non desunt. Maurocænus se sibi furatur interdum, vt ad nos veniat. *Viri præcipui optimè de Relig. meriti.*

De Zambone verò loqui, non est necesse, cum ita nos diligat, vt sine nobis vix putet se posse viuere. Quis verò poterit hoc tacitus præterire? Neque enim id, ne apud vos ambitiosum videatur, verendum est; cum potius id dicendum sit, ne homines de nobis optimè meritos orationum vestrarum remuneratione fraudemus. Princeps Reipublicæ Venetæ, qui maximarum rerum occupationibus, curisque distringitur, abiectionis nostræ puluerem obliuisci non potest: itaque non semel eius beneficio pauperum calefacta, ac refecta sunt viscera. Legatus Apostolicus & ipse non deest. Cæsaris Orator in nos humanissimus est. Beltranorum familia litteris, opibus, officijs, nos deuincire non desinit. Bartholinus noster oculos, si fieri posset, erueret, vt semper aliquid nobis impenderet. Sed ne panegyricum contexere videamur, omnes in commune Christo commendatos offerimus; & vos, vt pro omnibus oretis, hortamur. Mater Ioannis, Presbyteri, fratris nostri cum tota Domo sua rectè valet, & soror eius ab ea, qua detinebatur, infirmitate conualuit. Timotheus Iustus, frater noster vos salutat in Domino. Extra hanc Vrbem primus R. Veronensis occurrit, & Cappellus, & Scaynus cum reliquis Salodiensibus amicis, quorum tanta fides est, vt adhuc nos non modò diligant, sed instanter inuitent, ac contra spem expectare non cessant. Vicentini nostri non desunt; præter paucos, quos mœstos esse audio: iam enim Baptista extra gremium Religionis apud Castellum Vastallam ex longa ęgritudine mortuus est primo die mensis huius. Faciat Dominus misericordiam cum illo, & adijciat, quod oratio non præsumit. Patauini nostri silent. Stella non lucet. Bergomensis Æmilianus noster, permittente Episcopo, reliquit Bergomum, & ducto secum quinque, & triginta militum exercitu, Mediolanum petijt; vbi non dico, quanto *Cuiusdā Relig. transfuga, vir magnus nominis ad quē Carafæ litteras supra meminimus.*

O 2 cum

cum plausu exceptus sit. Hoc tantùm dicam, gratias mihi Illustrissimum Ducem Mediolani egisse per suos, qui hic sunt, qui cum eius litteris ad me venerunt; quasi ego illuc Æmilianum miserim; & certè hic honor mihi sine causa defertur. Res Lauretana refrixit penitus; nec est amplius, cur de illa loquamur.

Iam fessus noctem insomnem duxi, vt te litteris explerem. Vale in Domino vnà cum fratribus, cum quibus pro nobis instanter orate. Matrem, & Sorores, & omnes nobis in Christo dilectos, & qui in Christo nos diligunt, saluta nostro nomine. Salutant te Præpositus, & cęteri fratres, atque omnes amici; & si fortè vobis prolixiores fuisse videbimur, scitote, nos nihil adhuc attigisse eorum, quæ vobis dicenda promisimus. Dabit Dominus, & nobis, quod dicamus, & vobis, quod audiatis ex eo. Iterum Vale. Venetijs die 18. Ianuarij 1534.

Qua loco Venetijs Theat. disciplina.

Hęc Carafa ad Neapolitanam eam Classem, vbi pręterea, quę principiò admonuimus, est cur iterum meminerimus existimationem, quam paruus ille nostrorum Cœtus Venetijs apud primę notę viros sibi compararant. Nam Amulios, Venerios, Contarenos, Maurocænos, summa ingentium, primarumque stirpium capita, magna in nos, nostrumque Ordinem animi propensione ferri audis; inclytum item Reipublicę Ducem, Andream Grittum inter rerum maximarum momenta, ac Principis curas, magna mente, manuque ad nostra descendere, paupertatemque fouere sua ope: Nuntium insuper Sedis Apostolicę, ac Cęsaris Oratorem humanissimè nobiscum agere, tum omnis ordinis, ac census alios. Quod enim uerò non ignauam inibi nostrorum hominum virtutem euincit; & qui sibi tacito quodam animi cultu vacabant, in aliorum etiam profectus nauiter incubuisse; Vrbemque Venetam sacris, pijsque institutionibus procurare, atque erudire, præcipuę curę fuisse.

Gibertus Lauretanæ Domui præficitur.

a Hist. Laur. lib.2. c.12.

Porrò quod de re Lauretana raptim quidem memorat, poscit locus, vt paucis explicemus. Ioannes Mattheus Gibertus, vir nunquam à nobis absque meritorum appellatione nominandus, inter ingentes Ecclesię, Romanique Principatus curas auctus sub id tempus Domus Lauretanę Pręfectura à Clemente Pontifice fuerat: quod sanè inter pręclara Sacrę eius Cellę beneficia computat[a] Horatius Tursellinus. Quippè in Virgineos eos lares, eorumque ornamenta vsque adeò incubuit vir strenuus, vt quà peregrinę supellectilis, sacrique instrumenti pretio, quà diuinorum administratione, celeberrimę eius Ædis mirificè venerationem, pietatemque adauxerit. Ergò, quòd nostrum Ordinem, vt sępe memoratum est, insigni quodam studio prosequeretur, addictusque in primis Thieneo, & Carafę esset; rem quidem Lauretanę dignitati perutilem, nostris splendidam, ac perhonorificam, gratam omnibus facturum existimauit, si Nostrates eam procurationem inirent, quos sacrorum munditię, nitorisque studiosissimos, rerum Ecclesiasticarum peritia pręstare probè nouerat. Olim agente Cardinali Roboreo venerandum id Deiparę Virginis Conclaue Carmelitis concesserat Innocentius Octauus Pontifex; quibus mox abeuntibus, stipendiarij quidam successerant Sacerdotes; pij illi quidem, sed quorum minus quęsita in eo cultu diligentia nonnihil loci maiestati, ac splendori detrahebatur. Quapropter honestandi nostri Ordinis, amplificandęque beatę Domus reuerentię occasionem nactus Gibertus, vrgere apud Clementem Pontificem cœpit, vt politiori Nostratum studio ea cura cederet, vt datis ad Carafam[b] litteris Gibertus ipse testatur. At enim temporis vices, tùm ipsius Pontificis in expediendis negotijs lenta indoles Lauretani huiusce consilij spem omnem, ac vota corrupere. Ipse autem Gibertus eius Domus exornandę aliam inijt viam, adscitis ad ministerium spectatę vitę, idoneisque ad sacras functiones Clericis & Canonicis.

Eidem Sacrę aedi addicendos nostros curat.

b Manus. ep. to.2. fol.95. Successũ res non habuit.

Datis ad Th. litteris Carafa, Ioannis Fran. Mirandulani casum deplorat.

Iam verò sub id omninò tempus, quo datę à Carafa ad Caietanum, ac fratres Neapoli commorantes pręfatę hę litterę fuere, & alias ipsemet Carafa ad eundem Thienęum dedit, complorationis plenas, ac sensus peracerbi, quo exeuntem annum eius seculi tertium, & trigesimum clausit. Rem planè funestissimam memorat, illatam Ioanni Francisco Pico, Mirandulę, & Concordię Comiti mortem, quam cruenta parricidę nepotis manus, ac dira regnandi cupido reddidit crudeliorem. Pulsauit profectò tanti viri casus bonorum omnium aures, ac pectora: at in Carafa acrior exarsit commiseratio ob Ioannam Carafam, Patruelem suam, Ioannis Antonij Mataluni Comitis filiam,

eiusdemque Ioannis Francisci Coniugem vnanimem, quæ Virum omni laude florentissimum, lectissimæque indolis filium vulneribus exhaustos, spirantesque ante oculos suos vidit: trusa ipsa, ac nuru, & liberis reliquis in carcerem. Facinus, quod atrocius planè est, quàm vt produci in proscenium debeat, strictim denarrabimus. Ioannes Picus, cognomento ingeniorum Phœnix, contentus studiorum, famæque posteritate, transmisso ad Galeottum fratrem Principatu Mirandulano, absque liberis excessit. Galeotto mares duo contigere, Ioannes Franciscus, & Ludouicus, ex quibus Ioannes Franciscus, elato Patre, auitam, ceu primo loco genitus, hæreditatem capessiuit. Ludouicus, cuius ambitio animum fœdè corruperat, regnandi æstu abreptus, fratrem, Herculis Estensis, Ferrariæ Ducis ope, armisque circumuentum, legitimo dominatu contra ius, ac fas omne spoliauit. Verùm, quod malè partis accidit, vsurpatas non diù opes hæres tenuit. Siquidem sublato Ludouico Ioannes Franciscus, Iulio Pontifice eius nominis secundo, adnitente, restitutus, nepote expulso, suis populis, ac ditioni fuit. Is igitur susceptis à Ioanna Carafa filijs omninò septem, maribus nempè tribus, ac fœminis quatuor, iunctoque clarissimis nuptijs cum Carlotta Vrsina maiore natu filio, cùm ea sobole, ac litterarum studijs floreret, nullo motu, metuque detonare in felicitatem suam repentè turbinem sensit; viditque adactum prius lateri fulmen, quàm cauere opportunè posset. Enimuerò Galeottus Ludouici filius, paternæ quidem inuidiæ, atque indolis ex asse hæres, noctu Mirandulam, Arcemque ingressus, adortusque ex insperatò Patruum, nulla cognati sanguinis reuerentia, orantem ad Christi in Cruce pendentis imaginem, non vno vulnere confecit, contrucidauitque; simulque Albertum filium, veluti non eius adhuc funere satiatus, fato haud minus truculento occidit: inspectante fabulam, ac scenam Carafa, coniuge, ac matre: quæ mox ad cumulum miseriarum vnà cum ornatissima nuru, ac filijs compacta in carcerem fuit. Tulit hanc consanguineæ Domus cladem Episcopus Theatinus ea æquitate, quæ magnum, factumque supra omnem calamitatem pectus deceret. Fœdum tamen, atque immane facinus non potuit non vehementiùs deplorare, ac stylo configere; datisque ad Thienæum Latinis litteris, inter alia hæc habet. [Quid de nostro infelicissimo seculo dicturi sunt posteri, si tamen de tam impijs, ac sceleratis hominibus posteritas vlla supererit? Heu quæ immanissimæ tigrides hominem clarissimum, doctissimum, innocentissimũ ante oculos vxoris pudicissimæ atque sanctissimæ à proprio nepote, immò à sæuissimo aspide, nihil læso, sed sola dominandi cupiditate succenso, crudelissimè immolatum suis oculis intueri potuissent? Horret animus, tremit manus, nec possum vltrò dolore impediente progredi.] Hæc Carafa: oratque subindè Caietanum, vt Mat aluni, ac Montorij Comites còueniat, nunciatoque miserrimæ Sororis, atque ab eo rerum culmine deiectæ, casu, & carcere, obsecret vehementer, vt rationem quàmprimùm ineant, qua opitulari immerenti possint.

Atrox facinus.

Nunc ad rem nostram Neapolitanam stylus redeat. Certè quòd ab euentis, atque experientia plerumque res pendent, compertum Nostratibus est temporis successione, locum illum Diuæ Mariæ à misericordia, quem incolere cœpisse diximus, minus idoneum esse fructui, ad quem & Pontifex adlegauerat, & Neapolitani acciuerant, & ipsi venerant. Quippè cum hominum frequentia longiùs abesset, quamquam strenuè laborarent Patres; quòd paucos nihilominus ea documenta, ac labores tangerent, Viri alioqui incitatissimi, otiosi videbantur, ac peregregij eorum conatus Angelis potiùs spectaculo, quàm hominibus emolumento esse. Quapropter Caietanus, qui maiores pectore animos, ideamque fructuosiorem mente gestabat, agitare animo opportuniorem aream cœpit. Contigit verò, vt dum profectionem ab ijs ædibus cogitaret, egregiam quandam fugam adornauerit, ac maturauerit, studio videlicet tuendæ Theatinæ paupertatis, ac instituti. Enimuerò, Comes Oppidanus, cuius præcipuè pietate, ac munifica stipe alebantur tunc nostri, nouam, atque arduam Ordinis paupertatem admiratus, humano quidem iudicio, ac prouidentia metiri illam cœpit; & qui succedentibus olim seculis subleuandam inopiam illam, non à Cælo, ac Numine, sed à mortalibus putabat, cùm à frigescente sensim hominum charitate, ac indole, tùm à temporum inclinatione, metuere pauperrimo instituto cœpit, reputauitque apud animum suum, haud posse diutiùs molem stare, quæ humanis substantijs, ac prouentibus

Ædem Neapolitanam Patrum industriæ minus aptam visus ostendit.

Cogitat de ea commutanda Caietanus.

Oppidi Comes paupertati nostræ timet.

Thienæum monet, vt census annuos admittat.
Et offert ipse munificè.
Quid ad hæc Caietanus.
Stant à Comite Religiosi viri.
Quos vicit strenuè Caietanus.
Nec cedit Comitis liberalitas.
A qua expeditur facto generosore Caietanus.
Remissis Ædium clauibus Comiti, qui dederat.

tibus non niteretur. Ergò adijt Caietanum Comes; tùm rationes, quæ admittendum patrimonium aliquod, ac census annuos, deprecandumque id paupertatis genus suaderent, percensere; ac ne perfunctoriam eam cohortationem existimarent, offerre ipse auri vim non exiguam, quam in perpetuas pensiones, lucrumque conuerterent. Paucis docere Thienæus Comitem voluit, ceu derelicturum facilè causæ patrocinium. Coæuam nempè Sodalitati eam paupertatem esse, insitamque Ordini, idque potissimùm sibi, ac suis in pretio, & cordi esse: quippè qui præclaro Redemptoris imitamento nudam sequi crucem statuerant. Tùm æterna niti se prouidentia, ac Diuinitatis præsidio, quæ omni temporum, morumque angustia maior, ac splendidior esset. Hoc ipsum Romæ olim respondisse se, ac socios plerisque ex augusto Purpuratorum Ordine, alijsque magnæ notæ viris, quibuscum idemmet certamen habuerant; existimantibus nostrum vitæ institutũ vt insolens, ita ad assidua miracula Deum prouocare. Comes ad ea Caietani verba dedisse statim manus, suæ liberalitatis, ac beneuolentiæ dedecus putauit. Quocirca vt arcem cominùs, ac valentiùs impeteret, socios adhibuit, Religiosos viros, magni nominis, qui suarum Congregationum exemplo paupertatis temperamentum, atque arripiendam non facilè redituram eam commodi occasionem suaderent. At Caietanus, qui non sua reliquerat, vt reciperet aliena, strenuè impetum eluctatus, Patres illos tandem ingenti animo interrogauit: Rogo vos, inquit, prouentus hosce vestros, quibus abdicata primæua Ordinis institutione, tempori, atque inopiæ opportunè consuluistis, vndenam exigitis? E fundis, inquiunt, statisque pensionibus, quæ quotannis persoluuntur. Esto, inquit Caietanus, at quî scitis vectigales promissis staturos? Nempè, inquiunt, obligatos publicis tabulis habemus, vt fidem si fallãt, vocare in iudicium, atque appellare nomina possimus. At nobis, ait Caietanùs, census longè opulentior, ac certior fides est. Vos namque agros, & codicillos habetis, nobis tabulæ sunt Christi sanguine consignatæ, quæ nunquã Domini famulis defuturum Cælum pollicentur. Quærite, inquit, primùm Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Adsuetint nostræ Sodalitati fiducia, & virtus, & iustitia, & aderit profectò plena manu nostræ inopiæ Deus. Quid? an nobis periclitari Cæli prouidentiam, ac Numen diutiùs non contigit? Totum enimuerò decennium, quo Venetijs egimus, sæuiente potissimùm ante sex annos fame, nihil neque commeatus domi, neque ornatus in templo defuit. Ad hæc Comes: At alia Venetijs ratio, alia Neapoli est. Venetijs, opulenta quidem Vrbe, & quæ minùs in speciem, ac pompæ studet, tueri id planè viuendi genus piorum erogatio, atque opes possunt. Neapoli verò, magnificentia, vsitatusque domi, ac foris splendidior cultus vereor, vt ferant. Cui statim magna quadam indole, ac vi Caietanus: Mihi porrò compertum omninò, eundem ipsum Deum Neapoli, & Venetijs esse. Quo soluta disceptatio est, ac visa Thienæi paupertas, ac generositas triumphasse. At cum in ea adhuc sententia persisteret obstinatè Comes, oblatumque semel vectigal, vrgeret, vt acciperetur; Caietanus à tam noxia Viri magnificentia expedire sese tandẽ religiosa, ac magnanima quadam libertate, ausuque statuit. Patres ad vnum omnes manè vocat: profectionem à Mariana ea Domo indicit: sumerent proindè vestem extimam, sacrarumque precum librum; præterea nihil. Nec mora, egressi omnes. Ipse obseratis Ædium, templique foribus, claues Comiti remittit, iubetque hæc simul renunciari, Caietanũ, aliosque Clericos Regulares domo cedere, ac supellectili, quam dederat: velle scilicet hac ratione periculum facere, vtrum sit vnus, idemq; Venetiarum, ac Neapolis Deus? Accepto Comes nuncio, admirari vehementer præstantissimum Viri impetum, magnamq; in deprecandis, infectandisq; opibus constantiam, quas alij summa ope sectarentur: & qui ingenuam Caietani mentem, candoremq; nouerat, eam libertatem, discessumque insperatum æqui, bonique consuluit; ac pro eo, quo illum, ac Sodalitatem affectu prosequebatur, impensiùs rogare, impetrauitque vix, vt domesticum saltem instrumentum, ac supellectilem reciperet. Sanè vel hoc maximè nomine magnis viris comparanda Caietani sanctitas, quòd egregium pectus, ac verè aureum verberari opum vi potuit, expugnari non potuit: ostenditque pulcherrimè vir ingens, habere Christiana secula Fabricios, ac Fociones suos longè generosiores, quoties Alexandri, ac Samnites auro animos lacessiuerint.

Discessus

Discessus hic porrò in ipso peruigilio salutatæ ab Angelo Virginis, anni labentis eius seculi quarti supra trigesimum accidit; ac non ita multò ante, hoc est die quintadecima mensis Februarij in eadem Domo vota publicè conceperat Petrus Fuscarenus, qui præclaræ, quam induerat, menti insistens, mores aureos ad Lydium iam regularis obseruantiæ lapidem exploratos, Patribus egtegiè probauetat: ac visus profectò plus ab ea rerum omnium abdicatione, solennique votorum sacramento voluptatis cœpisse, quàm ab eo plausu, quo fuerat Sorbonica olim Laurea cohonestatus. Exeuntes verò ab eo domicilio Clericos Regulares excepit illicò diuinum Numen: habuitq; quò se reciperet eximius ille cælestis prouidentiæ, atque Euangelicæ inopiæ assertor Caietanus; qui è tecto in apertum Cælum, Iouemque euasetat, ne, qui illic impluebat imber aureus, illibatam perfunderet, & cotrumperet paupertatem. Agebat Neapoli, præstabatque honestissimis matronis spectatæ pietatis fœmina, cui nomen Maria Laurentia Longa, quæ vel ab eo primùm die, quo Bonifacius à Colle Neapolim, vti significatum est, venit, vt Mariæ Carafæ, Episcopi Theatini sorori, fundando Sapientiæ Cœnobio præstò esset, cum optimi viri mores inspexisset, affectum quendam in nostrum Ordinem conceperat, foueratque ardens quidem desiderium, quo affixam Neapoli Sodalitatem vellet. Ad hæc, cum eo missi Thienæus, ac Marinonius fuere, scripsetat ad Sororem Episcopus Theatinus, concessisse illò Patres, præsertim Caietanum, quem dextrum sui oculum appellauit; vtque in Mariæ Laurentiæ beneuolentiam virum sanctissimum, ac socium insinuaret, etiam atque etiam rogauetat. Hæc igitur & sua sponte, & Mariæ incitamento visa nullis officijs, ac munificentiæ argumentis Nostratibus deesse, vnà cum pernobili, atque omnium virtutum laude cum primis ornatissima, Maria de Ayerba, Thermulanorum Duce, quæ cum Maria Laurentia singulari, atque vnanimi familiatitate coniuncta, cum ipsa etiam pietate certabat: quippè vttaque sese Insanabilium in Nosocomio pauperum, atque ægrorantium obsequio mancipauerat: & Longa quidem summa inibi præerat, degebatque cum potestate. Par istud præstantium fœminarum, quæ in ornanda, fouendaque Sodalitate totæ erant, suspiciebantque in primis Caietanum, quippè cuius sanctimonia, atque exemplorum lux iam illas adflauerat; vt ab ea Mariana Æde de misericordia profectos Patres intellexere, veluti oblata diuinitùs occasione, vertere in sui commodum, profectumque rem putarunt: illosque propè Nosocomium excipere, vt conuenire illos frequentiùs possent, haberentque propiùs ea ad virtutem adhortamenta, ac faces. Ergo conduxere in ea vicinia domum, eo quidem nomine opportunam maximè Patribus, quòd eiusdem Valetudinarij Ecclesiæ, cui Diuæ Mariæ à Populo nomen, vicinior esset, vbi & diuina de more officia persoluere, & piaculares excipere fidelium confessiones occœpere, ingenti profectò cum illarum Matronarum lætitia: quibus vt frequentiùs & audite colloquentes, & monita excipere contingebat; ita splendidiùs, ac magnificentiùs earum in Patrum inopiam, sinumque liberalitas effundebatur.

Conc eperat in ea Domo vota Fuscar.

Abeuntibus; non defuit diuina prouidétia.

Mariæ Laurétiæ Longhæ in Ordinem studium.

Excipit Nostrates vna cum Maria Ayerba Thermuli Duce.

Códucta propè Insanabilium Nosocomium Domo

Significata Carafæ illa in alteras Ædes migratio, & egregia pientissimatum Matronarum caritas: qui & strenuè adornatam ad paupertatis, atque instituti conseruationem, ac decus discessionem probauit, commendauitque abundè nobilium hospitum humanitatem. Cumque ornatissimæ fœminæ sub idem tempus ad Carafam scripsissent, desiderari ipsius etiam Neapoli præsentiam, quæ sine dubio, & sibi ipsis, & reliquis, Theatino nomini iam deuotis, solatio non exiguo, & Congregationi ipsi incremento, & fructui fuisset: ipse eam nactus occasionem, quò floreret pulchriùs gratia, beneficij confessione, vtramque pro collara in Patres egregia opera, ac pietate, gratissimis litteris appellauit, opportuna quidem subsidij, debitique commemoratione. Exscriptam hìc datam ad Mariam Laurentiam epistolam, Antonij Caraccioli stylo in Latinum translatam, volumus, eritque fortasso non iniucundum, vt qua apud illam veneratione, ac pretio nostri essent, lector intelligat. Sic igitur Carafa. [Litteræ tuæ, Domina, satis virium habere potuissent ad nos hinc permouendos, vt isthuc veniendo diuinæ voluntati, per te nobis ostensæ, obsequeremur. Sed quoniam id equidem nunc præstare non potui, visum est ad Septembrem vsque differre, & videre interim, an Deus mihi isthuc veniendi vires, ac facultatem tribuat. Porrò de mea in hac re voluntate debes tu quidem esse extra omnem dubitationem, non solum

Discessum à Mariana Domo probat Carafa.

Laudauitque nobilium fœminarum pietatem,

Quam & datis ad eas litteris commédauit.

lùm ob Patriæ beneficium, ſed etiam, vt tuo deſiderio per nos ſatisfiat. Inde ortum eſt, vt exigentibus id à nobis Vrbis iſtius Rectoribus, coacti ſimus mittere fratres noſtros, Caietanum, & Ioannem, quos ab initio tuæ potiſſimùm fidei commiſimus, tibique vni præcipuè commendauimus, nulla aliorum amicorum, aut propinquorum facta mentione. Quapropter ex ea re cognoſcere potuiſti, quàm egregiè erga te affecti ſimus, & quàm fidenter in te vna, Deo id nobis inſpirante, ſpem habeamus. Ergò viciſſim apertiſſimè cognoui, non fruſtrà nos in te fidem collocaſſe, quia non excepiſti iam dictos noſtros fratres, vt homines miſſos ab hominibus, ſed vt angelos ſanctos à diuino Numine delegatos; & pergis inſuper fouere eos eximia caritate, noſtrumque meritum, & opinionem longè ſuperante. Itaque cum nihil ambigere debeas de meo in hac, atque in omni alia re, quam tibi gratam nouero, prompto animo; illud ſolummodò eſt reliquum, vt aſſiduis orationibus à Deo impetretur lumen, quo diuinam eius voluntatem diſpicere, atque exequi valeamus. Porrò, vnà cum noſtris, qui iſthic morantur, fratribus, quos à tuamet caritate ſat tibi, ſuperque commendatos ſcio, & cum his, qui mecum hìc ſunt, vnanimi omnes in Chriſto conſentione te, vt impenſiùs poſcis, in ſororis, venerandæque Matris locum, ſortemque admittimus, & perceneſemus. Venetijs die 13. Maij 1534.

Vtraque Matrona in piorũ operum cõmunionem ab Ordine admittitur.

Quid ea de re ad Ayerbam ſcripſerit Caraſa.

Hæc ad Longam Caraſa, quam poſtremis hiſce verbis in noſtræ Sodalitatis germanitatem, piorumque operum participium adoptat. Quod cum Ayerba Duce, datis ad eundem planè diem litteris, itidem agit. Cui etiam poſtquàm de munifica in noſtros homines propenſione quæſitiſſimas habuerit gratias, illamque beneuolentiam ſupremo iudicij die æqua lance, ac pro merito fore à Deo Maximo compenſandam dixerit, ceu velit ipſe pro modo gratias referre, ſic illam communicati Ordinis præmio remunerat; [Quòd verò efflagitas noſtræ tenuitatis compotem fieri; id tibi non vno deberi nomine confitemur: ac proindè, vt Dominam noſtram Mariam Laurentiam, ita & te pariter inter Dei famulas, famuloſque computantes, in ſpectabilem ſororem noſtram, matremque tranſcribimus, non vana quidem ſpe, fore vt nomen tuum æternis etiam tabulis conſignet Deus.]

Communicādi Religioſorum Ordinũ merita vetus in Eccleſia mos.

Quem carpſere hæretici.

Sed his adlatrarunt Cõcilia, & Patres.

a Seſſ. 8.

b D. Thom. in 4 diſt. 20. qu. 4. D. Anton. 1 p. c. 10. Palud. Ricc. in 4. diſt. 45. Cord qu. 47. art. 5.

Vetuſtiſſimum hoc eſt in Eccleſia inſtitutum, vt Religioſorum Ordinum promerita, fructuſque virtutum in extraneos etiam perenni fluxu deriuent. Neque exiguum profectò ab ea communis patrimonij ſocietate compendium: poſſe ſcilicet, immiſſa impunè in flauentem, maturamque aliorum ſegetem manu, id ſibi demetere, quod alij deſudarunt; ac tùm debitum ſuum alieno cenſu ſoluere, tùm promereri, vt Theologorum ſchola, ac ſermo docet, de congruo Dei munificentiam, & cumulum gratiarum. Carpſit quidem laudabilem, ac fructuoſum hunc morem, ceu Religioſorum illicium, & commentum, hæreticorum nequiſſimus Vvicleff; qui notatus proindè fuit, damnatuſque in [a] Conſtantienſi Concilio; omniumque poſteà temporum ſuccedentium, [b] virorumque grauiſſimorum ſuffragio, ac cenſura caſtigatus. Eſt hæc porrò penes ipſos Ordinum Antiſtites vis ac facultas, vt qui totum publicæ rei corpus repræſentant, aguntque, alios etiam ad ea membra ita aggregent, ac adnectant, vt quamquam non illi ſint corpori innati, ſed adſcititij, externique videantur; eodem nihilominùs piorum operum fructu ali poſſint, eodemque penè, & palpitare pulſu, & ſpiritu animari, ac viuere. Quòd ſi priuatus quiſque in ſuorummet ieiuniorum, precumque partem adoptare quemcumque deſtinauerit, poteſt: rationabiliùs id certè efficiet, qui communi Congregationis vectigali, atque ærario ſummo iure præeſt, nempè ſuperior. Eapropter, ſi priſcos Ordines, ac tempora percenſeas, obtinuiſſe omnibus retrò ætatibus hunc morem reperies, vt in Religionum germanitatem, prouentu que ſpiritualium bonorum præclari paſſim viri, atque in eoſdem potiſſimùm Ordines munifici, cooptarentur: ac primum quidem, qui iſtiuſmodi communicationis litteras obſignauerit, memoriæ proditum eſt, fuiſſe Iuonem illum, qui ſeculo vndecimo omni doctrinarum, ac virtutum laude floruit peregregiè, Epiſcopus poſtea Carnutenſis. Ergò iſthuc rationi, ſcitiſque Patrum conſentaneum, exemplisque, ac vſu propagatum, receptumque omni æuo inſtitutum, noſtra etiam Congregatio tenuit; ea verò prudenti, diſcretaque impertiendi ratione, vt nonniſi Principes viros, & quos ſpectata in noſtrum Sodalitium pietas, ac deuotio commendauerint, in hanc

Penes Ordinum Moderatores facultas impertiendi cõmunia Religioſorum opera.

Primus Iuo Carnutenſis impertijt.

Hæc eadem apud Noſtrates conſuetudo.

operum

operum societatem accerserent. Poscit namque, vt praeclarę largitionis dignitas, ac pondus non ita passim omnibus impendatur. Promeruere id primùm suæ in Nostrates beneuolentiæ argumentum Ayerba, & Longa, auorum, ac sua virtute spectabiles; neque alia quidem verborum pompa, solenni que forma adscitæ, quàm illa, quam supra memorauimus: nondum enim cœptum nobilibus viris, Congregationisque amicioribus ipsorum in nos pietatem contestari amplissimis litteris, quibus modò, ceu publicis tabulis, Ordinis fidem oppignoramus, in nostrarum eos vigiliarum partem asserentes.

Propè D. M. à Populo Téplum nostri habitant.

Nunc ad conductas ad Patrum hospitium Ædes reuertamur. Erant illæ quidem, vti modò exposuimus, Insanabilium Valetudinario attiguæ, eo scilicet loco, quo pœnitentium posteà mulierum Cœnobium excitatum, è regione Monialium Diuæ Patriciæ. Ad has verò domos proxima Diuæ Mariæ à Populo Ædes erat, vt diximus, vbi præter eximium studium, quo mysteria obire, ac formare proximos, quà documento morum, quà voce videbantur; ingens enimuerò addictis eius Ecclesiæ cultui Presbyteris ab ea Nostratum consuetudine pretium operæ extitit. Siquidem quæ obiectę virtutis, atque exempli vis est, cum insigne in primis modestiæ specimen in illorum vultu, incessu, cultuque omni inspicerent, tùm exactam in sacrorum tractatione religionem, ac grauitatem: ad hæc assiduum, atque ardens orationis studium, animorum sitim, mentem supra homines, ac mortalia, ipsumque emicantem fronte, atque ore candorem animi: ita eos illa virorum indoles inflammauit, vt recognoscere ad eorum exemplar mores suos cœperint, sibique egregiam sanctimoniæ imaginem imitandam seriò proposuerint. Quocirca ea sensim inducta in Clerum illum viuendi forma, vt æquè sacrorum, ac morum sanctitas, ac nitor illa mox in Ecclesia floruerit: eorumque plerique non virtutes modò nostrorum Patrum, vitæque rationem expressere, sed ipsos quoque habitus, ad eam sese externi cultus modestiam, frugalemque vestium vsum componentes. Et fuere quidem ex eo cœtu quàm plurimi celebrioris notæ, ac famæ viri, quorum apud omnes virtutis existimatio ingens fuit; vt Hieronymus Spinola, Bernardinus de Bellis, Franciscus Oliuerius, Ioannes Dominicus Castagnetus, Ioannes Antonius Bossa, alijque non pauci Theatinæ disciplinæ imitamento ad eam laudem euecti: qui planè suarum virtutum merito effecere, vt id præstantium virorum contubernium magni posthac haberi cœperit: ita vt cum subrogari in eius Ecclesiæ ministerium quempiam contingeret, vsque adeò Rectores loci cuiusque mores pensitarent, vt non quilibet in suffragium veniret, sed qui compertæ famæ, ac probitatis dignus videri posset, qui honoratissimum illum excellentium virorum censum iniret. Ea verò virtutis opinio id insuper præstitit, vt viri quoque nobiles, fortunisque suis florentes, non inseruiendæ causa Ecclesiæ, sed vt laudatissima ea societate frui possent, domestico splendore, cultuque abdicato, eò conuenirent, veluti in quietis, ac virtutis sinum. Ex his fuere Lelius Brancacius, Archiepiscopus posteà Surrentinus, ac mox Tarentinus; Hector Caracciolus; Ferdinandus Bucca; ac plerique eius stirpis, ac nominis.

Eorumque exemplo eius Ecclesiæ presbyteri mirè cóponuntur.

Præcipua illorum capita.

Hinc censura in adoptandis ad illum Cœtum Clericis.

Postulantque adscribi etiã viri nobiles.

Intereà temporis, quòd angustum planè, nec obeundis regularis disciplinæ obseruantijs idoneum, memoratum domicilium esset: Maria Laurentia, cui non angustum pectus, nec caritas, ædes curare laxiores Patribus studuit, eo tamen consilio, vt commodæ quidem illis domus contingerent, sibi verò non illum propinquitatis fructum, voluptatemque eriperent. Quamobrem lustrata protinùs vicinia, quasdam penè contiguas, & situ, & amplitudine opportuniores rata, collato statim ęre, coemit; eòque Patres extrema Iulij mensis die, eius anni quarti, & trigesimi, immigrarunt. Vbi adornare illicò cellulas, ac moliri ad Religiosorum normam, & commodum omnia. Sacram in primis Ædiculam designarunt; & quòd in ipsa stabuli area fuerit descripta, inditum vulgò nomen fuit, Sanctę Marię à paruo stabulo: cuius fortasse Templi, vt situs, ac loci; ita & ipsius nomenclaturę Caietanus auctor fuit, quem scimus Christi natalibus summoperè addictum, deuotumque; ac totam illam Bethlehitici, fortunatique stabuli faciem, ac pręsepe, quod Redemptoris infantiam vice cunarum excepit, ob oculos semper recenti quadam memoria, studioque habuisse. Quod quidem domicilium, etsi destinatum nostro Ordini videri tunc posset; illud nihilominùs, cùm id minùs for-

Ab hac etiã Domo in aliã immigrant Patres.

Sacræ Ædiculæ à paruo stabulo nomé inditum.

Ob memoriã vagientium stabulo Redemptoris.

fortasse nostri homines cogitarent, Sanctissimis Virginibus concinnabant, quas, vt mox narrabimus, Caietano Thienæo, & Marinonio adhortantibus, ac Maria Laurentia Antesignana, ad Neapolitanæ Vrbis munimentum, ac decus hac in statione, ceu lectissimum agmen, excubare Numen voluit. Interim honestatus à nostris, consecratusque religiosæ disciplinæ rudimentis, atque omnigena virtute locus fuit; dignusque in primis, quem Caietanus, non modò eximio in proximorum salutem studio, sparsaque nominis fama, sed etiam sui admiratione, ac insigni præsertim miraculo condecoraret. Compertum namque est, veterum Nostratum testimonio, hac illum in domo afflictam, ac deploratam fratris tibiam, quæ ferrum oppetiebatur, mirè restituisse. Enimuerò, cum ex ea patuuli Stabuli familia quidam è Laicis fratribus domo egressus in ferteæ cuiusdam fenestræ clathra pedem per imprudentiam inseruisset, dum retrahere maxima vi tentat, ecce tibi effractum miserè vsque ad imum pedem crus. Patres, & Caietanum in primis mirùm quantùm ea luxati fratris calamitas affecit; cumulauitque tristitiam accersitus è proximo Nosocomio Chirurgus, qui explorato studiosiùs crure, eam curationem oppidò periculosam pronunciauit; admotaque propiùs arte, ac manu, cum nulla procederent industriæ adiumenta, id esse vnicum fratris saluti remedium seuerè denunciauit, si crus absciuderetur; corrupturum scilicet reliquum corpus malum, si ferro parcerent. Re constituta, aliorum etiam adstipulatione medicorum, indicitur in posteram lucem vulnus. Exulcerauit pijssimum Caietani pectus destinatus fratri cruciatus; & qui sciret, esse mitiorem medici opem, quæ imploretur, atque anteuerti lanienam illam posse superiore artis subsidio, incumbere in Cæli, ac Cælitum præsidium statuit. Igitur nocte intempesta decumbentem fratrem adit, idque sensim, ne excitaret: verùm quem præsentis angebat vehementer doloris acerbitas, terrebatque futuri imago, ac metus; mulcere somnus, & quies non poterant. Salutat Caietanus, erectumque bona spe, monet, vt se Diuo Francisco ex animo commendet, præsentissimi vim patrocinij experturus. Tùm crus poscit, ceu vitium æstimare, ac vulnus vellet: cumque excreuisse mirum in modum tumorem, malumque inspexisset; in genua demissus, concipere tantisper preces cœpit, hortatus etiam ægrotum, vt itidem supplicaret. Nec mora: attrectato leniter crure, impressoque osculo, ac Crucis signo, fascijs ijsdem obligauit, abijtque animorum, ac fiduciæ plenus. Manè, funesto operi adest medicus; cumque defunctum dolore omni ægrotum cognouisset; nihil illi prolixius fuit, quàm vt effractam tibiam, solutis fascijs, inspiceret: statimque, quod alijs minùs credidisset, si narrassent, oculorum fide admirari ipse cœpit: luxatum quippè crus perindè integrum reperit, solidumque, ac si nunquam afflictum, fractumque esset. Mira hic Thienæi cùm virtus, tùm maximè humilitas, ac modestia; quippè qui iniecta D. Francisci deuotione, ac nomine, adumbrare laudes suas voluit; ac miraculum quidem edidit, miraculi pompam, ac celebritatem respuit. Ad quod etiam conticinium noctis facit; vt & rei admirabilitatem vmbra contegeret, & plausus proscriberet silentium. Cęterùm quanquam æui longinquitas detrahere nonnihil miraculo visa fuerit, quod ægroti fratris nomen tenebris suis obuoluit; qua quidem ratione transmisisse silentio in suis historijs hoc miraculum, Tufus persæpe nostris narrauit; fidem nihilominùs, famamque obruere minùs potuit: ea siquidem ad posteritatem manauit successiuè rei conscientia; vt exacta [a] Romanæ Rotæ censura adscribendum inter miracula decreuerit restitutum hoc homini crus.

Cessit hęc postes Monialibus Capuccinis.

In hac fracti fratris tibiam sanat mirè Caiet.

[a] Rel. Rom. Rot. ad Vrb. S. de B. Caiet.

Hæc porrò Caietani precibus reddita fratri incolumitas ad quoddam virtutis eximiæ documentum, quod sub id tempus idemmet Caietanus in eadem parui Stabuli Domo edidit, stylum vocat. Dignum sanè quod ad Thienæi laudem posteritati exemplum transmittatur. Nullum quippè præclarius seuerioris disciplinæ, animique ab omni prorsus mortalium pompa, aspectuque alieni, dari specimen poterat; quando honestiore quidem causa permitti oculis intuitus, ac laxamentum nequiuerat. Expugnauerat hoc anno: nescias, maiore armorum felicitate, an virtute; Carolus Cæsar Tunetem, vrbem in Africa florentissimam, expulsoque, qui occupauerat, Rege Algerij, Muleassem in auitam Regni sedem asseruerat, exemplo augustæ munificentiæ, in æuum duraturo. Fortunæ, triumphisque inclyti Cæsaris plaudere Neapolitanis primùm contigit; qui post celebratissimam illam victoriam, barbarorum spolijs, suaque insi-

Caietani in refrenādis oculis virtus.

Post Tunetanam expeditionem Neapolim appellit Carolus V.

insignem gloria reuertentem illum excepere; cultu quidem, quantumcumq; aut capere Caroli virtus, ac fama; aut conari munificentissima Vrbs posset: vt planè nunquam ipse aliàs exceptus ea triumphi specie, ac lætitiæ imitamentis fuerit. Excitatæ ære, affectuque publico immensi, excellentisque operis moles, vt magni Principis nomen Cælo inferrent. Areas, vias, compita, porticus, angustauerant arcus, trophæa, simulacra; certabantque ornando, ac repræsentando Cæsari ingenio, ac sumptu. Quicquid vsquam ille Vrbium, Prouinciarum, Regnorum, Regumque vicerat, arguta quidem manus quæsitissimis coloribus, aut auro expresserat: vt victæ quoque gentes, ac terræ pompam pro modo adaugerent, ac celebrarent. Totius verò Vrbis facies, quocumque obtutus incideret, ea profectò erat, ea Syrmatum vbique magnificentia, is insularum ad aulam abeuntium luxus, hi passim tituli, elogia, monumenta, festarumque frondium, ac florum coronamenta, vt triumphare Vrbs ipsa videretur. Celebritatem cumulauerant plerique Italiæ Principes, qui officij, & consalutandi Cæsaris causa Neapolim aduenerant. Incredibilis item exterorum quà procerum, quà vulgi numerus vsque ad rerum pulcherrimarum contemplationem, aspectumque confluxerant; vt cum oblectare mirificè oculos viderentur illa artis, opumque dispendia, tùm id maximè præstabant populorum æstuantium Euripi, eorumque acclamationes, vota, plausus. Igitur, instructo longo Principum virorum ordine, his exultam ornamentis, ac studijs flagrantem, Neapolim iniuit Imperator; nec vlla hominum tàm religiosa conditio fuit, quæ frui spectaculo, quod nunquam aliàs contigisset, non duceret honestissimum. At enimuerò abripere præclarum Caietani animum, ac mentem, omni illecebra superiorem, isthæc theatra minùs potuere. Siquidem triumphandæ suæ ipsius cupiditatis occasionem complexus; cum è suæ cellulæ fenestra inspicere augustam illam Principis speciem, ac maiestatem posset; nec deessent adhortamenta; exorari nunquam potuit, vt insignem pompam vel vno intuitu dignaretur; spectandis intereà cælestibus oratione, ac contemplatione intentissimus: spectabilior quidem ipse ea virtutis seueritate, quàm triumphali cultu, ac paludamento Imperator. Quæ quidem oculorum custodia, ac frænum, singulare apud sapientissimos viros mortificationis documentum fuit. Nam cum non adeò facile sit, oculos, vel leui persæpe spectaculo lacessitos, continere; quid Vrbe tota festis clamoribus, ac circumfusis vndique plausibus personante, ad insolita excitari? præsertim cum tàm propè alliceret scena. Certè aspernari hæc lenocinia voluptatis, nisi qui affixus Cælo, amoto veluti Sipario, diuina contemplabatur, poterat nemo.

Excipitur triumphali cultu.

Vrbis facies.

Principum, ac populorum accursus.

Non allicit Caiet. splendidissima hęc scena.

Hæc in parui Stabuli Domo sanctimoniæ documenta edebat Caietanus, quæ excitare populorum pietatem, atque in ipsum obseruantiam summoperè videbantur: vt confluerent iam multi mortalium ad Marianam illam Ædiculam; inuitante etiam simplici quodam apparatu, ac mundicie, quæ pietatem inhalabat, alliciebatque aduentantes. Anteire longo interuallo cæteris videbantur Ayerba, & Longa, quæ Thienæi, ac Marinonij in formandis egregiè moribus, excitandoque rerum cælestium amore diuinam planè artem, ac studium cum agnouissent, suæ conscientiæ, animique administrationem, atque arbitrium illis omne permiserant: qui vicissim, quòd facilem, pronamq; excipiendis virtutibus indolem comperissent, accendere magis, ac magis earum ad perfectionis iter studia contendebant: & quòd non vulgari cuidam pietati, bonoque natas cernerent, altiora illis sensim consilia instillabant. Et quidem Maria Laurentia, etsi in eximiam virtutem incumbere in eo Insanabilium Nosocomio videretur, vt nullus iam in nobilissima fœmina contemptum mundi, suique, atque egregiam sanctitatem non dilaudaret; præstantiores nihilominùs in dies animos, ac spiritus cum concipere illam aduerteret Caietanus, par præclaræ menti opus proposuit. Fortè vt pulcherrima æmulatione ipse quidem cum Episcopo Theatino, & Maria Longa cum Maria Carafa contenderent. Adhortatus nempè sororem fuerat Episcopus Theatinus, vt sanctissimum D. Dominici institutum inter Moniales redintegraret, fundaretque Cœnobium ad arctiorem eam regulam exactum: quod sanè perpulchrè processerat; adolescebatque iam auspicatissimè Neapoli, vt vidimus. Eo igitur exemplo pulcherrimum fore existimauit Caietanus, si, vt iam Dominici, ita & Francisci strictior obseruantia inter Virgines propagaretur; essetque æquali ardore animi, zeloque fœmina, quæ

Confluunt ad Marianã Aedem Stabuli Neapolitani.

Ayerba, & Lõga ad perfectionis iter inducuntur.

Præcipue Lõga Caietano ductu magnũ opus aggreditur.

Hoc est, Virginum Collegium ad Diui Franc. regulã instituere.

quæ induceret. Eapropter, cùm matura iam ætate, vsuque virtutum, & quodam inprimis animi impetu, parem magnis ausibus Mariam Laurentiam cerneret; inflammare ad id operis vehementiùs præclaram eius mentem cœpit. Cui quidem consilio capessendo vox, atque instinctus Numinis accessit. Enimuerò, cùm insigni quodam studio pietatis illa arderet, atque angusta hæc natalis cæli, solique spatia magno pectori viderentur; traijcere in Palestinam cogitabat, vt sanctissima illa nostræ salutis monumenta, ac pignora coram adoraret, imbueretque eo spiritu animum, quem nobilitata vestigijs, exemplisque Numinis loca, sufficerent. Votum, quod arduum sciret, probari, firmarique auspicijs, ac Dei nutu optat. Ac fusa in preces, id enixè dum expetit, audire sibi visa vox quædam, quæ animum pulsaret, diceretque; gratam quidem sibi Hierosolymitanam eam peregrinationem, ac sacra ea rudera diuino sanguine cruentata deuenerari; sed gratius fore, si Virginum Cœnobium Sanctæ Mariæ in Hierusalem tutelæ, ac nomini consecraret. Ex quo, cum Caietanum hoc ipsum disertè suadentem, non humana quidem, sed Dei voce locutum, intellexisset; relicto peregrinandi consilio, moliri egregium opus cœpit: breuique collata in eam rem opera, ac ære, locum ad Monasterij formam intra ipsum Hospitalis Domus, in qua præerat, atrium pro tempore adaptauit: & mox obsignato pro eius Cœnobij institutione Pauli Pontificis, eius nominis Tertij diplomate, abdicatis mortalibus, Seraphici Patris Ordini, ac Sanctæ Claræ instituto nomen dedit. Dedicauitque ea nouæ disciplinę primordia insigni lectissimarum fœminarum manu: eadem quippè die bis nouem, quà stirpe generis, quà virtutis indole pręsignes Virgines, eandem Regulam, ac Cœnobium ineuntes, mundum vnà triumpharunt: idque, vt tempora supputanti constat, ad annum eius seculi quintum, & trigesimum faustè contigit. Caietanus, quòd suarum precum, atque adhortationum fructus is esset, gratulatus maximoperè sibi est erectam eam disciplinam, cuius iam animo prædiuinabat eximias progressiones: ac tùm in Mariam Laurentiam, tùm in reliquas eius Collegij sanctimoniales singulari quodam studio, affectuque Patris, velut in carissimam Sobolem ferebatur. Quarè diutiùs, quoad insignis ea disciplina adolesceret, arctissimæque obseruantiæ hærerent fibræ, in earum sedulò curam incubuit, vt non modò ipse expiandis earum conscientijs vacaret, sed & Ioannes etiam Marinonius, alijque è Nostratibus, quos in omni genere officij, & quà Sacramentis procurandis, quà concionibus habendis in eo Monasterio laborasse, superstes adhuc apud eas Moniales fama est. Perdurauitque is nostrorum hominum labor ab hoc quinto suprà trigesimum, quo institutum Cœnobium est, Seculi anno, quousque Pauli, quem memorauimus, Pontificis iussu, impositi eius procurationi Capuccini Patres fuere, à quibus & Capuccinæ illæ Virgines appellatæ.

Neque is in Mariam Laurentiam, suasque Virgines affectus circumscriptus Neapolitanis Patribus fuit, sed qui in Sodalitijs animorum est nexus, ab ijs etiam, qui Venetijs Nostrates agebant, ea virtus summoperè colebatur; ac par omninò apud illos eius erat Cœnobij veneratio, & cura. Et Carafa in primis, qui Longam, cùm ob eximiam in nostros homines caritatem, tùm ob singularem eius virtutem, morumque innocentiam apprimè suspiciebat, vt de eius disciplinæ institutione, ita & de progressu solicitus admodum fuit. Adscitusque deindè inter Purpuratos Patres, beneuolentiam, zelumque adauxit: impetrauitque à Paulo Pontifice Tertio viuæ vocis, vt vocant, Oraculum, quo monialibus eligendi, quem libuerit, Confessarium, aliaque in communis rei bonum spectantia perficiendi facultas datur, ad eum planè modum, quo id antea Monasterio Sapientiæ impetrauerat. Extant Cardinalis Theatini litteræ, quibus hæc ijs sanctimonialibus significantur; exscriptasque hìc volumus, veluti singularis Nostratum in id Cœnobium prouidentiæ testes posteritati. Sic verò habent.

Ioannes Petrus Carafa, miseratione diuina Tituli S. Sixti, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis. Venerabilibus, & religiosis Mariæ Longhæ Modernæ, & pro tempore existenti Abbatissæ, nec non Monialibus nunc, & pro tempore existentibus Monasterij construendi, Ordinis Sanctę Claræ, Neapolitanæ Ciuitatis, salutem in Domino sempiternam. Noueritis, quòd hodie Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Paulus, diuina prouidentia Papa III. ad preces nostras, quas vestro nomine suæ Sanctitati porreximus, Vobis, & Abbatissæ, in dicto vestro Monasterio

Accessitque operi Dei vox.

Quæ, relicto Hierosol. itinere, in Hier. Virginū Cœnobium curas intendit.

Excitat pro modo Domū,

Dedicatq; se nouæ disciplinæ vnà cum Virginū manu.

Institutum, moresque formantur à nostris,

Quoad Patres Capuccini curam capessiuerint.

Iuuatq; opus Carafa inter Card. adscitus,

Eius litteræ de impetratis à Pontifice facultatibus,

ſterio pro tempore exiſtenti, & Monialibus prædictis, vt confeſſorem vobis poſſitis eligere, Presbyterum ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis, etiam Mendicantium, Regularem, qui veſtris confeſſionibus diligenter auditis, vobis abſolutionis beneficium impendere,& pœnitentiam iniungere valeat ſalutarem, ac etiam Sacramenta omnia vobis,tàm in vita, quàm in mortis articulo miniſtrare: quin etiam Moniales profiteri volentes, recipi facere, & velum profeſſionis illarum extra clauſtra benedicere, & intus per te, Maria ſoror, vel per Abbatiſſam ſupra dictam, profitentibus imponatur: ſed & Viſitationis officium in vos,& veſtrum quamlibet, ad Crates tamen, abſque ingreſſu eiuſdem Monaſterij, liberè exercere, & omnia alia, & ſingula facere, quæ Confeſſores, & Viſitatores Monialium eiuſdem Ordinis Sanctæ Claræ, ſecundum Regulam,& Conſtitutiones, etiam laudabilem ipſarum conſuetudinem, facere poſſunt, & valent, de ſolita Sedis Apoſtolicæ benignitate conceſſit pariter, & indulſit: Nobiſque viuæ vocis oraculo demandauit, vt de huiuſmodi conceſſionis gratia fidem vobis per has noſtras litteras faceremus, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Eapropter præſentes, noſtra manu ſubſcriptas, & noſtri ſigilli appenſione munitas, fieri fecimus, per quas omnibus ſupradictis ad animarum veſtrarum, & aliarum Monialium, in dicto Monaſterio pro tempore exiſtentium, pacem, & tranquillitatem teſtimonium perhibemus. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, in domo noſtræ reſidentiæ, ſub anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, die verò decima Menſis Decemb. Pontificatus eiuſdem Sanctiſſ. D.N.D. Pauli diuina prouidentia Papæ III. anno quarto.

Cæterùm ijs Thienæi, noſtrorumque rudimentis, tùm Mariæ Laurentiæ exemplis imbutæ Moniales, quibus ſubindè virtutum incrementis, regularique obſeruantia floruerint, qua vitæ, morumque aſperitate, quo ſtatim gradu ad primam Sanctiſſimæ Matris Claræ regulam, abſolutamque perfectionem eniti viſæ fuerint, planè vt vix concipit admiratio, ita expedire ſtylus nequit. Vitam ſiquidem Cælo teſte, proſcripta rerum omnium humanarum recordatione, aut commercio, ſupra mortales ducunt: vt cum plurima ſint Neapolitana in Vrbe exactæ diſciplinæ Monaſteria, Cœnobij huiuſce ſanctitatem, paupertatem, auſteraſque viuendi rationes nullum profectò exæquet. Craſſiore, ac rudi lana, nulla admiſſa interula linea, nudum corpus grauant, diuexantque: eoque centone aduolutæ dormiunt, lecto haud quidem molliore, inſtratanamque vili ſtragulo tabula cubant; ſomnumque matutinis precibus nocte media intercipiunt. Nudis pedibus incedunt; ſandalijs Capuccinorum ritu vtuntur. Continenti ieiunio, præterquàm Dominicis diebus, macerantur. Carnibus, niſi morbi vis id imperauerit, nunquàm veſcuntur: ouis, ac lacticinijs contentæ. Leuandæ ſiti aquam adhibent, vinum ægrotantibus dumtaxat propinatur. Bis in hebdomada diuina dape animum reficiunt: ter corpus flagellis inceſſunt. Medicus, aut Chirurgus,niſi cum periculosè decumbunt, ad ipſas non adeunt: porrectoque, cum res flagitauerit, per feneſtellam brachio, venam aut tentant, aut ſecant. Raræ ſiue mulierum, ſiue hominum allocutiones; idque velata ſemper facie. Atque hæ quidem communes viuendi leges. Priuata deindè virtus, & quæſitiores in pleriſque corporis afflictationes incomparabilem planè reddunt loci ſanctitatem. Quodque vehementer admirere, illud profectò eſt, quòd cum terrere delicatulas, ac nobiles potiſſimùm Virgines perarduæ huiuſce vitæ rationes deberent, illas vſque adeò alliciunt, vt vltrò, certatimque admitti ad eam diſciplinam petant. Nam cum ſignatus inibi ſit Monialium numerus, quem excedere Collegium nequeat; cum primùm vacat, non paucæ, claris plerumque natalibus, eius inſtituti candidatæ, ſubire aſperiores eas vices contendunt.

Eius Monaſterij Sãctitas

Vitæ aſperitas.

Adſcribi ad auſteriorem hanc diſciplinã certatim poſtulant.

At enimuerò de Maria Laurentia Longa, quæ vetuſtam hanc, magnamque Clariſſarum inſtitutionem & concipere recenti, ingentique ſpiritu, & prouehere exemplo potuit, par eſt, vt aliqua ſingillatim perſtringamus. Præclara ſiquidem virtus,cui Beatus Pater noſter Caietanus magna propoſuit, & quam ſuis tùm documentis, tùm laboribus expoliuit, inſeri in noſtris hiſtorijs poſcit; exigitque id in primis noſtri officij debitum, vt cuius olim opportunam liberalitatem, ac munificentiam experti abundè ſumus, eius nunc venerabilem memoriam poſteritati, ac litteris commendemus.

M. Laur. vitę curſus.

Patria, genus. Igitur Mariam, nobilissimo in Principatu Catalauniæ genere, Hispania Neapoli dedit. Spectatæ indolis fœminæ vir contigit pari nobilitate, Ioannes Longus, iuris cum paucis consultissimus, ac Ferdinando Regi Catholico ob doctrinarum, iudicijque præstantiam percarus, à quo supremo, quod vocant, Collaterali Consilio in Regno Neapolitano admotus. Excitata ad sanctiorem morum frugem Maria Laurentia, a Hist. Laur. Excitatur ad excellentius vitæ genus. prædura primùm animaduersione, mox miraculi illecebra fuit, quod a Horatius Tursellinus memorat. Enimuerò, instigante malo quodam genio, famula venenum dominæ propinauit, quod, etsi præsentissimum, temperatum nihilominùs ita diuinitùs fuit, vt vitam quidem non extinxerit; verùm opes corporis vsque adeò afflixit, Veneno sanitas corrumpitur. vt motum omnem, vsumque ademerit membris. Cumque ad omnia humanæ artis præsidia recrudesceret morbus, accersere diuina statuit. Et quæ Virginem Lauretanam intimè colebat, sciebatque propulsandis, arcendisque id genus malis potentissimam; ingenti spe freta, Lauretanum iter instituit. Ad b Sacram magnæ Matris Lauretanum iter corripit; b Bzo. in An. ad ann. 1538. & 1542. Ædem cum peruenisset, peractis iam matutinis Sacris, cum nullus adesset, qui faceret, Sacerdos quidam ex insperato accessit, litauitque cultu quodam insolito. Tùm, mysterijs absolutis, adstantes conceptis verbis alloquitur: Iam sospes Maria est, debitas Maximo Numini grates reddite. Tremere confestim Maria Laurentia: Ac Deiparæ miraculo conualescit. mox adflari vigor quidam membris, ac redire vires, & color: vtque ipsa sibi restitutam incolumitatem sensit, aduoluta ad Aram, gratias, voluptati, ac lachrymis immista, Deo, ac Deiparæ habuit. Sacerdos sacris operatus, nusquam posteà visus, quo fama inualuit, Cælitum aliquem, aut Redemptorem ipsum, qui Sacerdos, & hostia est, vt luculentius miraculum foret, celebrasse. Cum instaurato corporis habitu mentem induit Maria beneficæ Virgini addictissimam. Hinc pietatē in magnam Matrē auget. Quarè domum reuersa, ne gratia consenesceret, illam ingenti quadam deuotione animi fouebat; ac pietas potissimùm in pauperes, atque ægrotos mirificè exarsit; ita vt, sublato paulò post viro, ad ea caritatis officia, quas recuperauerat vires, neruosque, ac fortunas insuper omnes contulerit. Totamque se ad misericordiæ opera cōtulit.

Hector Vernacia Insanabilium Nosocomiū Neapoli, excitat. Hector Vernacia, celebrioris pietatis vir, quem, monuimus supra, vnà cum Episcopo Theatino Romanum Insanabilium Xenodochium fundasse, in eoque egregiè desudasse; hoc idem summa cum laude, successuque opus Neapoli instituit. Impetrata siquidem ad Neapolitanorum preces à Leone Decimo Pontifice istiusmodi Hospitalis Domus ad Romani exemplar Nosocomij excitandæ facultate, breui illam loco opportuniore descripsit, erexitque; & comparato quà publica, quà priuata piorum hominum stipe, domestico instrumento, lectisque in distinctis mulierum, hominumque stationibus concinnatis, Kalendis Maij, eius seculi sextidecimi anno vndeuigesimo, faustè, solennique ritu frequentari locus cœpit; translatis insigni pietate, ac pompa inter populorum plausus, ab antiquo, eoque sanè incommodo Sancti Nicolai Xenodochio ad nouum, amplumque hoc Insanabilium Valetudinarium infirmis. Igitur, quæ se, suaque omnia pauperum ministerio mancipare constituerat Maria Laurentia, in hoc statim theatrum, conceptæ pietati non impar, insilijt. Ac Huic se, fortunasque suas Lōga addixit. posito inibi domicilio, habitumque tertij Ordinis Sancti Francisci pauperiorem induta genus, dignitatem, sexum, opes, mundum visa est; simul contempsisse. Supremam, atque operosam loci curam grandi, ac supra fœminam animo complecti cœpit; nec sumptibus, nec laboribus deterrita. Obire caritatis officia, quàm imperare, pulchriùs putabat. Eius in eo Nosocomio ministeria caritatis. Nec contemptissima dedignari, nec fœda visu horrescere, nec defatigari laboriosis vnquam videbatur illustris fœmina. Præter nocturnas horas, quas modicæ quieti, prolixæque orationi reseruauerat, quacumque diei hora in Xenodochium incideres, aut parantem infirmis fercula, aut sternentem lectos, aut vasa repurgantem, aut vlcera, stillantemque ex eis saniem, sua manu abstergentem reperisses. Planè, vt nullum formosius spectaculum esset, quàm illam cernere inter vilissima ea munia nec abiectam, nec victam: neque vlla profectò de re tàm frequentior haberi sermo cœperit inter Neapolitanos proceres, quàm de Mariæ Longæ virtutibus, morumque sanctitate.

Quæ miraculis comprobatur. Porrò insignis pientissimæ mulieris in ægrotos, ac pauperes caritas, vt celebritatem, famamque mortalium promeruerit: ita honestare illam non vno miraculo diuina

uina prouidentia voluit. Panis in Nosocomio, aut temporis difficultate, aut administrorum, nescio qua, indiligentia defecerat: cœptumque iam, appetente prandij articulo, ægrotantium incommodo ab ea inopia metui, maximè, quòd haud facile erat inspicere, vnde subsidium peteretur. Cum ecce tibi duo ad fores clitellaria iumenta, pane, eoque lectissimo onusta: cumque nec quis ea duxerit, nec quis annonam miserit sciri omninò potuisset; constans apud omnes fama increbuit, Cælum ipsum liberalitate, penuque sua vsum in pauperes. Importato in Xenodochiū pane e Cæli penu.

Illud quidem ad Mariæ Laurentiæ preces contigisse constat luculentiùs, quod [a] Valerius Paganus ex nostris fuisse apud antiquiores Cœnobij Diuæ Mariæ in Hierusalem exploratum, memorat. Quo tempore Neapolitanam Vrbem, ac totam fermè Italiam fames inuaserat, luctuosi quidem belli, grassantisque adhuc pestilentiæ haud minor appendix, Hospitalem illam Insanabilium Domum, quòd plura inibi capita numerarentur, quàm maximè afflixit annonæ caritas. Accidit verò aliquando, vt panis inopia laboraret, nec vlla mœstissimæ fœminæ propulsandæ necessitati affulgere spes videbatur. Rem desperatam vt Numini commendaret, orationi se contulit; ac lachrymis veriùs, quàm voce causam dum perorarer, compellari se incondito quodam concentu vocum è proxima via sensit. Accurrit; conduplicatusque ab eo aspectu mœror altiùs animum exulcerauit. Ternideni siquidem pauperes, enecti fame, ac reciprocantes vix spiritum, miserabilem quendam in modum opem emendicabant. Excusare illa primùm annonam, quæ vel infirmos defecerat: mox diuino quodam instinctu prouocata, in penum contendit; armarium, scilicet, in quo seruari cibarius panis solitus erat, vt verreret, excuteretque, si quæ forte reliquiæ famescentes recrearent. Mirum dictu: optimo, calentique pane, perindè ac si recens pistor attulisset, instructam arcam comperit: atque admirata tempestiuam diuinæ prouidentiæ blanditiam, externam, ac domesticam famem abundè fouit: noua quidem miraculi accessione; accepto namque ab ea panum vi quantum in præsens necessitas tulit, reliquum arcana Cœlitum manu, quæ importauerat, reportatum mox obstupuit.

[a] Hist. Cler. Reg. M.S.

Iterum panis in summa annonæ caritate.

Neque [a] verò solicitam ægrotantium curam, amoremque cum mortalitate visa est exuisse Maria Laurentia. Siquidem, vt in ipsomet Nosocomio Incurabilium vetere fama compertum est, plerique post eius excessum, spectabili quidem oris habitu, ac supra mortales forma illam inspexere, per ea decumbentium spatia excurrentem, illosque dulciario pane munificè donatos, ad asperam malorum palæstram, morbosque strenuè tolerandos animare.

[a] Ex Ben. ibi. Post mortem visa Xenodochium excurrere munifica manu.

Atque his, alijsque id genus signis commendatam Deus voluit flagrantissimæ Mariæ caritatem, quæ vt corporum incommodis tàm sedulò cauebat; ita procurare animos studijs acrioribus conabatur. Enimuerò quod pijssimum pectus acerbiùs laniabat, ea erat infelix meretricium nundinatio, quarum publico in foro, præcone infamia, prostat venalis pudicitia. Eapropter lucem imitata, quæ collustrat quidem, nec metuit sordes, ad impurissima ea loca frequenter adire purissima fœmina non dubitabat, vt emeret ipsa animas ab his, quæ corpus venditabant. Et quidem ea illi in adhortando facultas erat, vt visa nunquam fuerit illa sine compendio eloquentia, & caritas: quàm plurimas namque bonæ menti, ac frugi restitui contingebat, quas aut honestè, tùm sua, tùm piorum liberalitate collocabat; aut mutatis moribus, habituque infirmorum ministerio vnà secum destinabat. Quas verò cœnum diutiùs delectabat, nec exorari facilè patiebantur, vt publicum id dedecus eierarent, saltem impetrabat, ne die Veneris ob effusi Dominici sanguinis reuerentiam ea stipendia facerent: soluebatque ipsa interim, quod ea die turpi opere meruissent. Quo quidem studio dum obnoxias culpæ animas curat; haud dispari pietate ijs, quæ lustralibus Purgatorij pœnis, ac flammis expiantur, consultum voluit. Ipsa siquidem instituit, vt inter primas faces, dato signo, pijs manibus benè precarentur mortales. Quæ sanè laudabilis consuetudo ex Insanabilium Nosocomio in reliquam Vrbem, Regnumque Neapolitanum postea manauit, ac propagata deindè est vbique gentium: vt nunquam consenuerit eius caritas, qua perpetuò mulceret piaculares defunctorum pœnæ; indicta perenni prece.

Prostitutarū saluti vacat.

Adibatque lupanaria.

Insigni plerūque cum animarum compendio.

Addictas etiā lustralibus flāmis animas curabat.

Institutumque ijs iuuandis vespertinum signum.

Ad eius nunc orationem, rerumque diuinarum contemplationem gradum facimus,

Orationis studiũ, ac supernum ab ea lumen.

mus. cuius studio addictissima cum paucis fuit: tantaque superni luminis affusione cælestia commentabatur; vt litterarum rudis omninò cum esset, nec sublimia diuinorum argumenta par ingenium exæquaret, assequi nihilominus acri quodam, diuinaque vi mentis cælestia videbatur: eòque pertingere, quò eruditus, ac doctissimus quisque attentiore studio non auderet. Testatus non semel est B. Pater noster Cietanus, priuatis illam sermonibus differentem, explicantemque grauissimas persæpè quæstiones de rebus arcanis audiuisse: idque ea dictionis profunditate, momentisque sententiarum, quæ haustam è Cælo mentem, ac sapientiam decerent: & quia sacris litteris erat apprimè instructus, non parum tamen lucis in difficillimis sacræ scripturæ locis ab ea nonnunquam accepisse candidè fatebatur. Hoc item diuinitatis radio, quo in oratione perfundebatur, futura prospectabat. Memorantur pleraque eius vaticinia; adibantque ad ipsam confestim viri proceres, vt secuturos rerum euentus certo quodam oraculo discerent. Et Mariæ quidem Ayerbæ, quam, vt monuimus, vnicè amabat, morti propior, adstanti prædixit, fore, vt intra biennium diem suum & ipsa clauderet: probauitque exitus dictum. ª Secretos itidem animorum motus, ac perturbationes, tùm mali dæmonis artes, ac machinamenta ab ea luce sæpius Mariæ Laurentiæ innotuere, occurritque opportunè, cum minùs putaretur. Accidit semel, vt domesticum opus, quod ipsa iusserat, præfractior quædam virgo detrectaret; cumque nec verborum lenitas, nec acris valeret obiurgatio, eius repentè contumaciæ auctorem videt: nigellum, videlicet, Æthiopi persimilem malum dæmonem, eius humeris incubantem: tùm confestim ad illam: Quin vides, filia, infernum hostem teterrimo aspectu, tuis humeris insidentem, ac exultantem? non te pudet, hac tua peruicacia voluptatem, ac scenam dæmoni adornare? Quo fulmine percussa refractaria ea virgo, dedit illicò manus admonenti. Cæterùm orationi, in qua, manante vberiùs lachryma, Christum ipsum sæpius alloqui visa est, præter hoc, quo mens irradiabatur, lumen, efficacitas, ac vis inerat impetrandi non modica; cuius planè exempla suppeterent satis multa, quæ ne simus fastidio, percensere non libuit; cum legi maximè apud eos possint, qui res eius gestas aliquantò fusiùs excepere: præsertim apud ᵇ Bouerium, accuratum rerum sui Ordinis scriptorem.

Quo diuina, ac difficillima intellectu assequebatur.

Et futura prospiciebat.

Prædictus ab ea Ayerbæ obitus.

ª Ex Bouer.

Aperta item cordis arcana.

Et dæmonũ conatus.

ᵇ An. Capuc. ad an. 42.

Iam verò animi demissionem, contemptumque sui nihil est, cur hic memoremus: satis fuerat, inter infima Xenodochij officia simplici cultu ministrantem illam intueri. Monialium autem Antistita primas quidem partes eas putabat, postremam omnium existimari, alijsque vel in contemptissimis Cœnobij munijs anteire, exemplum, ac moderatrix: vt admirationi profectò esset omnibus, tanto ipsam fœdere cum exacta sui abiectione præfecturam, ac dignitatem consociare. Quamquam singularis enimuerò in Longa erat contrariorum hic nexus, & conspiratio. Externis namque laboribus proximorum bono simul distrahi, simul quiete, secessuque mentis frui: manare iugi lachrymarum copia, & florere semper serena in fronte lętitiam: sæuire in seipsam duriùs, alios quà verbis, quà factis quàm lenissimè accipere: affixam Cælo mentem humana nihilominùs ope niti, illamque flagitare studiosiùs ad inopum præsidium. Perfamiliaria hæc illi erant studia, quæ opposita inter sese videbantur, nectebatque concentu sanè pulcherrimo.

Longę humilitas.

Contraria inter se cum laude vnit.

At enim princeps, ac prolixior eius cura, vitæ asperitas fuit, qua quidem comparari cum sanctissimis superioris æui fœminis potuit. Nam quæ sui sibi victoriam proposuerat, vel ab ipsis vitæ sanctioris rudimentis pugnare acriter in corpus, ac sensus cœpit: eòque tandem sui frangendi, triumphandique studium euasit, vt primam, seueramque sanctæ Claræ regulam complecti non dubitauerit; cuius obseruantiâ, si rectè rem æstimes, nescio, an multari acerbiùs caro possit. Quamuis generosa eius indoles neque in ea disciplinæ asperitate sisteret, sed quò certiùs vinceret, duriora adderet. Quibus ipsa afflictationibus cùm plus æquo vrgeret corpus, in eandem ipsam recidit valetudinem, qua olim laborauerat, antequàm præsenti Lauretanæ Virginis ope ante annos viginti conualesceret, Eximium in ea ferenda tolerantiæ specimen cum daret, præclarum tuendæ, vel inter maximos labores, atque ægritudines disciplinæ documentum exhibuit; & cum nihil de instituti obseruantia decerperet, austeriora legum pensa patientiæ trophæis cumulabat. His igitur incommodis assiduò pulsa-

Vitæ asperitas.

In morborũ acerbitate tolerantia.

pulsatum, labefactari, ac ruere tandem defectum corpus oportuit; [a] quod accepisse ipsa diuinitùs demonstrauit. Nam orationi aliquando defixa [id familiarius molestiarum leuamentum erat] ea statim contemplatione velificauit, vt sensibus abalienata, extra se raperetur. Ratæ Moniales repentinum aliquod animæ deliquium Mariam occupasse, compellare illam, tùm diuexare certatim, ac discruciare, vt rediret. Tandem sensibus restituta, Quàm importuna, inquit, vestra caritas fuit, filiæ; quando spectaculum mihi longè pulcherrimum interturbastis: purioribus certè delicijs perfundi animus non poterat, Ibo, ibo iterum, & videbo. Quærenti verò cuidam ex Virginibus amatissimæ, cui Maria nomen, quid vidisset? Sat est, respondit, sat est. Statimque, ac si in partem voluptatum non exiguam obnunciata sibi eo tempore mors esset, rem communem accuratè ordinare; tùm præfectura abdicata, pro facta sibi Pontificio diplomate facultate, Moderatricem aliam designare: flentibus interim vberrimè Monialibus, tantæ Matris iacturam, exemplumque animo æstimantibus, Et cum properare ad optatissimum vitæ exitum, nec abesse se longiùs persentisceret, instituto ad sorores sermone, orationis studium, mutuam in primis charitatem, legumque obseruantiam grauissimè commendauit. [b] Quo tempore imminentes Neapolitanæ Vrbi calamitates, quæ non post multò consecutæ sunt, Francisco Liardo, Viro è Capuccinis egregiè probo, & qui eius à confessionibus tunc erat, aperuit. Adfuere, vt [c] Valerius noster Paganus ab senioribus eius Cœnobij Virginum fide, ac fama narrat, Beati Patres nostri, Caietanus, & Ioannes Marinonius, à quibus primordia spiritus, atque incrementa nouerat Maria Laurentia, nec minimum addiderunt supremo spiritu colluctanti virium, ac solatij sanctissimi Patres; qui quo rerum articulo maximè opus erat, optimæ Matri, ac de nostra Sodalitate egregiè merenti, præsto esse pietatis officijs, ac precibus voluere. Igitur plerisque editis virtutum documentis, Christi in cruce pendentis imaginem manu tenens, cui se ex animo commendabat; consalutatis piè Sororibus, suprema ea verba concepit: Ecce sponsus venit; statimque purissimam animam efflauit. Funus, euulgato mox obitu, ac sanctitate, ductum summa celebritate, omnium ordinum accursu: & quibus osculari beatos pedes contigit, ij suauissimum inde odorem efflari testati sunt. Maria Dux Termuli, quæ & ipsa morienti aderat, ac præmaturi sui obitus vaticinium, vt significauimus, audiuerat, defunctæ loculum curauit planè ampliorem, eo quidem consilio, vt quoniam instaret exitus, ipsa mox inibi iuxta carissimam sororem contumularetur; haberetque cum illa vnam, eandemque sepulcralem vrnam, cum qua, quoad vixerat, coniunctissimè vixerat.

[a] Ex Bonerio.

Certior suæ mortis fit inter oradum.

Ad illam se comparat.

Quæ tunc ad Sorores verba.

[b] Ex eodem Bonerio.

Neapolitanas calamitates persignificauit.

Adfuere eius morti e nostratibus Caietanus, & Marinonius.

[c] Hist. Cler. Regul. M. S.

Persoluta iusta affluxu hominum incredibili.

Ayerba vrnā ampliorem adornat, vt vna contumuletur.

Verùm immorandum paulisper in hac etiam laudatissima fœmina est, quæ vt virtutum insignibus, atque ipsamet præsertim in pauperes propensione Mariæ Laurentiæ perquàm similis; ita in nostro Ordine fouendo, ornandoque non impar sanè fuit. Gens Ayerba ab Regum Aragoniorum sanguine propagata, sua etiam decora regio Generi inseruit; à qua vti prænobilem indolem, naturæque dotes, quæ principem fœminam decerent, Maria hausit: ita insigni pietate, quæ inter magnæ Domus fastus rarò lucet, clariores ipsa reddidit natales suos. Nupta Andreæ de Capua, ex Altauillæ Comitibus, Termulanorum Duci: illius nempè [d] Ioannis germano fratri, qui Ferdinando Secundo Aragonio, acriter dimicanti, cum equus, in quo insidebat, à vulnere cōcidisset; suum ipse, qui Regi propior, ac summè carus eadem in acie pugnabat, suffecit. Quo statim loco Regiæ incolumitati nobili victima egregiè litatum fuit. Nam conficiendus mox illa in martis alea Ferdinandus, vicarij eius equi beneficio defunctus periculo est; traiecto interim, atque expirante non vno vulnere Ioanne. Magnò, videlicet, stetit Regis vita tanti Viri iactura, sed quam Ferdinandus cumulatis in Andream fratrem opibus, bonorumque titulis abundè compensauit. Andreas Castrensi item disciplina clarus, ea bellicæ laudis opinione floruit, vt Iulius Pontifex Secundus supremum Ecclesiastici exercitus Præfectum renunciauerit, obijtque prædmaturè in eo munere, relicto Mariæ Ayerbæ Coniugi Ferdinando filio, Duce Termulanorum, ac Principe Molfictano, qui hæreditario ad armorum gloriam impetu niti ad magna videbatur; sed florem ætatis, cœptasq; belli artes intercepit fatum: cuius filia Ferdināda Gonzagæ, Mantuæ Ducis fratri, nupta, ingentes in eam domū opes inuexit.

Mariæ Ayerbæ carptim vita.

Genus ab Gente Aragonia.

Andreę de Capua Coniux.

[d] Sup. Amm. de famil. Neapol.

Ioannis de Capua in Ferdinandum Secundū obsequium, & fides.

Andreæ fratri opes, ac titulos peperere.

Coniugis ac filij funera æquo fert animo Maria.

Viro igitur, ac filio vnico superstes Maria, vtrumque vulnus Christiano, ac supra fœminam, pectore tulit; excitatisque eorum memoriæ egregij operis è marmore sepulchris, in sanctæ Mariæ à Populo, Nosocomij insanabilium templo, tantis ipsa suæ Domus cladibus erudita, vitam instituit sanctiorem, cœpitque in officijs caritatis, animoque excolendo tota adesse.

Quæ se Caietani fidei committit.

Admouerat, vti diximus, suæ conscientiæ Caietanum, hansitque ab eius institutione egregiam pietatis indolem; ac tum ipsius, tùm Marinonij sanctimoniam, morumque præstantiam vnicè venerabatur. Id autem in Ayerba non vulgare pietatis specimen fuit; quòd cum inire cum Maria Laurentia, vti peroptasset, Diuæ Claræ regulam, ac nunc cum mundo remittere minùs potuerit, ingentibus suæ domus curis adhuc circumsepta, Xenodochium insanabilium post ipsam administrandum suscepit: abstersoque ægrotantium mœrore, compensauit vicaria ea cura iacturam, quam visa est hospitalis ea domus in Maria Laurentia fecisse. Diù iam antea cum ipsamet Longa in ea arena desudauerat: proindèque assueuerant iam tractandis vlceribus manus, ac oculi: neque esse fastidio poterant assidua decumbentium lamenta, ad quæ iam aures occalluerant. Intendere nihilominùs animum vehementiùs ad eam curam cœpit: nouerat quippe exigi à se magna, quando Mariæ Longæ insignia humilitatis, pietatisque documenta præcesserant. Et verò obiuit ipsa munus peregregiè, magnoque fuit Neapolitanæ nobilitati incitamento ea prouinciæ continuatio. Effecit siquidem æmulatio, vt ægrotis illis inseruiendis nunquam statis horis illustres fœminæ deessent; isque postea est ab ea exemplorum face propagatus in posteritatem ignis, vt ardeat adhuc in eo Xenodochio nobilium cùm virorum, tùm mulierum ministerium.

Insanabilium Nosocomiū post Longam procurat.

In quo laborat peregregie.

Excitatq; sui exemplo nobiles fœminas.

Pœnitentium Monasterium instituit.

At enimuerò, Maria Ayerba dum corporum valetudinario nauiter vacaret, vt est fœcunda magnorum virtus, aliam sub id tempus ad animorum remedia, atque incolumitatem domum excitauit. Monasterium scilicet mulierum pœnitentium, quæ Conuertititiæ nuncupantur: idque Caietani etiam, ac Marinonij ductu, à quorum illa consilio nec latum vnguē discedebat. Eius verò instituendi occasio hæc fuit. Aduentabant ad id quotidiè Nosocomium pleræque prostitutæ, ac publici iuris mulieres, eo plerumque vlcere percussæ, qui præcipuus est eius operis, & culpæ fructus. Excipiebat perhumaniter Ayerba, & qui erat præferuidi pectoris zelus, ita sanari corpora curabat, vt quà adhortamentis, quà succedentium pœnarum, longè grauiorum denunciatione, ac terroribus, fœdiorem etiam animi ægritudinem detergeret. Verùm cum persæpè contingeret, vt indè emissæ, aut inueterata consuetudine, cuius ingens vis est, aut actæ stimulis necessitatis, in idem mox dedecus, eandemque luem relaberentur; omninò consulendum malo putauit. Ac re eum Caietano, ac Marinonio communicata, id consilij cepere, vt Monasterium propè idem Incurabilium Valetudinarium instituerent, in quo ereptam ab ipsis hostium castris prædam, tutissima velutin arce, reponerent. Nostratum curæ fuit, facultatem eius negotij conficiendi obtinere. Impetraruntque mox ab Antonio Cardinali Sanctorum Quatuor Coronatorum, sacræ Pœnitentiariæ Præfecto litteras, ad diem decimum septimum Decembris, anni trigesimi octaui supra sesquimillesimum, quibus Mariæ in primis, Termulanorum Duci, noui Pœnitentium mulierum Cœnobij excitandi ius datur, quod quidem Insanabilium Xenodochio adiunctum, legem ab eiusdem Rectoribus acciperet. Atque hæc quidem fuere huiusce Gynæcei primordia, quod optimis subindè legibus instructum, prudentique Rectorum cura administratum, ingentem in numerum excreuit: nam supra trecentas in eo mulieres hodieque adnumerantur, vitamque cum laude, ac virtutis opinione transigunt: attiguæ quidem sanctimonialibus Diuæ Mariæ in Hierusalem; quarum sanè propinquitas adflare illis quandam sanctimoniæ auram, ardoremq; æmulationis potest. Neque ex vano putamus, gaudere modò pias illas Animas, Longam, & Ayerbam, quæ Cælo receptæ nobiliore quodam nexu iunguntur, tàm propè ea inter se Collegia condidisse, in quibus etsi dispar mulierum conditio, in eandem nihilominus mentem conspirant: & illæ quidem innocentia, hæ pœnitudine obsequium Numini probant. Nostri verò, præcipuè Caietanus ac Marinonius, qui eius consilij apud Ayerbam auctores fuere, nullis posteà officijs Cœnobio illi defuere; eòque in eam curam insistere attentiùs Patrum

Caietani, ac Marinonij ductu.

Eius instituendi occasio.

Opus nostri curant, impetrant Romæ litteris.

Creuitq; ingentē statim in numerum

Cui sedes cōtigit propè Deiparam in Hierusalem.

nauitas

nauitas videbatur, quòd longo malorum vsu corrupta, ac fracta mulierum indole, in lubrico adhuc essent vestigia, ac facilis infernis hostibus victoria, si quam denuò pugnam inchoarent. Quocirca ad confirmandos in inceptis animos acti, feruentique dictione inuehere in voluptatum oblectamenta, ac tyrannidem occupere; æternorum amorem, contemptumque mortalium inducere; docere sensuum, mundique insidias; frequentiam in primis Sacramentorum, qua contineri in eo proposito vnicè possent, suadere egregio ardore animi conati; quo sanè ad eius disciplinæ obseruantiam, atque incrementum, in quod assurgere postea visum hoc Pœnitentium mulierum Monasterium, plurimùm profuere. Illique institutionem tribuere postea strenue nostri.

Inter hæc studia pietatis ad id vsque tempus vitam produxit Maria, quo Mariæ Laurentiæ vaticinio erudita, nouerat non longiùs abesse à communi mortalium exitu: vtque præclaram eam periodum nobili fine clauderet, mirùm quanto se maiore animi contentione ad diuina incitauerit. Preces promerendæ pietati Numinis ferientiores; expiandis exacti æui noxis fletus vberior: mundi contemptus, opum erogatio, in pauperes caritas visa illustrioribus exemplis emicuisse. Et cum sordescere mortalia summoperè cœperint, vt vnanimem sociam examussim imitaretur, compositis domesticæ rei curis, legatisque pijs locis opibus, sanctæ Claræ institutum in eodem Diuæ Mariæ in Hierusalem Gynæceo profiteri in animum induxit: impetratoque Pontificio diplomate, vt paucos intra dies, & iniret Monasterium, & solennia vota conciperet, pridiè quàm id consilij exequeretur, correpta morbo est, quo mox properare ad interitum animaduertit. Quapropter, ceu mortem nec metueret, nec sperneret, illi incredibili quadam animi puritate, & constantia occurrit; meruitque, antequàm diem vltimum clauderet, vt inter purissimæ lucis radios spectandam ipsi Maria Laurentia sese daret, vt supremo in eo discrimine animaret sororem amantissimam, inuitaretque ad laborum palmam, ac fructum. Igitur, cum id maximè extremo spiritu commendasset, vt idem sibi tumulus, vti constituerat, cum Longa contigeret; sacris ritè procurata, intra id tempus, quod Longa ipsa prædixerat, pijssimè obijt. Digna profectò, quæ inter laudatissimas sui æui principes fœminas numereretur, matronali dignitate spectabilis, eximia in primis pietate, atque omni laude virtutum florentissima. Elata in Monasterium sanctę Mariæ in Hierusalem, vt designata, optatsque impensiùs vrna potiretur. Nec mora: effossa humo, apertus Mariæ Longæ loculus, ac suauissimus quidam odor, violarum instar, efflari statim cœpit. Corpus humidissimo licet loco, ac biennium ferme iacuerat, nulla tamen ex parte labefactatum: suusque erat vultui habitus, ac decentia: quodque maiorem adstantium admirationem prouocauit; manus, ac pedum vngues, capillique capitis, ceu viuæ excreuerant. Mariæ verò Ayerbę virtutes, initumque iam præclaris meritis Cælum id planè luculentissimè declarauit, quòd nisi plerisque inspectantibus contigisset, nec continenti ab ijs memoria, famaque constaret, fidem profectò non euinceret. ª Enimuerò vbi condita in eo tumulo fuit, visa confestim palàm omnibus Maria Longa dexterum brachiũ extendere, illamque complecti, ceu carissimam hospitem exciperet, diuideretque perquàm libenter cum illa vrnam, cum qua communem habebat modò gloriam, eosdemque olim habuerat animi sensus ac vota. Simile quid inter clarissimos Ecclesiæ Leuitas, ac principes Martyres accidisse, sacrarum historiarum fide compertum est. Collocatus nanque in D. Laurentij monumento Stephanus, hunc ille non excepisse modò humaniter visus, sed ceu honestari hospitem, ac Protomartyrem digniore loco deceret, paulisper digressus, officio, vel inter pios manes planè laudabili, dextrum illi latus cessit. Porrò, statuerat olim sibi Dux Termuli Maria tumulum, dum viueret, in ea, quam diximus, Mariana Æde à Populo, quæ est in ipso Incurabilium nosocomio: spectaturque in hunc vsque diem sepulchralis lapis inter viri, filijque monumenta, quæ ipsamet excitauerat. Verùm cuius in animo in Mariam Longam amor ab eius excessu, non modò non tepuerat, sed exarserat vehementiùs; auelli ab ea, vel defuncta non potuit: abdicatoque priore, quod posuerat, saxo, frui suos cineres carissimæ sororis contubernio æternùm voluit.

Morti propior incitatur ad pietatis studia Ayerba.

Capuccinarũ institutũ cogitat,

Sed supremo intercipitur morbo,

Ac pie moritur.

In eodem cũ Maria Longa loculo sepelitur.

ª ex eodem Bouerio.

Res planè ad mirãda in eo tunc conditorio accidit.

Sed enarrandis insignium harum fœminarum virtutibus longiùs prouecti, nunc ad rerum nostrarum ordinem redeamus. Dum hæc Neapoli agebantur, voluente anno

eius

An. 1535. Bonifacius à Colle rem bene gerit Venetijs

eius seculi quinto, & trigesimo, Caietano nostram, aliorumque disciplinam insignit et promouente; Bonifacius à Colle, qui superioris anni comitijs, refectus Ordinis Præpositus ad alterum annum fuerat, Venetijs præclarè rem Theatinam exauget, exacta domi obseruantia: forisque ob eximiam virtutis existimationem, quam sibi eruditione, ac morum innocentia conciliauerat, in magno apud omnes pretio erat. Quo loco enarrandum, quod illi sub id fermè tempus accidit; quo simul & insigne robur pectoris, zelique constantiam, & quo esset apud viros proceres loco, demonstrauit. Igitur caritatis officijs nunquam non intentum Bonifacium, rogauit quidam, vt aures expiaturo sua crimina commodaret. Erat is, vt præferoci quodam ingenio, & ex eo nefariorum hominum genere, quorum omne æuum teritur ferro, quippè quos gladiatoria in primis ars, & cædes iuuant; ita multis flagitijs oneratus, Christianique officij omninò rudis. Noxas, & numero multas, & pondere grauissimas denarrauit, & qui nullum bonæ mentis documentum, ac specimen dabat; nec admissa videbatur piacula elerare; monitus quidem à Bonifacio est, quid facto opus esset. Nempè qui Sacramento lachrymas, fractumque pœnitudine pectus, emendationis insuper spem, votumque non afferret; illi haud suffragari, immo & refragari plurimùm peccatorum confessionem: ac propterea abdicandas non modò labes, sed & ipsum conuellendum esse peccandi vsum, obfirmandumque aduersus flagitia constanter animum. Verùm, cum neque excitari doloris particulam nefario in homine conspiceret, quippe cui satis esse videbatur, culpas vtcumque dixisse; nec sanguinariam illam consuetudinem, artemque ablegare animus esset: præclarè, ac ritè suæ conscientiæ, Sacramentique venerationi consultum iri putauit, si absolutione abstineret. Ratus ille extorqueri vi quadam Sacramentum posse; precibus primùm, mox vt flagitia cumularet, auro cœpit sanctissimi viri pectus tentare. At enim, vt graui se supercilio repelli vidit, indolem, armorumque vsum reuocauit; strictoque pugione, petiturum statim iugulum, nisi absoluat, interminatur. Bonifacij vultum, ac animum nec ferrum, nec lethum mutauit; sed in genua intrepidè demissus, mortem intentanti vltro pectus obtulit, in quo vita potior religio, ac virtus dominabatur. Exarmauit ea viri constantia sicarium, admiratusque deuotum tàm fortiter neci caput, simul & concepti sceleris verecundia suffusus, euasit illicò, erupitque: relicto Bonifacio tanti facti conscientia lætissimo. Et qui olim in Monte Pincio, vti in loco significauimus, forti ceruice exceperat barbarorum gladium, quem non vacuo quidem ictu cecidisse existimauit; obiecta nunc altera mortis imagine, bis sese pro Christo victimam obtulisse gratulabatur. Nec diù post id facinus, egredi Bonifacium domo contigit, offenditque patricium quendam Venetum, cum eo forte sicario colloquentem, quem non ita pridem ipse reiecerat. Vir nobilis, cui comperta Bonifacij virtus, ac sanctitas, vt illum inspexit, summa confestim reuerentia adit, libatoque manibus osculo, e us se precibus ex animo commendauit. Quam quidem haud vulgarem obsequij significationem, vt ille sicarius vidit, Patricium interpellauit. Quis ille, qui eo honore accipi meruerat? Est, inquit, è Tolentinatum Ordine vir integerrimus, virtutumque exemplis cum paucis comparandus, nomine Bonifacius. Hac ille insignis probitatis commemoratione, quam de viro optimo opinionem non multò ante conceperat, confirmauit; memorauitque, ne pulchrum facinus careret sua luce, quod sibi cum illo Tolentinate in Domo, collato ceu cominus pede, certamen fuerat, à quo victus ipse abierat. Cuius rei fama alijs, vt assolet, alijs successiuè denarrantibus, statim in vulgus manauit: creuitque nostris hominibus existimatio; ac Bonifacio in primis nominis, & constantiæ celebritas. Vt autem hoc & contingeret, & vulgaretur mox factum, illa profectò fuit diuini Numinis mens, vt plerosque insignitet improbos, celebriore Bonifacij fama excitatos, atque à suæ vitæ instituto reuocatos, probæ ille frugi restitueret. Siquidem cum in pertractandis, expiandisque conscientijs, non modò probitate, sed & eruditione, ac prudentia singulari valere egregium hominem, rumor increbuisset; satis multi, quos ingentia sua met crimina acri memoria conficiebant, ad ipsum adibant; quorum enimuerò mira quadam dexteritate, ac vi pulsare corda, ac frangere videbatur: eliciebatque ex eorum oculis, seriæ pœnitentiæ documenta, vberes lachrymas. Assueuerat & ipse vir sanctissimus, dum confessiones excipetet, eorum lachrymis, ceu partem sibi eius pœniten-

Res illi cum Sicario,

Qui conscientiam absque doloris sensu expiat.

Dum non absoluitur,

Primũ auro,

Mox ferro in Confessariũ insurgit.

Bonifacij in eo discrimine fortitudo.

Euulgatum postea egregium factum

Creuitq; Bonif. fama.

Ad illũ deponendæ peccatorum sarcinæ frequentes accurrebant.

nitentiæ vindicaret, illachrymari: vt mirum quantum ea commiseratio, ac suspiria labes suas fatentes erigerent, atque ad Dei amorem excitarent. Quam sanè charitatem, communionemque lachrymarum imitatus posteà mirificè est Beatus Andreas Auellinus: obtemperabatque vterque Apostolo monenti, vt flerent cum flentibus. Audiebatq; noxas non sine lachrymis.

Iam verò, Episcopum Theatinum, qui Venetijs, vt diximus, perspecta amplissimo Senatui prudentia, fide, rerumque experientia, summo loco erat, in summorum eius æui capitum amicitiam certatim adscitum comperimus. Plurimam namque & existimationi, & doctrinæ accessionem sibi quisque ab ea egregij viri eruditione, ac virtute factum iri existimabat. Fuere hi, Gaspar Contarenus, Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Hieronymus Alexander, Reginaldus Polus, Hieremias Isachinus, postea Clericus Regularis: præclara quidem sapientiæ, atque omnigenæ litteraturæ nomina: quæ sæculum florentissima suorum studiorum fama exornabant. Ac Polus quidem, quo tempore Venetijs egit, eam cum Carafa amicitiam contesseratuit, vt Gibertus, qui promoueri rem Theatinam, atque hominum in nostro Ordine excellentiam percuperet, monuerit Carafam, vt quia pronam pietati eximij viri mentem, sacrisque litteris non idoneam modò, sed parem, instructamque iam cerneret, daret sedulò operam, vt is ineundæ Congregationis curam, & consilium conciperet. Facturum profectò ingentem Sodalitati lucem Polum, aurea quidem indole, ac regia stirpe clarissimum, intelligere quis facilè poterat. Nam si paternum genus spectes, ad priscos Britanniæ Reges recta ab Arcturo linea, originem, & caput referebat; & Pater illi Riccardus, Henrici ex eadem Britannotum Regum, Arcturique stirpe, Anglorum Regis Septimi, patruelis. Si maternum, regius item stipes. Siquidem Margarita, Georgij, Clarentiæ Ducis, ac fratris Henrici Sexti, Anglorum Regis, filia, mater Reginaldi Poli fuit, regij sanguinis, ac moris fœmina. Rem sanè ad Ordinis ornamentum eximiam futuram, Carafa existimauit; si id natalium, ac virtutis viro religiosæ vitæ institutum placuisset. Verùm qui prudentissimus erat, vt non adfectare, ita neque occasionē præterire consilium erat. Quarè ad eas Giberti litteras, hæc de Polo habet. [Gratias tibi ex corde habeo, quòd me de ornatissimo Viro Anglo monueris: hærebit memori in pectore documentum: nec plura. Cum istiusmodi porrò viro vlteriùs progredi, quàm me ipsemet prouocet, nequeo. Cæterùm, hominis sensa nondum plane intelligo; neque enim percipi propensiones suas finit. Illud mihi compertum, litterarum, bonarum quidem, addo etiam, sacrarum studio teneri, quas præclaris, modestisque in primis ornat moribus. In nos verò egregiè animatus, ac beneuolus videtur, cogitatque ædes propè has nostras conducere, vt nostrarum consuetudine vti commodiùs possit. Faxit clementia sua Deus, vt hæc illi familiaritas maiori quidem vtilitati sit, quàm nostra imbecillitas pollicetur. Heri videre, & alloqui contigit. A tuo nomine valere iussi, ea tui erga illum testificatione, quam veri candor expressit. Te ipse vicissim salutat, &c.] Quod verò ad Episcopi Theatini laudem egregiè facit, illud profectò est, Polum Venetias eo consilio appulisse, vt cum illo potissimùm amicitiam iniret. Enimuerò, cum ex Anglia soluit Reginaldus, eò maximè collineauit, vt quà ingenij, quà morum præstantia clarissimos quosque, ac doctissimos viros, quorum fœcundissimam, ac nunquam effœtam Italiam nouerat, sibi intimè copularet. Et quo præcipuè tempore Patauij est commoratus, qui tunc eo in studiorum domicilio florebant, litterarum Antistites, vt Nicolaus Leonicus, Christophorus Longolius, Thomas Lupsettus, Petrus Bembus, Lazarus Bonamicus, Lampridius Cremonensis, Triphon Gabriellus, ac plerique alij, eloquentiæ, ac doctrinarum laude celebratissimi, eos sibi singulari, mutuaque beneuolentia deuinxit. Ob hanc causam, cum Episcopum Theatinum, tanti nominis virum, qui & Angliam etiam suæ olim virtutis opinione, splendoreque compleuerat, Venetijs agere inaudiuisset; eruditionis, morumque fama excitatus, eius de vultu agnoscendi, colendique causa, illuc contendit: quò se postea sæpiùs Patauio conferebat, vt initam consuetudinem frequentibus alloquijs, vsuque aleret: vt testatur[a] ipse epistola ad Iacobum Sadoletum in hæc verba: Discedo verò Venetias, cùm ob alias causas, quæ me vrgent, tùm verò maximè, vt duorum clarissimorum hominum consuetudine fruar; quorum alterum, qui

est

Episcopi Th. cū viris celebratissimis amicitia.

Præsertim cū Regin. Polo.

Regia, & indole, & stirpe viro.

Carafa ad Gibertum de Polo.

Qui Venetias concessit Carafæ inuisēdi causa.

a Ep. clar. vir. fol. 17.

est Episcopus Theatinus, vir sanctissimus, & doctissimus, tibi notum esse, non dubito: ex eius autem honorifico sæpè de te sermone amicum tuum esse cognosco. Alter verò est Gaspar Contarenus, Patricius Venetus, &c. Cui Sadoletus de Carafa hæc vicissim ad Polum: [Theatini doctrinam, sanctitatem, virtutem, notam habeo iam diù, eamque in oculis gero.]

Hieronymus Aemilianus Carafæ se fidei cōmittit.

Inter eximiæ notæ viros, qui Episcopo Theatino Venetijs familiariter vtebantur, censendus est Hieronymus Æmilianus, qui cum primùm ille in eam Vrbem immigrauit, in eius sese consuetudinem, & clientelam insinuauerat; cùm vt ab ea viri amicitia eruditionis quendam fructum, ac voluptatem caperet; tùm maximè, vt qui iam sanctioris vitæ mentem conceperat, tanto sub Rectore, quem nouerat rerum diuinarum consultissimum, ac pietate inter paucos celebrem, virtutis, morumque rudimenta poneret: bona quidem spe, fore, vt quam summa vix manu instituti ideam adumbrauerat, ad Carafæ monita expoliret. Fuit Hieronymus è Veneta Gente Æmiliana, inter patricij nominis stirpes, planè clara. Ab litteris primo statim ætatis flore, ac impetu indolem traduxit ad arma; quorum sanè strepitu ad diuina primùm obsurduerat, militarique licentia ad omnem fermè iuuentutis labem frænos laxauerat. Præcipiti adfuit commodè Numen, eiusdemque belli cladibus curare instituit vitium, quod bellum fecerat. Nam aduerso marte captus ab hostibus, neque asperè modò acceptus, sed supremi discriminis facie, minisque perterritus, pulsari ingenti quadam formidine conscium pectus sensit; statimque & eierare vitæ suæ rationes, noxasque, & implorare diuinam opem cœpit; qua quidem præsenti miraculo erectus, ereptusque periculo, geminam sibi elargitam libertatem, seque cùm à criminum, tùm ab hostium seruitio mox vindicatum, est gratulatus. Ergò obstrictus eo nomine diuinæ pietati, infestam honestis moribus, atque indolis bonæ luem, militiam deuouere; ac mutata velificatione, anteactam licentiam, & crimen plectere; animum acri disciplina componere; in pietatis cultum incumbere; æstimare, frequentare sacra; vultu etiam, orisque habitu, alius fuit. Siquidem qui iuuentuti quæsitus capillo, atque indumentis luxus præcipua cura est, damnauit ipse illicò, seque ad modestiæ normam, omnemque grauitatem conformauit; addita insuper in seipsum, & corpus ardentiori pugna; ne quæ compararet virtutum exercitijs in dies animus, corrumperet genius, pronusque ad voluptatem, vitæque licentiam sensus. Quocirca atrenuare corporis opes, ac vires inedia, vti somno parcissimo, precesque ad multam noctem lucubrare, flagris persæpè agere, in ægrotantium, inopumque obsequijs simul durare, simul membra defatigare.

Eius genus.

Et studia.

Secutus arma, & armorum licentiā.

Captusq; ab hostibus mētem mutat.

Eius vitæ cultus, ac exercitia.

Carafam rectorem sibi deligit.

Verùm, vt dimidium facti exordia rerum sunt; ita nisi prudenti statim moderatore, ac duce præclara initia excipiantur, deflecti interdum in malum contigit. In quo certè oppidò fortunatus Æmilianus fuit, qui rectorem animi, mentisque ad pulcherrima iam intentæ, Ioannem Petrum Carafam habuit, cuius vsque adeò se documentis, præceptisque addictum voluit, vt iurasse in eius verba videretur. Itaque, vt semel Carafæ mores, præclarosque rerum supernarum sensus; disertam præcipuè hominis dictionem, ad ardua, atque honestissima quæque egregiè inflammantem cognouit; ceu suæ potissimùm institutioni destinatum, missumque illuc à Numine existimanit; adhæsitque impensiùs viro egregio, illud in primis rogans, vt sacrorum adhuc rudem, & qui rectà aberrare, quàm maximè pertimesceret, susciperet ipse suo studio instruendum. Complexus virum ad virtutis cursum incitatissimum Carafa est, & qui in æstimandis ingenijs, vt sæpè alias monnimus, cum paucis acer, ac prudens erat, expectare ab ea indole haud vulgaria ad commune bonum documenta cœpit. Planè, vt moderatoris, in cuius sese fidem, & clientelam commiserat, Hieronymus eximiam rerum cælestium sapientiam magis, magisque in dies admirabatur; ita præclaro, facilique tyronis in pectore concipi statim semina clarorum operum gratulabatur Carafa. Quapropter, quod eam operam pulchrè procedere, breuique ab eo labore luculentum in publicam rem Christianam commodum deriuatum iri cerneret; studiosiùs in eius profectus incumbere, ingens curæ pretium existimabat. In illo verò erudiendo ea erat Episcopi Theatini ratio; vt quò egregios spiritus naturali quadam animi destinatione intendere conspicabatur, eò ipse prudenter traheret: vrgebatque impetus,

Et complectitur ille libenter,

Atque in eius institutione operā ponit,

quos

quos ipsemet animus excitabat: nempè vt virtuti deseruiret genius, ac duraret opus, quod non vis aliqua, sed natura ipsa imperasset. Nam si accedat institutio, optima cuiusque rei effectrix natura est.

Ergò cum non circumscriptam intra sui solummodò profectus terminos mentem gestaret Hieronymus, sed pauperum passim egestate, morum neque licentia, ac clade vehementiùs affligeretur, ferri ardenter in proximorum subsidium cernebatur. Quod sanè iuuandorum mortalium studium, quo nihil ad Cælum promerendum accommodatius, ac pulchrius, perindè commendauit, fouitque Episcopus Theatinus, vt illum mox ad laudatissimum, ac longè gratissimum Deo caritatis opus animarit. Popularis sub id tempus lues, famesque consecuta corruperant, vti significauimus, Italiam fermè omnem: & Venetias quidem, etsi non adeo ea fame laborauerant, pestilitatis nihilominus vastitas æquè illas affecerat. Vestigia eius cladis passim cernebantur: orbati nempe parentibus pueri, omni ope destituti, in sui, reique publicæ ex tiu. nulla artium, morumque institutione adolescentes, quibuscum præclariùs actum omninò esset, si eos idem cum Parentibus fatum contumulasset. Hieronymus, qui incertus adhuc animi erat, cui se potissimùm proximorum curę addiceret, exulcerari insolita quadam ætatis illius, atque inopiæ commiseratione sensit, ac moneri intimè, præstigne quidem opus, ac pietatis laude præstantissimum moliturum, si curandam ipse destitutam eam sobolem susciperet. Et visa quidem sibi diuinitùs iniecta ea mens: verùm vt illam ad rationis momenta, exactique iudicij normam exploraret, ad Episcopum Theatinum, sui rectorem animi, arbitrumque operum adit. Quid conceperit, quid animo gestaret, volueretque, confestim aperit. Ille, quòd pulchrè efflorescere sua studia cerneret, gauisus admodùm in sinu est: tùm quòd hominem flagrantissimum nullum posse præstabilius in rem præsentem, atque in posteritatis fructum, consilium capessere existimaret: tutelam illam, eximiamque puerorum educationem; vtpotè caritati apprimè consentaneam, Reipublicæ perutilem, instituendis moribus, sublenandis miseriis destinatam, haud sine Numine esse, pronunciauit; addiditque præclaros ad opus stimulos ijs insuper monitis, quibus rem ille egregiam faustè inchoaret, coeptamque perurgeret, ac in æuum perpetuaret. In Carafæ dictis, atque adhortamentis Dei nutum liquidò cognouit Æmilianus. Nec mora: eò statim cogitationes, conatusque suos omnes appulit; aggressusque Orphanorum procurationem est, ea laude plausuque; vt non modò Venetijs, atque in Insulis per ea æstuaria dissipatis, ferueret pręclarum opus; verùm peruagata longè, latèque excellentis caritatis fama, in alias illicò Italiæ Vrbes immigrare oportuerit. Quo factum, vt cùm glisceret in dies puerorum numerus, ijsque agminibus moderandis subsidiaria plurimorum manu opus esset, socios sibi adoptauerit Hieronymus, illustremquè mox, ac religiosissimam Sodalitatem conflauerit, quam à Somasca, qui vicus est in Bergomensi agro, nuncupauit.

Porrò, quòd Carafæ consilijs, ductuque auspicatus isthæc omnia fuerit, & continuauerit Æmilianus, constans apud antiquiores eius Congregationis Patres fama semper fuit. Enimuerò, [a] vt Augustinus Turtura, eius Ordinis scriptor, adnotauit, cum primarij quidam Somasceni homines, qui in communi re condenda, atque ordinanda eiusdem Æmiliani socij fuerant, anno post eius obitum decimo, cum Cardinali Theatino Romæ agerent, vt nostro Ordini eorum Congregatio adiungeretur: illa potissimùm ratione, vt impetrarent, causam perorabant; quòd videlicet ipsius quidem auspicijs id institutum cœperat, & quæ postea pullularunt, ipse proseminasset. Quæ insuper opinio vbique gentium obtinuit, vt quicquid, dum inter viuos ageret, præclari operis moliri Æmilianum homines cernerent, id ceu suo fonti, auctorique Episcopo Theatino tribuerent. Nec dissimulauerim illustre compertæ rei testimoniū adijcere. Concesserat Mediolanū Hieronymus, vt maxima in Vrbe amplissima sese caritas explicaret, quamq; in pueris educandis, erudiendisq; instituerat, operam inibi nauaret. Successu rem confecit feliciore: visaque mox inter Mediolanensium plausus ad omnem modestiam, cultumque composita examina puerorum. Ad hæc, probauit ijs populis Hieronymus insignem animi virtutem, pietatemque opportuniùs. Siquidem grassante inibi quadam aeris inclementia, ac lue, vt in ipsa etiam nobilium capita, nullo delectu, inuolaret; cùm consternati metu omnes, rari admodum

Præclara quidem eruditu di ratione. Præcipue in proximorum commodum animat.

Orphanorū educationem concipit Aemilianus.

Ad quam incitatur vehementiùs a Carafa.

Cœptum cū laude opus per Italiam spargitur. Socios adsciscit Aemilianus; & Congregationem instituit.

a vit. Aemil. lib. 3. cap. 6. Auspicata hæc Carafæ nutu probatur Somascenorum sensu.

Et communi hominum confessione.

Mediolanenses hanc puerorum opera probant.

modum publico malo occurrerent, ac pauperum præsertim decumbentium officijs adessent: ipse nec pestilentissima ea tabe, nec labore ingenti perterritus, vsque adeò strenuè eam curam exantlauit, vt operosiorem Viri caritatem, ac locatas operi manus satis nec dilaudarent, nec mirarentur Mediolanenses. Qui tunc rerum potiebatur Franciscus Sfortia, Princeps quidem prudentissimus perindè, & pijssimus, præclaram Viri Senatorij, domi, militiæque clari operam, cùm in curandis pueris, tùm in iuuandis tanta cum sui, suæque vitæ despicientia ægrotantibus positam, mirùm qua laude, & gratulatione excepit. Sciuerat iam, ipsum è Carafæ disciplina in eam morum sanctitatem, pietatemque euasisse, nec transuersum quidem vnguem ab eius siue sententia, siue imperio discedere. Quarè, fructus, quos Æmilianus Mediolani vberrimos demetebat, Carafæ ipsi referendos duxit: datisque ad ipsum litteris Venetias, quòd tantum Virum ad suæ Vrbis commodum, exemplumque adlegauerit, amplissimis officijs grates retulit. Memorat id ipsemet Episcopus Theatinus Epistola ad Thienæum, quam supra exscripsimus; vbi modestissimè quidem à gratissimo Principe id sibi officij deberi diffitetur. At argumento hoc saltem fuerit, insedisse iam altiùs in omnium mentibus, ceu quid exploratum, egregiam Hieronymi virtutem promanasse à Carafa; & quæ in Orbem ille spargeret beneficia, sedulæ eiusdem Carafæ institutioni, positoque apud ipsum tyrocinio referenda. Et certè eius imperijs, monitisq; mancipatam optimi Viri voluntatem, atque ab eo nutu pependisse, nulli dubium: & ipsemet Episcopus Theatinus, veluti sui omninò iuris ille esset, Meum Hieronymum semper, ac peramanter nominabat. Neque verò, quòd Venetijs abesset Æmilianus, non illum litteris frequenter appellabat, monebatque præceptionum, quas olim instillauerat. Extant pleræque ad ipsum Epistolæ, & incitandæ ad incœpta virtuti, & cauendis, quæ labefactare bonam mentem solent, malis, perquàm efficaces. Illa præcipuè, quam ad ipsum Mediolanum dedit, digna profectò est, quam Latinè hic demus. Nam cum Æmiliani sui exempla celebrari, cæloque tenùs ferri; eamque puerorum educationem, disciplinam, pietatem ita plerisque in locis probatam, vt in triumphi quandam speciem, ipse, & orphanorum agmina exciperentur; Nouocomi potissimum, Bergomi, Mediolani nimium quantùm vulgi studia, plaususque excitasse inaudiuisset: veritus, ne mali dæmonis artes Æmiliani animum gloriola pertentarent, adflarentque intempestiua laudis cupidine; cauit illicò monitis acrioribus, ac litteris parœneticis, quæ sic habent.

Præcipuè Franciscus Sfortia Dux.

Qui Carafæ gratias habet, quòd illue Æmilianum miserit.

Meum appellabat Hieronymum Carafa.

Qui & litteris illum monebat.

Care Frater. Si quantùm sensui lenocinantur tubæ concentus, quamdiù resonant, tantundem Dei gloriæ deseruirent; non vtique dixisset Dominus, Noli tuba canere ante te. At quia mortalium pericula, ac fragilitatem nouit, viditq; Sathanam, tanquam fulgur de Cęlo cadentem; eò profectò, vt te scire non dubito, documenta Euangeliorum omnia collimant, vt miserum hominem à specie, atque ostentatione operum absterreant, conuertantque eius mentis intuitum in centrum ipsum, in secreto quidem cubiculo, vbi Dei oculi vident. Certè pro amore in te meo significare non dissimulauerim, commotum me vehementer ab tot, tantisque Bergomi, Nouocomi, Ticini, Mediolani excitatis tumultibus: additis insuper legationibus. Quę quidem omnia, si me in viam ingressum medio in itinere reperissent, meas enimuerò partes duxissem postliminio reuerti. Itaque quoad compositas eas turbas non intellexero, quid te prętere amoneam, non habeo: prolixum hac de re cum his, qui has tibi litteras perferent, sermonem habui. Reliquum est, vt caueas, ne in vacuum gratiam Dei accipias, nec distrahi te, aut implicari, non modò ab humanis hisce rebus finas, verùm ab illis etiam, quæ probitatis, virtutisque imagine, ac vultu fallunt. Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritum, vtrum à Deo sit; ac lateat, necesse est, quem Deus largitur, thesaurus: occludendumque vas, ne leuem per spiramenta abire in auram contingat humor gratię. Neque velim facilè tibi persuadeas, debere quemque in quęcumque iucumbere; nam varia varijs ingenia, opesque animi alijs alias distribuit Deus, & non omnia possumus omnes; & sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, &c. Memineris insuper res tempori accommodandas; quando Diuina prouidentia suum cuique potissimùm studio tempus designatum voluit. Et quia scriptum, tempus loquendi, & tempus tacendi;

Præsertim à cenodoxia illi cauet insigni Epistola.

cendi; imperauerim hic ipse mihi pro tempore silentium. Vale Venetijs die 18. Februarij 1536.

His planè litteris abundè intelliges, quo in Æmilianum affectu, zeloque ferebatur Episcopus Theatinus, & quæ in illum auctoritas: quippè tantùm non patris beneuolentia, verùm & magistri interdùm supercilio, & censura in eo admonendo vtebatur. Ipsum verò, vt cauere à vulgi aura sapienter iubebat, ita prosequi cœptam, atque laudatissimam omninò puerorum procurationem magnoperè cupiebat. Quocirca cooptatus inter Augustos Patres, cum nullus Romæ alendæ, formandæq; istiusmodi pueritiæ locus esset, eamque operam pernecessariam principe in Vrbe duceret: statim ad suum Hieronymũ mentem conuertit; datisque ad eum litteris, ad intactã eam segetem, proposita maximi Numinis laude, atque Vrbis fructu, exemploque inuitauit. At ille, etsi è Romana re fore intelligeret, si eò conueniret; parendumq; moderatori suo Vrbana in ea expeditione suscipiẽda existimaret: nihilominùs, quod siue defecto iam corpore, siue superiore quodam lumine vrgere supremum diem persentisceret; inuolare in Romanam eam aream, & Cardinali Theatino morem gerere minùs potuit: eodemque mox anno defunctus vita est; congeminata pueris orbitate; relictoq; eodem socijs spiritu, ac tantæ virtutis desiderio. Hæsit Carafæ, ac Nostratum memoriæ præstantissimi Viri morum sanctitas, & quædam subindè in Somaschæ Congregationem propensio. Sed hæc in loco, cum de Ordinum coniunctione narrabimus.

Inter Purpuratos adlectus Carafa Romam Hieronymum inuitat.

Sed accedere mitans fatum vetuit.

Et paulò post moritur.

Igitur si qui erant ea tempestate Venetijs, aut alibi gentium egregij spiritus viri; ij omnes Episcopi Theatini, aut adfectare amicitiam, vsumque, aut institutioni se tradere, aut consilium maximis in rebus expetere videbantur. Atque huc spectant electi cuiusdam Patriarchæ Aquileiensis datæ hoc anno ad eum litteræ. Ceperat is eximia quadam mentis celsitudine Hierosolymam transmittendi consilium, vt in Christiana fide ad eas gentes disseminanda ibi ipse desudaret, vbi Saluator ad earundẽ animarum compendium non pepercerat sanguini. Traijcere, antequàm ad Episcopum Theatinum litteras daret, specie quidem consulendi; re autem vera, vt in ardua expeditione prudentissimi Viri monita exculperet, piaculum duxit. Quibus ille acceptis, generosi pectoris flammam, magnosque à diuino spiritu impetus mirificè dilaudauit, & quòd susceptam eam mentem tardiùs rescierit, nec posset cum illo ea de re coram agere, vt vnà simul eximium opus studiosè, ac maturiùs versaret, excuterentque; visus in ea, quam rescripsit, [a] epistola indoluisse. At tandem operam suam in omni genere officiorum, atque allocuturum se litteris tàm longè absentem, pollicitus, finit in ea verba: [Rogo te quàm humillimè, vt cogites, in præclara hac, quam aggrederis, cura, ita Christi Domini vexillum extulisse te, eamque tui expectationem, ac spem in bonorum animis excitasse, vt nullo vnquam pacto sis à proposito discessurus: neque tantummodò curandum, ne retrò respicias; cùm manũ iam admoueris stiuæ; verùm etiàm vt nullibi pedes figas, sistasque, nisi quò te Numen vocat. Porrò vbi in sacra ea loca, vbi bonus Pastor suis humeris tulit errantem ouem, exsoluitque, quod non rapuerat, deueneraturus incumbes; quæso te, ne memoria excidam, illudque à Deo petas enixè, ne me diutiùs suorum beneficiorum immemorem, ingratumque esse sinat. Id quod, vt pro fratribus etiam meis, tui amantissimis, atque obsequentissimis filijs exores, etiam, atque etiam rogo. Vale.] Hæc ille ad Aquileiensem Patriarcham, cuius quidem nomen excidisse, non mediocriter dolendum. Ingenti planè indole virum esse oportuit Antistitem illum, quem non tot maria, non gentium, morumque barbaries, non magni pro Apostolico eo munere subeundi labores terruere.

Patriarchæ Aquileiensis Hierosolymitana expeditio.

Carafam ea de re cõsuluit.

a Litter. M.S. Episc. Theat. in tabul. Neap.

Carafæ ad illum responsio.

Neque omittendum, quod hoc etiam anno, cùm Sodalitium quoddam, à Corpore Christi nuncupatum, institui præcipua quadam in Italiæ Vrbe contigisset, atque adeò cùm sancitæ ad eius conseruationem, propagationemque leges essent; fuere illæ ad exactum cuiusdam Viri iudicium explorandæ. Collatis igitur sententijs, Venetias ad Carafam mittendas censuere qui rem curabant, rati in tanta doctissimorum capitum varietate, quæ seipsis offerebant, nullum esse, qui tam excellenti

Sodalitij Corporis Christi regulas expendit.

eruditione valeret, eaque statuta acriore posset diligentia, curaque recognoscere. Perlatæ ad illum Regulæ: prolixamque illarum seriem vt accurate expendit, mirum qua prudentia, doctrinaque nonnulla quidem probauerit, pleraque temperauerit, antiquauerit non pauca. Quæ prout secum ipse constituerat, doctissima epistola excepit; addiditque satis multa, quæ eidem Sodalitati, tùm in pietatis operibus cum laude administrandis, tùm in formandis cuiusque moribus non paruo emolumento essent.

Temperatq; ad præclaram formam.

Iam, quod ad nostræ Sodalitatis incrementa attinet, aucta hoc anno capitum numero est; atque inter alios admissus Franciscus Filagus, optimæ quidem frugis, ac spei iuuenis, qui malis primùm dæmonis artibus deceptus, atque ab egregiæ mentis proposito auocatus, susceptam mox velificationem, ac consilium strenuè instaurauit. Quæ, quòd notatu digna, ac non vulgari legentibus documento esse possunt, denarrare hic breuiter constituimus. Is igitur regularis vitæ, nostrique Ordinis studio incensus, vt ad nostram Clericorum Regularium disciplinam adoptaretur, Venetijs intentiùs efflagitauit. Periclitari diù Patres de more iuuenis flagrantissimi virtutem, ardoremque animi voluere: cumque constantem sibi, tenacemque propositi animaduertissent, adsciscere quidem decreuere; verùm vt id etiam constantiæ experimentum caperent, illi significarunt, admittendum in Ordinem, Neapoli modò pergeret, inibi Religionis habitu imitiandus, Quem ad Theatinum institutum acrior quædam flamma perurgebat, itineris incommoda, & mora minimùm terrere; acceptisque ad Neapolitanos Patres litteris, viam corripuit peralacriter. Romæ adornatæ iuueni insidiæ, fucusque incauto factus. Enimuerò, cum in quosdam ibi consanguineos offendisset, & quid iam consilij ceperit, eiusque itineris quæ nam esset ratio, explicauisset; obniti illi vehementer, ac rem ceu satis arduam, nec æquam viribus, improbare: eòque tandem deuenere, vt quia grauissimum id omninò erat, nec sine prudenti quadam, maturaque deliberatione aggrediendum; consulere virum a iquem, doctrinarum, morumque laude spectatum vellet. Agebat tunc Romæ Bernardinus Occhinus, Senensis, Vir Religiosus, qui publicæ eloquentiæ studijs eximiam sibi opinionem, celebritatemque comparauerat. Hunc illi vnà simul conueniunt: apertoque ineundæ Religionis consilio Filagus, quid ipse ad formandos ritè mores, salutisque viam cum laude, ac securitate capessendam statui de se potissimùm vellet, vt moneret, rogat. Occhinus, qui Lutherianam iam labem altè conceperat, fouebatque pestilentissimum sinu ignem, quem ad Italiæ, ac religionis exitium mox efflaret; etsi quæ Lutherianus grex damnat maximè, publica scilicet vota, obstrictamque Numini fidem, palam & ipse traducere non est ausus, attemperatum nihilominus veneno, quod semel biberat, subornare consilium Iuueni cœpit; ac pietatis obtentu Religioso ab instituto absterrere. Si legem Dei, inquit, decem solummodò præceptis constantem obseruare, res est perquàm ardua; quantò illi insistere difficilius, si noua subindè addantur, ac votorum præcipuè sacramento authoremur? Mortalium naturam imbecillem, vt moderata fert alacriter, ita si grauiora incumbant, fatiscere, ac obrui. Satis ab Euangelij legibus facultatis ad virtutem, gloriamque capessendam existere; neque esse ad austeram Religiosi instituti disciplinam vires explorandas: nam si postea difficillimo operi vigor animi non responderit, illos omninò decerpi ab eo consilio fructus necesse est: desperationem, ac dedecus. Plura quidem in hanc rem cum Religiosus veterator disertè addidisset; facilè fuit, quà Viri auctoritate, quà dicendi facundia, tùm asperrimo eius habitu, fidem dictis concilianie, Iuuenis impetum frangi, illumque ab egregio instituto reuocare. Igitur mutata Filagus sententia, ceu ventis reflantibus, Venetias reuertitur: tùm quid acciderit Romæ, quidue consilij Vir celeberrimus dederit, narrat. Visa res Patribus penè vltra fidem; præcipuè Carafæ, cui suboluit confestim dolus: ac tùm primùm Occhini religio suspecta Nostris: neque enim is orthodoxus, sanusque in fide esse poterat, qui Religiosos Ordines, Euangelij documentis adeò conformes, exemploque Apostolicæ, ac primæuæ sanctitatis sancitos, ac ceu terribiles castrorum acies ad fidei munimentum, tutelamque instructos, oppugnare impiè, ac conuellere videbatur.

Franciscus Filagus ad Ordinē adiungitur.

Iussus Neapolim pergere.

Romæ Scopulus offendit.

Occhini facunda circumuentus.

Religionis mentē exuit.

Rem Nostratibus Venetijs narrat.

Ac

At ne de illo veluti triumpho diù lætatetur infernus hostis, commonefacere Iuuenem Carafam, quàm perniciosè instillatum animo virus fuerit, & qua ipse fraude circumuentus. Qui illa docuisset, absurdæ, nouæque opinionis lue adflatum oportere; quando id improbaret, quod est in Ecclesia sanctissimum, ac pulcherrimum. Quid peruetusta, ac longè nobilissima religiosorum Ordinum exordia? Quid præstantissima in Cœnobijs sanctitas? Quid in profitenda regulari disciplina cuiusque generis, ac stirpis hominum, ipsorumque Regum clarissimorum probat conspiratio? Haud quidem prolixiùs rem inculcare opus fuit. Etenim detersa mentis caligine, visus illicò admisisse superius quoddam lumen Filagus, quo Ordinum præstantiam, & quàm floreret in ipsis virtus, quæque esset in Castris ijs securitas, liquidò cognouit. Eàque propter deceptum se intimè doluit, puduitque: ac rogare Patres ardentiùs, vt excusata facilitate, denuò adoptarent. Illi, quòd lapsum inculpatè Iuuenem, victum scilicet Religiosi, famæque celebrioris viri cùm eloquentia, tùm auctoritate, & quòd feruentiore quidem voto pristinam rediisse mentē ac spiritum comprehenderent, placuit admittere; datis iterum ad Patres, qui Neapoli agebant, litteris: quibus ille acceptis, pluris æstimare beneficium cœpit, ac ne impingeret in eundem Romæ scopulum, alio quidem instituto prudenter per Samnium itinere, breui Neapolim peruenit, exceptusque à Patribus humanissimè inter nostros. Egregium verò in ipsomet tyrocinio virtutum omnium specimen statim dedit; modestiæ in primis, religiosæque humilitatis, quam vsque adeò postea adamauit, vt præstantium quorundam hominum exemplo exorari nunquam potuerit, vt ad sacros ordines promoueretur; voluitque simplices inter clericos, quoad vixit, censeri. Cui planè mentis demissioni reliquus vitæ cultus par fuit. Laborum præsertim, vt nullum recusabat, ita abiectissimos quosque deligere mos erat. Enimuerò non modo quæ ad Clericorum munus, diuinumque cultum spectant, studiosissimè peragere; verum quæ inter domestica, vilissima erant officia obire, ad Patrum commoda, nitoremque domus gestiebat: idque vitæ, atque humilitatis institutum ad profundam vsque senectutem tenuit, summa quidem omnium admiratione, qui defecti iam senis caniciem sordidari infimis operis, conspicere, non sine eximiæ virtutis opinione, suique ipsorum fructu poterant. Atque hæc de Francisco Filago, qui Neapolitanorum Clericorum numerum hoc anno auxit.

A quibus fraudē edoctus.

Iterum institutum efflagitat.

Et admittitur. Neapolitanū iter repetit, Roma declinata.

Filagi humilitas.

Quo anno celebrata Venetijs, pro more, anniuersaria Comitia fuere, in quibus, inter reliquas Congregationis curas, cœpta agitari Romana expeditio, quam Paulus Pontifex Tertius, datis ad Carafam Pontificijs literis, ineundam iusserat. Quamquàm id Pontificis inuitamentum eò maximè intendebat, vti statim exitus comprobauit, vt Episcopum Theatinum, quem Aula abhorrere probè nouerat, Venetijs Romam pertraheret, grauissimis fidei, morumque negotijs imponendum, nouisque, atque amplissimis Infulis honestandum. Quod modo narrare suo ordine aggredimur. Clementi Pontifici Maximo superiore anno, vita functo, suffectus intra paucos dies fuerat Paulus Tertius è gente Farnesia, quem, communi publicæ rei Christianæ bono, exacta numeris suis virtus, per omnes Infularum gradus ad id fastigij prouexit. Is vt primum ab Romana ea specula religionem, Aulam, mores circumspexit, indigere accuratissima planè ope omnia animaduertit. Externa siquidem bella, ac diù reciprocantia, quæ Italiam assiduo planè motu diuerberauerant, Romam præcipuè, vti aliàs memoratum est, labefactauerant: neque ædificia dumtaxat, structurasque operum pulcherrimorum, sed mores etiam corruperant; quos dum conscelerati nouatores vbique gentium proscinderent, inuehendi in Romanam fidem, suamque deprædicandi occasionem opportunè capiebant; gliscebatque hæresis ab ea aulicorum, & Christianorum licentia. Vt igitur & medicam lapsæ disciplinæ manum admoueret, & conuiciandi materiam hæreticis præcideret Paulus; legere ex omni eruditorum hominum censu, doctrina, longoque vsu rerum, viros longè consultissimos statuit, qui neruos, ac studia in necessariam eam curam intenderent: instructoque sapientissimo senatu, maturè ipsi decernerent, quod ad reuocandos Romanos mores opportunissimum iudicauerint. Iniecerat Pontifici id potissimum consilij, vt ait [a] Duditius, Gaspar Contarenus, vir prudentiæ numeris iuxta, & ingenij laude ornatissi-

Comitia Venetijs anni 1535.

Euocantur Nostrates Romam à Paulo III.

Salutatus Pōtifex anno superiore. Eius reformāda Ecclesiæ consilium.

Conuentum clarorū hominum cogit

[a] in vit. Poli.

ornatissimus, qui suffragatione meritorum in Purpuram non ita pridem effloruerat. Accersiti igitur Romam, è Gallia quidem Iacobus Sadoletus, Episcopus Carpentoractensis, Verona Ioannes Matthæus Gibertus, Eugubio Federicus Fregosius, Archiepiscopus Salernitanus, Venetijs Gregorius Cortesius, è Cassinensi Congregatione, sancti Georgij in Alga Abbas, Reginaldus Polus, & Ioannes Petrus Carafa, Episcopus Theatinus. Sex viri, quibus nescias planè, an alij ea tempestate in omni laudum genere præstantiores extiterint.

Acciti præcipui ex omni Europa viri.

Et Episc. Th. non vnis litteris.

Iam, quòd ad Theatinum attinet, vocatum Romam breuibus litteris non semel, ac iterum, sed cum moras prætextu multiplici necteret, tertiò etiam, vel seueris Obedientiæ legibus adactum accedere, constat ex [a] Panuinio, [b] Antonio Cardinali Carafa, [c] Ioanne Paulo Flauio, ac [d] Cyno Campano. Isthæc verò litterarum Pontificium exemplaria nusquam reperta, inuoluta, vt putamus, eo Gentis Carafæ naufragio, à quo vix paucæ scriptorum reliquiæ incolumes euasere. Porrò, ex epistola, quam ad Pontificem, statim ac vocatus primò fuit, Episcopus Theatinus dedit, colligere est, id fermè argumenti primas eas Pauli Pontificis litteras fuisse. Concederet quamprimùm Romam, indigere in grauioribus Ecclesiæ curis sua ipsius opera. Simul & Clericorum suorum manum duceret. Percupere se, fixo illos domicilio Vrbem incolere: decere nempè enatum Romæ Sodalitium, ac patrijs cunabulis communi illa Romanorum clade diuulsum, easdem iterum sedes repetere. Quibus ille acceptis, respondit illicò. Et quòd post eius ad summam Infulam inaugurationem nondum esset Pontificem litteris allocutus, primas officij, ac reuerentiæ partes duxit, supremum illi rerum apicem sui, suorumque nomine gratulari: actisque postmodum gratijs, quòd benignè Romam inuitaret, nihil porrò de sua in Vrbem migratione memorat; sed ne tædio longa admodum scriptione esset, rem Francisci Vannucij, eius à secretis, fidei, compositis ad illum litteris, commendatam voluit. Vannucio verò ita mentem suam aperuit, vt Patres quidem haud grauatè concessuros Romam diceret: quod autem ad seipsum attineret, non intelligere se, cui nam suus ille ad Vrbem accessus fructui, ac dignitati foret. Valetudinem excusat, ætatem; postremò temporis spatium petit, id moliri visus, vt cunctando rem effugeret. Planè, qui tanta animi siue demissione, siue magnitudine Aulam, mundumque reliquerat, defunctusque Romanis curis, in tranquillam sese Religionis stationem asseruerat; in eosdem denuò Euripos, atque æstus agi, illi molestissimum omninò erat. Porrò, vtraque, tum ad Pontificem, tum ad Vannucium epistola, exhibita à prænobili viro, rerumque antiquarum studiosissimo, Ferdinando à Marra, Guardiæ Duce, nostro [e] Antonio Caracciolo fuit; quas ille Pauli Quarti vitæ, quàm diligentissimè lucubrauit, attexuit: & nos, ne desiderari in hac historia videantur, adijciendas hìc duximus; & ad Pontificem quidem sic.

a In vit. Paul. 4.
b Apolog. ad Nau.
c Orat. funeb. in obitu Pauli 4.
d Apud Ant. Carac.
Quę excidere.

Quid Carafa responderit Pontifici.

Quid Franc. Vannucio scripserit ea super re.

e Collect. MS. de vit. Pauli 4.

Litterarum ad Pontificē exemplar.

Sanctissime Pater. Misit nuper ad me V. C. Latinus Iuuenalis Sanctitatis vestræ Secretarius, cum suis etiam Sanctitatis vestræ humanissimas litteras, ex quibus intellexi, & quæ de mea in Sanctitatem vestram, atque in istam Sanctam Sedem obseruantia, ac pietate memorasset, & quæ benignis auribus vestra Sanctitas paternè statuisset. Ego verò, Beatissime Pater, & omnes fratres mei, qui mecum Domino seruiunt, in primis omnipotenti Deo gratias agimus, quòd talem Ecclesiæ Pastorem præfecerit, cuius ipse mentem Spiritu sancto impleat, & suæ imitandæ mansuetudinis amore succendat. Cum enim de eo scriptum sit, quòd excelsus est, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit; & quòd neminem libentiùs intuetur, quàm humilem, & quietum, & trementem verba sua: nos hæc eadem Sanctitatem Vestram fecisse videmus, cùm ex isto fastigio oculos ad tam ima deflexit, & hominem abiectum, atque in hoc angulo præ confusione latentem, sedentemque in puluere sordium, & testa durioris vitæ radentem saniem peccatorum, non dedignata est tàm benignè respicere, tàm affabiliter alloqui, tàm humaniter ad sua, atque ad istius Sanctæ Sedis obsequia inuitare. Itaque litteras illas, quamquam serò redditas, cum summo tamen cultu debitæ pietatis accepimus, & vocem in eis legitimi Sanctæ Ecclesiæ Pastoris agnouimus. Et quamuis hoc ipsum tùm per amicos alios, tùm per

cun-

eundem Latinum iam pridem fecerimus; ac si per imbecillitatem, ac valetudinem mei corporis licuisset, ipsi coram id facere maluissemus; tamen vt nunc possumus, iterum proiecti ad istos beatissimos pedes, Te in Patrem, ac Dominum suscipimus, ac veneramur: & Dominum nostrum Iesum Christum, cuius in terris vicem geris, in Te suppliciter adoramus, omnem obedientiam, ac reuerentiam Tibi, tanquam vero Christi Vicario, & Beatissimi Petri, Apostolorum Principis Successori humiliter exhibentes, atque vsque ad mortem fideliter pollicentes. Et ne grauioribus Sanctitatis vestræ occupationibus obstrepere videamur, scribimus ad clarissimum fratrem nostrum, Franciscum Vannucium, quo nobis nihil potest esse in Christi amore coniunctius, vt ipse nostrum omnium nomine istos beatissimos pedes exosculans, Sanctitatis vestræ benedictionem nobis impetret; & quæ his litteris desunt, quoad licuerit, suppleat. Optamus Sanctitatem vestram semper in Domino benè, feliciterque valere, & Sanctam fidem Catholicam, omnibus aduersitatibus, erroribusq; sublatis, per vniuersum Orbem suis auspicijs latiùs propagari. Dat. Venetijs die 24. Aprilis 1535.

Hæc ad Paulum III. Episcopus Theatinus, addiditque, vt diximus, ad Vannucium litteras, quibus vt epistolam ipse ad Pontificem perferat, rogat; rationesque tractim inculcat, quibus abrumpi Romanam profectionem percuperet. Subijcimus hic illas, non quidem integras, sed quoad eas tantùm particulas, quæ in rem maximè faciunt.

Reuerende frater. Diebus præteritis perlata Latini Iuuenalis epistola nobis fuit, vnà cum Sanctissimi Domini Nostri litteris, quibus adhortari me Sanctitas sua dignabatur, vt Romam ipse concederem cum plerisque ex his fratribus meis: statuisse videlicet, vt suum Ordini nostro domicilium in Vrbe esset, vbi & Deo vacare, & Sanctæ Sedi possemus. Tardiùs fortasse, quàm par est, rescribimus, quòd animus esset, coram ipsi respondere. Nunc verò, quòd & senectutis, & valetudinis incommodis premar, & incumbat iam proximum æstati tempus, ne me, meosque in aliquod vitæ discrimen inijciam; differre ad exeuntem Augustum iter, consilium fuit. Porrò Latino Iuuenali Secretario Sanctissimi Domini Nostri, dum Venetijs esset, hortanti nos, vt si quando à Summo Pontifice Romam inuitaremur, recusare nollemus, respondi; quòd pertinet ad meos sodales, si quando Deus Pontifici inspirabit, vt nostrum hunc Ordinem Romam reuocet, nunquam me repugnaturum, aut vlla ratione detrectaturum: immò id quidem me probaturum valdè. Videri namque Ordinem hunc Romanum, Romæ scilicet institutum, atque auctum, eò, hoc est in Patriam debere reuerti, lucis, ac reparationis tempore, vnde tenebrarum, ac turbinum tempestate deturbatus fuit. Verùm, quod ad me attinet, mihi crede, carissime frater, me, ac vehementia quanta potui maxima, iam dicto Iuuenali studuisse persuadere, id neque ad meam tranquillitatem, ac pacem, neque ad Summi Pontificis obsequium, neque ad Dei cultum, aut honorem fore conducibile. Non repetam hoc loco, ne longior sim, quæ in hanc rem rationum momenta attuli. Quocirca, cum in suspicionem venerimus, ipsum Iuuenalem ardentiore in nos beneuolentia prouectum, de nostro in Vrbem reditu cum Pontifice vehementiùs egisse; te impensiùs rogamus, vt nostras has litteras Pontifici reddas, ac perinde de mei, meorumque Sodalium studio, animique promptitudine loquaris, vt nihil de profectione addas, nisi quod res nata, & simplex ipse Pontificis sermo iusserit: exploraturi hac ratione, amicorumne studium, an Dei voluntas Romam propellat. Vale. Venet. die 24. Aprilis 1535.

Ad Vannucium litteræ.

Ex his statim litteris, ac Vannucijs verbis intelligere liquidò potuit Pontifex, Carafam ad Romanę Aulę negotia, ac strepitus animum minus appellere. Eapropter altera mox epistola accersire illum statuit, quam quidem putamus ineunte huius anni Iulio scriptam; si quidem ad diem quintamdecimam eius mensis datas reperimus hac de re Carafę litteras ad Vannucium, in quibus excusationes luculentiùs adornat: mores aulicos, temporum conditionem, plurimorum obtrectationes, suę potissimùm animæ detrimentum, ac quendam veluti horrorem, metumque

Iterum, ac tertiò pro sanctiore imperio accersitur Romam Carafa.

obijcit. Denique ita visus contra reditum suum in Vrbem animum obfirmasse, vt ad expugnandam eius constantiam vi, ac imperio vti Paulus Pontifex decreuerit. Tertio igitur scripsit, momentumque litteris addidit præcepti auctoritate, indignationemque interminatus, ni continuò obtemperauerit, suorumque etiam Clericorum aliquot Romam secum vnà duxerit. Has porrò litteras Carafæ inscriptas, Giberto misit Pontifex, vt qui propè diem Romam esset discessurus, Carafam, quem sciebat sui amicissimum, Venetijs conueniret, illasque ipsi traderet, ac simul eius profectionem festinaret, vrgeretque. Cur verò in Episcopum Theatinum vsque eò incumberet Paulus, & vt seueriore iussu in Vrbem propulerit, diximus iam, publicæ Christianæ rei fuisse in causa. Enimuerò, qui excitato clarorum hominum Conuentu, instaurare disciplinam morum cogitabat, & mox generale Concilium ad Ecclesiam omnem repurgandam adornare; maximis ijs curis Carafæ eruditionem, rerumque Ecclesiasticarum vsum pernecessarium duxit. Nouerat quippè eandem ipsum operam Romæ itidem strenuè, ac summa cum laude plerisque Summis Pontificibus nauasse, doctamque in paucis, atque ardentem ad Catholici nominis decus, nitoremque fidei mentem Romanæ Aulæ adprobasse. Ad hæc, augere amplissimum Cardinalium Senatum proximè cogitabat Pontifex, Virosque lectissimos, famaque eruditionis, ac virtutum spectatos ab omni terrarum Orbe adoptare in inclytum Ordinem constituerat, inter quos & Carafam designauerat, futurum profectò Purpuræ dignitati, ac ornamento: idque tùm sua sponte, ac iudicio, quippè qui eius merita accuratè æstimauerat, tùm etiam Latini Iuuenalis, ac Giberti commendatione. Erat ea tempestate Iuuenalis, Vir in Aula notissimus, famamque integritatis, ac fidei non vulgarem collegerat apud Summos Pontifices, Leonem Decimum, Clementem Septimum, & Paulum Tertium, quorum à secretis epistolis fuerat; honestissimis insuper legationibus, Germanica, Gallica, Scotica, clarus. Hunc Alexandro Iuuenali nepoti dicere solitum, memorat noster a Antonius Caracciolus, qui ab ipsomet Alexandro, profunda iam senectute Viro hauserat, Romam se Venetijs reuersum, vbi Episcopo Theatino intimè vsus fuerat, ac propiùs magnam eius indolem, factamque ad ingentia mentem, inspexerat; frequentes de eo sermones cum Paulo Pontifice habuisse, ingestamque tempestiuè eam laudum commemorationem suum pondus habuisse: vt qui in eius merita, ac purpuram egregiè animatus erat Paulus, vehementiùs fuerit ea commendatione inflammatus. Gibertus verò in eandem Carafæ Infulam egregiè desudauit. Nam qua erat apud Paulum gratia, ita sæpiùs de incomparabili eius virtute, animique magnitudine memorabat, vt intelligeret Pontifex, honestanda non minimùm fore destinata iam Purpuratorum Comitia, si inter ipsos Carafam censeret: Virum nempè, qui pro recta in Deum fide non perfunctoriè laborauerat; de fama, de capite tuendæ religionis, Romanique nominis gratia non semel periclitatus: tùm morum sanctitatem, ac doctrinæ splendorem inesse ad miraculum: id quod vt voce iam strenuè transegerat, ita litteris tum maximè vrgebat. Quarè hoc præstantissimorum hominum iudicio, in Carafa honestando confirmatus Pontifex; memoratis illum litteris, vt Romam accederet, adegit. Quibus ille acceptis à Giberto, cum nullus iam reliquus esset consultationi locus, profectionē adornauit, ea quidem spe, vt causam quā precibus, quā argumentorū vi ad Pontificis pedes coram, atque efficaciùs perorarct. Itaque anno sexto, & trigesimo supra sesquimillesimum die decima septima mensis Septembris Romanum iter arripuit Episcopus Theatinus, vnà cum Episcopo Giberto, Gregorio Cortesio, ac Reginaldo Polo, qui & ipsi, vti proximè significatum est, accersiti Romam fuerant. Ex nostratibus verò comitati, Bonifacius à Colle, qui Ordinis, ac Venetæ Domus triennem præfecturam hoc anno expleuerat, Paulus Consiliarius, Nicolaus Veronensis, & cum his fratres laici duo, Bernardus Tudertinus, & Petrus Bergomensis: relicto interim, qui Domum Tolentinatem administraret, Bernardino Schotto, dum Romæ Comitia haberentur; nam quòd euocati Romam essent Patres, inibi Capitulum celebrare eo anno decreuerant, vt mox dicemus.

Vt communi reformationi adesset.

Destinata etiam illi purpura.

Valuit apud Pontificem Latini Iuuenalis, & Giberti cōmendatio.

a Vita Pauli IV. M. S. cap 11.

Romam discedit Carafa cum Giberto, Polo, & Cortesio. 1536.

Et cum plerisque è nostratibus.

Ro-

Romam cum peruenissent, exceptos à Patribus è Dominicana familia, in Cœnobio Diuæ Mariæ supra Mineruam perhumaniter fuisse, obtinuit inter nostrates fama: vbi post paulò & Comitia celebrarunt. Et vero simile quidem est ob Carafæ porissimùm, ac Thienæi, qui & ipse Neapoli venerat, vt dicemus, in amplissimum Ordinem propensionem, illuc primò diuertisse, quoad domum sibi aliquam compararent; quam mox ad Montem, quem Citorium vocant, vti opinamur, conduxere. Ad Pontificem adire, ac sanctissimos eius pedes exosculari, princeps cura fuit Episcopo Theatino, vt sciret statim ille adesse se, suosque, pronis animis executuros, ac perfecturos quicquid Sanctitas sua statuisset. Perfacilis illi ad Pontificem aditus fuit; at quò tunc prolixior beneuolentia, eò breuior quidem sermo: paucis namque auditus, dimissusque. Monuerant, qui vim Carafæ in dicendo nouerant, Pontificem, si hærere illum Romæ, atque insignire honoribus vellet, caueret à viri eloquentia: ea siquidem in illo dictionis efficacitas, ac flexanimis vsque adeò sermo, vt si loqui, atque orare fusiùs contigisset, non dubium, quin exorasset, impetrassetque, vt institutæ quieti, ac disciplinæ redderetur. Paruit monitis Paulus, dicentemque ipso in exordio interpellauit, admissurum se nempè tempestiuiùs: interim ab itineris incommodis vires recolligeret. Crescebat porrò in Pontifice ab eo Episcopi Theatini rerum maximarum contemptu, eius existimatio; ac quemadmodum ab obiectis difficultatibus ardet vehementiùs virtus, augeturque imperus, quò fortiùs impedimenta moras nectunt; ita profectò intendere Pauli animum, affectumque ad Carafam honestandum, illa ipsius repugnantia, ac generositas videbantur. Quocirca ne in Purpuram adlegeretur, nihil quorundam artes, conatusque apud constantem, obfirmatumque Pontificis animum valuere. Siquidem non defuere plerique, non infimi quidem nominis, quos publica passim vitia corruperant, ac frœnos iam pati dedignabantur; qui ab integerrima, seueraque Carafæ indole, ac sanctitate exactam morum reformationem, ac bellum in scelera formidabant, si is Purpuratus censorem disciplinæ ageret. Idcircò quo maximè tempore Senatoria, ea Comitia instabant, quibus & Theatinum inter amplissimos Patres censendum scirent; cum grauissimum ille morbum concepisset, ac periculosiùs omninò decumberet, nihil opportunius, maximi viri electioni interturbandæ, existimarunt. Conclamatam iam Carafæ vitam, Pontifici nunciant. Quicquid in illum dignitatis conferret, exornando cineri, ac pompæ funeris dari. Quid honestamenti, ac lætitiæ foret extincto iam penè viro Purpura sepulchralis? At eximiæ prudentiæ Pontifici suboluit statim fraus. Ac benè est, inquit, cohonestabimus vel defuncti Episcopi Theatini merita, trahetque in tumulum suæ virtutis insignia. Virtuti nempe vel post funera suum decus tribui præclarum est. Planè, nec Maximi Pontificis magnificentiæ, nec Carafæ virtuti luculentius vnquam testimonium extiterit. Ille adeò munificus, vt vel cineres amet, quos beneficijs cumulet: istius adeò excellens meritorum amplitudo, vt, vel posthuma, posset magnis honoribus par esse.

Itaque die secunda, & vigesima mensis Decembris, augusta illa, vt ait Panuinius, generosi iudicij maturitate, facilè superiores Pontifices antecedente, qua inclytum Senatum egregijs, quæsitisque ab omni præstantium capitum numero viris, adauxit Paulus Tertius, summa bonorum omnium gratulatione, Ioannes Petrus Carafa conscriptus inter Purpuratos Patres fuit. Sodales in ea Infula capessenda fuere, Ioannes Baptista de Monte, vir sapientissimus, Pontifex posteà consalutatus, vocatusque Iulius Tertius. Ennius Philonardus, qui plerosque maximos Pontifices legationibus emensus, ac Præfecturis, appellatus à Iulio, eius nominis Secundo, Pontificiæ dignitatis vindex fuit. Christophorus Iacobatius, Episcopus Cassanensis, qui è præcipua Romana nobilitate, à suis maioribus, præsertim à Dominico Iacobatio, Patruo, cuius sub disciplina fuerat educatus, incredibilem quandam mentis celsitudinem hauserat, quam ingenio, ac eruditione insigniter cumulauerat. Iacobus Sadoletus, Episcopus Carpentoractensis, inter doctissimos æui sui viros adnumeratus; vt in vno simul capite poetam quidem, oratorem, philosophum,

Exceptis à Dominicanis Patribus hospitio fuere.

Pontificem adit Carafa.

Paucis se Pontifex expedijt.

Monitus, vt à Viri caueret facundia.

Metuebant plerique sibi a Carafæ purpura.

Quorum apud Pontificem artes in Carafam nil profuere.

Praclarum Pauli III. dictum.

Renunciatur Cardinalis Episcopus Theatinus.

Laudatissima ea comitia à Capitum celebritate.

phum, theologum, ac Sacrorum Canonum apprimè consultum non desiderares; insignemque apud Summos Pontifices Leonem X. & Clementem VII. ingenio, calamo, consilio operam nauauerat. Rodulphus Pius, Carpensis, luculentis plurium sctiptorum laudibus celebratissimus, qui ad Carolum Cæsarem, & Franciscum Primum, Francorum Regem, Legatus, vim consilij, ac prudentiam singularem egregiè vtrique adprobauerat. Hieronymus Aleander, Archiepiscopus Brundusinus, multiplici disciplinarum laude, præclarisque legationibus florentissimus. Reginaldus Polus, è regia, vt diximus, Domo, cui pietas, ac doctrinarum splendor par omninò sanguini fuit. Rodericus Borgia, Ducis Candiæ filius, Adriani Sexti Pontificis Nepos. Hos inter, quà natalium luce, quà morum integritate, quà doctrinarum præsidijs, haud quidem postremus fuit Carafa. Ac fuere quidem omnium suffragatione, ac plausu excepta Comitia; dilaudatusque seriò Pontifex, quòd nihil sanguini tribuerit, aut genio; sed quicquid in Romana virtute, ac prudentia excellentissimum erat, merita Purpura insigniuerit. Quo loco audiendus Lazarus Bonamicus, qui in ea, quam ad Cardinalem Sadoletum gratulationem scripsit, hæc habet disertè, ac verè: [Quid enim post hominum memoriam, aut cogitarum sapientiùs, aut gloriosiùs in Vrbe factum est? Non enim ex voluntate Principum, vt sæpè in amplissimum Ordinem adserti: at sapientissimi, innocentissimi, clarissimi, & summa auctoritate præditi viri, euocati, rogati, facti sunt Cardinales. O præclara Comitia, ò his difficillimis temporibus necessariam Pauli Tertij sapientiam, ac bonitatem singularem.] Hæc ille.

Celebratus maximè ab hoc virorum delectu Pontifex.

Quid de illo Lazarus Bonamicus.

Porrò Episcopus Theatinus id insuper Pontificis beneuolentiæ argumentum promeruit, vt purpureum capitis tegmen domum mitteretur, quod his, qui in Vrbe morarentur, rarò, aut nunquam contigit. Is verò, vbi rei nuncium vnà cum Purpura accepit, cùm, vti monuimus, grauissimè decumberet, Pontificis affectum, animique magnitudinem prolixiùs, ac pro dignitate dilaudare minus potuit; sed paucis gratias habuisse potiùs, quàm egisse visus est. Et mox ad suos; appendite, inquit ad clauum illum pileolum hunc. Vbi intelligere, profectò est, exactam omninò paupertatem, tùm Nostrates omnes, tùm maximè Carafam coluisse, quando in ea ædicula curta adeò supellex erat, vt non abacus, non quæuis mensula reponendæ decenter Purpuræ inueniretur. Adnotarunt id [a] Antonius Cardinalis Carafa, & [b] Panuinius, qui ad eximiam etiam moderationis laudem addit, ad ingens illud amplissimæ dignitatis decus, conformato ad singularem quandam modestiam, ac grauitatem vultu, nullum ambitionis, aut lætitiæ, ne leue quidem indicium dedisse. Confirmatque Ioannes Bernardinus Fuscanus, vetus Episcopi Theatini familiaris, qui datis ad Martinum Aloysium litteris, non modò non exhilaratum illum Purpura, remissa, vt assolet in istiusmodi lætitiæ nuncijs, aliquantisper vi morbi; sed grauescente statim valetudine, penè deploratum fuisse scribit, in hæc verba, quæ libet ex [c] Caracciolo hic adnectere: [Adeò fui, inquit, molestijs obrutus propter periculosam ægritudinem Reuerendissimi Domini mei, vt nullam penè senserim lætitiam ob delatum illi purpureum Pileum: quippè, cùm illum Summus Pontifex domum vsque misit, rem in Vrbe prorsus insolitam; Carafa noster sepulcro propior, quàm vitæ erat. Deindè verò Dominico die, in quem Peruigilium Christi Natalis incidit, viginti quatuor totas horas frigidus, ac penè exanimis, deploratusque à me vt mortuus fuit. Sed vt Deo placuit, me eum continuò calidis lineis confouente, rursùs incaluit, reuixitque. Itaque renasci illum Deus voluit, se nascente. Rem planè admirandam, ac supra humanas vires. Hæc Fuscanus.

Missa Card. Th. domum Purpura, quod insolens.

Vt ille accepit.

[a] Apolog. ad Nauag.

[b] In vit. Paul. 4.

Insigni animi moderatione.

[c] In vit. Pau. 4.

Bernardi Fuscani testimonium.

Ex Nostratibus autem, ijsque antiquioribus, præcipuè ab Ioanne Antonio Prato, viro integerrimo, memoratum sæpiùs accepimus, adfuisse tunc quidem Thienæum, cum ab intimo Pontificis cubiculario allata Theatino Purpura fuit; ac nutu, gestuque, quoad licuit, egisse, vt recusaret. Potuit id quidem Caietanus, cuius in animo pompa omnis, ac fulgor dignitatis sorduerat, & eiusdem Carafæ indolem, ac sensus nouerat, ab amplissimis etiam honorum appellationibus egregiè abhorrentes. Ac integrum ipsi Carafæ non erat, tenuisse. Enimuerò, vt ineluctabili

Gestu, ac nutu Carafa monuit Caiet. ne acceptaret.

Sed non integrum id erat Carafæ.

bili adactus vi fuerat, atque ad indignationem vſque, vt inquit,[a] Flauius, vt Romam adiret; ita eadem imperij auctoritate adſtrictum, vt delatam Inſulam acceptaret, comperta res eſt multiplici ſcriptorum fide; quos [b] Antonius Caracciolus accuratè cenſuit, ac ſuo quemque ſtylo legendum candidè propinauit: omneſque & præcepiſſe Pontificem, & inuitum ad id faſtigij prouocatum Carafam, conceptiſſimis verbis conteſtantur. Sunt hi porrò, ſatis namque nobis hìc fuerit, indigitaſſe [a] Cynus Campanus, [c] Onuphrius Panuinius, [d] Ioannes Paulus Flauius, [e] Bernardinus Scardæonius, [f] Marius Matteſilanius, [g] Thomas Dardanus, [h] Antonius Cardinalis Carafa, [i] Petrus Matthias Pignatellus, Pauli Conſiliarij nepos, [k] Auctor incertus in Vita Pauli ad Pium Quintum, [l] Ianus Vitalis; & ex noſtris Bernardinus Schottus, & Gregorius Marinus, hic in Commentarijs rerum noſtrarum, ille in gratulatione ad ipſum Cardinalem Theatinum; quam quidem, vtpotè robuſtè diſertam, & quæ celſiorem quouis gradu Carafæ mentem exprimat, volens attexam. Sic verò habet.

a Orat. funeb. Pauli 4.

b Vita Paul. 4.

Qui iuſſus pro Imperio fuerat, vt acceptaret.

Qui teſtentur adactum Carafam ad Cardinalatū.

c Panegyr. Pauli IV.

d Vit. Paul. IV

e Orat. funebri Pauli.

f Epiſt. Dedicator. ad Paul. IV.

g De Guelf. & Gibell.

h In Carmin. de Card. Theatin.

i Apolog. ad Nauag.

k In Relat. de rebus noſtris.

l Epigram. ad Paul. IV.

Quod & Schotti litteris conſtat.

Reuerendiſsime Pater, & Domine. Qui de te optimè ſentiunt, maximeque animi tui præſtantiam, eruditionem, pietatemque nouerunt, non adeò tibi ob ſplendorem dignitatis iſtius, ad quam nuper vocatus es neſciens, ſignificandam cenſent lætitiam ſuam, quàm ipſi Eccleſiæ Chriſti apud te potiùs gratulandum, quòd tam ſapienter, talem ſibi conſiliarium, tantumque adiutorem vltrò elegit. Dici vix poteſt, quantum hinc alacritatis, ac ſpei bonorum animis adiectum ſit, quòd ad Apoſtolicæ dignitatis gradum optimi viri noſtris temporibus quæri, attrahique incipiãt, more Eccleſiæ vetuſtiſsimo, ac ritu planè Apoſtolico. Viri ſcilicet non vulgares, neque ambitioſi, vel ex ſeculi fluctibus irruentes, ſed ex portu Monaſterij, & in virtutibus exercitati, ac iam perfecti; qui iam olim abdicatis à ſe terrenis opibus, omnique affectu prauo relicto, diù in Schola Religionis, ac virtutum gymnaſio humiliter Chriſto ſeruierunt; ac demum à Deo vocati, tanquam Aaron, ad religionis ipſius apicem humiliter aſcenderunt, non aliud quicquam verbis, aut moribus ſuis ſubiectam plebem docturi, quàm quod ipſi antea didiciſſent. Speramus itaque te, cùm talis ſis, non tantùm bonis profuturum; ſed vita, & exemplis cæteris omnibus demonſtraturum, quibus in rebus, quibuſque in ſtudijs potiſsimùm ſplendor Cardinalatus, ac dignitas iſta conſiſtat. Vndè poſtea hæretici, carnaleſque homines exemplo tuo plurimùm vel emendentur, vel confundantur. Videntes, Gregem Chriſti habere iam Paſtores ſuos, qui non quæ ſua ſunt, quærant, ſed quæ Ieſu Chriſti. Ego, ſi quid peccatoris oratio valere poteſt, omneſque fratres mei pro ſalute, & gloria tua ſempiterna Dominum exorare, vix vnquam ceſſabimus, Pater in Chriſto amabiliſsime, atque ſanctiſsime.] Hæc Schottus.

Qui verò de collato in Carafam Senatorio eo gradu Aulæ ſenſus fuerit: vt non vnum eſt genus hominum, nec virtus adeò dominatur, quin maiore perſæpè faſtu regnet improbitas, ita varius quidem fuit. Boni omnes, qui præferuidos eius in formanda diſciplina impetus, atque egregiam vim pectoris nouerant, & corruptos viciſsim mores corrigi, Chriſtianæque rei dignitatem erigi, ac reſtitui maieſtatem, peroptabant; ij nihil opportunius Romanis moribus contigiſſe, ſeriò affirmabant. Quibus verò nulla honeſtatis, ac famæ ratio, & Catholicum nomen fœdare vitiorum illuuie conſueuerant, quòd ſurgere ſecurim ſcelerum, ac morum vindicem cernerent; metuere vehementer ſuæ viuendi licentiæ ab incorruptiſsimi Viri cenſura, ac ſupercilio cœperunt: mali ſiquidem quicquid meruerunt, ſemper expectant: ac proindè tùm factum ipſum carpere, tùm ipſius Epiſcopi Theatini famam dilacerare; quòd qui Romæ olim, ac mundi transfuga, perampla ſacerdotia abdicauerat, & cum laude lateret, ac Deo viueret: reſumpta nunc ambitionis teſſera, denuò ſeſe Aulæ permiſerit, ſcenamque, ſplendidiùs perſonatus, impleuerit. Atque inter hos bonorum quidem plauſus, prauorum verò oblocutiones, ac metus, rudimenta maximæ dignitatis poſuit Cardinalis Theatinus; quem, vtpotè iam Religionis diſciplina apprime eruditum, vt non magnificæ paſsim laudes efferre, ita nec à ſolido magnæ mentis propoſito, ſtatuque dimouere videbantur, liuor, & obtre-

De Carafæ purpura varij in Vrbe animorum motus.

Boni gratulantur.

Timent improbi.

At illi obtrectatio, & plauſus perinde erant.

Vbi à morbo conualuit, Pontificem adit.

tre-

tractatio: excipiebatque laudationum illecebras, ac diserta conuicia par generositas.

Is porrò, vt defunctus eo morbo, quem diximus, ac restitutus viribus fuit, vt sua vti incolumitate iam posset; conuenire Pontificem statuit, atque eas ipse conari grates, quas alios referre suo nomine statim iusserat. Igitur, quàm grauissimè id officij persoluit, breuique perorauit, Pontificis benignitatem, ac munificentiam effecisse, vt eo ipse Purpuræ bonestamento niteret; sui verò tenuitatem efficere, vt minùs eadem Ipsa Infula lætari posset: quando intelligeret abesse quàm longissimè ab illa virtute, quæ & promereri honorificentissimum tanti Pontificis iudicium poterit, & deceret maiestatem Purpuræ, & concitatæ iam Christiani Orbis spei par foret, & publicis Romanæ Ecclesiæ, ac fidei curis responderet. Eluere se quidem culpam omnem, quòd iussu, atque inuitus capissiuisset. Verùm, quòd hoc ipsum erga Maximum Pontificem debitum congeminaret, habere profectò vndè acriùs pulsaretur; hoc est, conscientiam, nunquam fore, vt tanti beneficij magnitudinem exæquaret. Interim id curaturum, vt quantùm amplissimi Senatus splendori exigua sua virtus detraheret, tantùndem reponeret bona mens. Pontifex, primò valetudinem gratulari: tum, prædiuinare se, inquit, animo, ob eximiam clarorum hominum præstantiam futura ea Comitia permagno Ecclesiæ ornamento, ac fructui. Ab ipso præsertim, qui gradum sibi ad inclytum Ordinem eruditione, ac moribus fecisset, magna expectari. Hac nimirum temporum inclinatione doctrinarum præsidijs, exemplisque virtutum munire Ecclesiam decuisse: nec dubitare se, quin egregiam ipse operam in grauissimis curis ad Catholicæ rei tutelam, atque incrementum poneret; ac fore etiam, vt foueret, augeretque ardorem animi Purpura, cui à Christi sanguine color, & quidam velut ignis rubet. Tùm adhortari, vt, quæ boni Consultoris partes sunt, Pontifici ea suggerat, quæ cùm Christianæ Reipublicæ vtiliora, tùm existimationi, famæque sui nominis iudicauerit magis decora. Præstare id ipsum potissimùm debere, & amicitiæ iure, & Purpuræ in ipsum collatæ beneficio, & quòd Farnesiorum consanguineus. Nupserat quippè non ita pridem Petro Aloysio Farnesio Parmensium posteà Duci, Hieronyma Vrsina, Camilli Pardi Vrsini, ex Victoria Tolfia, Cardinalis Theatini ex sorore nepte, filiâ. Ad hæc Theatinus: Suam in his, quæ & Dei honorem, & Romanæ Ecclesiæ amplitudinem, & Pontificis dignitatem spectarent, sinceritatem, candoremque animi fraudaturum nunquam. Eamque sentiendi, dicendique libertatem vsque adeò sibi cordi esse, vt si fortè animaduerteret, eam inesse Pontifici mentem, quam planè non inesse, compertum habebat, vt siue Purpuræ debito, siue cognationis iure ad ea pertrahere ipsum velit, quæ aut Ecclesiæ decus, aut famam suam, atque integritatem imminuerent; statim illi se ea ipsa maximæ dignitatis insignia restiturum. Concepta isthæc verba à Cardinali Theatino incredibili quadam grauitate, & constantia fuere; perindè verò, vt ea dicendi libertas reuerentiam, ac studium in Pontificem non excluserit. Quarè illa sinceritatis, affectusque mixtura delectatus quidem Paulus; vt animi magnitudinem, ita & obsequium probauit, adaucta existimatione, ac beneuolentia. Enarrasse hæc Montebelli Marchionem, Pauli IV. Nepotem nostro Ioanni Baptistæ Tuso, refert [a] Antonius Caracciolus. Vbi non prætereundum, quod ipsemet Caracciolus statim adnotauit; eadem nempè constantia vsum olim Ioannem Chrysostomum, cum primùm Arcadium Augustum est allocutus, cuius illum fauor, & gratia ad Constantinopolitanas Infulas euexerant. Voluit Pontificia illa maiestate, ac libertate insignis Præfecturæ exordia Chrysostomus consecrasse, vt statim intelligeret Cæsar; quos animos, quamque ad eas curas mentis amplitudinem adportaret Antistes Christianus; nobilitaretque gratiarum actionem tàntum magnæ indolis specimen. Ad hoc exemplar exactus Cardinalis Theatinus, nunquam à verborum suorum fide, ac sanctitate visus subindè factis degenerasse. Scimus namque in ferenda postmodùm, quà priuatim, quà publicè sententia, tuendaque Romanæ celsitudinis, ac fidei dignitate, sui similem semper, nullo prorsus aut inuidiæ metu, aut spei lenocinio labefactatum, fuisse, vt in loco exponemus.

Eius Pontifici grates.

Quo verborū officio excepit illum Pontifex.

Libertatem in ferenda sētentia pollicetur Theat.

[a] Vit. Paul. 4. M.S. lib. 3. c. 1. ex Georg. Alexand. in vit. Chrysost.

Similis Arcadio Chrysost.

Iam verò, nostri homines optimi Patris dignitatem, ac Purpuram acerbiùs tulere; & quòd carere insigni quidem, ac sapientissimo Rectore exiguam adhuc, nec planè adultam Sodalitatem viderent, amplissimos honores in Ordinis, ac suam quisque iacturam computauit. Quamquam Carafæ in Congregationem amor is erat, vt facilè sibi polliceri illius vel inter Aulæ negotia tutelam, ac patrocinium possent, ac vindicare sibi magnæ mentis, atque officiorum partem. Quamuis enim abiret Infula, redibat affectu; ita vt accessitiie splendor ille Purpuræ videri posset, vt maiore quidem auctoritate, ac fructu iuuaret rem Theatinam.

Nostratum sensus de Caraf. dignitate.

Eius in Ordinem affectus.

Interea quæ Venetijs celebrari solita Septembri mense Comitia fuere, Romæ hoc anno habita. Vocati siquidem sub id Capituli tempus in Vrbem à Pontifice, opportuniùs, atque è Congregationis re fore existimarunt, si id negotij inibi administrandum differrent. Monitus eius rei Caietanus fuerat, qui aduenerat iam, vti innuimus, Neapoli, vnà cum Petro Fuscareno, ac Michaele Mazzalorso. Ergò impetrata priùs à Pontifice facultate, vt Venetijs celebrari solitum Septembri mense Capitulum, dilatumque ad id tempus, Romæ eo anno haberetur, vt ex Pontificijs litteris die sexta decima Nouembris eius anni datis, constat: Decembro exeunte in Cœnobio Diuæ Mariæ supra Mineruam, constituta die coacti, quæ ad publicæ rei nostræ administrationem, legesque, atque incrementum spectarent, vnà transigere. Domicilium præsertim, quod Pontificis votum, ac consilium esse scirent, vt Romæ figerent, in examen reuocare. Aderat ijs Consultationibus Cardinalis Theatinus, qui certè inter causas, quibus Romanæ expeditioni moras nectere apud Vannucium studuit, præcipua illa fuit, vt interea temporis de domo ipsis in Vrbe assignanda certum aliquod consilium caperetur, atque ad certas mox ædes Romam aduentantes diuerterent. Et quidem nunciatum Nostris fuerat, antequàm Venetijs discederent, destinatum Sodalitati Diui Hieronymi domicilium, sacramque Ædem, quæ quidem Clericorum moribus, alijsque instituendis percommoda videbatur; vtpotè in Vrbis parte, situque non infrequenti. Verùm, vt tunc à Carafa statim improbata Domus hæc fuit; ita modò re propiùs inspecta, ac maturè expensa, visa excipiendo Ordini minùs idonea. Propterea cum opportunior sedes non occurreret, communi sententia decreuere, Romanum domicilium differendum. Nihil officere, si lentè, ac suis interuallis res procederet: persæpè temporis mora affulsisse spes bonas: maximè cum Romæ commorandi nulla tunc quidem necessitas perurgeret; nec planè dubitarent, quin Cardinalis Theatinus, qui quiísui Ordinis curam, affectumque intendisse videbatur, si aliqua sese pro instituti ratione offerret occasio, fore vt amplificandæ Sodalitati studium, opemque omnem adhiberet. Re sic constituta, sancitisque alijs, quæ obseruantiam tuerentur, adaugerentque; Venetæ, ac Neapolitanæ Domus Præpositos renunciarunt; huius quidem Petrum Fuscarenum, illius verò Bernardinum Schottum, regulari disciplina, ac prudentia cum primis spectatum. Et Fuscareno quidem ob insignia eius virtutum merita, simul & ferendi suffragij facultas facta, & collatus magistratus fuit: quæ duo nunquam posteà, nisi rarissimis, compertæque probitatis, ac prudentiæ viris contigere. Viro autem, quem diximus, sacro cuidam otio, ac contemplationi apprimè addicto, nihil ea præfectura accidere grauius potuit. Cumque ea de re cum Caietano, qui auctor fuerat, perhumaniter expostularet; is auream illam, veramque sententiam pronunciauit: Erit profectò tibi munus persacile, si à tuis, vt in Domino ameris, curaueris. Ergo discessu ab Vrbe mox adornato, reuersi Neapolim cum Fuscareno Præposito Caietanus Thienæus, & Nicolaus Veronensis, & ex Laicis Bernardus Tudertinus. Venetias discessere Bonifacius à Colle, & Michael Mazzalorsus, vnà cum Petro Bergomensi Laico. Paulum Consiliarium candidissimæ indolis virum, atque in negotijs peragendis dexteritate planè incredibili, ac iudicio peracri præditum, Carafæ in primis animorum quadam consensione, ac genio, similique in pietatem studio vnicè

Habétur Romæ Comitia exeunte anno 1536.

De Romana Domo delibe ratur.

Hieronymianum domicilium excluditur.

Ac differtur omnino Colonia.

Renunciati Domorum Prępositi.

Fuscareno molestè accidit Neapolitana præfectura.

Caiet. dictū.

carum

carum fuisse, primo harum historiarum libro iam significauimus. Illo igitur, quicum vnanimi caritate diù vixerat, carere, sanè quàm molestissimum fuisset Cardinali Theatino. Eapropter à Patribus impetrauit, vt suum ipse Consiliarium Romæ detineret: ratus nunquam fore, vt sibi à suo Ordine discessisse videretur, quamdiù frui amicissimo capite licuisset. Tùm, execratos olim mores aulicos, & Infulæ pondus, & incubantem iterum curarum molem, homini isthæc omnia deprecanti, fore profectò non tam grauia: si communicare interdum cum iutegerrimo viro mentis aculeos, & quæ pectus coquerent curæ, & ad consilium negotia, facultas esset. Igitur, cæteris in suam domum abeuntibus, Paulus Consiliarius cum Cardinali Theatino Romæ hæsit.

Paulus Consiliarius Cardin. Th. percarus, cum ipso Romæ hæret; reliquis suas in domos abeuntibus.

LIBRI QVINTI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SEXTVS.



NON exuerat, vti monuimus, inducta amplissimæ dignitatis Infula, Clericorum Regularium Patrem Cardinalis Theatinus; sed qui grauiorem animo iuuandi Ordinis curam, facemque accessisse acriorem intelligebat, curare sequenti mox anno septimo, & trigesimo eius seculi, rem illi pernecessariam cœpit. Nempè, vt constans quædam administrandæ Sodalitatis forma, ac modus à Pontifice præscriberetur; idque Patrum consensione, qui celebratis proximè Comitijs, hoc ipsum agitauerant, illique demandauerant, vt rem opportunè conficeret.

1537 Certam Congreg. regendę formam inducendã curat Card. Th.

Princeps in formanda quacumque hominum Societate studium, id esse profectò debet, vt qua maximè temperatione, ac præfecturæ specie regenda sit, constituatur. Enimuerò, cum in re communi & imperare, & imperari æquè necesse sit; ac fieri nequeat, quin consistat cœtus aliquis hominum, finemque suum, qui publica felicitas, ac bonum est, consequatur; nisi adsit, qui pro imperio, summaque potestate cuncta moderetur, contineatque in officio singulos: tunc porrò præclarè cum quapiam Sodalitate actum iri existimandum, cum sapientissimi quique moderatores admoti publicæ rei fuerint; eaque regiminis forma, ideaque, quæ optima fuerit, contigerit principati. Iam verò, quinam hic sit optimus inter cæteros imperandi modus, quæque ad diurnitatem, felicitatemque siue Regnorum, siue cœtuum quorumcumque potior procuratio, ac regimen; non huiusce profectò loci est, disceptare.

Hominum Societates optimo genere regiminis administrandæ.

Quænam sit hæc potior regiminis forma.

Maiorum gentium Philosophos Monarchiæ, hoc est, vnius administrationi fauisse compertum est. Quippè, cum in vnius dumtaxat capitis obsequium, ac sententiam conspirare subditos necesse sit; vna quidem mente, ac supercilio regi, nexu quodam arctiore Societatem stringit; quam diuidi, ac scindi supremum omninò Reipublicæ exitium, & clades est. Minuitur præterea dominorum numerus, si vnus imperet, cuius indoli, genioque placere, quàm plerisque sese, varijsque ingenijs, ac votis accommodare, longè facilius. Tùm, inter plures vnum quempiam reperire excellentis virtutis, qui strenuè moderetur, non adeò ardua res est; cumque in eam is administrationem solus incumbat, Rempublicam, ceu suam complectitur, quod quidem præcipuum est rei commodum: nam communium curarum quidam est veluti contemptus, atque indiligentia; &, vt inquit Philosophus, quæ plures curant, omnes negligunt. Postremò, quòd vno in Principe, tùm publicis commodis afferendis, tùm malis egregiè propulsandis fortior, ac validior potestas est, quæ sanè inter plures distracta, ac veluti concisa, vt ait [a] Plato, non eam in tuenda re communi vim habet: conficitur, præstantiorem imperandi formam vnius principatum esse, quàm plurium.

Primas Monarchiæ plerique tribuunt.

Firmandæ huic sententiæ argum.

[a] In Polit.

Quanquam & hoc ipsum regimen plurimorum, vbi inter egregios potissimùm ciues publicæ curæ diuiduntur, optimam quidem temperandæ Reipublicæ formam, visam scimus non infimæ notæ viris, quos vetustatis, nostrique æui exempla, ac seruata diù inter pacis, ac belli vices imperia in eam sententiam propulere. Ac rem propiùs æstimantibus facilè profectò est intelligere, Societatum quarumcumque felicitatem & curari studiosiùs posse, communicatis multorum consilijs, ac operis; & tueri meliùs, vbi plures aduigilant: exerrare siquidem ab æqui, honestique orbita, vt vni pronum, ita difficillimum pluribus, qui mutua sese diligentia, ac æmulatione iuuant, emendantque. Quos insuper

Stant pro Aristocratia multi.

Ac probant.

cum in vnum conflari corpus oporteat, vnoque ceu spiritu, hoc est, vnanimi in Rempublicam affectu animari, quæ moderando imperio publicæ, ac multiplices virtutes sunt pernecessariæ, ab eo optimatum Senatu, nexuque existere omnes necesse est; quas enimuerò vno in Principe adesse, fingi vix potest: ac proindè vbi insigni virtutum complexione sufficere curandis præclarè rebus Optimates possunt; destitutus ea laude Rex, Regnorum administrationi par nunquam erit.

Eadem est de Religiosis Ordinibus quæstio.

Perfectiores quædã Resp. sunt Religiosi Ordines.

Iam verò, in hac vulgaris argumenti disputatione; quam censeo, ne intempestiuè sim longior, in medio relinquendam, ad eundem prorsus modum de ijs, quos Christiana religio in Catholicum Orbem inuexit, Religiosorum hominum cœtibus est statuendum. Planè, Reipublicæ quædam sunt, diuinitatis instinctu, ac longè præstantiùs institutæ, Sacri Ordines: quippè qui non moralium dumtaxat virtutum vsu, commune bonum, pacemque, ac tranquillitatem propositam habent; sed altiorem in scopum, curamque collineantes, & animorum eruditionem, & Sacrorum vsum, & Numinis cultum, & gloriæ æuiternitatem moliuntur; hisque pulcherrimis, ac sanctissimis muneribus præclarè, & perquàm aptè exercendis suarum legum ordinationes habent, & præfecturarum fasces, & magistratus, & operum tum pretia, tùm mulctas. Quàm verò Ascetarum hæ Sodalitates cæteris post hominum memoriam Rebuspublicis præstent, argumento fuerit, quòd illarum quæ florentissimæ, sparsoque longè, lateque imperio, potentissimæ fuere, aut sua tandem mole, aut alieno impetu ruerint; istiusmodi verò vices, casusque minùs sint Religiosis Ordinibus pertimescendi. Siquidem nec discerpere interna dissidia pulcherrimum corpus possunt, quod adamantino quodam fœdere, nexuque Dei caritas vnit; nec quatere, aut euertere externorum Principum arma, qui propagandis imperij sui finibus student; quando non terrarum, opumque possessione, sed Christiana paupertate Religiosi homines nituntur. At enimuerò, quo maximè regiminis genere Apostolicæ, ac Sanctissimæ hæ sint Religionum Respublicæ temperandæ, in examen reuocare, superuacaneum planè est; cum ferè omnes vel ab ipso institutionis exordio, vnius moderatoris auspicijs, nutuque procuratæ, Monarchiam, velut æquissimam, ac præstantissimam dominationis speciem, visæ sint adprobasse. Nos verò, etsi tot illustrium disciplinarum documenta ad vnius principatum in nostram Sodalitatem inducendum, erudire prudenter potuissent; placuit nihilominùs rem diutius explorare. Vt enim non eadem omnibus est Ordinis institutio, legumque, ac morum cultus; ita profectò vnam, eandemque omnibus attemperare administrationis formam, haud æquum omninò est. Et fanè nascenti, crescentique sensim Sodalitio, opportunior quædam visa est Aristocratiæ facies, ac vsus; vt scilicet, dum plures regerent, & optimi quique, sanctiùs instituerentur Ordo ab optimis, & regulares leges meliùs tuerentur plures: eo maximè initio, cum & regenda, & simul formanda suis moribus Theatina res esset: non enim in absolutam quandam, perfectissimamque instituti rationem, ac formam statim euasit nostra Congregatio; sed, qui est rerum omnium ordo, ad eam, quæ nunc cernitur, dignitatem, ac decus, eniti per gradus, ac veluti per tentamenta, atque experientias morum oportebat: ad quod sanè plurimorum cogitationes, & curæ aptiores. Itaque, vt hoc optimatum regimen, quod è re Sodalitatis fore, censuere tunc Patres, Pontificia auctoritate sanciretur; Cardinali Theatino agente, impetratum viuæ vocis, vt aiunt, oraculo à Paulo Tertio Pontifice hoc anno fuit: vt qua in Domo Patrum maior pars esset, eorum videlicet, qui ius ferendi suffragium haberent, quos exquisita prudentiæ, ac probitatis excussione adlegendos diximus, vocalesque nuncupamus; ij, summo in Præpositos, ac reliquos iure, Congregationem eo anno vsque ad Comitia procurarent, ita vt penes ipsos ius esset Capituli generalis; eiusque & repræsentarent imaginem, & vices administrarent. Perdurauitque hic regiminis modus diutiùs; donec adulta, firmataque suis legibus, domorumque, & capitum numero amplificata Sodalitate, decreuere maturiùs Patres, aliam quidem temperandæ disciplinæ ineundam esse rationem, vnique summam Ordinis præfecturam tribuendam. Quæ tamen ita vni demandata posteà fuit, vt non solus regeret, sed admotis Consiliarijs, qui potestatem & ipsi, & magistratum exercerent, quoddam veluti cum

Ad Monarchiæ normam ferè omnes temperati.

In nostrã verò Sodalitatẽ Optimatum regimẽ primò inuectum.

Sancita Pontificis nutu Aristocratia.

Quæ postea mutata, Sodalitate adulta.

Opti-

Optimatibus, corpus, ac fœdus componeret, mixto videlicet administrationis genere, vt in loco exponemus.

Hæc in ipso statim Purpuræ tyrocinio suæ in rem Sodalitatis transegit Romæ Cardinalis Theatinus, cuius præclara morum, virtutumque documenta non excludenda deinceps à nostrarum historiarum scriptione, ac serie; sed suis quæque temporibus, suoque ordine apponere, par est. Enimuerò, vt initio huiusce libri significauimus, induerat quidem Infulam, non exuerat Patrem, ac Principem nostri Ordinis; ideoque, ac si Clericum Regularem ageret, attexenda eius dicta, factaque omnia inter Nostratum monumenta. Sed antequàm publicis, ac grauissimis Ecclesiæ curis, in quas statim à Purpura est ingressus, stylum admoueamus, pauca de priuatis eius vitæ rationibus, ne quid tanti viri excidat, poscit locus, vt narremus. Igitur Cardinali Theatino accesserat quidem dignitas, sed paria amplissimæ dignitati vectigalia, ac census non contigere. Nam, etsi quòd nuper è viuis excesserat Guidus Medicæus, Archiepiscopus Theatinus, illud ipsum denuò capessiuerit Sacerdotium; non auctus indè est opulentis diuitijs. Siquidem titulo splendidiore insignitæ à Clemente Septimo Pontifice Theatinæ Infulæ, Archiepiscopatus tunc quidem appellatione honestabantur, opes vero ita decreuerant, vt intra aureos non amplius mille prouentus annui censerentur. His addita Pontificia liberalitas, quæ inopum Cardinalium subsidio erogatur, paulò supra hunc Ecclesiæ Theatinæ censum, quem etiam insigni munificentia ad immortale amicitiæ exemplum, ac decus æquauit Ioannes Matthæus Gibertus, elargitis in singulos menses amicissimo Cardinali centenis aureis. Erat quippè Gibertus Ecclesiasticis reditibus cum paucis diues; sed qui plura sanè promereri videbatur, quando tam egregiè ijs vti sciret, effunderetque cumulandis, ornandisque virtutibus, quo nihil præstantius. Neque verò sine collectione quadam, cœtuque virtutum hac vti libertate cum Theatino Cardinali potuit Gibertus: prosecutus namque est sua magnificentia, simul amicitiam, meritum, inopiam, ac Purpuram ipsam, cui lucem quandam, ac decus fecit suo auro. At enimuerò tuendæ purpurati Ordinis maiestati, splendorique, exigui adhuc hi census erant. Quarè modico quidem, sed honesto famulitio contentus erat Carafa. Supellex, quæ modestissimum deceret, tenuis, ac simplex, at mundissima. In suimet cultu honestissimus, ac religiosissimus: cum enim mos eo tempore tenuisset, vt seculari Purpurati omnes habitu incederent; ipse regularis disciplinæ, atque amplissimi Ordinis memor, ac tenax, nunquam nisi ad omnem grauitatis, ac decentiæ specimen compositus, ac lectica, vt plurimum vectus, visus domo egredi. Quod verò ad domestici Sacelli, Aræque instrumentum, atque ornamentum pertinet, qui cætera inopiam præseferebat, id loci opulentissimum æstimasses. Nam sacrarum in eo vestium, ac syrmatum pretium, sacrique auri opes vel ipsam diuitum Cardinalium quæsitissimam supellectilem, ac pompam exæquabant. Quò sanè cernere est, vnde is idem in nostrum Ordinem mos deriuarit, cuius si census spectes, nihil pauperius; si Ecclesiarum cultum, nihil fermè locupletius. Atque hæ quidem Cardinalis Thatini opes, & pro opum modo viuendi ratio. Grauiora nunc de eo enarranda.

Priuatus Cardin. Th. cultus.

Theatinas Infulas resumit,

Sed modico censu,

Quem auget Gibertus.

Supellex, famulitium ad tenuissimorũ prouentuum modum.

Religiosi cultus tenax.

Sed domestici Sacelli instrumentum supra cẽsum.

Non eo tantùm consilio Romam Pontifex accersiuerat Carafam, vt numero augeret Augustos Patres, sed vt ad Purpuram simul, curasque adscitus, præstantissima eruditione, animique constantia laboranti tùm maximè Ecclesiæ præsidio, ac tutelæ foret. Euocatique cum eo fuerant, vti memoratum est, ex omni ferè Europa, qui eminere doctrinarum splendore inter cæteros videbantur, vt profligari insigni hominum manu, eorumque viribus, ac studijs vitia possent, quæ publicè iam, priuatimque Christianum Orbem infecerant. Planè malis ijs persanandis bonorum omnium ea potissimùm mens erat, vt Concilium generale cogeretur, quo scilicet innumeris irrumpentium flagitiorum phalangibus numerosa itidem Patrum virtus, atque eruditio opponeretur. Id enimuerò vnicum semper Orbi, fide, ac moribus periclitanti fuisse remedium: hac ope restitutam persæpè Ecclesiæ dignitatem, ac faciem; iniectosque potentiæ, ac superstitioni frænos. Magnis morbis excellentes, ac præsentissimas adhibere curationes necesse est; ni recrudescere, ac foueri morbos

Publicis Ecclesiæ curis admouetur Card. Th.

Corruptis Orbis moribus vnicũ remedium Concil. Gen.

ipsos velis. Id Paulus Pontifex eum probè intelligeret, ac reformandæ religioni œcumenicam Synodum duceret pernecessariam, appellere ad eam curam animum attentiùs cœpit. Terrere quidem egregiam ab incœpto mentem potuere, quæ tùm maximè inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem ardebant odia, quæ nouis subindè ex causis recrudescentia, nullum hisce fidei negotijs peragendis relinquere locum videbantur. Quippè, vt contra mores potissimùm arma expoliuntur, ac sæuiunt; ita illis emendandis, soluta bellorum studijs, metuque pectora, ac pacata Principum maximè ingenia esse oportet. Nihilominus is erat generosi Pontificis in rem Christianam ardor, vt inire inter tot præliorum vices, ac turbas rationem pergeret, qua rem maximi momenti perficeret, præsentemque, & quàm opportunissimam inflictis Romanæ Reipublicæ vulneribus faceret medicinam: eaque animi contentione in negotium incubuit, vt tandem in hunc annum Mantuæ Concilium indixerit celebrandum. Visa quippè Pontifici ijs habendis Conuentibus opportunior sedes, Mantua. At Mantuano Duci ea loci designatio minùs placuit, nam quæ tunc Europam, præsertim Italiam miscebant, bella, suspicionibus Principum pectora compleuerat, ac suæ quisque tranquillitati, securitatique religiosiùs caucbat. Quocirca abrumpendum id consilium Dux Mantuæ studuit, ac prætextu adornato nonnulla à Pontifice, atque Episcopis Ecclesiasticæ libertati, dignitatique dissentanea dum poscit, mutare locum oportuit: ac delecta Vicentia in Venetis, quam neque Venetorum consilia probarunt, quippe qui maximoperè verentur, ne, qui Christianorum Conuentus pertimescebat, Turcarum Regem Solymanum irritarent.

Eò cogitationes aduertit Paulus III.

Indicitque Mantuæ Gen. Conc.

Sed inde Vicentiam translatū, ac mox ablatum.

Differri publicum hoc Orbis remedium, implicatumque innumeris penè difficultatibus cùm cerneret, doleretque Pontifex; componere, atque emendare Christianos mores alia via est aggressus. Igitur lectissima illa præstantium hominum capita, quos accersiuisse vndique Romam diximus, vt Ecclesiasticæ disciplinæ censores agerent, instructo Senatu, cogi voluit; iussitque, vt collatis vnà studijs, scriptisque præceptionibus, Romæ, ac Orbi benè, christianèque viuendi leges darent. Qui quidem ad id operis per se incitatissimi, tùm Pontificis zelo, iussuque vehementiùs inflammati, communicatis persæpè consilijs, scriptionem elucubrarunt, quam Consilium emendandæ Ecclesiæ inscripsere. Oblata Pontifici, ac mox euulgata Romanis typis fuit; nec post multò inter Conciliorum Codices, prima Germaniæ editione, inserta. Ac profectò, si quemadmodum exceptæ luculento commentario ordinationes illæ fuere, ac luci datæ; ita ad accuratam, vt par erat, obseruantiam propositæ Orbi fuissent: constans grauissimorum hominum sententia est, eius quidem ponderis, momentique eas fuisse, vt instaurari, sanarique vniuersa inde Christiana Respublica potuisset. Vt enim eius capita percurrentibus liquidò constat, nulllum omninò genus hominum est, nullum Sacrorum ministerium, ac munus, nulla honorum dignitas, nulla præterea inuecta in sæculum, ac mores labes, aut Nouatorum error, quò vtilissimis, & sanctissimis legibus, ex præscripto quidem priscorum Canonum sancitis, ac temporum rationibus prudenter accommodatis, ad omnem virtutum normam, ad Christiani cultus decentiam, ad Catholici nominis existimationem, ad hæreticorum audaciam refrænandam, non ea pertingat lucubratio; & quæ singulis quibusque rebus irrepsere vitia, non planè emendet, conuellatque. Hæc autem præstantissimarum legum capita seriatim hic dare consilium fuit, vt quando non ita ad manus est accurata ea scriptio; illamque hìc attexere, prolixior planè res esset: extent hìc saltem eius tituli, ac veluti semina, quæ lector excurrat. Sunt verò hæc

Aliamq; corrigendæ Ecclesiæ rationē init Pontif.

Conflato eorum Senatu, quos Romā accersiuerat.

Qui leges scripsere.

Restituendis moribus opportunissimas.

1 De Ordinatione Clericorum.
2 De Collatione beneficiorum, & Episcopatuum.
3 De Constitutione pensionum.
4 De Pactis super beneficijs.
5 De Seruanda Clementina super filijs presbyterorum.
6 De Expectatiuis.

7 De Incompatibilibus.
8 Quod Cardinalibus non commendentur Episcopatus, sed dentur omnibus ęquales redditus.
9 Ne Episcopi, & Curati absint à suis Ecclesijs, nisi cum licentia, & breui spatio.
10 De reuocandis Cardinalibus ad Curiam.
11 De impedimentis, quæ inferuntur Episcopis in gubernatione ouium suarum.
12 De Conuentualibus abolendis, & Prædicatoribus, & Confessoribus examinandis.
13 Ne Legati, ac Nuntij lucrentur ex vsu clauium.
14 De cura Monialium auferenda à Conuentualibus.
15 De Disputationibus publicis, & librorum impressionibus.
16 De Colloquijs Erasmi.
17 De Apostatis repellendis.
18 De Quæstionibus Sancti Spiritus, & Sancti Antonij.
19 De Dispensatione constituti in Sacris.
20 Item de alijs dispensationibus.
21 Contra absolutionem Simoniaci.
22 Contra licentiam testandi.
23 De Confessionalibus Indulgentijs, & votorum commutationibus.
24 Contra commutationes voluntatis Testatorum.
25 Contra Sacerdotes sordidos celebrantes.
26 De honoribus meretricum cohibendis.
27 De Inimicitijs componendis.
28 De Hospitalibus, viduis, & pupillis.

Et verò, vt bonis omnibus pergratum, ita flagitiosis, hæreticis præcipuè, qui sensere illicò, quæ vis, tormentumque superstitioni, corruptisque moribus admoueretur, non minimùm molestiæ, ac formidini id emendandæ Ecclesiæ consilium fuit. Quocirca moliri & ipsi machinas, ac scriptiones suas. Hi fuere Lutherus ipse, scelerum sentina, & fax; & doctor Sturmius: ille Germanicè, hic Latinè scripsit: vterque cum nihil sani, doctique haberent, quod funderent; maledictis acrioribus in Romanam Aulam, ac Sacra scatere commentarios suos Inurbanè, ac impiè voluere; recepto nimirum hæreticorum vsu, quibus idem pectori, ac stylo inest liuor; ac destitutas suo pondere rationes, iniuriarum lenocinio subornant, vt suis imponant. Opus hoc porrò aureum dolet merito P. Posseuinus in suo apparatu, omissum in altera ea Conciliorum editione, quam Laurentius Surius posteà curauit. Nam licet inducta in morem illa disciplinæ reformatio nunquam fuerit, attamen ideam quandam nostro huic æuo, ac seculis consequentibus exhibuissent rerum Ecclesiasticarum, ac morum, ad quos cuiusque conditionis homines exigerentur.

Vtilissimam scriptionē impetuere hæretici.

Iniuriosis nēpè lucubrationibus.

De præclaro hoc opere Posseuini iudicium.

Iam verò, quod ad Cardinalem Theatinum attinet, clarissimo in eo excellentium virorum decemuiratu, qui scriptionem obsignarnnt, secundo quidem loco censetur: in ea tamen concinnanda, efformandaque, nulli dubium, quin tribuendæ illi sint primæ eius curæ, ac vigiliarum partes. Enimuerò, si rerum, quæ pertractantur capita spectes, ad ea omnia, quæ tùm Clementi Pontifici, tùm Giberto Episcopo pro disciplinæ instauratione, sacrisque restituendis, compositis ad eos litteris, seriò, vt vidimus, scripserat, adamussim respondent: si stylum, nihil planè Carafæ dictioni similius. Et quidem, quamuis omni doctrinarum genere instructi excellentissimi ij viri omnes essent, præstaro nihilominus Theatinus cæteris videbatur: tùm quia diuersa terrarum Orbis spatia peragrauerat, quod maximè ad eruditionem facit; tùm quia ætate, vsuque rerum longiore, plura de rerum Ecclesiasticarum ritu, ac legibus potuit didicisse. Nam ijsdemmet Christianæ rei negotijs impositus ad Adriano Sexto Pontifice vnà cum Gazzella olim fuerat; eundemque Clemens Septimus, vt quem expertissimum nouerat, conferendis Sacris Ordinibus summa cum potestate præfecerat. Ad hoc, quòd in Hispanijs diù egerat, erudierat

Primæ in eo adornando partes Card. Th. fuere.

Præstare in eo hominum Cœtu omnibus videbatur.

præcipuè illum, quæ inibi incorruptè, ac seueriùs exercetur violatæ Religionis quęstio, tanto cum fidei incremento, ac scelerum clade: ac proindè, quanquam omnium sensus, ac suffragia ad illam morum reformationem ordinandam, concinnandamque conspirauerint; princeps tamen studium, totusque ille præceptionum, ac decretorum contextus Theatinis vigilijs est ascribendus: vt illis planè a plerique scriptorum tribuunt.

a Castal. vit. Paul.4.

1518. A publica re ad priuatam suam Ecclesiã conuertitur Card. Th.

Eòque se contulit.

Cæterùm in publica hac Christiani Orbis censura laborauit cum Sodalibus Carafa ab eo statim anno, quo Romam fuit accersitus, vsque ad labentis seculi annum trigesimum octauum; quo quidem tempore exacta lucubratione, ac Pontifici, lucique data; is, quòd communis eius curæ pensum absoluisset, intendere animum in priuatum Ecclesiæ sui commodum, atque emendationem cœpit: statuitque eò se conferre, vt rerum statum, moresque tùm Cleri, tùm populorum propiùs inspiceret, curaretque. Indigere opportuna quidem manu, ac ope Theatinam procurationem grauissimo cum animi sensu animaduertit: quippè, vt seculi moris erat, Antistites iam diù aberant, proindèque nullo monitore, ac vindice, irrepserat in omnes sacrorum neglectus; ac prætermisso pietatis, atque animorum cultu, sordere cuncta cœperant. Verùm qui Ecclesiasticæ disciplinæ optimus assertor, atque instaurator erat, quique eundem olim agrum accuratè repurgauerat, noneratque hominum ingenia, atque indolem regionis; næ illi perfacile fuit, & pristino nitori rem Sacram, ac suis quemque moribus, ac sanitati restituere: potuitque sanè cum illis ea Apostoli verba vsurpare: Filioli mei, quos iterùm parturio.

Cum disciplinæ fructu.

Induciæ inter Cæsarem, & Gallorum Regem.

Accidit autem dum hìc moraretur, vt inter Carolum Quintum, & Calliarum Regem Franciscum, de Insubriæ principatu acerrimè dimicantes, cùm quædam essent sancitæ induciæ; Paulus Tertius in longioris amicitiæ, solidæque pacis spem erectus, maximos eos Principes, vt secum vnà in colloquium venirent, adhortaretur, destinata conuentui sede, velut opportunissima, Nicæa, Prouinciæ in Gallia, Vrbe. Ac re quidem constituta, Cardinalis Theatinus augere, & ipse eo in itinere Pontificis comitatum, ac pompam statuit. Et adnuit Pontifex, qui perspecta abundè tanti viri eruditione, ac eloquentia, iuuari non minimùm posse intelligebat in ijs rerum grauissimarum consultationibus; cum de componendo Catholico Orbe; ac fœderatis, iunctisque viribus, de effundenda in communem Christiani nominis hostem armorum vi, agi deberet. Verum interceptus morbo, cum viam iam corripuisset, prosequi abeuntem Pontificem minimè potuit: excusauitque mox litteris valetudinem, quas Populi Comiti Nepoti, qui ad Caroli Augusti Aulam adibat, eratque Paulo item Tertio carus, perferendas dedit, extantque earum exemplaria in Neapolitano Paulinæ nostræ Domus tabulario. Scripsit præterea ad Imperatorem ipsum epistolam planè disertam, qua cum illo agit quàm facundissimè; rogatque, vt pronis in pacem auribus, tot bellorum motibus Orbem dirè verberatum, commiseraretur; Italiam potissimùm spectaret, cuius maximè in sinum potentissimorum Principum odia, ac tela impingi, tanta cum pietatis clade, ac pręcipui sanguinis impendio, videbantur. Has quidem litteras quin hìc ex parte saltem exscriberem, impetrare à calamo non potui: dignas profectò, quę Cardinalis Theatini animi magnitudinem, & publicę incolumitatis studium posteritati reprę-sentent. Principiò sic inquiunt: [Vię me commiseram, ingenti quidem desiderio, vt debitum tuæ magnitudini, ac seruituti meę officium Maiestati tuę persoluerem. At qui me repentè inuasit morbus, reuocare gradum compulit. Verùm cum in tuę Maiestatis obsequium isthuc sese conferret illustris Populi Comes, Nepos meus; quod ipse coram pręstare minus potui, per illum quidem, ac litteris agere constitui. Quocircà, officium, quod sui, meoque nomine conabitur Comes, rogo vehementiùs, vt gratum, acceptumque habeas, ea scilicet beneuolentia, qua me olim, dum inter seruos tuos in Aula agerem, complecti, atque honestare solitus eras.]

Horum Principum cum Pontifice congressus Nicęæ indicitur. Prosequi Pontificem cogitat Theat.

Sed interceptus morbo sistit.

Scripsit ad Carolum litteris disertissimis.

Ex Italicò.

Earum particulæ,

Ac paucis interiectis sic pergit. [Et quoniam frui Maiestatis Tuę pręsentia, atque, vt peroptaueram, alloqui non est datum, liceat saltem litteris precari te, vt reputare tecum ipse velis, in hoc cum Sanctissimo Pontifice, Gallorumque Rege congressu, omnium in Maiestatem tuam oculos, animosque intentos iam esse: miserrimam

prę-

præcipuè, diuulsamque Rempublicã Christianam tot, tantisque calamitatibus, quæ ipsam penè confecerunt, exorare à te infimis precibus, obortisque lacrymis opem, pietatemque. Age Serenissime Inuictissime, Imperator; subeat aliquando, incendatque generosum pectus ingentium malorum commiseratio. Heu, nullibi iam non mortalium cruor exundat: at quorsum isthæc lamena? Deletæ passim Vrbes, excisæ prouinciæ, polluta templa, prostituta matronarum pudicitia: atque inter hæc, conscelerata, ac nouissimis supplicijs digna capita, nòn impunè modò, sed pretio grassantur. Quodque me angit, pulsatque grauiùs, illud porrò est; explicari quotidiè, extollique magnificentiùs ab cruentissimis hisce nostris prælijs inferni hostis vexilla; atque hinc hæreticorum confidentiam, & contumaciam, hinc infidelium perfidiam Christianorum turbis, ac dissensionibus inualescere in dies magis, magisque: ita vt nisi Dei bonitas, tuæque Maiestatis virtus tempestiuè aderit, nil propiùs est, quàm vt in Turcarum triumphum, prædamque concedamus. Nos verò, qui internuncij, pacisque inter Deum, hominesque interpretes sumus, vtinam exarmare iram Numinis, ipsumque ad pietatem flectere valeremus. At pronunciare illud quidem possumus: Omnes declinauimus, inutiles facti sumus; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Nulla vsquam religio, nulla Numinis reuerentia, nullus diuinarum, humanarumque legum timor. Nam, etsi Romanus Pontifex erigere rem Christianam, ac resarcire morum damna, indictis, quà reformatione, quà Concilio, quàm diligentissimè curauerit: frustra nihilominùs omnia; quando sine Maiestatis tuæ ope, atque in publicæ, amplissimæque pacis sanctionem suffragio, ab hac improbitate, ac contumacia temporum honesti, sanctique aliquid impetrare, actum agere omninò est. Sanctitas sua profunda iam senectute, defectisq; penè viribus imbecillior, longum iter tanto cum sui incommodo, vt accisis Ecclesiæ rebus coram auxilium imploret, suscipere non dubitauit. Ades, Clementissime mi Domine, faueas, sis, quæso te, solatio, ac præsidio impensiùs efflagitamus: ita Maiestatis tuæ vota, successusque omnes, at tantarum palmarum, omniumque Barbarorum victricem stirpem tuam secundet, ac fortunet Deus, eo nimirum Imperij incremento, ea vitæ diuturnitate, atque incolumitate, qualem optares, vouerésque ipse, cui me, gratiæ, Maiestatique tuæ deuotissimum, ex animo commendo. Populi die 25. Maij 1538.

Hæc ad Cæsarem Cardinalis Theatinus, magna quidē orationis vi, quam publicæ calamitatis sensus, ac Religionis ardor vehementer inflammabat. Interea, vt conualuit, viresque recollegit; recognoscere diligentiùs, instituta iterùm inspectione, Ecclesiæ suæ mores cœpit, totumque hunc annum inibi immoratus vsque ad sequentis initium, vtilissimam planè operam posuit. Illud præcipuè non dissimulandum, quòd cum cognouisset, potentiores quosdam procerum, sparsosque per Theatinæ Diœcesis oppida Dynastas, ac Regios ipsos Administros eò iam licentiæ deuenisse, vt inferre Clericis contumelias, eorumque bona, aut proscribere, aut vsurpare, libertatique Ecclesiarum detrahere, non dubitarent; cauere confestim malo, atque opportunè, strenuèque consulere statuit. Quapropter, vt parem crimini timorem incuteret, ac solenni quadam pœnarum veluti pompa terreret vehementiùs sacrilegos; Bullam in die Cœnæ Domini, illi omninò similem, quam Maximi Pontifices, grandi quodam apparatu, rituque hac ipsa die Romæ pronunciant, in id genus sacrorum contemptores, reosque euulgauit. Et verò, res supra Antistitum Infulas, ac dignitatem fuit, digna profectò generosiore Cardinalis Theatini indole, ac zelo; quo sanè adultæ iam Dynastarum impotentiæ iniecti mirificè fræni. Extat apud nos Bulla, quæ eulgata mense Aprili fuit, sequentis anni, quo item reuerti Carafam Romam contigit. Cui quò se cumque conferret, aderat noster Paulus Consiliarius, quem diximus, relictum Romæ à Nostratibus. Nec feriari planè Virum egregium sinebat Cardinalis Theatinus; verùm quem admirabili quadam vi mentis, & consilio, insignem nouerat, cùm adhibere in laborum suorum partem solitus erat, tùm in ea potissimùm Theatinæ Diœcesis lustratione auxiliarem operi manum voluit contulisse.

Publicæ Pacis studium in Cardinali Theatino.

Diœcesis Theatinæ potentiores quo fræno coercuit Carafa.

Bulla in Cœna Domini ab eo publicata.

Adest iis cu. ra Paulus Consiliarius.

Coloniam nunc Neapolitanam repetamus, cuius in administratione Petrus Fuscarenus

ſcarenus Thienæo ſucceſſerat: vbi cum in omni rerum diuinarum vſu, cultuque animorum domi, foriſque ſtrenuè incumberent Patres; longè profectò maiores, egregij illorum conatus erant, quàm vt capere Marianæ Stabuli Domus ſpatium poſſet. Enimuerò gliſcente operum fama, ac fructu, neque eorum numerus tantæ ſegeti ſufficere videbatur, neque ſi augeri capita animus eſſet, permittebat locus: qui cum anguſtiſſimus omnino eſſet, neque amplificari in eo ſitu poſſet; tùm communi obſeruantiæ, tùm priuato Patrum commodo minus idoneus erat; ac ſacræ potiſſimùm Ædiculæ perbreuem aream reliquerat, planè neque aduentantium frequentiæ, neque ſacris functionibus parem; quas pro Clericorum Regularium officio, & conceperant animo, & ſtudioſiùs obire iam occœperant. Virtus quidem, ſi prodeſſe alijs velit; publici iuris fiat, lucemque, & celebritatem amet, neceſſe eſt. Nam quorſum magna indoles, & vires, & animus; ſi vbi ſeſe explicent, theatrum deſit. Noſtrates, qui ad priuatæ virtutis incrementum ſolitudinis amantiores olim fuerant, iam ceu viribus inſtructi, ad publica aliorum commoda, profectuſque prouocabantur: cumque non adeò proficuam, atque amplam in procuratione animorum operam ponere in ijs parui Stabuli Ædibus poſſent, ne præclaros labores exiguus exciperet fructus, operamque, ac induſtriam perderent; alterutrum faciendum ſibi apud animum ſuum reputarunt, aut parem animo, ac vigilijs campum curare, aut Neapoli excedere. Caietanum verò, qui etſi domi primas non haberet, quadam nihilominùs reuerentia, ac cæterorum conſenſione regere cuncta videbatur, illud præterea perurgebat, quòd ſeueriſſimæ Clariſſarum diſciplinæ, quam ante biennium, ipſo adhortante, Maria Laurentia Longa cum ſocijs capeſſiuerat, conſtruendoque inibi ſacrarum illarum Virginum Cœnobio, aptior omninò ea Domus Stabuli videretur: eautumque inſuper erat publicis tabulis, cùm, collato ab eadem Longa ære, coemptæ Ædes illæ Noſtratibus fuere, vt ſi quando aut mutare ſedem, aut Neapolim abſcedere contingeret, cederet ijs Monialibus locus. Quocirca cum ex vna quidem parte in nimiam domicilij anguſtiam compulſa noſtri Inſtituti induſtria, ardenſque Patrum virtus eſſet; ex altera verò parte, percommoda auſteriori Sanctæ Claræ obſeruantiæ accideret ea ipſa Domus; ex duplici hac cauſa diceſſum indè feſtinabat Thienæus. Neapolitani etiam proceres, qui noſtro iam nomini addicti impenſiùs erant, cernebantque inſtituti operis fructus, ac virorum ſtudia celebritatem longè maiorem poſcere; in eam vel maximè curam & ipſi incumbere, vt opportuniore domicilio Patres ad Vrbis cùm dignitatem, tùm documentum exciperentur. Et vrgebant rem vehementer, veriti, ne ſi fortè illi Neapoli diſcederent, ea ipſis morum exempla, quæ diù ſummis precibus, votiſque efflagitauerant, eriperentur. Plura ab ipſis loca deſignata, ac ſingulis ſua quæque erant impedimenta, ac moræ. Quod præcipuè & probari à noſtris, & proponi ſæpiùs ab exteris videbatur, id erat Sancti Pauli Maioris Templum, à ſitu, ac vetuſtatè longè commendatiſſimum, de quo Patres vel biennio antè, datis Venetias litteris, Carafam monuerant: qui in ea, quam ad Caietanum anno huius ſeculi ſexto ſupra trigeſimum epiſtolam dedit, & nos ſupra recenſuimus, implicatam rem multis difficultatibus exiſtimauit; tùm quia perarduum omninò erat, niſi pleriſque æquè, ac duriſsimis conditionibus à Rectoriubs impetrare: tùm verò, quòd celeberrimo in Vrbis loco, atque inter confertiſsimas Virorum nobilium ædes poſitum, honeſti cuiuſdam Clericorum hoſpitij, aut nullam, aut exiguam certè ſpem faciebat. Igitur, cùm res nimium lentè procederet, nouæq; ſubindè difficultates vota, atque operam ſemper luderent; argumento eſſe haud quidem obſcuro videbatur, non eam eſſe diuini Numinis voluntatē, vt Neapoli conſiſterent Patres, adornandamq; mox diſceſsionē vnà cenſuere. Petrus Toletanus rem tunc Neapolitanā procurabat; Vir quidem egregijs imperādi artibus, & qui decēt Principes, populari cum humanitate coniunctis moribus baſilicè inſtructus; pietatis verò laude inter paucos ſpectatus: qui prēclaram Noſtratū indolem tam ſtrenuè, tamq; felici prouentu in excolendis mortaliū animis deſudantē, nimio opere gratulabatur, illoſque inſigni beneuolentia, Caietanum in primis, quem ab eximiæ ſanctitatis nota celebrari vulgò nouerat, complectebatur. Diſceſſu Patres conſtituto, adire Toletanum Proregem decreuere, tùm vt rei conſilium, cauſaſque Principi aperirent,

Neapolitanæ Domus ſitus anguſtia.

Clericorum Reg. ſtudijs minus capax.

Ampliorem locum cogitant Patres.

Præcipuè Caietanus.

Curantque id ipſum Neapolitani.

D. Pauli Templum opportuniſſimum.

Sed arduum potiri eo ſitu.

Re deſperata, diſceſſum Neapoli Noſtrates cogitant.

Petrus Toletanus Neapolitanæ reip. præeſt.

Theatini nominis, ac Thienæi ſtudioſus,

aperirent, tùm vt collata in Ordinem humanitatis argumenta prolixè rependerent gratiarum actione. Puteolis tunc is agebat, quò Petrus Fuscarenus Præpositus, & Caietanus vbi peruenere, sic illum sunt allocuti: Neapolim se Pontificis iussu appulisse; non quidem immorandi proposito, sed vt periculum aliquandiù facerent, an Deus inibi hærere Sodalitatem vellet. Exploratum quatuor totos annos, mutatoque tot domicilio, nondum certas ædes sacris functionibus peragendis, conceptisque laboribus accommodatas contigisse. Ni falleret opinio, ostendi sibi luculenter, nolle Deum, vt ea in Ciuitate Clericorum Regularium familia propagaretur. Liceret igitur per humanissimum Principem Venetias discedere: fore interim officiorum, & gratiæ æternùm memores. Res ea oris, animique firmitudine a Patribus exposita, vt Prorex, qui loci angustiam, qua Nostrates laborabant, & quam propè diem meditabantur discessionem, pridem resciuerat, non dubitaret iam discessuros. Quanto verò cum Vrbis incommodo, omniumque Ordinum desiderio, sensuque fructuosa præstantissimorum hominum virtus abiret, secum ipse reputans, abrumpendum id profectionis consilium statuit. Quare hæc illis constanter, ac paucis: Aliter quidem Patres, quàm condocefieri vos à Deo videmini, monet me is ipse Deus, deberi de vestro domicilio decerni. Præstat nimirum Neapoli consistere, nec loca certè deerunt. Adnitar ipse pro virili, vt quæ vestro instituto, ac proximorum studio sedes opportunior visa fuerit, quamprimùm vobis contingat. Hac spe bona erecti Patres, mutarique ex inspetato velificationem maximoperè gratulati, gratias, & Proregi, quòd tanta animi magnitudine, ac pietate adspiraret; & Numini, quòd tempestiuè affulsisset, habuere: reuersique Neapolim, maturare & ipsi continenti supplicatione, implorataque Cælitum ope negotium cœpere.

Illum Nostrates adeunt.

Abeundi facultatem petunt.

Abnuit Toletanus

Et operam pollicetur suã vt lautiùs habiteant.

Porrò qui rem Theatinam intentiùs curabant, iam Toletano significauerant, populorum institutioni, atque incitatissimo Patrum in proximos studio nullam quidem esse aut ampliorem, aut celebriorem in Vrbe sedem, Paulina ea Æde, quam memorauimus; nec rem fore adeo difficilem factu, si suam ipse gratiam, nomenque adhiberet, vrgeretque opus, communi bono perquàm vtile, ac dignum Principe. Rem igitur aggressus summo ardore animi Prorex, Scipionem Tarracinam eius Ecclesiæ tunc temporis Rectorem, compellat: votum Neapolitanæ Ciuitatis, suumque esse dixit, vt dicatum Diuo Paulo Templum Clericis Regularibus contingeret. Id si ipse adnueret, rem omnibus gratissimam, ac sibi vel maximè, facturum. Principi nil arduum volenti, ac seu verborum grauitate, ac facilitate vim intulisset, visus illico concessisse Abbas Tarracina: qui & monuit, Fratriam inibi esse SS. Petro, & Paulo abhinc annis circiter quadraginta nuncupatam, quam è Montana Porticu Magistratus regeret; hos etiam adnuere opus esse. Quod etiam dicto citiùs Septem Viris Neapolitanis, quos Electos vocant, adnitentibus, vbi transactum est; litteras Ioanni Mariæ Tolfio, Sanualentiniano Comiti Prorex dedit, iussitque, vt quàm primùm ad Diui Pauli adiret, eiusque Fratriæ, Theatinorum Patrum nomine, possessionem iniret: qui, vt erat nostro in primis Ordini, illorumque sanctissimis Patrum moribus addictus, rem impigrè peregit, gratulatione, plausuque omnium. Reliquum erat, vt Vincentij Cardinalis Carafæ, qui Neapolitanas tunc Infulas administrabat, accederet facultas, ac nutus: quem vt exorarent cùm Toletanus, tùm Septem Viri litteris planè efficacioribus agere, quas Cardinali Theatino commendaras placuit, vt redderet ipse Neapolitano Antistiti, & facundia vim adderet postulatis. Quàm verò ea cura Neapolitanos vrgeret, id etiam abundè demonstrauit; nam publico Ciuitatis nomine, Ioannem Baptistam Perezium Romam adlegarunt, qui & litteras perferret, & coram cum vtroque Purpurato, Neapolitano, ac Theatino rem diligentissimè pertractaret. Epistolarum autographa penes nos sunt, quarum hîc exemplaria exhibere, res esset prolixior; satis erit, quam ad Cardinalem Theatinum Petrus Toletanus dedit, recensere, vt metiri lector possit ab vnius dictione, quo in Patres, ac Sodalitatem studio Prorex, atque egregij proceres ferebantur. Sic verò habet. [Morantur hîc Clerici Theatini, vitæ honestate, ac religione laudatissimi, quos, vt præclara eorum exempla decet; permagno quidem in pretio, atque existimatione Ciuitas hæc habet. De commodiore, quo degant, domicilio

Paulinum Templũ proponitur Toletano.

Qui Rectoris nutum impetrat,

Et Montanæ Porticus Magistratus.

Et Sanualentiniano Comiti iubet; vt possessionẽ ineat.

Interim Archiepiscopi Neapolitani consensus petitur. Romam Perezius mittitur.

Toletani ad Cardinalem Theatinum litteræ.

micilio, nunc agimus, vt præsentium lator aperiet, cui eandem prorsus fidem, quam præsenti mihi præstares, vt ipse exhibeas, faueasque, etiam, atque etiam rogo. Id, si euentus bonus consequatur, in huiusce quidem Ciuitatis bonum, Deique gloriam cedet: eritque insuper Maiestati Regiæ carum. Deus te eo culmine dignitatis fortunet, quæ optari potest maxima. Neapoli die 28. Februarij 1538.] Pergratum Cardinali Theatino fuit tanta virorum principum beneuolentia, ac studio suæ Congregationis, Patrumque, quos vnicè amabat, commoda promoueri, & quà egregia ipsius opera, quà postulantium dignitate, communia Vrbis vota insigni statim humanitate cumulauit Cardinalis Neapolitanus, obsignato, qui anxie expetebatur, assensu; quo cum haud post multò reuersus Neapolim est Perezius, exceptus quidem haud vulgaribus lætitiæ argumentis, quippe qui rem confecisset optatissimam.

Aduuitque Archiepiscopus Neapolitanus.

At enim cum immittendos prope diem in Paulinam Ædem Patres vulgò putaretur, vt quæ res maximè optantur, multiplices plerumque in difficultates, fato quodam sobolescunt; noua quidem incommoda, curæque fatigare religiosos viros cœpere. Subuereri siquidem visi, ne quæ ibi Parœcia erat, diuinis officijs ritè, ac liberè persoluendis, habendisque concionibus, tùm cætero sacrorum cultui impedimento esset: & quod facessere negotium potissimum videbatur, id erat communem cùm secularibus administris Ecclesiam, ac Domum esse. Quòd sanè & regulari obseruantiæ, & exquisito cuidam nostratum Nitori, ac religiosæ libertati non minimùm detractum ibat. Dum isthæc versant seriò Patres, hærentque; nunciatum Toletano, addubitare adhuc, cunctarique illos, remque eo loci esse, vt penè abeundi consilium denuò capesserent. Is, quòd consistere omninò Neapoli tanti spiritus viros percuperet, numerabatque inter præcipuas suas laudes, si manerent; binis statim litteris è Summa, Vesæui Municipio, datis, altera quidem ad diem quartam, & vigesimam Aprilis, altera ad octauam Maij, eos humanissimè appellat, hortaturque vehementiùs, ne discederent; neque tot procerum, ac vulgi spem luderent, qui sanè laturi abscessum quàm acerbissimè essent. Irent, inirent faustè destinatam suæ ipsorum disciplinæ Diui Pauli Ædem, curaturum se interim, ac breui, vt nulla exterorum consuetudo, aut contubernium religiosæ vitæ rationem, sacrorumque vsum interturbaret, ipsisque vnis cederet templum. Id si faxint, Numini primùm rem gratam facturos scirent, tum Ciuitati vniuersæ, ac demum sibi, qui affixam Neapoli Theatinam familiam, moramque præcidi omnem, peroptabat. Planè geminata epistola, ac studium, quo rem Prorex vrgebat, clarè docent, quàm honorifico habebantur loco Nostrates, & quam sui expectationem, opinionemque iam excitauerant. Igitur procerum votis, populorum studijs, adhortamento in primis, ac fide Toletani Proregis incitati Patres, die decima octaua eius anni trigesimi octaui supra sesquimillesimum in Paulinam Basilicam, Domumque immigrarunt.

Sed obortis alijs mox difficultatibus,

Litteris Prorex nostros appellat.

Qui tandem in Paulinas Ædes immigrant,

Huiusce vero Templi, quod præcipuum, atque amplissimum Neapoli nunc est, concepto quondam eius Vrbis voto Apostolo Paulo consecratum, exhibere hìc primordia, & faciem, & quædam vetustatis monumenta, non abs re historiæ fuerit, nec sine voluptate legentium. Dioscuris, hoc est, Castori, & Polluci fuisse primò excitatum, inaguratumque à Iulio Tarso, Augusti liberto, quæ in eius fronte legitur Græca dialecto, ac pulcherrimis characteribus inscriptio, testatur: quæ sic habet.

Diui Pauli Templum.

Dioscuris olim sacrum.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΤΑΡΣΟΣ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΚΑΙ ΤΑ ΕΝ ΤΩι ΝΑΩι
ΠΕΛΑΓΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ
ΚΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ ΕΚ ΤΩΝ
ΙΔΙΩΝ ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ.

Tiberius Iulius Tarsus Iouis Filijs, & Ciuitati Templum, & quæ sunt in Templo marium Augusti libertus, & Procurator ex proprijs absoluit, & consecrauit.

Fuisse

Fuisse verò egregij, ac splendidissimi operis fanum superstes adhuc Propylæum docet, temporum, ac sumptuosæ molitionis index, & testis. Ingentium namque columnarum moles è marmore, arte Corinthiaca, striatæque surgunt, sustentandæ pulcherrimæ structuræ, quam insculptæ Deorum imagines, rerumque simulacra, & procurrentia solido item, sectoque è marmore peristylia implent, exornantque: vt planè dilapsæ isthæc magnificentiæ siue busta, siue ossa inspicientibus, quæ fuerit species, ac decus integri, spirantisque olim ædificij, facile sit coniectari. Libetque hic breuiter ad vetustæ huiusce molis commendationem denarrare, quod a Ioannes Antoninus Castaldus in suo de Neapolitanis tumultibus commentario tradidit. Nempe, cum Tunetanus Rex Muleasses Neapolim appulit, anno quarto, & quadragesimo supra sesquimillesimum, Genuam transmissurus, vt auxilia a Carolo Cæsare impetraret contra Hariadenum Ænobarbam, quem adornasse florentissimam Classem inaudiuerat; metuebatque, ne facto iterum impetu, suum ille ipsius Regnum, a quo non ita pridem eiusdem Cæsaris ope fuerat expulsus, occuparet: exceptus quidem fuit ea, quæ Regem decebat, pompa, à Petro Toletano, qui Regni vices temperabat. At Vrbem ornatissimam cùm inijsset, nihil non modò admiratione sua, sed neque obtutu dignatus, grauitate profectò supra regium morem, nec confertissimam omnium Ordinum celebritatem, nec fora, eorumque cultum, nec structuras ædium inspexit. Ad Paulinum vero Templum, quà fuit pertranseundum, cum peruenisset, illa dumtaxat vetustissimi operis facies, & columnarum moles visa Tunetani Regis aut constantiam expugnasse, aut barbariem excussisse: immoratusque paulùm est, contemplandæ intentiùs vetustati; ceu reputaret apud animum suum nihil esse corrosa, ac mutilata ea antiquitate in Neapolitana vrbe magnificentius. Et verò sumptuosæ, amplissimæque nunc Ædi nimium quantum splendoris, ac dignitatis addit illa priscæ magnificentiæ facies: ac quantum recens aurum, picturæque honestare pendentia ea templi rudera videntur, tantundem exesa vicissim marmora recentem ornatum nobilitant vetustate. Porrò iacent etiam nùm ad templi vestibulum Dioscurorum idola, capite, lacertisque decurtata, eo, quo prisci effingere illa Numina solebant, cultu; nuda scilicet, & chlamydata, ernta, vt inquit b Auctor non indilgens, ex effossis eiusdem Fani parietinis: nam quod vulgò loquitur Fama, Apostolorum Principem Petrum, cum primùm Neapolim applicuit, inspectis in eius templi fastigio Numinum simulacris, conceptaque paululùm prece, illico deturbasse, ac prostare nunc mutilam eam vetustatem, ac superstitionem ad sempiternum orthodoxæ fidei trophæum, ac posteritatis documentum; nulla historiarum fide, ac veterum monumentis constat: quamuis habenda cuidam veluti traditioni aliqualis ratio sit.

Sumptu, ac mole magnificum.

a histor. M.S. in Paulin. Tabular.

Muleasses Rex Tuneti Neapolim init.

Contemptoque reliquo ornatu Vrbis.

In hanc Tépli vetustat oculos intendit.

Dioscurorum idola pro foribus.

b Iul. Cæs. Capac. lib. 1. hist. Neap. in Cast. & Pollue.

Illud certius, quod plerisque post seculis de inuecta in id Templum Diui Pauli religione reperimus litteris consignatum: fuitque hæc eius consecrationis occasio. Inuasere Campanum littus ingenti classe, grandiq; cum armorũ apparatu Sarraceni, anno reparati Orbis nonagesimo octauo supra septingentesimum; ac post deuastatam eam oram omnem, vicinasque Vrbes, quà incensas, quà direptas, Neapolim circumsedere; in quam ea, quæ Iunium mensem claudit, die, Diui Pauli Commemorationi sacra, facto tandem impetu, signa, ac arma intulere, sanguine, ac cædibus, barbarorum ritu, funestantes latè omnia. Grassantibus occurrere Neapolitani ad memoratum Dioscurorum Fanum, bellica quidem indole, atque opibus animi satis instructi; cæterùm milite, & copijs longè impares. Inita ibi acris pugna: & cùm maximè, edita Neapolitanorum strage, inclinare in Sarracenos victoriæ momenta viderentur; iunctis Longobardorum, qui suppetias venerant, animis, ac viribus, recruduit certamen: nec post multò fugati, cæsique ad internecionem barbari, excedere Vrbe coacti sunt, luculenta quidem clade accepta. At verò, quòd hi victoriæ potiundæ spem minimè abiecissent, quippè qui multitudine, ac sæuitia nitebantur; non longè castrametati, & premere Ciuitatem durissima obsidione, & foris miscere campana Municipia, pagosque igne, & ferro acerbiùs pergebant. Quam cum diutiùs ferre vastitatem, metumque nequirent Neapolitani; implorata Longobardorum denuò ope, ipsoque Adelgisio Rege florentissimis copijs, & numerum,

D. Pauli Tépli dedicatio, & occasio.

Sarraceni Neapolim obsident.

Profligantur die D. Pauli commemorationi sacra.

Bellum instaurant,

rum, & animos adaugente, vnà simul lacessire, ac delere funditùs barbaros, statuere. Inita pugna die vigesima quinta Ianuarij; ineuntis mox anni, fuit auspicatissimè eiusdem nimirùm Diui Pauli ductu, ac omine qui prostratus hac ipsa die, erectusque Dei voce, certissimum secuturæ mox victoriæ prostratis penè Neapolitanis spem facere visus est. Igitur ab aurora ad meridiem vsque dimicatum est, ancipiti marte, quo tempore Neapolitanis in pugnam acriùs incumbentibus, ac vi quadam ferociore aduersas in acies irrumpentibus, fracti barbari, ac mox victi, fusis, obtruncatisque legionibus oppleuere campos, paucis fuga elapsis, qui suis nauibus recepti, confestim littore soluerunt, vt acceptæ cladis nuncium, ac signa circumferrent, suæque audaciæ reliquias venti insuper, fluctusque dispergerent, ac vindicarent. Deletis ad vnum hostibus, solutique obsidione, ac metu Neapolitani; insignem, geminamque sibi ipsis victoriam gratulati, acceptam illam Paulo Apostolo retulere: qui quibus ipse diebus maximè celebratur, propiore quodam Numine animos, ardoremque dimicantibus inspirauerat, conficiendisque barbarorum phalangibus manum commodauerat, ac ensem suum. Quapropter damnata iam voto, quod pridem conceperat, Gens Neapolitana, sumptuosum id Dioscurorum Fanum, quod in Prætorium iam fuerat, Domumque Cæsarum commutatum, inscripto Pauli nomine, immortali eius memoriæ ad tanti beneficij, gratæque munificentiæ specimen dedicarunt. Quo sanè nihil ad illius gloriam pulchrius, assertum videlicet in Deorum templa, vicisse, ac triumphasse suis veluti in castris superstitionem; simulque & spoliasse Domo Cæsares, & cultu Numina.

Ac fusi interiti die 25. Ianuarij, Pauli Conuersioni sacra.

Cui acceptã retulere victoriamque palmam Neapolitani.

Ac templum consecrant ex voto.

Porrò, quod hactenùs de Sarracenorum in Campaniam irruptione, & clade, tùm de templi inauguratione enarrauimus, prosequitur fusè Manuscriptus quidam Codex Vaticanus, incerti auctoris: exscriptamque ab eo exemplari summa fide narrationem inter vetusta Paulinæ nostræ Domus monumenta Neapoli habemus. Eius autem historiæ auctorem, ac scriptionem ipsam, Antonius Caracciolus, quem laudare in hoc opere sæpius contingit, Vir quidem, vt diximus, antiquitatis, omnisque æui apprimè sciens, in quadam Manuscripta adnotatiuncula, quæ inter ipsius fragmenta planè aurea, reperitur, ad examen quàm diligentissimè reuocauit. Ac de scriptore quidẽ, nihil, ait, se posse certi asserere; inita verò temporum ratione, coniicere se, fuisse Ioannem Diaconum; non illum quidem, qui Gregorij Magni vitam conscripsit, sed alterum, ætate longè posteriorem, qui anno Christiano, circiter septuagesimo supra octingentesimum floruit: molitusque historiam est rerum Neapolitanarum accuratè quidem; sed quæ elegantiarum rudis ea ætas erat, simplici planè dictione, styloque. De fide verò eius scriptionis, putat Caracciolus haud omninò ambigendum, nec læsæ historiæ, fideique reum esse; quamuis cùm in temporum supputatione, tùm in quibusdam alijs rerum euentibus enarrandis lapsus Auctor videatur. Nam quòd Adriani Pontificis tempore Carolum Magnum Imperatorem vocet; cùm exploratum sit, à Leone Adriani successore Romani Imperij Insula fuisse inauguratum: excusari id facilè potest. Is namque tunc erat communis vulgi, ac publicus ferè sermo, Carolum ob continentem victoriarum cursum, gloriamque Imperatorem appellantis. Id quod innuit Eginarthus, eius vitæ scriptor, dum ait, respuisse Carolum, quæ erat inclyti Principis modestia, Imperatoris nomen, antequam à Leone Pontifice amplissima appellatione honestaretur. Quo liquet, diù ante fuisse, qui Carolum Imperij maiestate, ac nomine insignirent. Quid, si & Albinus Flaccus, & Florentius VVirgorniensis, & Aeppertus Abbas, non pœnitendi nominis, famæque scriptores, antequàm vltrò Leo Pontifex id illi honoris exhiberet, eadem nomenclatione suis in litterarum monumentis Carolum consignarunt? Alterum, in quo erroris ea narratio postulatur, id est; quòd Longobardorum Reges inibi appellantur Desiderius, & Adelgisius eius filius; cum iam Regno, Regnique insignibus spoliati, exactique Italia; alter in Galliam fuerit ablegatus, Adelgisius verò fuga se Constantinopolim subduxerit. Verùm, quòd ni Reges nuncupentur, maximè à fœderatis, cuiusmodi Neapolitani erant; qui deiecti sua sede, Regnoque, in eo nihilominùs recuperando toti erant? Habemus namque in Epistola vigesima quarta Adriani Pontificis, pugnacissimo cum Græcorum exercitu reuersum

Narrata hæc ex Codice Vaticano.

Qui eius scriptor.

Quæ fides.

Eius Commentaria errata non ea esse, vt fidem eleuent.

reuersum è Græcia Adelgesium, atque in Calabria consedisse, indeque Neapolitanorum subsidio contra Saracenos putandum est, inuolasse; quod auctor hic scribit. Mendum verò in annorum adnotatione irrepsisse, simile veri est; vt pro 798. commutatis eiusdem numeri notis, scribendum sit, 789. quo quidem anno aduentum Adelgesij in Italiam signat Sigebertus in Chronico, cui & [a] Ioannes Villanus, & [b] Herempertus adstipulantur: monentque, hoc anno insignem Neapolitanorum victoriam, cladem que Saracenorum contigisse. Et quamuis Villanus non Adelgesium, sed Carolum magnum, submissis fortissimis Ducibus, Bernardo, & Aymone opem Neapolitanis tulisse, asserat; fidem tamen auctori non abrogat, cum de re ipsa constet: scilicet eo prorsùs tempore, quo hic censet, memorabilem eam pugnam initam, deletosque barbaros. Hæc scitè Caracciolus, historiæ propugnandæ.

In annorum supputatione mendum corrigitur.
a Lib. 1. c. 52.
b In Chron.

Adnorandum porrò hìc obiter, plerosque reportatam hanc à Neapolitanis de Saracenorum classe, victoriam, cum illa confundere, cuius ante Ecclesiam Sancti Angeli, quam ad Signum vocant, propter Montanam Porticum, extar ex ære monumentum. Illa siquidem adepta olim S. Agnelli, dum viueret, mirabili quadam, diuinaque ope fuit. Morabatur scilicet vir sanctissimus in suo Diui Gaudiosi Cœnobio, cumque oraret, monitus inter preces diuinitùs fuit, captam iam à barbaris Vrbem, atque agi, miscerique omnia. Nulla Agnellus mora interiecta, signarum Cruce vexillum arripit, insilitque in irrumpentes barbarorum acies, ore quidem, ac fiducia supra fidem, ac hominem. Quo factum, vt arcano quodam metu perterrefactæ hostium phalanges, fuga remetiri iter cœperint; cum ad id iam loci, quem memorauimus, immanis illa hominum colluuies peruenisset. Atque hæc quidem victoria Christi anno quingentesimo, & septuagesimo tertio contigit, annis omninò tredecim, antequàm è viuis excederet Agnellus. Quam verò supra ex incerto auctore denarrauimus, Diui Pauli auspicijs, ac præsidio reportatam, sexdecim supra ducentos posterior annis fuit. Cuius quidem victoriæ, votique compos ereptum Dioscurorum superstitioni Templum, velut in trophæum triumphatori Apostolo consecrauit Ciuitas Neapolitana; nostroque posteà Ordini tributum, vt decentiùs inibi, ac puriùs religionem, animorum, sacrorumque cultum, Christianos mores, regularemque obseruantiam curarent Patres; qui eò immigranere, relicta Mariana parui Stabuli Domo, quæ Mariæ Laurentiæ Longæ, eiusque Capuccinis Virginibus statim cessit: vbi conformato ad austerioris paupertatis, absolutæque disciplinę normam Gynæceo, incomparabili quodam vitæ genere, ac laude, ceu flos quidam integerrimus Neapolitanæ sanctitatis, præstantissimæ eę Virgines hodieque degunt. Nostris interim gratulanribus, quòd & ipsis id Cœnobium, quod à Hierusalem nunnuparunr, ad votum contigerit; & Clericorum Regularium labori, actuosæque industriæ Paulina ea area, ac Basilica longè celeberrima patuerit.

Altera Neap. victoria D. Agnelli virtute.

Longè prior illa, quam supra memorauimus.

Parui Stabuli Aedes Capuccinis Virginibus cessit.

Quæ verò Nostrates, vti exposuimus, solicitos diù tenuit, incertosque, an Templum illud subirent, Parœcię administratio, ceu religiosis moribus, ac mundissimo rerum sacrarum nitori, minùs consentanea; haud poſt multò, vti pollicitus Prorex fuerat, nostro fuit instituto, votisque maxima ex parte attemperata. Enimuerò Sabatinus Angrisanus, Principis Ecclesię Canonicus, eiusque tunc Parœcię procurator, tametsi ęgriùs primò assertum in Sacram hanc Ædem nostrum Ordinem tulerit; prono, volentique postmodùm animo, plerisque è Neapolitana nobilitate agentibus, vel ipsi, quod is inibi incolebat, domicilio cessit: aliòque commigrauit, reducta ad extremam templi partem, quàm minimo cum Patrum incommodo, officij sui procuratione: idque publica consignatum fide voluit. Paulus verò Quartus postquam appellatus Summus Pontifex est, qui, vt diximus, & loci situm, celebritatemque probauerat, & aperiri nostrorum curę, studijsque amplissimum theatrum, gauisus oppidò fuerat, sedulamque ipse operam pręstauerat, vt inirent; vt nulla omninò externorum hominum Societas staram religiosę vitę obseruantiam interturbaret, constaretque in Paulino eo templo integra Theatinę disciplinę libertas, ac mundicies; Parocciam, eiusque administrationem omnem, obsignato Pontificio

Attéperatur, nostro Instituto D. Pauli Parœcia, Toletano agéte.

Ac Paulo IV Pontif. aliò transfertur.

Sed elato Paulo IV. intentata à Parocho lite,

Paulo Aretio Neap. Antistite res omnino componitur.

diplomate in Sancti Georgitelli Ecclesiam transtulit; quę tametsi, intentante altero subindè Angrisano litem, certis quidem conditionibus pristinum in locum, extincto Paulo Quarto rediisset; tamen Paulo Aretio, Antistite Neapolitano, qui ex Nostris ad Purpuratos Patres additus, Sodalitatem illa Senatoriæ dignitatis luce, & suis certè moribus splendidiùs exornauit, adiuncta iterum memoratæ Ecclesiæ fuit, instaurato Pauli Quarti decreto: vtque res annis consequentibus staret firmiùs, constabilita nouo Gregorij Tertij Decimi diplomate, motuque fuit.

Restituendæ, ac ornandæ Ecclesiæ vacant Patres.

Iam verò, quanquam Paulinam hanc Ædem, quam adepti hoc anno Nostrates sunt, vetustatis quædam veneratio, & ipsum ferè Ciuitatis meditullium commendarent; nihilò tamen minùs deiecerat illam penè tempus, multisque in locis fatiscens, ruituram minabatur. Nullus prætereà ad sacrorum, locique maiestatem, ac dignitatem non modò ornatus, ac species, verùm nec simplex quidem specimen nitoris, aut vmbra. Planè, vt laborandum non minimùm illis fuerit, quò ad decentiam saltem quandam squalorem illum labentium parietum exigerent; simulque & Aras Ecclesiæ, & cultum Aris assererent. Quod sanè peregregie pro suæ paupertatis modo statim peregere: visumque momentò penè fuit, posito inter suamet rudera senio, quandam sese Basilicam, illam iuuentæ speciem induisse. Enimuerò, vt mundissimæ, quam ab ipsa Ordinis institutione conceperant, diuini cultus ideæ responderent omnia; multùm publicis Ecclesiæ ornamentis, nihil domesticæ necessitati consulere: instaurare statim, qui minùs cohærere parietes videbantur; & alibi quidem inductus, qui decet templa, simplex candor; picturis alia, quædam etiam auro exornare: laquearia statim suspendere, non sine aliqua oculorum illecebra: sacrum instrumentum sumptu quidem pro modo, elegantiore verò forma procurare. In Sacrarij supellectili, qua nihil concinnius, ita paupertatem adamabant, vt si quid curiosi, pretiosique operis ad amplificandum honorem Numinis vltrò pietas exhiberet, non recusarent. Extat etiam nùm quoddam crispanti ex auro attalicum Sacerdotum indumentum, Pluuiale appellant, splendidissimum olim Principis viri Syrma, quo donati Patres, in Pontificale amiculum commutarunt: seruaturque adhuc ad æui, eorumque memoriam, quorum nunquam non in re sacra diues, ac magnifica religio fuit. Inchoata videlicet, ac ceu primis lineis adumbrata posteritati à priscis ijs Patribus templorum, ac syrmatum sumptuositas fuit, quam consequentes posteà Clerici Regulares, pulcherrima æmulatione, absolutissimè cumularunt. In Paulina præsertim hac Æde, quam describimus, vbi præclara hæc lineamenta duxere sanctissimi ij Patres, rem Sacram vsque adeò ab illorum exemplo amplificatam cernimus, tùm quoad templi decus, ac faciem, tùm quoad ministerij pompam; vt ad sacri auri, gemmarumque vim, ac reliqui cultus splendorem nihil addi posse putes: ac exteri quique proceres, ac principes, quos spectandæ regionum, ac gentium indolis, è suis penatibus propellit voluptas, & cura; inter præcipuas Neapolitanæ Vrbis laudes, amplissimam hanc Diui Pauli Basilicam, ac Sacrarij potissimùm opes numerant, dignasque eas putant, quas suis posteà popularibus cùm admiratione singillatim narrent.

Induxitque ad Theatinũ more cultus.

Sacri instrumenti in nostris Ecclesijs sumptuositas. Præsertim in Paulino Sacrario.

Quod externis est admirationi.

At verò ad huiusce templi structuram, & quam illi maiestatem, lucemque facit vetustas recenti cum elegantia coniuncta, recurret fortassè iterum narratio. Interim accurata ea Patrum rudimenta prosequamur. Quibus psalmodiæ præcipuum studium erat, Odeum studiosè concinnarunt, instruxeruntque post Aram maximam; quod, ne vel suimet, vel aliorum obtutus mentem à diuinarum precum attentione abriperent, siparijs, aulæisque conclusum voluere. Quod planè non antea Neapoli spectatum, insignis cuiusdam religionis specimen dedit; placuitque adeò illa veluti clandestina psallendi ratio, qua intùs sibi canere, & Deo videbantur, vt imitatores statim inuenerit. Nam è Dominicana familia Magister quidam, compertæ probitatis, religiosæque disciplinæ apprimè tenax, Ambrosius nomine, qui tunc Diui Petri Martyris Cœnobium temperabat, quod publico in conspectu, mediaque in Templi area Odeum erat, ad Nostratum exemplar ad Aram principem transtulit, subduxitque spectantium oculis, protensis ad eundem modum velis.

Odeum intra velum.

Valuitque huiusce psalmodiæ exempli.

velis. Valuitque is posteà Neapoli apud omnes mos laudatissimus: ac breuì qui in media Ecclesia chori erant, externis allocutionibus, negotijsque interdum pertractandis, contrà ac diuinorum officiorum dignitas, ac studium posceret, expositi; ad interiorem illi templi partem reducti: receptaque velut ad augendam maiestatem intra velum psalmodia est, pulcherrima scilicet Theatini moris, ritusque æmulatione. Ad hæc, amouendum ab Ecclesia sepulchrorum situm, ac mortuales lapides curarunt; constrato lateribus pauimento; quo sanè & eximio nitori, & priscæ cuidam decentiæ consultum apprimè fuit. Præteteà, ne permistè, confusimque homines, ac mulieres sacris functionibus interessent, è dolatis asseribus diuottia interposita voluere; vt diuiso ex æquo templo, in idem pietatis, ac deuotionis studium conspirarent vtrique mortales, nulla siue pudicitiæ, siue reuerentiæ fraude. Accidit namque persæpè, vt quæ alibi locorum tuta honestas est, illam in promiscua Ecclesiarum celebritate, ceu publico in foro, honestissimæ pleræque fœminæ nundinentur; ac perindè commaculati templa persæpè contingat, vt dixerit verè Tertullianus: [In templo adulteria componi, in ipsis plerùmque tabernaculis, sub iisdem vittis, & purpuris, & thure flagrare libidinem.] Quapropter opportunum id mulierum conclaue nimiùm quantùm grauissimis viris commendatum, probatumque mox vsu fuit in frequentioribus Ciuitatis Ecclesijs: nec post multò propagata in omnem fermè Italiam decentissima ea consuetudo fuit à laudabili certè Nostratum instituto. Qui quidem & à priscis id seculis, egregia antiquorum, magnorumque Patrum imitatione deriuarunt. Legimus namque Ioannem Chrysostomum, cuius panegyres celebritate, æstuque populorum feruebant, ad eundem etiam modum Ecclesiam diuisisse. [a] Testaturque ipsemet in hæc verba: [Oportere quidem interiori pariete viros à mulieribus disseparari: verùm quòd non vultis necessarium esse, Patres nostri putauerunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare.] Adstipulatur etiam [b] Philo, qui Essenorum Templum affirmat, [duplici septo clausum, separatis mulierum, ac virorum cœtibus.] Extatque ea de re [c] Clementis Romani Pontificis Constitutio ijs verbis. [Mulieres separatim sedeant.] Et habetur apud [d] Cæsarem Baronium non fuisse olim eundem fœminis, ac viris in Templum ingressum. Et fœminarum quidem dexteram, virorum verò sinistram Ecclesiæ partem fuisse. Huic planè singulari prudentiæ, qua instruxere templum Patres, reliquus statim cultus, ac disciplina par fuit. Etenim quæ admiranda planè in ipsis erant; præstantissima videlicet instituti, viuendique ratio, eximia in vultu pietas, ac modestia, in habitu, cultuque paupertas, in sacrorum ornatu dignitas, in cæremonijs ritè peragendis grauitas, in excipiendis confessionibus, explicandisque conscientiæ nodis prudentia, ac doctrina, in concionibus habendis seuerum facundiæ genus, ac robur, vsque adeò splendidiore veluti in theatro inclaruere in nouo eo templo, vt omnium in se oculos, ac beneuolentiam momentò conuerterint; ac tùm ipsi, ceu ampliorem nacti fructus demetendi campum, instituendis, formandisque aliorum moribus sese impensiùs tradidere, tùm ingens statim ex omni censu hominum numerus confluere ad eos cœpit; vt quà priuatim, quà publicè ab excellentium virorum adhortamentis, exemplisque optimæ quisque frugis documenta exciperet. Illud hìc porrò è primorum Patrum, famæque testificatione non prætermittendum, quòd cùm confertim iam in Paulinam Ædem concurrerent proceres, ac vulgus; eum statim in limine induere oris habitum, deuotionemque videbantur, vt siue loci, ad omnem sanctimoniam conformati, reuerentia, siue austeriore Patrum disciplina commonefacti, incredibili quodam silentio, ac si nullus inibi aut interesset, aut respiraret, suæ quisque pietati vacabat; tantùm abest, vt strepitu res sactas interturbarent, aut in verba licentiùs effunderentur; quod publicum horum temporum vitium, ac pudor est.

Vt breui ponè Arã principem Neapoli omnes psallerent.

Sepulcra ab Ecclesia amota.

Inter homines, ac mulieres in templo diuisio.

Quæ in reliquas item Ecclesias inuecta.

Fecisse id Chrysost. memoriæ proditum est.

a Hom. 74. in Matt.

b De vit. contemp. suppl.

c Const. Apo. lib. 5. c. 53.

d Ann. Eccles. ad an. 57.

Diuinis rebus vacans strenuè in D. Pauli templo.

In quo mirũ silentium, ac pietas

Quod verò pertrahere Neapolitanam pietatem potissimùm potuit, id profectò Caietani Thienæi, & Ioannis Marinonij concionandi vices fuere: qui cùm præclarę virtutis, morumque sanctissimorum opinione; tùm etiam incomparabili quadam, arcanaque vi dicendi, incredibiles excitare animorum motus videbantur. Inerat quidem Thienæo grauis quædam eruditio, ac eloquentiæ facultas, pertractandis, fle-

Caietani in dicendo vis.

fle&ctendiſque mortalibus, quò vellet, apprimè accommodata: vt perrarò quidem telum contorqueret, quin vel inter ſecretiores pectorum fibras animos caperet, ac ſalubriùs ſauciaret. Marinonio verò ſimplex quædam dictionis idea erat; ſed quæ ipſo ardore animi, ac vultus vehementiùs inualeſcebat; vt mirum profectò videri poſſet, nulla aut artis, aut quæſiti argumenti illecebra, tantùm dicendo valuiſſe. Dicere quidem ſolitus erat, nihil ſe ad populum dicere, quod non in ſe ipſe priùs experiri percuperet: interrogatuſque aliquando, qui perorare adeò frequenter, tantoque cum virtutum prouentu poſſet, nullo fermè ſtudio, rerumque apparatu? reſpondit, precariſe priùs prolixè Deum, inſpiraret, moneretque, quæ facere ipſummet vellet; tùm ea ipſa è ſuperiore loco auditoribus propinare. Atque hinc quidem illi Chriſtianæ facundiæ nerui, ac vis ingens; hinc animata diuino quodam ſpiritu verba; hinc fulmina, & terror, ac pectorum arietatio. Planè, vt delicatiſſimum eſt aurium iudicium, tùm in viro quodam eius temporis, non quidem inerudito, ſuperbiſsimum fuit: quippè è ſacris declamatoribus, quos audire contingebat, vſu quodam, inſtitutoque probare is ſolebat neminem; pleroſque omninò improbare, carpere, ac notare omnes: in Marinonio, quod argutè perſtringeret, premeretque, viſus nil repetiſſe: quinimmò conteſtandæ beneuolentiæ dicentem ſtans, apertoque capite auſcultabat. Doctiſſimos inſuper viros, ac magni nominis confluxiſſe ſolitos ad D. Pauli, dum declamaret, compertum eſt; inter quos fuere Cardinalis Siripandus, qui quidem à nullo ſe acriùs vnquam ad virtutem inflammatum prædicabat; Antonius Sebaſtianus Minturnus, Epiſcopus Vgentinus; Galeatius Florimontius, Epiſcopus Sueſſanus; Alphonſus Salmeron, è decem primis Societatis Ieſu Patribus; & ille ipſe in hac dicendi facultate celebratiſſimus, ac ſui æui princeps, atque Euangelicus Demoſthenes, Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bituntinus; quorum omnium conſenſione grauiſſimus, ac planè diſertus verbi Dei præco habebatur Marinonius: ac poſtea iidem ipſi ferè omnes, cum Concilio Tridentino adeſſent, atque inibi de reformatione Concionatorum ageretur; memoratum publicè fuit, eſſe quidem Neapoli in Theatinorum Patrum Domo virum, qui Apoſtolicam concionandi formam, ideamque ad viuum exprimeret. Is erat Ioannes Marinonius. Quo ſanè nihil ad vehementiſſimum eius dicendi genus commendandum præſtantius: in ampliſſima videlicet illa maximorum hominum celebritate, ac Senatu à Viris famæ celebrioris, veluti robuſtæ, ſanctæque exemplar eloquentiæ proponi. Reliquorum verò is idem ſenſus omninò erat. Experiebantur quippè ab incitatiſſima eius dictione, ſe cominùs peti, ac nulla dicentis verba non in iugulum intentiùs euibrata. Quocirca, etſi primæ interdum notæ viri ferijs potiſſimùm Quadrageſimæ magno accurſu, plauſuque populorum concionarentur; nihilominùs quo die Marinonius declamabat, non deerant, qui relictis laudatiſſimis iis viris, ad illum adirent; cuiuſmodi vir quidam fuit prænobilis, ac litteris etiam non minimùm excultus, quem interrogatum cur præſtantiſſima ea capita, quorum in theatris, ac ſubſellijs tanta cum laude eloquentia dominabatur, deſereret; ac diſſerentem inornatè, atque ineleganter virum audiret? reſpondiſſe ſeriò accepimus, ſe eius generis tàm elaboratæ, exquiſitæque orationis homines auſcultaſſe quidem non ſemel aliàs; at verò tanti ardoris, momentique, qualem Marinonius intorquebat, à cuius vi dicendi aperiri ſanè Cælum, atque inferorum loca videbantur, audiſſe neminem. Nec diſſimulandum, id ipſum pleroſque alios viros proceres, inter quos fuit Camillus Brancacius, à politioribus litteris, inſignique iuris prudentia longè celebratiſſimus, de Marinonio ſtatuiſſe. Hi nempè, quòd hilari, amœnaque eloquentia oblectarentur; adduci non poterant, vt illi aliquando ſuas præberent aures eruditas. Verùm exorari ab amicis ſemel paſſi, vt audirent; tanta ſenſim vi, ac flamma dictionis inardeſcere de vitæ huiuſce calamitatibus, impendentique mortis acerbitate loquentem illum contigit, vt inflammari & ipſi vehementiùs ſua ſtatim pectora ſenſerint; excuſſiſque mox copioſè lachrymis, teſtati liquidò ſunt, non eum eſſe Chriſtianum oratorem, qui admirabilitate quadam, ac pompa ſermonis ingenia adriperet auditorum; ſed qualem repræſentaret Ioannes Marinonius: cui non quidem in ore ad oblectationem, famamque vulgi; ſed in pectore ad omnem

Marinonio ardentior facultas.

Quo ſe ad concionandũ ſtudio appararet Ioannes.

Acerrimi cuiuſdam cenſoris de eo iudicium.

Viri doctiſſimi à dicentis ore pendent.

Et Cornelius Muſſus.

A quibus ceu declamatorũ idea proponitur in Trid. Conc.

Et audiebatur, relictis celebrioris facundiæ viris.

Viri nobilis de eius dictione ſententia.

Viris etiam politioribus eloquentiam probabat.

nem animorum concitationem, ac fructum cudebatur oratio. Ac meritò sanè è Dominicano Ordine grauissimi quidam Patres, cum illum ardentissimè concionantem inaudiuissent, admirati facundiæ efficacitatem, ac robur, ac nullum in ea fucum, nullasque dicendi phaleras; dixisse ferunt, hic profectò ad eundem prorsus modum declamat, quo D. Pater noster Dominicus declamabat. Sunt verò, qui visisse se dicerent, volucrem quendam ignem, radiosque in eius vultu fulgurare, cùm disertè ad populum detonabat; ingentis planè ardoris index, qui in pectore æstuabat, ea fax oris, ac vibrantes radijerant. Elatum etiam admirabili quodam raptu, excessuque, dum diceret, testatæ conceptis verbis, ac summa fide, quædam Sanctimoniales sunt: ad quas cum de Christo Domino in Cælum abeunte, verba faceret, vix ea grandi voce, sensuque pronunciauit: Viri Galilæi quid statis aspicientes in Cælum; cum visus sensim efferri, diùque suspenso in aere corpore, perculsis admiratione Virginibus, quæ spectabant, perdurasse. Iucundissimum porrò fuit, eo frui spectaculo, quo & rapere, & rapi Marinonius cernebatur, perorando. Nec mirum quidem ea vi sermonis virum valuisse; qui, vti significatum est, non à prolixa rerum dicendarum commentatione, ac studio, sed à Cælo, quæ funderet, comparabat. Consueuerat siquidem, antequàm ad dicendum accederet, orationi ad multas horas incumbere, à qua omni eloquentiæ præsidio, ac ope instructus, nullam non sibi animorum victoriam ominabatur. Atque hæc quidem de Ioanne Marinonio visum hoc anno opportunè commemorare; cum scilicet nacta spatium suum eius eloquentia, desudare egregiè cœpit proximorum saluti, & quæstui in Diui Pauli templo; in quo aliorum etiam Patrum industria, ac fama probitatis inuitante, breui accurrentium numerus, ac pietas, segesque laborum cum excreuissent, augeri & operas oportuit. Quarè, poscente Fuscareno Neapolitano Præposito, adlegati Iulio mense huius anni à Bernardino Schotto Præposito Tolentinate Neapolim fuere Clerici duo, Seuerus Titionius, Diaconus Fundanus, quo de supra locuti sumus; & Iacobus Iuannius, Hispanus, qui clade Borbonica aspera quæque Romæ per summam iniuriam & ipse cum socijs sustinuerat. Horum quidem virtus subsidiaria ad succrescentia quotidiè in Paulina Domo pietatis officia opportunior fuit; vt cùm domi, tùm foris, inter regularem obseruantiam, & proximorum studia partiri Patres ex æquo possent curas suas.

Eo ardore declamasse D. Dominicum Dominicani afferebant.

Visus inter dicendum ardere in eius vultu ignis.

Semel è terra sublatus, dũ côcionaretur.

Ante concionem ad multas horas orabat.

Auctus Sodalium numerus in Paulino Cœnobio.

Porrò, antequàm Ædes commutarent, habita Neapoli Comitia in parui Stabuli Domicilio, Aprili mense. Hoc siquidem tempore cœpta deinceps cogi Capitula Generalia; eò quòd postremis, quæ fuere celebrata Romæ Comitia, dilata, vt vidimus, ad exeuntem annum huius seculi sextum, & trigesimum, dari interuallum, mensuramque oportuit; atque adeò ad Aprilem vsque, opportunius etiam anni tempus, excurrere; quò destinata publicis nostris Conuentibus verna temperies fuit. Igitur hoc in Neapolitano Capitulo iussi prouincias suas continuare Schottus, & Fuscarenus; qui impigram, hic Neapoli, ille Venetijs communi rei promouendæ, regendæque operam nauabant. Et Fuscarenus quidem eo maximè tempore Paulini templi negotium perurgebat, quod non post multò, insequenti nimirum mense, vt explicauimus, cum socijs iniit: curauitque peregregiè, quæ modò de instauratione, cultuque amplissimæ Ecclesiæ fusè commemorauimus. Huic autem Diui Pauli Cœnobio dum accuratè hoc anno moderaretur, propulsare insigni virtute splendidum sanè, ac magnificum discrimen oportuit; quod eò pluris attulit molestiæ viro egregio, quò periclitari vehementiùs mentis tranquillitatem, animique modestiam sentiebat. Constans adhuc in Gallia, litterarum, morumque ipsius fama erat inter grauissimos, ac doctissimos viros; neque à publica se luce modicis ijs religiosæ vitæ rationibus, ac paupertate subduxisse, illam inumbrauerat. Et quod caput est, Franciscus ipse Rex Galliarum excidisse memoria Fuscareni nomen, ac promerita non finerat. Igitur Baiocensi Ecclesiæ cum admouendus Antistes esset, qui regeret, elato pridem eius Episcopo; in eam statim Rex prudentissimus deliberationem ingressus, vt Petrum Fuscarenum ijs Infulis cohonestaret. Namque quem nouerat in omni studiorum genere versatissimum, moribus in primis, atque optima virtutum fruge grauissimum; eius deindè adauxerat existimationem ab seculi

Neapoli Comitia an. 1538 verno tépore.

Schottus, & Fusc. reficiuntur Præp.

Tentata honoribus Fuscareni mens.

Renunciatur Baioc. Episc. à Gall. Rege.

ſeculi fuga. Etenim eo maximè nomine dignißimum illum putauit Rex, cui id Sacerdotium contingeret; quòd annis præteritis honeſtiſſimum, ac ſanè ſplendidum eiuſdem Eccleſiæ Cancellarij munus abdicauerat: ceu gradum ſibi ad egregiam dignitatem feciſſet contemptu dignitatis. Quocirca omiſſis popularibus, qui & numero, & virtute ſatis multi, pares muneri erant; Virum Italum, quod ſummo honori fuit, renunciauit, quem Gregorius Decimus tertius Pontifex ad eas Inſulas adoptaret; ſignificauitque interim Fuſcareno, quid ſtatui de ipſo voluiſſet. Porculit enimuerò tanti Principis iudicium hominem modeſtiſſimum: & qui priuatæ virtutis, vitæque ſecuritatem, voluptatemque iam expenderat, ſedulòque apud animum ſuum reputaret, quibus iactari curis, atque æſtibus oporteret, ſi in eam ſe ſe operoſiſſimam, atque aleæ plenam animorum procurationem compelli ſineret; actis illicò mgnificentiſſimo Regi gratijs, oblatam vltrò dignitatem, non thiaræ, non auri, opumque ſplendore illectus, recuſauit: luculento planè teſtimonio, quo affixus ſtudio regulari obſeruantiæ, ac rerum cæleſtium contemplationi, Chriſtianæque inſuper humilitati eſſet, qui perhonorificam magni Regis munificentiam, inſignis Præfecturæ ornamentum, & commoda, exiſtimationem, ſamamque nominis nihil penſi habuit: vſu nimirùm didiciſſe comprobauit, plus intimæ dignitatis ineſſe paupertati, quàm nitoris externi titulis. Interea ab ea honoris contemptione creuit maximoperè apud Neapolitanos Fuſcareni opinio: & qui illius anteà virtutem æſtimare permagni videbantur, colere deindè impenſiùs cœpere.

Cuius humanitatem acerbiùs tulit Fuſcarenus.

Dignitatemque recuſauit.

1539. Quod verò in communem animorum, fideique incolumitatem curarunt conſequenti mox anno, trigeſimo nono voluentis ſeculi, Noſtrates, Caietanus in primis, & Ioannes Marinonius; incredibilem quidem illis beneuolentiam, opinionemque comparauit. Et verò, à beneficij magnitudine æſtimare facilè potuere Neapolitani, quàm egregiè, ac fauſtè operam collocauerant in retinendis in ſua Vrbe ijs Patribus, quibus non ciuium opes, ac foci; ſed aræ, templa, religio ipſa curæ eſſent, ac ſtrenuè tuerentur. Neapolis, vt ijs quidem naturæ, ac fortunæ dotibus, quæ commendare ampliſsimam, ac florentiſsimam Ciuitatem poſſunt, baſilicè inſtructa; nobilitate, opibus, pulchritudine, gentium, ac regionis indole: ita Chriſtiana preſertim fide ſpectata ſemper fuit. Etenim quam ab ipſo Apoſtolorum Principe, velut ab ipſo fonte hauſtam puriſsimè, Religionẽ accepit; ſeruatam omni æuo integrè voluit; diſflauitque continuò, Dei beneficio, illibato à corpore perniciem, ſi quæ flagitioſorum hominum artibus ſubire ex abdito piſsimam Vrbem ſubindè pertentaſſet. Proximis autem hiſce annis eluctari, vt cum maximè, fidei diſcrimina oportuit; quibus non ipſa modò Ciuitas Neapolitana, ſed tota penè Campaniæ ora laborauit. Et primò quidem quo tempore lectiſsimis legionibus Neapolim obſidebat Lautrecus; vt incumbentem in Vrbem Gallicam illam armorum vim repellerent, plerǽque Germanorum copiæ è Borbonico exercitu, qui Romam iam deuaſtauerant, immittendæ in Campaniam fuere: quæ quòd conflatæ è Lutherianorum hominum fæce eſſent; præſidium quidem armis, moribus verò exitium viſæ adportaſſe. Quippe ad omnem ſcelerum normam, magiſtra impietate, conformatæ, mirùm quantùm obiecta illa morum labe, exemploque Neapolitanorum animos contaminarunt. Et quamuis ſoluta mox, volente Deo, obſidio, Germanas eas legiones aliò ablegauerit, nec concipi altiùs Septemtrionalis ea lues potuerit: inhæſit nihilominùs eo veluti attactu quædam mentibus nebula, ſiue excipiendæ peſtilentiæ facilitas, ac fomes; Nam, vt non perurat fulmen, [a] inquit ille, afflatu nocet. Et magna quidem flumina, vt rupto ſemel obice inundarunt: etſi fluctibus deferueſcentibus, intra alueum ſeſe demùm componant, nec proximas amplius ſegetes, & campos obruant; alluuionis tamen veſtigia, ſordes remanent. Igitur commaculatæ aliqua ex parte vulgi mentes ab ea Germanorum contagione. Et ſanè idoneos, ſubactoſque veluti animos concipiendo Lutheriano ſemini reperiſſe, nouo mox impietatis monſtro mirificè iuuit. Fuit is Ioannes Valdeſius, qui anno eius ſeculi trigeſimo quinto Neapolim appulit; daturus profectò documentum, in animorum internecione, & clade plus vnum ipſum, quàm conſertas illas Germanę improbitatis phalanges valuiſſe. Virum flagitioſiſsimum Orbi dedit Catalaunia, nobili quidem genere, ſed quod indoles,

Collatum Neapolitanæ Ciuitati à Noſtratibus beneficium.

Hauſtam ab Apoſtolo Petro fidem incorruptam ſeruat Neapolis.

Germanorũ legiones quid impietatis inuehunt.

a Seneca. in Hyppol.

Ad flatæ ea lue plurimorum m entes.

Ac Lutherianis erroribus diſpoſitæ.

Ioannis Valdeſij Patria, ac genus.

doles, atque improba mens corrupere. Aſpectu fuit liberali, ac ſubleganti, vt Ludouicus Cardinalis Montis Regalis, qui de vultu illum nouerat, noſtro [a] Antonio Caracciolo retulit; moribus inſuper ad omnem vrbanitatem, & comitatem factis, quibus & facilis quædam, ac flexanimis orationis ſuauitas acceſſerat; aptiſſima ſanè ſubeundis, ineſcandiſque animis inſtrumenta. Sacras, humanaſque litteras cum iuris prudentia coniunxerat, ornabatque ea ſtudia linguarum peritia. Lutherum induerat peregregiè, cœperatque iam magiſtri mentem propinare popularibus Catalaunis. At cognita, quæ tacitis quidem incrementis ſerpere, atque adoleſcere videbatur, impietate; eo ſe nomine, vt inquit [b] Iacobus Loingaus Scotus, proripere ex Hiſpania coactus, Neapolim, vt eas inibi merces extruderet, traiecit. Hic enimuerò, quòd ſtudia litterarum pompa quadam, excellentique dicendi genere oſtentaret; vir omni doctrinarum laude excultus audire, atque haberi ſtatim cœpit: creuitque vſque adeò exiſtimatio, ac nominis celebritas; vt nulla iam eſſet hominum conditio, quæ Valdeſium, velut inſignem facundia, ac litteris non in Cœlum efferret, conſuleretque. Qua quidem opinione cum iam omnium animos occupaſſet, informare eos etiam peregrina eruditione, ac fide eſt aggreſſus. Ac præter ardentia pleraque iuuenum ingenia, ex ijs videlicet, qui tùm primùm in ſcientias ingreſſi, feruentiore, quàm opus eſt, impetu, faſtidire ſolent obuia; ac nouarum opinionum cupidiſſimi, ſubtiliora, quàm ſolidiora expetunt: quibus imponere per facilè Valdeſio fuit; plurimos etiam è nobilium ordine, multoſque ex eruditorum claſſe egregius veterator circumuenit.

[a] Idem in Vit. Paul. IV. M. S. lib. 3. cap 3

Sermo.

Studia.

Corrupta fides.

[b] De Vit. & morib. heret.

Neapolitanos capit eruditione, ac eloquentia.

Qui verò in audiendo, colendoque viro impio celebriores, apertoque deinde libatę religionis lyceo, euaſere in capita, ac præceptores; duo fuere: Petrus Martyr Vermilius, quem Florentinum Thuanus, Lucenſem alij aſſerunt; & Bernardinus Ochinus Senenſis; par hominum excucullatorum, flagitijs omnibus coopertum. Vermilius in Monaſterio Feſulano Canonicum Regularem profeſſus, Patauij Philoſophiam, Bononiæ Theologiam eſt conſecutus; Græcè etiam, ac Latinè apprimè doctus, vt ſplendidiùs fucum faceret linguarum illecebra. Ochinus eximia in tractandis animis, rebuſque dexteritate excellebat; facundia in primis perquàm ardens, cui ab indumenti, ac diſciplinæ auſteritate fides, ac vis maior; proindèque, vti aliàs monuimus, principe declamatoris fama Italiam compleuerat. Hos nactus Neapoli Valdeſius; quòd florentes litteris, ac opinione, pronoſque impietati cerneret, idoneos diſſeminandis mendacijs exiſtimauit; ac delibutos iam nonnihil ea lue, altiùs in ſua porticu inſtituit. Hæreticorum inſuper libros dedit peruolutandos, à quibus ineluctabilem creari legentibus perniciem, vſus docuit; emendicata ſiquidem dictione quicquid ſolidæ veritatis deeſt, verborum tùm pompa, tùm fraude ſupplent, capiuntque ab inſidijs animos. Satis iam inſtructi homines, auctuſque egregijs commilitonibus Valdeſius, quò feliciore prouentu demeterent, ſectamque amplificarent; partiri inter ſe ſe aream, ac deſignare ſibi quiſque operam, ac penſum cœpit. Ipſe Valdeſius ſacram Scripturam domi profitebatur, fœdabatque; conventus domeſtica ea inſtitutione, quæ in publicum mox exitium erumperet. Vermilius in Cœnobio, cui præerat, Diui Petri, ad Aram nuncupato, Diui Pauli epiſtolas interpretandas ſuſcepit, vbi non ſanè paucos inficere, neque infimæ notæ contigit. Enimuerò, cum in eo tunc Cœnobio ille Alborum Cœtus cogeretur, quem Neapoli Calliſtus, Canonicus Regularis cum laude inſtituerat; ijs nimirum cohortandis, iuuandiſque, quos ſuum ſcelus publico ſupplicio addixiſſet; conuolabant viri nobiles, grauiſſimique ex ea Societate omnes, vt hominem, qui ſacrarum litterarum ſcientiſſimus habebatur, audirent: quo factum, vt plerique dum illuſtrata profundæ Diui Pauli ſcriptionis ſenſa putant, decepti ab impio tenebrione incautè fuerint; detortis ſcilicet à recta ſignificatione, luxatiſque interdum verbis, ac membris. Ochinus verò è ſuperiore loco vehementiùs, ac magnificentiùs declamando, qua valebat facundia, ac vaframento certiora in conſertiſsimum, ac populoſum vulgus tela conijciebat. His acceſſere mox & alij inſignis litteraturæ, ac primi nominis; quales fuere Iulius quidam Mediolanenſis, qui florebat ea tempeſtate fama ingenij; & Flaminius Forocornelienſis, qui vt exundaret iam malum extra Neapo-

Aggregantur illi Vermilius & Ochinus.

Vermilij ſtudia.

Ochini vis in dicendo, & fama.

Valdeſius Domi ſacram Scripturam prælegebat, Vermilius in Diui Petri ad Aram téplo

Ochinus è ſuperiore loco.

Iulius Mediolanenſis, & Flaminius item aſſeclæ.

Neapolim, cum Suessanis, & Casertanis, non quidem pro suggestu, altisque declamationibus, sed priuato quodam genere dicendi, ac veluti collato cominus pede, rem acriùs peragebat. Quæ verò perditi ij nebulones docerent, illa erant, quæ publicus impietatis magister, ac Catholicæ religionis fax Lutherus, in Christianum Orbem euulgauerat; intorquebantque lucubrata ad illius incudem tela in supremum Pontificiæ potestatis fastigium, in Romanos Antistites, in Sanctos ipsos, sacrasque eorum imagines: tùm lustrales Purgatorij flammas, indulgentiarum thesaurum, Ecclesiasticas ieiunij leges, incruentum Missæ sacrificium, ac Dei gratiam impetebant; planè vt recoquere Christi Ecclesiam viderentur, abrogato nimirum sacrorum cultu omni, ac Numine. Et verò eò malæ veteratorum artes processere, vt institutis non vno in loco clandestinis Cœtibus; ex omni iam hominum gradu noui, ac nobiles vnà simul conuenirent: inter quos & præcipuæ etiam fœminæ, & è religiosa disciplina viri non pauci. Initiabantur in ijs Conuentibus nouæ fidei rudimentis; scripta per manus ferebantur; moxque, vt serperet latiùs exitium, excusi eiusmodi eruditionis codices, qui ceu lapsa è Cælo rerum pulcherrimarum monumenta, auidè legebantur. Præcipuorum hæreticorum scriptiones in pretio erant: quædam in primis Philippi Melanchtonis, & Erasmi, hominum longè teterrimorum deliramenta; & famosissimus liber ille, cui titulus, Beneficium Christi, à Siculo quodam Monacho lucubratus: qui quòd iustificationem ex sola fide venustè edoceret, virtutumque vsum, ac Merita ad Lutheri sensum proscriberet; mirùm qua commendatione à nouatoribus exceptus: vtque omnium manibus tereretur, recentibus persæpè typis excusus; vt nulla planè Christiani Orbis pars fuerit, quò multiplicata ea lues non peruaserit, ingenti vbique terrarum edita animorum strage. Qui postea execrandi dogmatis libri Neapoli diligentissimè, indictaque austeriore animaduersione, conquisiti, ante principis Ecclesiæ fores publicè conflagarunt; ceu ob restitutam pietatem festi ignes accenderentur. Certè nisi quæ per occultos illos perniciosorum cœtuum cuniculos flamma grassabatur, detecta maturiùs fuisset; nil propius erat, quàm vt Neapolitana vrbs tota conflagraret.

Quæ docebat è Lutheri mente, ac schola.

Instituti occulti hominũ congressus.

Corruptissimę lucubrationes erant in manibus. Præsertim Melanchtonis, & Erasmi

Beneficium Christi sæpius excusum.

Quibus adolescentem feliciter, magnisque incrementis improbitatem deprendere primùm contigit; ij, vt constans est, vel à primæuis ijs Patribus accepta, apud nos fama, Nostrates fuere: præcipuè Caietanus, & Marinonius, qui sagacissimo quodam odoratu ad ipsa fraudum cubilia peruenére. Et quidem quod ad Ochinum attinet, quo tempore suspiciebant Viri eloquentiam alij; suspicari ipsi corruptam, aut delibutam nouitatibus mẽtem cœpere. Enimuerò quòd Francisco Filago, de quo supra memorauimus, de capessenda Sodalitate, libata Religiosorum Ordinum existimatione, consilium Romæ dederat; haud quidem integrę fidei indicium fuisse reputauerant iam tùm optimi Patres: conceptaque de viro celeberrimo opinione, non planè bona, eùm is anno eius seculi sexto, & trigesimo omnium ordinum affluxu Neapoli in D. Ioannis Maioris templo declamaret; accurrere & ipsi Thienæus, & Marinonius voluere, attentiùs exploraturi, an quæ verbis inerat admirabilitas, admixtam peregrinæ alicuius religionis perniciem cum pompa venditaret. Et verò ambiguis, exquisitisq; quibusdam thematibus, nimiaq; in Ecclesiasticos magistratus obiurgando acriùs, traducendoque licentia, vt lenocinari auditorum auribus videbatur, ita Patrum suspicionem adauxit vehementiùs. Anno verò trigesimo nono, in quo stylo versamur, cum in principe Vrbis Templo verno quadragesimæ ieiunio concionaretur, quòd impleuerat iam ingenti suæ doctrinæ opinione animos, ac depuderat impio veteratori frons; ausus liberè, ac palàm pronunciare acatholicas sententias, quas robusta quadam, vehementique eloquentia inter sanctorum Patrum scita interserebat; vtque Patres ipsos, hoc est, Orthodoxæ fidei Antistites, atque assertores, in religionis, atque animorum cladem armaret; commaculare, ac corrumpere eorum dicta non dubitabat. Quemadmodùm, cum per interrogationem confidentissimè tritum illud pronunciauerit: Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te? Quod Augustinus affirmando enunciauit, vt perneccessarios arbitrij nostri conatus doceret; neque ex sola fide, absque mortalium labore, ac palestra, salutis præmia sectatis contingere. Quæ publico è suggestu in tantam hominum celebritatem

Malum Nostrates primũ detegunt.

Cócionantẽ Ochinum audiunt.

Fraudes, ac hæresim deprehendunt.

tem effunderet Ochinus, audiuere non semel Thienæus, & Marinonius; ac submissis itidem è Nostris alijs, eadem nunciata. Interea & ipsorum auribus exterorum plerique insusurrarunt, quæ Valdesius, quæ Vermilius clam, palàm disseminarent: collatisque eorum dictis, eiusdem farinæ homines, atque vnam eandemque haustam mutuò, communicatamque impietatem Nostrates intellexere: qui, vt erant animorum, fideique zelo flagrantissimi, suspensis adhuc auribus obseruare vlteriùs rem; donec & quidam etiam clandestinorum cœtuum rumor ad illos peruasit: retulitque, quasdam impietatis officinas frequentari, vbi in Christianos Neapolitanorum mores faba cudebatur. Igitur, quòd labefactari quotidie pestilentissima contagione catholicam fidem, malumque in nouam subinde hominum perniciem inualescere cernerent Nostri homines; nihil cunctandum rati, vt conceptus veluti in facili quadam materia ignis quàm citissimè restingueretur. Quarè Cardinali Theatino rem omnem accuratè nunciant; nempè, quæ ipsimet iactata impudentissimè è suggestu audiuerint; quæ compertæ probitatis, ac doctrinæ alij nunciauerint: tum occultas hominum institutiones, conuentusque, ac deceptos iam è nobilitate plerosque: ad hæc, propagata per manus hæreticorum scripta, & codices: ac maturè quidem consulendum, ne dum ferrum, ac ignis seriùs tractarentur, vix esset postmodũ reperire, quod opportunè curarēt: nihil quippè feliciùs amplificari, quàm quod morum indulgentia, ac libertate conscientijs frænum laxat. Hæc dum Cardinalem Theatinum Romæ monent, vt ipsi intereà strenuè, ac pro viribus obsisterent, caucrentque grauioribus; quà priuatis monitis, quà publicis concionibus sugillare perquàm liberè insolentes Catholicis auribus opiniones; ac vitandos, mulctandosque acriùs, qui fererent, deprædicare. Quo factum, vt dum euulgari sensim flagitia; trahique in lucem, ac scenam cœtus suos viri illi, impietatis antesignani, cernerent, dilabi Neapoli maturiùs decreuerint. Verùm, cum seipsos, ac scelus suum, quòcumque locorum irent, gestarent; atque vbique essent, qui decumanæ improbitati adlatrarent: intutum Italiæ domicilium rati, se se omnes, vt inter sui similes grunnirent, in fugam trans Alpes proripuere. Ac Petrus quidem Martyr, & Ochinus, iunctis consilijs, vnà simul Tigurum Eluetiorum profecti; ac mox ille quidem Argentinæ, ac demùm Oxónij in Anglia; hic verò Geneuæ sedem fixit. Diuina profectò ope factum pij quique homines æstimarunt, vt illa plurimorum capitum hydra, Lernæa longè pestilentior, Neapoli tàm citò excederet; rebusque clariùs patefactis, persuadere sibi vix poterant, eo se iam periculo defunctos, quod tàm multiplici ingenio conflatum, tàm propè fuerat: cumque in vulgus promanasset, tantæ fraudis detegendæ, effugandæque principium à Nostris factum; nimiùm quantùm Theatinæ virtuti existimationis, & gratiæ accesserit; creuitque in primis Thienæi, ac Marinonij nomen, ac vittutum fama, qui publicam religionis incolumitatem tanto ardore procurarunt; atque ob ciues seruatos, elusamque egregiè impendentem animis pestilitatem, ingens illis ab omni hominum conditione honor habitus: cœptaque eo nomine Paulina Ædes, quà Dei Verbo audiendo, quà expiandis conscientiæ noxis plus solito frequentari.

Ad ipsos etiã Valdesij, ac Vermilij dicta referuntur.

Et euulgari pestilentes cœtus accepti.

Cardinalem Theatinum Nostrates monent.

Et interea ipsi, quà priuatim, quà publice malo cauent.

Proripiunt se Neapoli Viri improbi.

Tùm extra Italiam.

Thienæo, ac Marinonio acceptum referunt beneficium Neapolitani.

Cardinalis Theatinus corruptam iam Ochini mentem, non vno, vt innuimus, testimonio didicerat: verùm vt tanti nominis, ac dignitatis vitum resciuit, à suo tandem Ordine, atque à fide ad hæreticorum partes desciuisse, ac misisse post paulò impiam de fugæ suæ consilio ad Pontificem Apologiam, in qua contumeliarum plaustra in Romanam fidem, in summum Christi Vicarium, in Catholicum nomen effunderet: commiseratus præcipitem viri casum, mentisque abalienationem, epistolam ad ipsum lucubrauit, dignam planè, quam aut ipsemet, aut Chrysostomus exarasset. Nam præter eximium, ardentemque fidei zelum, quo reuocare ad suam frugem impium transfugam, ac desertorem Religionis studet, quæsitis è sacra Scriptura verbis, admirando quodam genere eloquentiæ, ac sermone planè diserto, acerrimoque illum prolixiùs increpat, monetque. Ne egregia hac lectorem paræenesi fraudemus, illam hic ex Ioanne Baptista Tufo exscripsimus, quæ sic habet.

Cardinalis Theatinus Ochinum monet.

Insigni paræensi.

Quid tibi in mentem venit, ò Bernardine? Quis te Domini malus, velut reprobum olim Israeliticum Regem, arripuit spiritus? Pater mi, Pater mi, currus Israel. & auriga,

auriga, quem paulò ante, quasi in ſpiritu, & virtute Eliæ aſcendentem mirabamur in Cælum; quid modò cum curribus, & equis Pharaonis deſcendentem dolemus in Infernum? Quomodò cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Quomodò obſcuratum eſt aurum, & mutatus eſt color optimus, argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua: Vinea Dei electa, vinea delicioſa, vinea fertilis, quæ ſuauiſſimos bottos profetebas, quomodò conuerſa es in amaritudinem vitis alienæ? Expectatùs vt faceres vuas, quid tam acidas feciſti lambruſcas? Qui dulciſſimos filios tuos inebriabas, quomodò acetum, & amariſſimum fel propinas? Qui nutriebaris in croceis, quomodò amplexatus es ſtercora? Quid orbatum lugemus, & ſterilem, quem innumerabilium videbamus Patrem lætantem filiorum? Totus ad te confluebat Italicus populus, totus inter vbera tua morabatur. Tu tertam prodidiſti, Tu populum occidiſti. O delire ſenex, quis te faſcinauit, vt alterum tibi confingeres Chriſtum, quem à Catholica Eccleſia non didiciſti? Vt te ad aliud conuerteres Euangelium, quod ab vberibus matris tuæ non ſuxiſti? Tu ſignaculum ſimilitudinis, tu præco Altiſſimi, tu tuba longè, latèque ſonans, tu plenus doctrina, tu decorus ſcientia, tu Cherubin, extinctus, & protegens, tu in delicijs Paradiſi fuiſti; poſuit te Dominus in monte ſancto ſuo, poſuit te in lucernam ſuper candelabrum, poſuit in ſalem populorum, poſuit columnam in templo ſuo, poſuit te cuſtodem in vineis, poſuit te paſcere gregem populi ſui: & eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in altitudine ſuperbiæ tuæ, in multitudine iniquitatum tuarum polluiſti ſanctificationem tuam, proieciſti ſermones eius retrorſum, conuertiſti te ad idola domus Iſrael, libaſti Baalim, factus in laqueum, & in ſcandalum vniuerſo mundo: idcirco proiecit te in terram, & quaſi ſal infatuatum emiſit foras, vt conculceris ab hominibus: omnes, qui viderunt te; omnes, qui te audierunt, obſtupeſcunt ſuper te, quia nihil factus, & nihil eris, morte incircumciſorum morieris in terra aliena. O, inquam, delire ſenex, an non cognoſcis, has omnes propheticas voces in te eſſe completas? Has non ignoras vir doctiſsimus; hæ non te latent, virum in ſacris litteris eruditum. Ah quàm magnus eras, Bernardine, in oculis omnium; ſi in oculis tuis paruus eſſe voluiſſes. Ah quàm pulcher eras, & ſpecioſus; niſi ſpeciem ipſe tuam adamaſſes, niſi vmbram ipſe tuam captare contendens, veram pulchritudinem, teque ipſum miſerè demerſiſſes. Conſartum illud ſaccum tuum rude, rubentes pileos, & Pontificum mittas ſuperabat; nuditas tua, purpurea, pretioſaque operimenta vincebat; nobile illud ſtratum tuum in crate, ac tabulis, molliſſimis cubilibus delicioſius poterat æſtimari; profunda illa tua, & admiranda paupertas omnes terræ diuitias poſſidebat; exaltata erat in mundo, & vſque ad Cælos gloria tua: modò traditus in reprobum ſenſum, factus es in deriſum omni populo; canticum eorum tota die. Vt quid tàm malè propter te hodiè audit Euangelicum miniſterium? Tam malè tractatur Monaſticum nomen? An non pudet, ſenem ab infantia Chriſtianum, à pueritia Deo dicatum, ad tantam inſaniam deueniſſe, vt in graui hac ætate tua ea vel facere, vel dicere non erubeſcas, quæ nec Ethnici faciunt, nec Publicani? Tu extremam iam paupertatem ſemel, & ſecundò profeſſus; modò pecuniam contrectas, modò auro ſuffarcinatis, modò pauperis pœnitet Chriſti? Tu antiqua, conſuetaque Ordinis tui abſtinentia minimè contentus nouum; tibi, ac ſectatoribus tuis viuendi rigorem induxeras, longiores vigilias, acriores inedias, aſperius indumentum, duriora ieiunia, humilioris corporis nuditatem, arctiorem denique rerum omnium egeſtatem. Hæc tu Magiſter induxiſti; hæc tu in prouecta iam, & ſenili ætate probaſti; nulla hìc adoleſcentiæ excuſatio, nullus errori relinquitur locus. Modò repentina leuitate, ſacrilega mutatione, non dexteræ Excelſi, ſed inuidiæ Diaboli, profecta fraude procedis, ſeculari habitu, nobilibus veſtimentis: modò ſacra irrides, modò ieiunia abrogas, modò continentiam culpas, modò abſque dierum ſelectu, vel reuerentia quibuſcumque pinguibus ſaginaris, modò extremam eructas cœnam, & crudum pauonem in balnea portas: toto ætatis tuæ tempore facie liuida, prolixa barba, veſte pannoſa, ſeueram pollicitus vitam; nunc vnguenta redoles, nunc voluptati indulges, nunc bacchanalia viuis. Multa bona opera mundo oſtendiſti, multos ab erroribus reuocaſti, multos conti-

continenter viuere docuisti, multis piam largitionem persuasisti, multos ad meliorem vitæ frugem induxisti: nunc quicquid ædificasti, destruis; quicquid parasti, amittis; nunc quantum in te est, malo tuo exemplo omnes ad vomitum compellis: & qui tàm peruersè, & imprudenter peccas, multò sanè deteriùs quod peccas, excusas; & dum ad ea, quæ malè agis, tuæque turpitudini patronus accedis, magis quàm eras, peccator, efficeris. Detur timori Romani Pontificis, quòd peccasti; detur sanguini, quòd ad Schismaticas partes commigrasti: certè maledicentiæ tuæ virus, & impium excusationis tuæ venenum, nulla simulatio protegit, nulla causa falsa defendit. Pudet me, (mi Pater, vbi Catholicus esse volueris, semper venerande) pudet omnes candidos Christianæ veritatis cultores, ea de te ipso iactante audire, quæ nullus vnquam aduersarius ausus esset infringere; scribis enim in illis tuis præclaris, quæ vulgò circumferuntur, Apologeticis litteris, hactenus te Christiano populo velatum Christum prædicasse; deinceps verò verum illum, ac liberum producturum te, comminaris. Quid est, quod loqueris, Pater? An non vides, tuis te teneri laqueis? tuis pedicis irretiri? Quæ vnquam saxa, quæ Cruces, quis parricidarum culleus, quæ asinaria mola in caput tuum, in tuam ceruicem, in tuum sufficient supplicium? An putas, te impunè iamdudum Christianum populum illudere potuisse, qui Antichristum pro Christo prædicaueris? qui Pharisaicum fermentum pro sacra doctrina, qui pharmacum pro vero lacte propinaueris? Siccine simplicem gregem infecisti? Siccine innocentes oues, carnifex, sermonum tuorum lenocinio ad lanienam attraxisti? Et quam fidem tibi posthac adhibendam sperare possis, qui impijssimis mendacijs auditores tuos seduxeris? qui tamdiù panem pollutum porrexeris? Qui tamdiù diuinum Verbum adulteraueris? Vides ad quod saxum impingis? Vides quàm profundam tibi præparas foueam? Vides quàm ex diametro in verticem tuum iniquitas tua descendit? Attende, obsecro, quàm malè tibi non constas, quàm periculosè teipsum mutas: Si veritatem tibi esse constabat apud Lutherum; si Petrum, & Paulum, eorumque Ecclesiæ successores non rectè videbas ambulare in sinceritate Euangelij; si quæ in populis prædicabas, non secundum Catholicã fidem esse sciebas; cur tamdiù siluisti? Cur Dei veritatem in iustitia detinuisti? Cur in stercore ipso tuo computruisti? Cur impiè Hieroboam in illis tuis vitulis aureis omnem Israel peccare fecisti? An putas, strophis hisce tuis nobis illudere, & ne veram præuaricationis tuæ causam agnoscamus, cornicum, vt veteri dicitur prouerbio, nobis oculos infigere? Quin potiùs cum B. Rege confiteris? quin vociferaris? Hactenus Ecclesiæ vera prædicaui; hactenus in sana doctrina perseueraui; hactenùs Catholicum sensum gustaui; hactenus talentum mihi creditum benè dispensaui: nunc superbia mutauit cor meum; nunc lumen oculorum meorum non habeo; nunc fœnum agri, vt bos, comedo; nunc rationabilem exutus mentem, cum feris, & bestijs habito. Quis non videt? quis non intelligit, quo spiritu ductus sis in desertum, vt tenteris, & vincaris à Diabolo? Dum magnus haberis in Ecclesia, dum Principes audiunt, dum te populi admirantur, dum nobiles te prædicant, & Italiæ Ciuitates; tuam latet hypocrisim incorruptum verbum, quod disseminas. Vbi sanctissimus Pontifex te citat, vbi conscientia tua te accusat, vbi iniquitas pœnam formidat: nunc primùm nudum te agnoscis, nunc primùm ad aliud Euangelium te conuertis. Vides, in te non hærere mandatum, sentis malè sartum figmentum; si malè locutus es, pœnitentiæ testimonium perhibe de malo: asperge te cinere, accinge te sacco, induere cilicio, in ieiunio, fletu, & planctu, teque pœnitentem ostende. Videat populus, quem seduxisti; videat Ecclesia, quam decepisti, quòd iniquitates tuas agnoscis, quòd peccatum tuum contra est semper. Hanc pœnitentiæ formam vel tuus ipse bonorũ operum antiquator, Euangelicus Epicurus, Lutherus, negare non potest: tàm in Israelitico Rege, & Niniuitis, quàm in cæteris omnibus pœnitentiã omnium arbiter Deus approbauit. Nunc verò tibi induendus erat saccus, quem vt iactanter fortasse assumpseras, sic procul dubio temerariè dimisisti; nũc dura subeunda erat eremus, vbi & Pontificis vltionem euitares, & diuinã aduersùs te indignationem placares. Tu verò spreto religioso cultu, diuiso genitricis vtero, confractis sponsæ tuæ vberibus, abrogatis sacris cæremonijs, relictis patrijs legibus,

confu-

confugiſti ad Aſſyrios, defeciſti ad Babylonios, conuerſus es ad Balach, & feciſti tibi præputium iuxta ritum gentium, vt dimices contra matrem tuam, vt exprobres populum Iſrael, & maledicas Eccleſiæ Dei, vt ſummo Pontifici detrahas. Acceſſiſti ad gentem Apoſtatricem, ad Domum exaſperantem, ad populum incredulum, ac rebellem, vbi crapulæ, & ventri indulgeas, vbi inceſtuoſa matrimonia iungas, vbi deneges, vbi Chriſtum iterum crucifigas, inconſutilem eius tunicam ſcindas, & partem ex ea cum impijs militibus facias, vbi Euangelicam libertatem, iuxta quod dixit B. Apoſtolus, in occaſionem carnis conuertas; matrem, quæ te genuit, reliquiſti; ex eius ore mel, & lac ſuauiſſimum ſuſcepiſti; nunc aperis contra eam os tuum; exaltas, & exacuis contra eam linguam tuam, leuas contra eam calcaneum tuum. Heu, heu, Pater mi, quid feciſti nobis ſic? tantum ne potuit indignatio? tantum ne valuit ambitio? verè aſtra non ſunt munda in conſpectu Dei, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. An non ſatiùs erat tibi in exilium, & in carcerem ire, quàm Eccleſiam Dei confundere? An non præſtabat mortem ipſam oppetere, quàm Dei legem derelinquere? quàm ſacra vota infringere? quàm ſolennia inſtituta violare? Vt quid tanto Orbis totius ſcandalo, tanta animarum pernicie, tanto exiſtimationis tuæ dedecore, caniciem tuam cum dolore deducis ad inferos? Adhuc in auribus noſtris reſonant illæ tuæ luculentiſſimę conciones de continentiæ bonis, de Sacrorum deuotione, de ieiunorum obſeruantia, de mirificis Sanctorum præconijs, de monaſticis laudibus, de paupertatis honore. Adhuc ante oculos noſtros appares nudis pedibus, pannoſus, & horridus, adhuc alges, adhuc eſuris, adhuc ſitis, adhuc nudus exiſtis; & inter epulas, & comeſtiones, delicias, & cubilia, inter mollia ſtrata, inter vulgares tabernas, inter ebrios, inter inceſtuoſos, inter blaſphemos, inuerecundus Apoſtata videri ſuſtines? Vbi illæ tuæ voces magnificæ de mundi contemptu, de perſecutionum beatitudine, de conſtantia in aduerſis? Vbi acerrimæ illæ tuę inuectiones contra bonorum cupiditates, contra ambitionum vanitates, & inſanias falſas? Confuſa ſunt omnia, & caſſa ſunt omnia. Vbi tu ipſe, qui prædicabas non furandum, furaris; qui non mœchandum, mœcharis? qui abominabaris Idolum, & ſacrilegium facis? Vbi tu ipſe Magiſter, totum id operis deſtituis, quod antea docebas. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lachrymarum? vt nocte fleam, vt luce plorem baculum Eccleſiæ confractum, magiſtrum populorum obcæcatum, paſtorem in lupum conuerſum, ſapientem patrem in reprobum ſenſum commutatum, Chriſti præconem diabolum effectum. Quis magnum ſuſcitet Samuelem? Quis manſuetum Dauidem exhibeat, qui Abſalonem lugeat infelicem? Quis proferat Euangelicum patrem, qui à meretricibus reuertentem prodigum filium recipiat? Si fortè ſurgas, ſi fortè ad eum redeas, & dicas, Pater, peccaui in Cælum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me, ſicut vnum de mercenarijs tuis. Annon tibi melius exiſtimas reuerti ad Patrem tuum, ad domum genitricis tuæ, vbi abundas panibus, quàm in longinqua adeò regione paſcens porcos, mori? Quid tibi in barbaris gentibus? quid tibi cum alienigena nutrice? quid tibi cum nouerca? quid in externis ædibus? quid cum praua, & adultera? quid cum muliere meretrice, quæ etiam proprium oppreſſit, & viuentem veræ matris filium conatur diuidere? Agnoſce vbera, quæ te lactauerunt; agnoſce vocem vocantis, vocem plorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelſo clamantis: Reuertere, dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel, ſuper montes aromatum. Non poterit obliuiſci mater infantem ſuum; non poterit Pater contineri, quin occurrat, quin amplexetur, quin oſculetur, quin proferat ſtolam primam, & occidat vitulum ſaginatum. Miteſcet ſuper te virga ſummi Pontificis, vbi miteſcat in te furor ſacrilegi erroris. Senties indulgentem Patrem, vbi te Catholicum exhibeas filium: moueat te ſanctorum chorus, moueant fratrum tuorum preces, moueant filiorum lachrymæ. Noli ipſos decipere, noli ipſos paruifacere, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Leua in circuitu oculos tuos, vide quos in Chriſto genuiſti, quos dulciſsimo lacte nutriſti, quos ſolido cibo pauiſti: omnes iſti congregati ſunt, & venerunt tibi, venerunt orationibus, venerunt votis, venerunt obſecrationibus, vt piè ſuſcipiant,

vt in

vt in humeros suos gaudentes imponant, vt ad dominicum gregem lapsum pastorem reducant; vt visa tua resipiscentia, gratias Altissimo referant, pijssimaque voce decantent: Pater noster perierat, & inuentus est; mortuus fuerat, & reuixit. Oportebat te, ô frater Bernardine, qui veritatem profiteris, ad militiæ tuæ libertatem veritatis testimonio non abuti: & Scripturæ auctoritates ad erroris redargutionem assumere, non ad firmandam impietatem peruertere; ne eius soliditate leuissimas sermonum tuorum nebulas, vt clarissimo Solis iubare facilè dissipari non posse, vana tibi persuasione præsumeres. Quid namque tibi cum pastoris voce, qui iam lupus dignosceris? An non rapinam arbitraris nostrorum tibi virorũ surripere testimonia? Vocat te Romanus Pontifex, vocat te Christi Vicarius, vocat te Caput Ecclesiæ; nihil adhuc comminatur, vim nullam intentat. Tu ad vocantis vocem, nuditatis tuæ conscius te abscondis? Tu à facie Domini Dei tui fugis? Tu Principi populi Dei maledicis? Tu contumeliosus Semei in Regẽ tuum saxa conuertis, & super hæc omnia, Euangelicam tibi sententiam arrogare non erubescis? Si me persecuti sunt, & vos persequentur: sic tibi blandiris, ô Bernardine; sic bellè tibi, tuisque decantas, si me persecuti sunt, & vos persequentur? Quasi non idem liceat furibus, & homicidis; quasi martyrem faciat pœna, non causa? Quid ad perditos, & prauos homines, quod ad magnos Apostolos dictum fuit? Quid ad sicarios, & latrones, quid ad sacrilegos, & adulteros, quod ad humiles, & Religiosos viros, quod ad fideles, & Deo caros, diuinũ promulgauit Oraculum? Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Quos vos? Vos discipulos meos, vos electos meos, vos imitatores meos, vos Vicarios meos, vos Præpositos Ecclesiæ meæ, vos persequentur; vos, inquam, humiles, vos obedientes, vos sanam doctrinam tenentes, vos à fortissima pœna nõ recedentes. Ecce de quibus Veritas dicat; ecce de quibus bonus Pastor prædicit, qui me persequentur. Qui sic dixit, qui ad tales, ac tantos dixit, non vtique ad vos dixit, non vos designauit, vos seductores, vos apostatas, vos rebelles, vos ebrios, vos incestuosos, vos sacrilegos, vos Christianos Epicuros: vos, qui meritò à pijs Præsulibus, ac Principibus persecutionem patimini, non propter iustitiam, sed propter scandala vestra, propter duritiam vestram. Vos igitur iustè Ecclesiæ virga percussit, vos iustè salutaris gladius obtruncat, vos iustè pia medica manus à sano corpore resecat, de quibus nequaquã dictum est, & vos persequentur; alioquin cauendum erit Christianis principibus, ne sceleratum quempiam occidant, ne reum aliquem omninò sua sententia condemnent: impleantur fora sceleribus, domus homicidijs, viæ latrocinijs, valeat lex Cornelia, dormiat Iulia, ne Euangelicæ comminationi obnoxij fiant, ne audiantur cum Bernardino acclamantes, si me persecuti sunt. Cauendum ergò erat ipsi Petro, ne durum quidpiam moliretur in Ananiam, & Sapphiram. Cauendum & Paulo, ne Corinthium incestuosum sathanæ traderet in carnis interitum; ne Magistri sententia eis objiceretur, si me persecuti sunt? Quas igitur cornicaris, quas objicis nubes, quas ad populum phaleras, vt de te, tuisque sectatoribus credi velis ad se non dictũ, si me persecuti sunt. An non fortasse non minus te aliquid existimas magnis Apostolis? Num ad signa tua rugiunt dæmones? Num ad vmbram tuam sanantur infirmi? Vt verum de te asseras dictum, si me persecuti sunt. Non te persequitur quæ odit peccata, non homines; quæ omnibus laxat vbera, quæ nulli gremium claudit; non persequi potest Ecclesia in te Christum, qui longè à Christo recessisti: non te persequatur ambitio tua, non te persequatur iniquitas tua, & nullum habebis aduersantem, nullum senties persequentem. Sit vna fides, & erit vna pax; sit vna in Ecclesia confessio, & vna amicitiæ ratio. Tolle vitulos aureos, tolle excelsa; non sint Roboam, & Hieroboam; Hierusalem & Samaria; sit vnum ouile, vt vnus pastor: & simul tolles, Si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Hæc eleganter, & vehementissimè Cardinalis Theatinus. At quia obfirmatum Lutheriano adamante Ochini pectus reperit, peruadere medullas telum minimè potuit. Quamuis, vt Capuccinorum monumentis constat, superiore is posteà lumine perfusus, restitutus tandem orthodoxæ menti fuerit; atque instituta publica Lutherianæ fidei palinodia, id quod hæretico in limo profundiùs, ac diù infixis perquàm rarò accidit, supremum vitæ actum Geneuensi in scena, vbi impurissimam personam egerat,

Cardinalis Theatini adhortatio Ochino minus profuit.

Qui supremã vitam clausit catholicè.

egerat, catholicè clauserit; ac in ipsa veri confesśione plurimis exhaustus vulneribus, suorum asseclarum manu occubuerit.

Prædicatorũ Ordinis patrocinium Carafæ demandatur.

a Ex Carac. in Vit. Pauli IV. M.S.lib.3 cap.3.

Intereà Carafæ præter grauissimas Ecclesiæ, & Catholici nominis curas, quibus vrgeri vehementer cœpit; quòd nouis subindè hæresum, atque hæreticorum monstris laborare Italiam cerneret, vt paulò inferiùs dicemus, non defuere hoc anno, & alia commendata à Pontifice munia. Nam vt a quædam Episcopi Philonardi, quæ alias laudauimus, monumenta testantur, addita illi clarissimi Ordinis Prędicatorum tutela, quam Cardinalis Ioannes Saluiatus, quòd abesse publica legatione Romæ diutiùs oporteret, abdicauerat. Peculiari quidem in amplissimam Religionem studio ferebatur Cardinalis Theatinus; ad quam capessendam vt meminimus in loco, non vno planè animi impetu prouocatus olim fuerat in ipso ætatis, ac virtutis flore. Quapropter nihil prętermittendum putauit, quo tanti Ordinis, quem vnicè amabat, obseruantiam tueretur, atque amplificaret. Atque in hoc ipso statim sui patrocinij

Scribit ad generalem Ordinis Magistrum.

initio ad generalem Ordinis Magistrum eas dedisse litteras arbitramur, quarum exẽplaria penes nos extant; in quibus mirificè ipsum dilaudat, quòd sapientissimo quodam consilio, atque ingenti animo dignitati Ordinis, qui nescio qua tunc temporis calamitate laborabat, consuluisset; docetque iisdem litteris adlegasse se data opera ad ipsummet prudentem quendam ex eadem disciplina religiosum virum, qui coram prolixiùs moneret, quid agendum censeret, vt sarta, ac tecta posthac obseruantia, ac libertas esset. Planè in religiosis Ordinibus, quà moderandis, quà reformandis egregius omninò magister haberi poterat, istiusmodi administrationum longo

Præclarus Religiosorũ Ordinum Moderator.

iam vsu scientissimus. Contineri autem in suis officijs, ac disciplina religiosas familias, pertinere quàm maximè ad ipsam Ecclesiæ dignitatem, fidemque exaugendam existimabat. Siquidem cum præcipua quædam pars sint Ecclesiasticæ Hierarchiæ sacri Ordines, tunc enimuerò præclarè, aut secùs, cum Ecclesia actum iri putabat; cum benè, aut malè religiosis disciplinis fuerit. Atque hæc potissimùm causa, cur illarum zelo semper exarserit Carafa, atque in ijs temperandis, reformandisque tantoperè incubuerit, vt ex ijs, quæ hactenus diximus, compertum habetur. Præter insignem hanc Prædicatorum Patrum tutelam; cui admotus, curare officium quàm diligentissimè instituit: vt qui in eiusmodi prouincijs obeundis eximius opinione omnium haberetur, additum hoc ipso anno & aliud fuit Religiosorum hominum

Eremitas itẽ S.Hieronymi in clientelam accipit.

Patrocinium. Nempè Eremitarum Sancti Hieronymi, qui à B. Petro Gambacurta nuncupantur. Præerat his Cardinalis Sadoletus, qui quòd procurare Carperoctense Sacerdotium coram oporteret, adesse muneri minùs poterat: abdicauitque eò libentiùs, quòd sciret iam Cardinali Theatino amicissimo, ac religiosæ disciplinæ longè peritissimo, destinatum. Prouinciam haud grauatè suscepit Theatinus, in qua sanè nec suo instituto, neque Ordinis tutelæ vlla ex parte defuit. Sed aggressus

Desudatque in eorum refectione.

diligentiore studio opus, plura confecit, quæ Congregationis ornamento, ac fructui fuere. Enimuerò præfecturas perpetuas, quæ, fraudata eximia aliorum virtute, ac zelo, consenescere inter paucos videbantur, statim aboleuit: æquissimum religiosa in Republica imperandi genus existimans, si non aut torperent, aut insolescerent diuturnitate Moderatores; sed iucunda quadam vicissitudine resumerent

Instaurata veteris disciplinæ obseruantia.

vires, atque animos; ac sinerent se regi, qui rexerant. Tùm instaurare Congregationis obseruantiam cœpit, quæ obsoleuerat; inductis, videlicet, ex suarum legum, atque institutionum præscripto priscis moribus. Ecclesiarum potissimùm cultus vt refloresceret, sedulam planè operam posuit; conscripsitque ipse sacrarum cæremoniarum commentariolum, cui in Ecclesiasticis functionibus adamussim conformarentur. Libellum hunc vidit noster Antonius Caracciolus inter Flaminij Philonardi

Constituerat vt publica vota nuncuparent.

schedas; in quo peculiaris insuper quædam forma, qua publica Religionis vota conciperent, scripta cernebatur: vndè luculenter constat, illud etiam Cardinalem Theatinum in animum induxisse, vt suæ fidei, ac tutelæ commendati Religiosi viri illi, qui non dum se votorum sacramento obstringebant, solenni ritu religiosarum Regularium Sodalitatum more profiterentur. Quod obtinere ipse cùm non potuisset, Pius Pontifex Quintus postmodùm iussit, confecitque quod ille innuerat. Quod sanè præcipuum fuit Pij institutum, vt in loco memorabimus, ea nimirùm

rùm ſtudioſè obire, quæ ſciuiſſet, Caraſam molitum; veneratus magnam eam mentem, nunquam non ingentium cogitationum fœcundiſſimam.

Quod executus poſtea Pius Quintus.

Neapolim nunc reuertamur, vbi habita de more hoc item anno fuere Comitia Aprili menſe, vel Maio ineunte, vt in ſuis Commentarijs Valerius Paganus. Expenſi in hoc Patrum Conuentu Congregationis progreſſus; vt collatis cum præſenti obſeruantia exacti temporis rationibus, quid cõſequentis diſciplinæ profectu pollicerì ſibi; quid in ea emendare, aut abrogare, quid pulchri, ſanctique ad Ordinis incrementũ inducere, ac ſancire poſſent, inſpicerent, atque opportuniùs prouiderent. Bernardinus Schottus, Vir quidem noſtri Inſtituti apprimè tenax, qui tunc Venetæ Domus munus adminiſtrabat; cum intereſſe Neapolitanis Comitijs non poſſet, coramq; exponere, quid ipſe in poſterùm ſoboleſcenti iam Sodalitati cautum peruellet; Epiſtolã planè diſertam ad Patres, Neapoli coactos, cõſcripſit: in qua veniam primùm, ſi quid lapſus in ea Veneta Prouincia procuranda fuerit, demiſſiùs petit, mox de tuenda, amplificandaque regulari diſciplina, atque ordinis exiſtimatione copioſè agit; idque non ad humanæ prudentiæ normam, guſtumque; vt ſcilicet, Congregationis quidã ſplendor, aut quæſita magnificè fama ad viros Principes, eorumq; gratiam Noſtratibus viam ſternant; ſed ea potiſſimùm Inculcando, quæ Inſtituti ſanctitatem augeãt, moreſque auſteriores fingant, atque ab ea nos arceant hominum luce, qua, ceu maligno quodam ſydere afflari, & corrumpi inſtitutio Regularis ſolet. Eſſet profectò curæ pretium, Epiſtolam hic integram ſubijcere, ne de egregia Schotti mente, ac facũdia quicquam caderet; oblectaretque admodùm legentes viri erudítiſſimi, atque in ſcribendo non impoliti ſtylus. At quòd illam [a] Caraceiolus in aureis ad noſtras Conſtitutiones notis cenſet, ne ſim hic longior, ſumma ipſe capita exſcribã, quæ ad quatuor præcipuè reuocantur. Et primò quidem cauendum, inquit, ne primæua Inſtituti puritas relaxetur, ſubeatque ab occulto quædam, vel minima auſteriorum morum remiſſio. Magnum hoc omni æuo ereaſſe diſciplinis ſeuerioribus exitium: nunquam ſine graui damno parua principiò negligi; ac diſciplinæ laxitatem eius conditionis eſſe, vt neſciat, neque in paruis, neque in paucis conſiſtere; ſed aliorum exemplo, & multos ſtatim, præſertim animo imbecilliores, in eandem vitæ rationem labi, atque in nouam inſuper licentiam ruere, quodam veluti pondere. Quocirca enitendum, ne ſpecioſi, honeſtique, ſiue decentiæ cuiuſdam, ſiue valetudinis prætextu fallant; atque elangueat hiſce titulis bonus rigor, ac obſeruantiæ nerui remittantur. Alterum, quod ſapienter monet, illud eſt; ne nimia in admittendis fratribus facilitas peccet. Ingenti familias numero excreuiſſe, nunquã non rigoroſæ obſeruantiæ detraxiſſe, vſu cõpertum eſſe. Nunquã ſiquidem ordo, ac rigor, vbi multitudo: à qua cum ſtatim confuſio, vnanimis, & concinna in primis illa animorũ conſpiratio, quæ in Sodalitatibus præcipuum quid eſt, vel maximè periclitatur, accidit; ſæpè ſæpiùs, & mores indè, & ipsã Congregationem ſolui. Præterea mulierum familiaritatem deprecatur, quocumque in gradu, ſtatuque illæ ſint. Exemplis, ac quotidianis experimentis conſtare, quàm nobiles aliorum naufragijs hi ſcopuli. Statuendum proindè, ne id etiam periculi fœminarum conſuetudo in Noſtrates deriuet; circumſcriptis nimirùm, aut nullis allocutionibus, ac, quam permiſerit caritas, fuga. Poſtremò prolixiùs in inſtitutæ, votæque paupertatis, quam pretioſam vocat in conſpectu Domini, obſeruantiam incumbit. Decerptos hinc à noſtris hominibus plurium annorum ſpatio fructus longè ſuauiſſimos memorat. Hinc Clericorum libertatem, ac dignitatem exiſtere. Minùs quidem commodi in paupertate eſſe, minus etiam curarum, & plus intimæ voluptatis. Fugiendas propterea opes, poſſeſſiones, fundos, in quibus profeminatæ moleſtiæ, ac ſpinæ; contenti lautiſsimo patrimonio paupertatis, & Cæli. Addit & alia Schottus. Nobis pauca hæc delibaſſe ſatis fuerit; ac digna quidem duximus, quæ adnotentur, vt priſcorum, ac ſapientiſsimorum Patrum cineres ſemper videantur erudire poſteritatem.

Neapoli Capitulum generale anno 1539.

Expẽduntur progreſſiones Ordinis.

Schottus regulari obſeruantiæ cauet inſigni Epiſtola.

Cuius recenſẽtur ſtrictim capita.

[a] In tertia parte cap. 1.

Porrò in ijs Comitijs refecti ad tertium annum domorum Moderatores fuere; & Schotthus ipſe iuſſus Tolentinatem Præfecturam continuare, Petrus Veronenſis Paulinam, quòd vterque ſingulari quadam prudentia, tùm commune Congregationis, tùm priuatum cuiuſque bonum vtrobique egregiè promouerent. Ac in Diui Pauli

Schottus, & Fuscarenus Præpositi. Diuinus Neapoli cultus egregiè exercetur. Illatam Paulinæ Ecclesiæ iniuriam quo sensu acceperint Patres.

quidem Cœnobio ab ea sanctissimorum Patrum virtute res Theatina magis, magisq; in dies adaucta, vt diximus, omnium beneuolentia, excrescebat. Quanta verò cum Ecclesiastici cultus dignitate res sacras, ac templi decus tuerentur Nostrates, illud exemplo fuerit; quòd cum per id tempus insequentes reus quidam lictores fugiens, in D. Pauli sese recepisset, ac nulla sacrorum reuerentia, metuque contra Ecclesiarum iura extractus inde vi fuerit; admodùm indignè in templum facinus tulere Patres: vtque publicæ irreuerentiæ, ac criminis momentum ostenderent, vindicarentque ipsi qua possent animaduersione iniuriam; clausis illicò Ecclesiæ foribus, abstinere publicis functionibus perindè atque si polluta Ecclesia foret: nec antea restitutum templo sacrorum cultum voluere, quàm libatæ immunitatis certiorem Cardinalem Theatinum fecerint; isque dilaudato abundè zelo, Apostolicas litteras impetrauerit, vt diuina officia, functionesque de more continuarent. Planè plus mœroris in communi aliquo luctu, ac iustitio præ se ferre viri religiosissimi nequiuissent; quo suam ipsi in templorũ cultu, ac dignitate propensiorẽ curam mirificè adprobarunt, & documẽto alijs fuere, qua reuerentia sacras Ædes, earum sanctitatẽ, ac iura venerari oporteret. Et quidem si quæ Dei Domibus illata passim vis, ac iniuria est eo statim sensu, mœrorisque significatione exciperetur, præscriptisque sacris officijs ingemiscerent calamitati, suæ templa ipsa; intelligerent seculares Administri, quid piaculi admittant, cùm preposterо iustitiæ ardore, iniecta manu violenta, Ecclesiæ iura, atque aras violant, & famam suam.

Publicis sacris abstinẽt.

Ac documẽto sunt, quo haberi templa honore debent.

Excitatur Neapoli Marinonij opera Mons Pietatis. Occasio.

Iam verò inter egregias curas, quibus intenti prolixiùs nostri homines Neapoli erant, moliri insigne quidem opus Ioanni Marinonio hoc anno contigit; illud nempè, quod Pietatis Montem vocant, certissimum inopiæ perfugium, ac leuamentum; frequentissimæ profectò Vrbi perutile, tempori verò quàm maximè opportunum, ac necessarium; cùm maior scilicet egestati angustia timebatur, ac subire Christianorum pectora quædam lucrãdi immodicè spes, & dulcedo poterat. Operis instituendi occasio hæc fuit: Carolus inclyti nominis, ac virtutis Cæsar vi us hoc anno Neapolitani Regni felicitati, & commodo animum impensiùs appulisse: futurum verò è populorum re potissimùm existimauit, si cùm ab Vrbe Neapolitana, tùm florentissimo ab vniuerso eo Regno Iudæi exularent. Creuerat iam fusa longè, lateque ea gens, & quæ est hominum improbitas, labefactari non minimùm eorum moribus, vsuque popularium animos contingebat: tùm, quorum credebatur perutilis Reipublicæ opera, ea commod ndi facilitate, atque obuio semper necessitati subsidio; occulta ea erat, & communis fortunarũ pestis, graui nimirùm vsuræ damno, quo exhauriri amplissimæ interdum opes cernebantur; cùm interim qui è domestica cuiusq; re succus, ac sanguis exsugebatur, in insatiabilem Iudæorum Charybdim refunderetur. Præstereà gentis fides suspecta Cæsari erat; quippè quæ Catholico nomini infensissima: moliri occulta consilia, & conspirare cum Christianæ fidei hostibus in Regni exitium poterat: sciebatque Carolus, his auribus, atque oculis vti barbaros Principes ad secreta aliorũ consilia peruestiganda, explorandasque Regnorum vires. Igitur Ferdinandi Regis Catholici, sapientissimi, ac fortissimi Aui sui exemplo, qui anno superioris seculi secũdo, & nonagesimo eam ipsam gentẽ totã ab Hispania magno cum orbis Christiani plausu expulerat, vt & subditorum moribus, fortunisq; & Regni securitati opportunè caueret; excedere & ipse Neapolitanis finibus Iudæos omnes iussit. Qua quidẽ populosæ nationis missione quantũ regio ærario detractum est census, qui contrahi ex ijs capitibus solitus erat; tantũ accessit Cęsari laudis, quòd ciuium cõpendia suis vectigalibus præhabuerit. Ablegata quæstuosissima ea hominũ fæce, Ioannes Marinonius, nunquam non mortalium bono intentissimus, reputare apud animum suum cœpit, rem fore planè laudatissimam, si quod Iudæi tanto cum fœnore, atque alienæ rei familiaris iactura præstabant; id ipsum nullo operæ pretio, ac dantis fructu, subleuãdæ inopiæ præstaretur: versabatq; eam curam eo impensiùs, quò vehementiùs Vir pijssimus verebatur, ne vicaria quadam pernicie in eandem lucrãdi cupidinem, ac facinus relaberentur viri Christiani; inciperentque & ipsi pietatis nomine, ac specie fœneratores agere, atque in aliorum facultates, opesque per summam iniuriam grassari. Id portò & factu facillimum fore sibi persuasit. Consignauerat siquidem cogitatione sua

Iudæi à Regno Neapolitano expulsi.

Quòd Neapolitanas opes exhaurirent.

Et suspecta Cęsari eorum fides.

Veritus Marinonius, ne Christiani fœnerarẽtur.

ſua quoſdam, bonæ mentis viros, quorum conſcientijs admotus, ad pietatem, frugemque virtutis tùm maximè informabat: nouerarque, eam eſſe hominum indolem, vt iunctis ſtatim animis, eò continuò ſequerentur, quò ipſe duceret. Res primùm cum Noſtratibus communicata, à quibus & faces additæ ardentiores; tùm honeſtiſſimis illis viris exponere conſilij ſui rationem cœpit. A Deo videlicet ipſis obijci opportunum, ac pulcherrimum opus, ea temporis occaſione, qua faceſſere Neapoli Iudæi iubebantur. Ineundam nimirum rationem, qua ita communi inopiæ opitulari contingeret, vt collato quidem ad ſortis ſecuritatem pignore, nullus prætereà cenſus, quæſtuſque à mutuo deriuaret. Pietati profectò nihil fore conformius: hanc item eſſe naturæ ipſius inſtitutionem, ac propenſionem, mortalibus iuuare. Illud verò præcipuum, caueri hoc opere, ne vſuræ ſordibus Catholici ſeſe homines commacularent, eſſentque Chriſtiani quidem foris, intus Iudæi, nequiores planè, quia laruati. Ergò aſſurgerent ipſi ad egregiam hanc cogitationem: ſcire ſe Chriſtiana generoſitate, animique celſitudine pares ipſos eſſe magno operi: adeſſe etiam vires, opeſque, quæ ſaltem inchoarent; nec defuturos, qui præclaris initijs pulchra æmulatione mox adeſſent, collatoque ære ſuo in excellentis curæ partem venirent. Quibus id conſilij aperuit Marinonius, tres omninò fuere: nempè Aurelius Paparus, Antonius Lega, & Leonardus Palma, ſpectatæ probitatis, vt diximus, famæque viri: quos erectos ad eam inſignis pietatis laudem, adprobaſſe illicò opus, ac ſeſe vltrò, fortunaſque ſuas obtuliſſe, haud mirum profectò videri debuit; quando ingenti quadam virtutum opinione incredibilem erga optimum Patrem reuerentiam, amoremque conceperant; citius quidem reuerentiæ, atque exiſtimationis ſpecimen liceat hìc obiter ab Aurelij, quem modo appellauimus, quodam ſiue affectu, ſiue obſequio exprimere. Perurgebat Ioannem caritatis opus quo maximè tempore iſchiade laborabat; diſtabatque non minimùm, quem adire oportebat, locus, nempè ad oram maritimam propè cryptam Cocceianam. Equitare virum oportuit, qui curru, ſellaque geſtatoria abhorrebat; commodauitque equum Aurelius; qui non modò adſtare ipſemet, quoad ille equum conſcenderet; ſed & comitari euntem, redeuntemq; inſtar famuli à pedibus toto eo viæ tractu voluit, infimis licet precibus id deprecaretur Marinonius. Quod ſanè honeſto loco virum, nec incelebrem, ætate etiam grauem alacriter præſtaſſe, ingentem in illum, eiuſque ſanctitatem reuerentiam, obligatumque eximijs virtutibus obſequium euincit; neque enim inſolens illud, ac planè incommodum officij genus Aurelius obiuiſſet, niſi altiore quodam conceptu Marinonij virtutem æſtimaſſet: quo etiam venerationis affectu & omnes capi ſolitos, exploratum habemus; ſimul ac admiſſi in eius conſuetudinem, atque inſtitutionem fuiſſent. Iam verò qui tanto animi ſtudio ſanctiſſimum Patrem proſequebantur, quæ ille propoſuerat, complecti generoſiùs, ac nulla mora viſi ſunt; ceu ſat fuerit Marinonium dixiſſe. Eapropter conferre inter ſeſe vota, ac rationem inire, qua & fauſtè inchoari, & pulchrè ſuccedere officium poſſet: datoque mox pro ſuis quiſque viribus auro exequi præclarum opus cœpere; atque excitatus breui Mons eſt, quem à Pietate nuncuparunt egregij Conditores, & præſtantiſſimi conſilij auctor Marinonius; cui quidem publicam hanc ſpontaneæ, ac gratuitę beneficentię laudem, ac tàm pronum egeſtati ſubſidium debet Vrbs Neapolitana.

Egregiũ pietatis opus cogitat.

Rem Noſtratibus aperit.

Tùm viris, quibus erigendo operi facultas,

Qui & probarunt, & obeu. lereope ſuas,

Aurelij Papari in Marinonium obſeruantia.

Inchoatur Mõs Pietatis.

Rem porrò principiò, vt euenire in præclaris cœptis perſæpè aſſolet, ſuis difficultatibus impeditam, ipſemet Marinonius, alijque Noſtrates explicauere conſilio, ac ope; excitatis mox alijs, propoſita rei honeſtate, ac magnitudine, vt auxiliares tantæ pietati manus, ac fortunas ſuas præberent. Et certè non admodùm magnis, ac ſplendidis initijs cœptum officium; ſiquidem à paucis, neque omninò opulentiſſimis primæ veluti ductæ lineæ fuere: eò autem amplitudinis ſucceſſu temporis excreuit, vt numerari inter inſigniores Neapolitanæ pietatis curas poſſit. Enimuerò cum pij quique homines eius operis in Vrbe populoſiſſima neceſſitatem, dignitatemque ſubindè cernerent; ſubſidiaria certatim ope, quà conſcriptis teſtamenti tabulis, quà præſenti erogatione, ac liberalitate ad ſummam manum, maximis in dies incrementis, perduxere: ita vt præter ampliſſimam, ac longè magnifi-

Excitanturq; ad inſignem laudem alij.

Vt immẽſum amplificari opus contigerit.

contissimam huic pietati exercendæ domum, cuius molitioni ad octuaginta aureorum millia, vel eò amplius insumpta; mutuatitiæ pecuniæ ea nunc summa, ac vis est, vt tercentum aureorum millia excedat, ac supra decies centena millia eius nunc fortunæ censeantur; ac pro administrorum dumtaxat, qui rem curant, peraguntque, stipendijs, bis quatuor mille aurei in singulos annos numerantur. Porrò huiusce Montis officium id est, pecunias, accepto cuiusque materiæ pignore, nullo fructu, aut pretio ad biennium mutuare. Quo quidem tempore, diligentiore studio, cultuque, perindè ac si domi quisque suæ custodiret, oppignorata supellex curatur; biennio elapso, venditur, quanti valet, pignus; receptoque mutuo, summa fide quod superest, domino restituitur. Sed neque hi tantùm magnificentissimi operis sumptus. Nam quà virginibus honestè collocandis, quà captiuis libertati, ac patriæ asserendis, quà obæratis, mancipatisque carceri rediniendis, non exiguo quidem censu humani generis mala, ac miseriarum iliades eluctatur. Ad huius autem normam excitata postmodùm Neapoli pletaque pia loca, quæ in eandem gratuitò mutuandi curam, nullo prorsùs fœnore, cum laude incumbunt, cumulantque Marinonij in Neapolitanos merita. Illi siquidem accepta isthæc pietatis officia, ac monumenta referri debent, qui præclaram ac primam eam mentem pijssimis viris iniecit, incitauitque vt inchoarent. Atque hæc de Pietatis Monte, Neapoli instituto, hoc anno fundatæ communis salutis nono, & trigesimo à sesquimillesimo.

Montis pietatis munera.

Mutuum.

Virginũ dotes

Captiuorum libertas.

Consequenti mox anno celebratis Paulina in Domo Comitijs generalibus, Marinonius, qui tàm impigrè, quà exemplorum, quà sermonis vi animorum salutem Neapoli procurabat, atque integerrimæ virtutis opinionem, vt diximus, famamque collegerat; admotus eius Cœnobij præfecturæ est, defuncto suo munere Petro Fuscareno. Venetæ autem rei impositus Caietanus. Planè, lætitiam, qua renunciato suæ Domus Præposito, Marinonio, persusi Neapolitani Patres fuere, mœror compensauit, quo auelli à se Thienæum, hoc est, spirantem solidæ virtutis, ac disciplinæ imaginem, legemque, intimè indoluere. Peracerbum & exteris fuit viri sanctissimi pietate, curaque destitui. Quas verò potissimùm perculit profectionis consilium, Cœnobij Sapientiæ sanctimoniales fuere, quæ tam suauissimis moribus, insignisque prudentiæ, ac sanctimoniæ exemplar illud intueri propiùs, ac venerari, ingens Dei beneficium, gratiamque reputabant. Ipsa in primis, quæ fundauerat, temperabatque Collegium Maria Carafa, communis Parentis iacturam suis virginibus, sibique ingemuit. Planè, cum Neapolim Caietanum amandauit Carafa, ea præcipuè illius intentio, ac mens fuit, vt Maria, quæ formandæ, regendæque recenti disciplinæ præsenti ope indigebat, viri innocentissimi æquè, ac prudentissimi virtute vteretur. Atque eius quidem mores non vnis litteris apud Sororem commendauit Carafa; eoque præsertim anno, quo suscepta Neapolitana expeditio fuit, ad illam scripsit in hæc verba. [a] [Inter meos caros fratres præcipuus est ille, quem in oculis fero, meus, inquam, Caietanus. Deus ipse nouit, quàm difficilè eum à me auelli passus fuerim. Spero autem fore, vt per Dei gratiam noscas, quàm sit bonus Christi seruus, & quàm meritò illum ego diligam.] Hæc ille: cuius quidem candidissima, grauique testificatione, quam conceperat de Caietano Maria opinionem, adauxit mirificè; cum experta coràm virum est, eiusque modestiam, sapientiam, sedulitatem, quibus ipsam, ac Cœnobium conatus ille est demereri. Toto hoc siquidem tempore, quo Neapoli egit Thienæus, nescias, suæ Domui, an Sapientiæ Collegio diligentiorem curam impenderit: ita vt non minùs illarum Virginum, quàm Theatinorum Pater videretur, quippe qui & conscientijs expiandis, & instituendis moribus, & communi disciplinæ procurandæ, & priuato etiam cuiusque commodo totus aderat. Cum accedere ad Monasterium minùs poterat, agebat litteris, quarum videre est plura, quæ [b] apud nos sunt, ad Mariam autographa, diuina quadam prudentia, ac spiritu plenissima: elucetque in ijs excellens quædam, atque ipsissima Thienæi imago; siuè ad virtutem, mundique neglectum incitent; siue vrgere, ac fouere regularem obseruantiam videantur; siue consolari, atque increpare interdum contingat. Caietani verò zelum, amoremque in pijssimas Virgines

Neapoli Comitia, Anni 1540.

Marinonius Paulinæ Domus præfectus.

Venetæ Caietanus.

Cuius discessum ægrè ferunt Neap.

Præsertim Sapientiæ Moniales. Et maximè Maria Carafa.

Ad quam scripserat Episc. Th. de Caiet.

[a] In actis Caiet.

Thienæi in Monasterium Sapientiæ studium.

[b] Tab. D. Pauli Neap.

gines incendebat passim Carafa, qui & sororem suam tanti moderatoris monitis, præceptisque in eximiam sanctitatem euasuram sperabat, & florere omni virtutum genere Cœnobium illud peroptabat, in cuius ipse institutionem sedulò incubuerat. Ergò paterno eo affectu, zeloque destitui, quantum afferre mœroris iis sanctimonialibus, Mariæ potissimùm, potuerit, haud facilè complecti cogitatione quis posset. At Caietanus, tùm alios plerosque suæ virtuti deuotissimos, tùm illas præcipuè verborum lenimentis consolatus; sub ipsum vernum tempus Venetias discessit, vnà cum Petro Fuscareno, qui Neapolitanum Præpositum exuerat, Marco Veneto, & Bernardo Tudertino, quos supra nominauimus. Exceptus Venetijs ea omnium gratulatione, ac beneuolentia fuit, qua dignus profectò erat, qui iam pridem eam Vrbem suarum virtutum admiratione compleuerat; illamque tot pietatis officijs, ac sanctimoniæ documentis, vel antequàm Religioni nomen profiteretur, demeruerat. Quarè & accurrere ardentiùs viri proceres, ac vulgus, vt ad eius cùm exempla, tùm adhortamenta mores suos emendarent; & præstare ipse ea caritatis officia, quæ ad animorum cultum, pietatisque institutionem spectabant.

Et vrgebat illum Carafa ad eam curã.

Venetias concedit.

Excipitur omnium lætitia.

His studijs, religiosæque disciplinæ dum gnauiter incumbit Thienæus, interpellatus hoc anno est ab Giberto, Episcopo Veronensi, qui & communi rei Theatinæ, vt sæpe aliàs monuimus, & ipsi Caietano beneuolentissimus longè erat. Is defuncto Clemente Septimo Pontifice, apud Paulum Tertium, cui perspecta viri præstantissimi eruditio, ac fides erant, summo etiam loco, atque existimatione fuit, admotusque ingentibus Ecclesiæ curis. Sed impetrata sub id tempus ab Aula, & negotijs missione, Veronam impiger Antistes, vt quam in eam Ecclesiam inuexerat strenuè reformationem, ac dignitatem, eadem opera tueretur, reuerterat; totusque in ea Veronensi cultura erat. A Nostratum porrò industria, quam compertam habebat, cum animaduerteret, fore vt vberes in eo agro fructus existerent; denuò accersire Patres statuit; ac tùm maximè, cùm sciret, Caietanum ipsum haud grauatè eò cum suis concessurum, viri amicissimi inuitamento, ac Dei gloria pronocatum. Veronam igitur excurrit Thienæus cum alijs è Nostratibus, inter quos fuit Ioannes Antonius Pratus, Mediolanensis; qui in ea, quam supra laudauimus, narratione, id habet etiam, quòd Gibertus ad Nazarenam eam Ædem, in qua constiterant olim Nostri, eos iterùm exceperit; solitusque quotidie fuerit submittere ad victum cibos, & quidem pro animi magnitudine lautiùs, quàm nostra viuendi ratio posceret. Ratus illam pijssimi Antistitis liberalitatem non vltrà primos dies ituram, tàm splendidè eo initio accipi passus, quamuis ægrè, est Caietanus. Verùm cum ille magnificentiam, atque insolens paupertati obsonium continuaret; timere parsimoniæ, rigorique Congregationis cœpit. Quocirca Episcopum conuenit, moneique, vt mittere illam ciborum opulentiam parceret, testatam sibi eius animi beneuolentiam, ac liberalitatem abundè iam esse; cum suis verò religiosiùs actum iri, si posthac suam paupertatem, eiusque incommoda, ad virtutis exercitium, tutelamque experirentur. Gibertus, etsi in optimo viro tuendæ vitæ seuerioris, atque obseruantiæ studium apprimè esset admiratus; temperare nihilominùs sibi non potuit, quominùs institutam amplitudinem prosequeretur. Quod ille cum aduerteret, vehementiùs agendum putauit; professusque statim præsenti animo, ac insigni libertate apud Præsulem est, nisi ab ea beneficentia, quæ eneruare, & corrumpere disciplinam, religiosamque inopiam videbatur, abstineret; fore & se, & Sodales suos Verona illicò excessuros. Scilicet, quemadmodùm cauerent alij, ne commoda eriperentur; ita cauit ipse quàm maximè, ne imminui paupertatem contingeret. Quo loco dilaudanda non mediocriter venit generosa Thienæi indoles, atque ardens disciplinæ studium; qui sicut Neapoli, ne Oppidani Comitis aurum paupertatem vitiaret, eiusdem Comitis domo cessit, excessurus etiam Vrbe; ita modò Verona abiturum interminatur, si votam inopiam pulsare nimia Antistitis munificentia pergeret. Quò sanè & affusus Gibertus incredibili quadam lætitia est, qua eius institutionis, vitæque viros sibi, ac Ciuitati suæ est gratulatus; & Caietano ex voto res fluxit. Nam veritus bonus Antistes, ne ea hominum virtute destitueretur, vti

Veronam à Giberto accersitur.

Eòque cum plerisq; è Nostris cõtendit

Giberti in Ordinem liberalitas.

Quam recusat Caiet.

Monuitque, discessurum cum suis, ni abstineat.

erga

Paruit Gibertus.

erga Patres splendidiore sua indole, ac beneuolentia abstinuit. Quarè abrupta certa illa erogatione, rediisse in diuinæ prouidentiæ sinum gauisus est Caietanus; cœpitque ex instituto vltroneis piorum eleemosynis victitare: quæ cum raræ admodum essent, quippè non adhuc satis noti, in summa domesticæ rei angustia versabantur Patres; ac cibus quidem illis arcendæ solummodò necessitati, proscripto omni gulæ irritamento: obuiæ siquidem è domestico horto herbæ, ac legumina prandia implebant, & lupercalibus diebus vix oua: iucundiora isthæc profectò Christi pauperibus, quàm cœnæ Episcopi Giberti lautissimæ; quippe ad paupertatis gustum.

Redijtque domus paupertas Theatina.

Quamdiù verò immorari Veronæ Nostrates contigerit,& an vna cum Caietano Venetias omnes redierint, compertum non habemus. Illud exploratum, cum Domum Tolentinatem administraret Thienæus, hærere inibi diutiùs non potuisse: sed Giberto tàm præclarè de Sodalitate merito aliquandiù pro debiti obseruantia cum morem gessisset, Venetias repetijsse. Quod ineunte anno quadragesimo primo euenisse putandum est; reuerti siquidem Venetias eo tempore oportuit, quo celebrari de more Comitia generalia deberent. Nam, etsi vbi eius anni Capitulum habitum fuerit, commentarij nostri non memorent; coactum nihilominùs Venetijs fuisse, verosimilius existimamus; quòd Tolentinas, ac Paulina Domus fermè alternis annis eas inter sese Capituli vices partirentur. Ab hoc verò Veneto Conuentu, vt refectus in suæ Domus præfectura est Caietanus; ita iussus est Marinonius idem Neapolitanum Cœnobium moderari; in quo sanè nulla fractus laboris assiduitate desudabat impensiùs domi, forisque ardentissimus Senex; ac tùm virtutibus proseminandis, tùm conuellendis erroribus, vitijsque insigniter incumbebat. Scimus namque per id tempus, cum animaduerteret, non extinctum omninò Neapoli Valdesium, ac socios, & quamuis profligati iam, deletique viderentur, adesse nihilominus adhuc in plurimorum moribus, ac sententijs totos; quàm maximè laborasse, vt correptos ea lue perpurgaret, atque illibatæ, sanæque fidei restitueret; inter quos plerique viri nobiles fuere, quos impietatis condocefactos, adire Romam iussit, vt orthodoxæ Ecclesiæ reconciliarentur, atque ad solidam eam fidei petram errores suos allideret. Alios verò, quos periclitari prauis adhortamentis, atque exemplorum vi cerneret, mirum quantùm nitebatur, ne illos improbitas triumpharet. Duo præcipuè germani fratres fuere, qui domi, quo maximè ruerent, habebant. Enimuerò imbuta Valdesiana hæresi mater, trahere in eandem perniciem filios quotidianis monitis, exemplisque, ac penè conuicijs conabatur: quos Marinonius assiduis allocutionibus, ac frequentatione sacrorum ad omnem pietatem erudire dum studet, ab eo periculo vindicauit; fuitque ipse caritate, affectuque Pater, quando exuisse matrem visa est, quæ venena filijs propinabat.

Capitulum generale Venetijs anno 1541.

Marinonij Neapoli sedulitas.

Præsertim in Valdesiana impietate profiernbeda.

In tuenda duorum fratrum religione strenuè laborat.

Porrò, quòd abscesserat Caietanus, cui potissimùm Sapientiæ Monasterium, vti diximus, curæ erat, succedere Ioannem oneri oportuit: & qui dicere ante hac ad sacras eas Virgines, pijsque duntaxat adhortationibus inflammare consueuerat; diligentiorem nunc illis operam commodare cœpit, ac tum confessionibus audiendis, tùm sacris, ac domesticis etiam rebus administrandis multus adesse. Et Carafa quidem, cùm insignem viri prudentiam, morumque grauitatem, ac sanctimoniam agnosceret, eo etiam consilio illum cum Caietano Neapolim amandauerat, vt Collegium illud Virginum, quod in oculis ferebat, præclarè aliquandò ab egregia ea virtute instrueretur. Sanctimoniales verò cum exactæ cuiusdam sanctitatis specimen in Marinonio statim cognouissent, incredibili animi studio venerari pijssimum senem cœperunt: ac si quando ingredi Monasterium, vt sacramenta procuraret, contingebat; videre sibi haud vnum ex mortalibus, sed Diuum quendam, aut Angelum profitebantur, qui nobilitaret, consecraretque, quæ tangeret suis vestigijs, loca. Neque omiserim hic recensere, quod illi cùm primum id Cœnobium inijt, euenisse accepimus, à quo immixtam quandam eximiæ modestiæ puritatem, atque honestissimum florem pudoris æstimare sacræ illæ Virgines potuere. Est in eo Cœnobio in more positum, vti iam enarrauimus, vt si quando pro tempore, ac re, ingredi virum oporteat, inducto statim velo, faciem omnes contegant. Id Marinonius, qui sacra administraturus intrauerat, vt vidit, velare & ipse æmulatione quadam

Sapientiæ Cœnobium curat, absente Caietano.

Quæ Monialium de illius sanctimonia opinio.

Præclarum in eo modestiæ specimē.

modc-

modestiæ vultum suum pro modo studuit. Affecit mirificè inspectantes ea senis simplicitas, ac sanctitas; intellexeruntque statim Virgines, latere sub eo velo, nisi candorem animi, pudoremque incomparabilem non posse. Porrò quam Vir sanctissimus in eo Cœnobio prudentiæ, ac sanctitatis opinionem excitauit, scimus nondum intermortuam, sed perennare adhuc venerabilem memoriam, ac cumulatæ virtutis desiderium.

Card. Th. Titulo S. Clem. insignitur.

Redit ad Cardinalem Theatinum narratio, quem legimus, hoc hanno titulum Sancti Sixti, quo fuit principio insignitus, in Sancti Clementis nomenclationem commutasse, quo vulgò titulo appellabatur: nos verò à nostro Ordine, siue à Theatino Sacerdotio Theatinum nominamus. Agitabat semper præclara sua mente ingentia, vit quidem vindicandæ impietati, Romanæque fidei bono natus. Molitus verò hoc anno est opus omnium sententia, ac suffragatione longè laudatissimum: ac nescio, an Catholici nominis dignitati, orthodoxæque religionis splendori, ac præsidio maiori cum laude, atque vtilitate consultum vnquam fuerit. Planè, si quis censuram illam fidei, sacramque Inquisitionem, qua de nunc acturi sumus, & quæ à diuino eo inuento in publicam rem Christianam bona redundauerint, accuratè expenderit; næ ille intelliget, quantum immortali Pauli Pontificis Tertij memoriæ Ecclesia debeat, quòd illam inuexerit; quantum Paulus ipse Cardinali Theatino, qui excogitatum magna mente publico malo remedium, Pontifici significauit, adprobauitque; ac postmodùm summo ipse iure, summa constantia, atque animi altitudine præferuidus, infractus, integerrimus administrauit. Res quidem fuit apud eius seculi viros bonos, ac eruditos in confesso, nisi præmaturè eo veluti obice Nouatorum improbitas sisteretur; gliscente in dies flagitiosorum numero, atque impunitate, nil propiùs fuisse, quàm vt torrentis more vniuersam Italiam inundaret. Quòd ergò stet modò tàm illibata florenti Italiæ fides, tanta Romano nomini amplitudo, ac nitor, tàm culta templis, atque aris, Christianisque potissimùm moribus religionis facies; Pauli Pontificis, & Cardinalis Theatini communis, eaque præsentissima laus est. Iam verò quod testatissimum est apud omnes, constabit modò hac narratione, quam instituimus.

Opus omnium maximum Romæ curat.

S. Officij Tribunal.

Cui debetur, quòd stet Catholica religio.

Christiani Orbis status.

Cœperat diù iam insigni morum labe affici Christianus Orbis, ac tùm Catholicorum licentia, tùm maximè hæreticorum impietas in eam perniciem conspirauerant. Curari isthæc mala ferro, atque igne oportebat, quæ cum bellis peragendis adhiberentur; remissiora planè, ac mitiora, quàm recrudescentis morbi vis posceret, remedia moribus reseruabantur. Coxerat anxiùs hæc cura superiores Pontifices, qui labi mundum, suis humeris commendatum, prauorum hominum exemplo, atque eruditione cum cernerent; publicæ cladi auertendæ moliri plura, ac periclitari. Sed contumacius erat malum; molliora, vt diximus, sanandi argumenta. Obniti huic etiam ruinæ præclari quidam viri, ac zelo flagrantissimi, excitatis Sodalitijs, pro viribus studuere. Id quod supra cùm de diuini Amoris, ac Nostratum Sodalitate diximus, fusè memorauimus. Atqui hæc licet aliquid Christianæ rei præsidij, opisque attulerint; tamen excitare potiùs in paucis virtutum semina, quàm extirpare vitia, quæ plerumque Christianum Orbem longè, latèque occupauerant, potuere. Ergò adultis per interualla temporum malis, corruptisque iam Catholicorum moribus, pessimè affectum totius Reipublicæ corpus offendit Paulus Tertius, cum dictus Romanus Pontifex fuit. Ecclesiæ adeò laboranti cogitationes suas omnes, manusque strenuè admouendas duxit. Admouitque conatu primùm haud feliciore. Nam clarorum virorum Cœtus, quem conflasse supra monuimus, vt ingenio, scriptisque in hæreses depugnaret, impigrè quidem eo in negotio desudauit; verùm excellentium vigiliarum studia, vitio rerum humanarum, irrita fuere. Generale Concilium, quod vnicum fuisset labentis rei munimentum, quanquàm cupidissimè cogendum curauerit; distulere enascentia subindè alia ex alijs impedimenta. Ab Aquilone verò adflari, ac pandi omne malum cum cerneret, componendæ potissimùm in Germania religioni sedulam curam adhibuit: allegauitque hoc anno ad a Ratisponentia Comitia excellentissimi spiritus, atque egregiæ eruditionis virum, Cardinalem Gasparem Contarenum; vt dignitate, ac doctrinatum momentis,

Tentata sæpiùs morum emendatio.

Parù remedia profuere.

Paulus III. strenuè rem aggreditur.

Instituta excellentiū virorū Congr.

Indicto Concilio.

Missa in Germaniam legatione.

a Sur. in com. ad an. 1541.

tis, hæreticorum partibus ad frugem, ac vnitatem reuocatis, scissam inibi fidem resarciret. Sed eius Conuentus is exitus fuit, vt recrudescentibus nefariorum hominum odijs, atque in Catholicum nomen bellis, impietas acriùs triumpharit. Nec criminari acerbissimè Contarenum Nouatores abstinuere, scriptis in illum maledictis; insanientes nempè in medicum, ceu multa febre phrenetici. Ad hæc, cum non eas esse Romanæ Ecclesiæ vires, ac facultates cerneret, vt vi agere, ac pœnis seuerioribus cum Nouatoribus posset; neque esset à Principum, perpetuò inter sese dissidentium, odijs, bellisque impetrare, vt pijs, iuratisque armis adiumento Catholicę rei forent, surgentemque in tot capita hæresim detruncarent: experiri & ipse humanitatem, ne curationis hoc genus dissimulasse videretur, statuit. Etenim par illud hominum sceleratissimorum, Germanæque impietatis principes, Erasmum, & Lutherum, affectos Romanæ beneuolentiæ argumentis voluit. Et Erasmum quidem honorificentissima, atque oppidò opulenta in Belgio præfectura, honestanit; maiora item, pollicitus, si mentem emendaret. Tùm, vt Lutherum emolliret, Nicolaum Scombergum, hominem Germanum, vxoris eius fratrem, in Purpuram adlegit. Fuit hic quidem Nicolaus è Prædicatorum familia, postea Archiepiscopus Capuanus, vir omni doctrinarum genere excultissimus; probitatis in primis, morumque laude spectabilis. Summa apud Clementem Septimum gratia, atque existimatione floruit, vt magna etiam Ecclesiæ momenta eius prudentia administraret. Eòque olim priuatæ eius virtutis opinio peruenerat, vt antequam inter Augustos Patres numeraretur, quod rarissimum omninò est, bis in suffragium venerit, vt Pontifex appellaretur; semel cum renunciatus Summus Pater Adrianus Sextus fuit; iterum cum Clemens Septimus inauguratus. Quæ, cum magna in eo fuerint, ac pretio suo digna, tamen quòd ea affinitate cum illo hæreticorum Antesignano iungeretur, insolens videri poterat amplissimæ dignitatis honestamentum: ac proindè collatum id ei decus purpuræ injcere mitiorem Luthero mentem debuit, ne Germaniam perderet, Romanamque Ecclesiam truculentissimo ingenio, & calamo laceraret. Sed frustrà isthæc omnia fuere: & quibus intimè corrupta mens erat, id conficere beneuolentia videbatur, vt impotentiùs insolescerent, factoque maiore impetu in fidem superbiùs arietarent.

Adhibita cū Luthero, ac Erasmo beneuolentia.

Nicolaus Scōbergus Lutheri vxoris frater

Vir laudatissimus.

Agitur bis de eius Pontificatu, antequā esset Card. a Ant. Carac. in vit. Pauli 4. M.S. l.3. c.3.

Insignitus Purpura, vt Lutheri ingenium mitesceret.

Intereà, cum egregię Pontificis curæ non procederent, quid expectari hinc portò oportebat, nisi vt exundaret latiùs pernicies? Et verò, vis tunc non Vrbes modò, & coloniæ, sed amplissimæ passim Christiani Orbis Prouinciæ, populique ad impietatem desciscere; auulsæque iam Romano à sinu, ac fide Saxonia, Dania, Transiluania, Sueuia, Boemia, Pannonia deplorabantur. Gallia, quæ incorruptæ fidei laude illibata olim audierat, inuolui iam proxima hæresum clade occœperat; iamque depopulari cuncta incendium videbatur, immissa è Germania, ac Geneua pestilentissima face: eratque inter florentissimi Regni infortunia præcipuum, quòd quos flammæ restinguendæ Christianissimi Regis sedulitas admouebat, eosdem ipsi secretos animi sensus, ac mentem gestantes, in illam acriùs insufflabant. Venio ad Italiam, vbi, quòd in lucem non trahebatur impietas, eò profectò perniciosiùs malum serpebat, quò magis clandestinum. Nulla iam penè Italiæ Vrbs erat, in qua non aliqui exorbitarent, impiosque mores suos in exemplo alijs ponerent: neque extrema tantùm ora hæreticorum confinio lædebatur, sed quæ in ipso eius meditullio tutiores ab ea contagione, ac veluti extra omnem teli iactum Vrbes videri poterant, correptæ morbo erant. Neque verò peregrinari stylum per oppida, præcipuasque Ciuitates nominatim necesse est. Nam quando ipsammet Romam, hoc est, Religionis Prætorium, ac veri Oraculum non fuisse ab nocentissimo hoc afflatu immunem constet; quid reputare de cætera Italia par sit admonemur. Certè Vincentio Masso, viro ex Nostratibus grauissimo, multis etiam ex Nostris audientibus, præsertim b Antonio Caracciolo, qui hæc narrat, retulit Petrus Antonius Bandinus, Octauij Cardinalis Pater, antequàm Sacræ Inquisitionis frænum prostitutæ fidei, ac moribus injceretur, plerique in Italiæ Vrbibus, Florentiæ præsertim, vbi notissima illa Macchiauelli, & Carnesecchi portenta grassabantur, vix vlla extasse Romanæ religionis vestigia. Id quod seniores quidem, primæque notę Antistites, atque

Improbam mentem non mutauit illecebra.

Prouinciæ à Romana fide diuulsæ.

Eodemque inuoluta malo Italia.

b Vit. Paul. 4. M.S.

Ac in plerisque eius Vrbibus vix religionis vestigium.

atque amplissimi Cardinales eidem Antonio Caracciolo posteà sunt contestati: illud insuper affirmantes, non imperitum modò vulgus in suum exitium prouolutum, sed e nobilitate præcipuos; & qui maximè litteris, præsertim humanioribus, excellere sibi videbantur, quadam eruditionis superbia, fastuque turpiùs corruisse; qui & addicti ipsi erroribus mordicùs, ac impensiùs erant, & abripere in idem crimen alios, tùm opinione doctrinæ, tùm expolitæ orationis illicio conabantur. E Religiosis itidem viris, quod maximo quidem opere erat deplorandum, haud sanior plerisque mens erat: atque hi quidem ancipiti veluti gladio, nempè vitæ laxioris exemplo, ac publicis concionibus atrociora, ac frequentiora Ecclesiæ vulnera imponebant. Scimusque [a] cuiusdam è Purpuratorum Senatu Patris narratione, Regularium quendam Ordinem vsque adeò fuisse opinione illa, quæ tunc latè peruagabatur, de iustificatione per solam fidem, corruptum, deceptumque; vt necesse fuerit, integrum, ac ritè expiari, conceptamque luem eierare. Quod quamuis incautè ex his plerique, & nonnisi nebulonum, qui damnosissimas sententias bellè propinabant, artificio, fucoque lapsi in eas fuerint: exploratum tamen est, siue hos mentis peruersitas, siuè naturæ quædam facilitas eò propulerit, infinitum propemodùm fuisse eorum numerum, qui luctuosissimam Italiæ scenam implebant.

Et Religiosi etiā homines

[a] Carac. vit. Pauli 4. M.S. lib. 3. c. 3.

Religiosorum quendā ordinē totum hæretica lues corruperat.

Diuerberabat Paulum, vt diximus, Pontificem hic rerum status, multos etiam præclaræ frugis, magnique nominis viros præsens, ac impendentium malorum acerbitas diuexabat. Cardinalem in primis Theatinum Catholicæ fidei studio, ac zelo incitatissimum acriore quodam veluti dente ea cura remordebat. Ingentem vir egregius spem conceperat ab ea morum reformatione, quam coacti ab omni Europa viri sapientissimi Pontificis iussu Christiano Orbi sanciuerant, ac lucubrauerant; in quam, ipse curam inter primos, ac ferè supra alios contulerat, vti exposuimus, ingenium, ac stylum: præstantissimum inde operæ pretium, si illæ executioni leges mandarentur, sibi persuadens; ac fore saltem, vt nefariorum, atque hæresum impetum sanctissimæ tunc sanctiones frangerent, donec generale Concilium, aut grande aliquod aliud præsidium Christianam disciplinam componeret. Diù elaboratas ordinationes publicæ obseruantiæ minimè commendatas, ac proindè corruptam præclaram illam iuuandi Orbis occasionem fuisse, neque vllam interea hæresum eluuioni moram opponi; quo sensu, animoque ferret Theatinus, datæ ad plerosque litteræ declarant. Et Sorori quidem temporum iniuriam ea doloris acerbitate repræsentat, vt victus illa rerum clade, malle se mori, quàm ruinam labentis disciplinæ suis oculis intueri significet: ijs vsus Prophetæ, ac Apostoli verbis: [Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; &, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.] Eodem planè sensu cum Henrico, Cardinali Lusitano, Ioannis Tertij Regis fratre, ac posteà extincto Sebastiano, Lusitaniæ Rege, mœrorem animi ingentem communicat grauissimis litteris, ex quibus hæc præsertim excerpsisse satis fuerit: [Ista, inquit, rerum omnium perturbatio, in qua peccatorum nostrorum merito versamur, ac, vt vides, nisi Dei benignitas occurret, versabimur, ita deiecit animum, ita me ab omni actione non auertit solùm, sed etiam deterruit; vt totus iam conuersus sim ad detestandam industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui. Vnde cessauit, renunciauitque cor meum vltra sub sole laborare, & dixi cum Propheta: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Sed quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & funes peccatorum circumplexi sunt me, & hoc saxum, quoad Christus voluerit, vel ingratijs mihi voluendum est: feremus eodem Christo adiuuante, quod ferendum est.] Hæc Theatinus, qui religionem pessundari, ac dominari impunè, latèque euersores fidei intimè dolebat: neque intereà aut inflammare alios, aut secum ipse rationem inire intermittebat, qua Christiana Respublica alleuaretur. Operosum id quidem, ac perdifficile, non tamen desperatum reputabat. Siquidem cum rationem temporum poneret, ac prisca illa cum suis conferret; non eò iam calamitatis Ecclesiam deuenisse, quò rem olim Romanam turbulentissima hæreticorum ingenia compulerant, aduertebat. Cladem profectò plusquam decumanam Ecclesiæ conflarunt pestes illæ mortalium, præfractique superioris æui Capitones, Arius, Macedonius, Nestorius,

Pontificis, ac bonorū sensus.

Præcipuè Card. Th.

Qui quòd nō processerat emēdandæ Ecclesiæ consilium,

Intimè dolebat.

Ac tædebat vitæ.

Acerbissimū cum Card. Lusitano sensum communicat.

Cum interim in fidei repurgationem incenderet.

Prisca tempora atrociora,

rius, Theodorus, Photius, Monothelitæ, Iconomachi, qui intra lineam, certosque limites improbitatem suam, aliorumque perniciem concludere, rati minus decorum, inuoluere suo turbine Orbem vniuersum, contendebant: aderantque atrocissimis conatibus non gregarij quidem homines, sed ipsa terrarum Numina, hoc est potentissimi perindè, & truculentissimi Cæsares, qui scissam Ecclesiam etiam contrucidabant. Constantios, Iulianum, Copronymum, Leones, Michaelem, hæreticarum partium auspices, nulla profectò ferarum nomina, ac indoles æquant. Hisce veluti lictoribus inambulabat fastu quodam Orbem hæresis, terebatque Ecclesiam Imperij fascibus, ac securibus. Nusquam gentium tuta Catholicis sedes. Nulla nec sacris maiestas, nec fidei libertas, nec Sacerdotio dignitas constabat. Quæstionibus, conuicijs, proscriptionibus res fidei agebatur; vt non periclitari modò, sed profligatum omninò æmula Imperatorum, ac Nouatorum perfidia orthodoxum nomen videretur, ceu supremis tandem pœnis mulctandam Ecclesiam suam Deus ipse decreuisset. Quid enimuerò illa temporum, ac fidei discrimina cum præsenti calamitate? Tamen ea tunc fuit Pontificum, sacrorumque Antistitum sedulitas, ac generositas, vt inter Principum minas, atque ingentia Nouatorum machinamenta non modò animum non abiecerint; sed composito veluti ad certamen gradu, religionem intrepidè tuerentur: idque non alia quidem ratione, quàm præstantissimos viros Ecclesiarum gubernaculis admouendo; eruditissimos sacrorum interpretes, ac declamatores in omnem Christianum Orbem submittendo; hæresum monstra, quà scriptis voluminibus, quà censura, ac fulmine conficiendo; morum præcipuè instauratione, sacrorumque Conciliorum celebritate. Quæ sanè propugnandæ Christi Ecclesiæ, asserendæque disciplinæ, ac pietati, elusis Cæsarum, ac nefariorum consilijs, satis roboris, ac præsidij habuisse omni æuo, exploratum omninò est.

Et portenta hæreticorum longe teterrima,
A quibus stabant immanissimi Cæsares.
Qui Ecclesiã sæuissimè diuexabant.
Quibus opposita Pontificũ nauitas.

Eapropter cum mitiora essent tùm tempora, si præcelso quidem spiritu, præsentique animo labenti communi rei Christianæ manus opportuna ope adhiberetur, existimabat Cardinalis Theatinus, fore vt breui redirent mores, ac suæ dignitati, nitorique orthodoxa fides restitueretur. Vilissimum prætereà genus hominum hęreticos esse, & quos humanitatis argumenta, ac blanditię nequiores, atque impotentiores reddunt; ijdem, si irascare, ac grauiora pertimescere condiscant, ponere illicò confidentiam, superbosque animos videntur. Ac proindè quando cum ignauissima, ac plebeia gentis conditione res esset, refractarios eorum spiritus frangere, perfacile quidem esse, seueriora nimirùm exempla ad illorum siue frugem, siue metum exhibendo. His maximè artibus egregios, quos diximus, Pontifices, ac Patres vsos; hæreticorumque contemptu, ac mulcta Catholicum nomen vindicasse. Peccatum, vt sæpè innuimus, nimia beneuolentia, ac lenitate dolebat Carafa. Nam si opportunè qui Dei vices in terris administrabant, in audacissima capita, intorto etiam fulmine, detonassent: florerent iam intra Ecclesię sinum amplissima Europę Regna, ac Prouincię, quę suo ceu stipite auulsa, infeliciter aruere: nec planè eiaculati intra Italiam hęresum faces ausi perditissimi Nouatores fuissent.

Mitiora hæc tempora spē prosperioris euentus faciebant.
Vilissima hæreticorũ natio,
Seuerè accipienda,
Superiorum Pontificum exemplo.

Hęc animo versabat Cardinalis Theatinus, cùm inualescentes in pręcipuis Italiæ Vrbibus hæresum vires, excitarunt vehementiùs Pontificis animum, ac propiùs monuere, vt præcaueret. Enimuerò cum noua semper in portenta fœcundum Italiæ sinum degenerare, atque euulgatam iam Neapoli Valdesianam impietatem, numerosam in sobolem excreuisse, inandiuisset: tunc demùm ventendum acriore cura; ac facilitate, moraque eierata, maturiùs, ac seueriùs agendum intellexit. Verùm, cùm præsentissimùm, quod maximè adhiberi præsidium, opemque percuperet, assequi ipse animo minùs posset; Cardinalem Theatinum, quem fidei studio flagrantissimum, ac valere insigni prudentia nouerat, vocat. Amplificari teterrimam labem, ac Romam accessisse ex animo dolet; neque expectandum, vt affectis Christiani Orbis partibus, caput ipsum hæresis corripiat. Excogitaret proindè ipse rationem, qua vindicari mala, atque exscindi hæresum, immanè debacchantium, felicitati nerui, ac vires possint; vt illatum iam religioni damnum præsens animaduersio compensaret; & impendenti calamitati metus consuleret. Rem Theatinus, vtpotè cum primis arduam, & Christianæ fidei momentum, cum Deo prolixis precibus

Paulus Pontifex de profligãda impietate Theat. Card. cõsulit.

cibus primùm egit. Adflatuſque diuina quadam mente, ac lucē, id ſibi conſtanter perſuaſit, præclarè cum fide orthodoxa actum iri, ſi publicum, ac ſupremum Sancti Officij Tribunal, quod ſummo quidem iure in violatæ fidei reos anquireret, excitaretur. Quàm ſeuerior iſthæc cenſura Hiſpanos perpurgauerit, caueritque opportunè, ne enata ſemel hæreſis proſerperet, probè nouerat. Cur non eadem Romæ læſæ religionis quæſtio inſtitueretur ad Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, ad pietatis, fideique munimentum, ad Nouatorum mulctam? Decere quidem, vt quæ magiſtra eſt fidei, eadem & acerrima vindex eſſet; ſimulque & præceptionibus, & irrogatis ſupplicijs Orbem erudiret. Certè ſi Romæ ſemel ea ſubſellia ponerentur, accederetque incorrupta adminiſtrorum conſtantia, & rigor; fore illicò, vt ſchiſmaticos, hæreticos, ac malos omnes ipſum Sacræ Inquiſitionis nomen perterreſaceret. Idque vnum profligandæ, atque exſibilandæ penitùs impietati opportuniſſimum eſſe inuentum, cum pro certo haberet Cardinalis Theatinus; priuatis ſæpè colloquijs, eo rationum, ac eloquentiæ pondere aperire Pontifici ſapientiſſimum conſilium cœpit, vt breui ille ſtrictioris iudicij commoda non approbarit modò, ſed erigendæ demum religioni, expiandæque Italiæ perneceſſariam publicam illam cenſuram duxerit. Ergò, vt diuinum illud Theatini inuentum ſediſſet iam animo; explorare nihilominùs Pontifex Auguſti Senatus ſententiam voluit: conuocatoque de more ampliſſimo Cardinalium Conuentu; exponere primùm Patribus quàm grauiſſimè Catholicæ diſciplinæ ſtatum, morum inclinationem, conflictatum malis hæreticorum artibus Orbem, ipſamque Italiam, Romam verò proxima ea lue parum tutam: tum rogare, quid in diſcrimine ſummo rerum in communem ipſi vtilitatem ſentirent. Egregiam Pontificis mentem licet optimus quiſque abundè commendaret, nullus profectò rem acu, vt aiunt, tangebat, in diuerſas pleriſque ſententias, vt aſſolet, abeuntibus. Concilium ſatis multi inclamarunt; auſpicatiſſimè id quidem rei Chriſtianæ ſemper contigiſſe, ac tranquillandæ Eccleſiæ ſalutare veluti ſydus. Quibus Pontifex, præſentiſſimum hoc quidem remedij genus nullum aut vouiſſe ardentiùs, aut ſtudioſiùs accuraſſe; ſed interturbaſſe conſilium flagrantia vbique bellorum incendia. Scire ipſos, cogendis Patribus neque locum potuiſſe à ſuſpectis, ſciſſiſque Principum animis impetrare; neque porrò eius rei curam intermiſiſſe. Interea cùm vrgeret vehementiùs malum, an ſinerent ipſi tanto cum Chriſtiani Orbis damno amplificari impunè hæreſim; ſpectarentque, velut in theatro, morum, animorumque lanienam? Quocirca adiecit illicò Pontifex, quando communem veſtrum omnium ſenſum eſſe intelligam, vt abrumpi improbitatis curſum, ac frangi impetum quàm citiſſimè oporteat; id in præſentiarum in medium afferendum ſtatui, quod opportuniſſimè Cardinalis Theatinus ad ſuccreſcentium hæreſum exitium, fideique incrementum excogitauit. Scilicet, vt Romæ ſupremum S. Inquiſitionis Tribunal inſtituatur, à quo reliqui per Italiam fidei Quæſitores leges accipiant. Hoc enimuerò inſpecta truculentiſſima temporum conditione, & tutari egregiè rem Romanam, & eneruare Nouatorum impietatem maximè poſſe mihi perſuadeo. Poſtquam in eius commoda effuſus Pontifex, abundè perorauit; ſecutum Patrum ſuffragium, conſilium longè præſtantiſſimum ingenti admurmuratione proſequentium.

Qui rem cũ Deo agit. — *Tùm mentẽ de fundanda S. Inq. diuinitus cœpit.* — *Quàm efficax hoc remediũ.* — *Conſiliũ Pontifici aperuit.* — *Qui rem cũ Card. communicat.* — *Gliſcentem hæreſim propoſuit.* — *Cogendique Conc. Gen. difficultates.* — *Tandem cõmuni conſenſione S. Inq. probatur.*

Atque hæc quidem initia fortiſſimum hoc fidei propugnaculum, ac publicam mundi cenſuram habuiſſe, dicere ſolitus erat Vincentius Maſſus, vir è Noſtratibus, vt alias monuimus, rerum peritiſſimus: cui, quippè qui & moribus fuit integerrimus, & ætate prouectior; virtutis, ac ſenij reuerentia, haberi fides par eſt; narrantemque audiuit Antonius Caracciolus, qui ſumma fide in ſuis Commentarijs rem adnotauit. At enimuerò, an hoc idem læſæ fidei Tribunal Romæ olim fuerit? an alibi gentium? vbi exerceri is Magiſtratus primùm cœperit? quis primus in Republica Chriſtiana Inquiſitor? vt opportuna loco res eſſet, & auditu non iniucunda; ita ſi fuſiùs id explicarem, planè ab rectæ narrationis inſtituto declinare non minimùm viderer. Quarè carptim ſcire ſat fuerit, nullam ante Innocentium Pontificem, eius nominis Tertiũ, quadringentis nimirum abhinc annis, & eò ampliùs, S. Inquiſitionis mentionem apud Eccleſiaſticas tabulas extare. Antiſtites locorum id muneris accurabant, nulla præ-

Hæc S. Inq. fuiſſe initia ex Vincentio Maſſo. — *Eius nomen non ante Innoc. III.*

tereà Quæsitorum designatione, ac foro. Quod verò Tolosana, atque Albigensium improbitas quàm latissimè proserperet, nec sanari contumax ea lues eruditissimorum hominum scriptis, pijsque declamationibus, aut Præsulum cura posset; perditissimum genus hominum formidine, ac suppliciorum exemplis, instituta accerrima religionis censura visum est coercendum: vt quos adhortamenta, concionesque non mutarent; terreret, ac verberaret pœna. Huiusce consilij D. Dominicus, Sanctissimus Prædicatorum Ordinis Pater, qui diù cum ea Nouatorum natione pugnacissimè conflictauit, auctor fuit: ac re cum Innocentio Pontifice communicata, & probata illicò ab eo est, & primus ipse in ea Galliæ Narbonensis Prouincia Quęsitor renunciatus. Quæ posteà iudicij facies, ac summa Censorum auctoritas, quòd ingenti Catholicæ religionis bono cederet, in alias subinde Christiani Orbis partes promanauit, Romam verò inuectam tardiùs, nec perdurasse inibi diutiùs, scimus. Vt enim ex datis ab Alexandro Pont. IV. Anagniæ litteris, fuisse ea tempestate, hoc est, anno ducentesimo, & sexagesimo supra millesimum, Pontificiam Romæ Inquisitionem, compertum habemus; ita Clementis IV. tempore, qui tertius ab eodem Alexandro Pontifex censetur, nulla est eius vestigia reperire: atque ab hoc quidem Clemente vsque ad Paulum III. quem instituisse Romanam Censurã, atque Apostolicos istiusmodi Iudices diximus, quamuis sumpta aliquando Romæ ab hæreticis supplicia fuerint; nullos tamen in Vrbe delegatos Quæsitores, pronunciatasq; ab eis sententias legimus. Agitari quidem fidei causæ, atque irrogari pœnæ antea consueuerant; verùm stabili quodam iudicio, constantiq; foro hæresum crimina minimè cognoscebãtur, sed institutis pro tẽpore Inquisitoribus, alia alijs committi contingebat: ac proindè mutato sæpè iudice, formaq; iudicandi, molliùs profectò, quàm par erat, res agebatur. Hinc supplicia sontium quàm tarissima, metus improborum nullus; gliscens impunitate confidentia, ac mira quædam hæresum succrescentium felicitas.

D. Dominicus Inq. auctor apud Innoc.

Inuectum in alias Orbis partes Iudiciũ

Sed Romę nõ diù perdurauit.

Nam post Clem. IV.

Causæ fidei aliæ alijs cõmittebantur nullo stabili Tribunali.

Itaque Pauli Tertij tempore quadringentos post annos fixa iterùm Romæ, sed magnificentiore quadam pompa, acriorique iudicio in hæreses Inquisitio. Quippè ex amplissimo Senatu sex Purpurati Patres, vitæ innocentia, doctrinarum fama, atque omnigena virtutum fruge excellentissimi, destinati, qui religionis procurationem, & causas supremo iure, nullique obnoxia auctoritate sibi vendicantes, Orbis vniuersi Censores agerent, illibatæ fidei cauerent, impietatem inquirerent, vindicarentque, Ecclesiæ denique perduelles, contemptoresque sacrorum omnes emendarent, proscriberent, mulctarent. Extat penes nos Pontificium diploma, Romæ datum, in quo inter Collegas principe quidem loco, ceu inuentor operis, honestatur Cardinalis Theatinus, reliquorum, eiusque Congregationis, ac S. Officij caput. Recensentur autem alij quinque hoc ordine: Ioannes Toletanus ex Ordine Prædicatorum, Cardinalis S. Sixti; Petrus Paulus Parisius, Cardinalis S. Balbinæ; Bartholomæus Guidiccionius, Cardinalis S. Cæsarij; Dionysius Lauretius, ex Ordine Seruorum, Cardinalis S. Marcelli; Thomas Badia, Dominicanus, Cardinalis S. Syluestri. E quorum numero cum non post multò desiderari tres viderentur, suffecti & alij in eorum locum fuere. Nempè Marcellus, Cardinalis Ceruinus, qui posteà Marcellus Pontifex; Franciscus, Cardinalis Sfondratus; & Pius Carpensis, Cardinalis S. Priscæ. Munus grauissimũ, vt maiori quadam cum dignitate administraret Card. Th. ac præcipua statim Summo Quæsitori auctoritas accederet: attributa illi Pontificia in Domo sedes, erectoque inibi Tribunali fidei iudiciũm, potestatemque exercere cum socijs cœpit. Tantus porrò viro egregio ardor fuit operis inchoandi, vt statim ac fundationem Paulus Pontifex sanciuerit, nullo Pontificio ære, ac subsidio expectato, quanquàm tenuis illi census; opportunas nihilominùs S. Officio Ædes de suo ipse conduxerit, carceres vectibus, serisque communierit; compedes, catenas, ac pernecessaria quæque alia puniendæ impietati instrumenta, curauerit.

Quod erectũ postea Paulo III. Pontif. Cui administrando sex Card. delecti.

Ac principem locum obtinet Theat.

Cui attributa Pontificia in Domo sedes.

Inchoauitq; magnũ opus insigni ardore.

Huius verò tàm salutaris, magnique consilij auctorem apud Pontificem fuisse, eiusque subindè administrationem singulari cum animi constantia, ac supra Eliam zelo suscepisse; pro beneuolentia, quam conciliare laudabile, opus debuerat, inuidiam illi conflauit non exiguam. Enimuerò, vt nunquam expediri secures, ac fasces non timuit criminum conscientia; metuere ab eo noui, grauissimique

Quantum illi inuidiæ hinc conflatum.

Sena-

Senatus supercilio vehementiùs cœpit improbitas; ac non modò aulicorum vulgus, quibus omnis iam penè modestia, ac mores boni sorduerant, verùm præcipua etiam quædam Romanæ Aulæ nomina visa Theatino quàm maximè indignari. Quippè quadam seculi, genijque licentia, siue contumelia vsurpare inter lusus passim sacra, ac veluti deridere assueuerant; ac proindè posse propiore ea censura notari, ac plecti, haud quidem æquo ferebant animo. Quocirca criminari effusè auctorem operis, ceu præpostero vsus consilio, ipsammet Christianam libertatem adimeret; & quòd seuerius, quàm vt præsentes mores ferrent, id esset inuentum; fore, vt plus remedio, quàm vulneribus, Romana Respublica laboraret, deprædicabant. Planè, qui corruptæ disciplinæ, morumque vindicem Carafam nouerant; statim ac positum illum in hominum, ac Purpuræ luce intellexerunt, metuere sibi ab seuera, rectaque ea indole cœpisse, iam in loco memorauimus; & nunc referre iterum libet ex [a] Cyno Campano, cuius supra testimonium prætermisimus. Ait enim de Carafa in Senatorium Ordinem adoptato: [Tunc religionis fundamentis aliquantulùm debilitatis, verum, & solidum accessit firmamentum. Tunc qui de religione, de Republica Christiana palàm, vel occultè malè sentirent, languescere, ac detineri. Tunc qui non tàm priuatis quibusdam aduersari, quàm cum superis ipsis bellum gerere videbantur, more Gigantum; labefactari, & impelli. Tunc qui ad eandem sectandam Hussensium, Valdensium, & eius generis portentorum impietatem, euertendamque religionem, vel nouarum rerum cupidi, vel delirantes soliciti fuerant; mœrere, dolere, ingemiscere, pallescere. Tunc teterrimarum disputationum arma retundi. Tunc qui verbum quoduis minimum contra religionem vnquam protulisset, vel quoduis eiusmodi cogitasset; lingua, & ingenio caruisse, cupere. Verebantur enim id, quod postea felicissimè contigit, ne Cardinali Carafæ à Summo Pontifice ad insectandos fidei, religionisque inimicos cura demandaretur.] Hæc ille de concepta statim ab improbis in Cardinale Theatino censura morum, ac fidei. Quam quidem opinionem, suscepta modò tuendæ Religionis cura, opere quàm maximo comprobauit; conciliauitque sibi vir integerrimus, & Christiani nominis vindex, vt bonorum incredibilem beneuolentiam, ac laudem, ita improborum perpetuum, atque implacabile odium: & quò illi commendare egregiam Theatini mentem copiosiùs, eò isti impotentiùs obtrectari eius zelo videbantur; compensabatque abundè malorum oblocutiones operis magnitudo, ac bonorum laus. Etenim qui sincero, vacuoque tunc animo orthodoxæ religionis statum, ac discrimen æstimarunt; nihil accidere Christiano Orbi opportunius potuisse, facilè intellexerunt; ac nimiùm quàntùm gratulati Romanæ Ecclesiæ sunt tantum diuini Numinis beneficium, dilaudato magnificè Cardinale Theatino, qui grande opus tempestiuè velut è Cælo deduxerat.

Porrò integram tantæ rei laudem deberi soli eidem Theatino, res est apud omnes testatissima. Siquidem, etsi [b] Alphonsus Ciacconius, à quo Ludouicus à Paramo, homo Hispanus hausit, Ioannem Toletanum Cardinalem, Senioris Albæ Ducis filium, excellentis virtutis, ac prudentiæ virum, in eius partem vocet, Sacramque Inquisitionem vtriusque Cardinalis inuentum fuisse pronunciet: omnium nihilominùs penè Scriptorum consensus solum Theatinum id excogitasse, ac Paulo Pontifici, in morum, fideique curam impensiùs incumbenti adprobasse, memoriæ commendauit. Videndus [c] Onuphrius Panuinius, [d] Papyrius Massonius, [e] Ioannes Antonius Petramellarius, [f] Ciccarellus, [g] Romanus auctor incertus Vitæ Pauli IV. [h], Cynus Campanus, [i] Iacobus Augustus Thuanus, Bullengerus è Societate Iesu, Antonius Tilnæus, Antonius Cerrutus, Antonius Cardinalis Carafa: vt prætercam Nostrates, exterosque alios, qui Cardinali Theatino præclarum opus vnanimi conspiratione adscribunt, vt nullus iam relinquatur ambigendi locus. Quanquam Cardinalis Toletanus rem inter omnes amplissimos eos Patres impensiùs commendarit; tùm quòd opportunitates, fructusque nouerat, qui ex eiusdem Sancti Officij censura in Hispania prouenerint; tùm verò, quòd passim in Germania Conuentus habebantur, in quibus oppidò absurda, ac fidei dissentanea efflagitare Nouatores non dubitabant: ac proximè quidem in Comitijs Augustanis supplicem

Traducitur à viris improbis.

[a] Apud Caracam collect. Pauli 4.

Egregiũ Cyni Campani testimonium.

[b] Vit. Pont. Auctoré Inq. Card. Th. in cõfesso apud omnes.

[c] Vit. Pontif.

[d] Apud Phileonardum.

[e] Paneg. Paulo 4.

[f] Hist. tom. 2. an 1541.

[g] Hist. furtiv.

[h] Carm. de Paul. 4.

[i] Apolog. ad Namq.

Card. Toler. non eius operis auctor.

Lutheriani Nicolao Granuellano, Caroli Cæsaris à secretis, libellum porrexerunt, quo, vt scribit [a] Surius, Clericorum connubium, aliaque Catholicis auribus insolentia, impudentissimè postulabant. Quapropter, quòd refrænandæ istiusmodi hæreticorum petulantiæ, ac temperandis ijs in Germania popularibus Conuentibus, maximè accommodatam hanc vitiatæ fidei quæstionem existimaret Cardinalis Toletanus; vrgere eius strenuè institutionem apud Pontificem conabatur; fauebatque perquàm ardenter insigni operi, quod non quidem ipse, sed Cardinalis Theatinus, sui amicissimus excogitauerat. Compertum verò eundem hunc Toletanum Cardinalem maximopere adnisum, vt Neapolim acerrima hæc fidei censura induceretur: incitauitque Petrum Toletanum, Germanum fratrem, qui Regni Neapolitani vices ea tempestate moderabatur, vt animum in id momentum intenderet. Pontificiæ insuper litteræ vt conficerentur, Ipse adlaborauit, quibus Neapoli euulgandis, eò è Prædicatorum Ordine Patres allegauit. Quod vero quidem simile est, in causa fuisse, cur laberetur Ciacconius, affirmaretque, Romæ præstitisse vnà cum Cardinali Theatino, quod Neapoli confecit. Atque hæc de Cardinali Toletano. Alij siquidem, qui sine historiarum fide, scriptorumque testimonio, velut eius rei apud Paulum Tertium auctores obtruduntur, nihil nos morari debent. Scio Petrum Ribadeneyram, id Sancto Parenti suo Ignatio tribuere. Sed hoc speciosiùs, ac verisimiliùs, quàm veriùs dici, nemo vnus non videt, qui monumenta historiarum legerit. Quippè ex eius sæculi scriptoribus, quem pro se laudet [b] Ribadeneyra, extat nullus. Id verò dumtaxat contingere potuisse affirmauerim, quod tamen neque ex Societate aliquis memorat; vt postquàm excitatus Romæ Censorius ille Purpuratorum Magistratus fuerit, ac summa cum hæresum clade, fideique incremento, administraretur; dilaudauerit id Pontifici institutum, ac præstantissimum consilium Ignatius, quem in religione procuranda, promouendaque, scimus fuisse præseruidum. Cum interim Romanæ hoc quæstionis Tribunal, hoc est, Christianæ Religionis præsidium, & columen, totum sibi vendicet Theatinus. Cuius insuper rei argumento satis luculento est, quòd sanctissimæ memoriæ Pius Quintus posteà statuit: vt scilicet quotannis piaculari, solenni que Sacro Congregationis Sancti Officij Cardinales Paulo Quarto Pontifici in Diuæ Mariæ supra Mineruam, quò transferri pios eius cineres, ac manes, & magnificè collocari, curauerat, parentarent. Decere quippè, vt simul & amplissimo, ac publico suffragio tàm egregij, atque vtilissimi consilij pretium Pontifici benemerentissimo æternùm exsolueretur: & continenti ea significatione, ac pietate contestarentur posteritati Augusti Patres, principem ac solum Sacræ Inquisitionis in Vrbe auctorem, atque assertorem fuisse Paulum Quartum. Quod ipsum idemmet Pius Quintus inscripto in splendidissimo eius tumuli epitaphio, testatum voluit, insigni eo titulo, [Catholicæ fidei acerrimo Propugnatori.] Qua item laude illum cumulauerat Guglielmus Cardinalis Sirletus; qui cum præclarum Sacræ Inquisitionis opus illi acceptum esse referendum, certò sciret; incidi ad Pauli Quarti Imaginem hoc elogium voluit. [Christianæ pietatis Assertor, atque Instaurator.]

Iam verò, quæ in orthodoxam Ecclesiam commoda, ac fructus à supremo, atque incorruptissimo hoc vitiatæ religionis Magistratu deriuarint, complecti animo quisque facilè potest. Illa Cynus Campanus, quem modò memorauimus, in ea laudatione, quam Paulo Quarto adornauit, aut dixit, perstringit in hæc verba, de Carafa, & Collegis loquens: [Hac igitur in Prouincia noster hic Princeps meritissimus ita mirificum religioni adiumentum attulit, vt nemo esset, qui tanti viri, & aliorum Collegarum nomine audito, non extimesceret, non se totum colligeret; & perpauci quidem inuenti sunt, qui non tàm publicè à religione dissentire ausi essent, quàm ne quidem diuinum nomen frustrà nuncupare. Quod profectò haud aliundè euenisse credendum est, nisi vel quia tàm graui vindice existente, nullo in loco malefici, & improbi securos se esse posse existimarent: vel quia cum præclarissimorum Patrum tàm clara exempla conspicerentur, non modò à vitijs abstinere, sed etiam nisi talium virorum virtutem imitari contenderent; eorum in numero haberentur, qui quantum animi virtus à vitio corporis differat, penitùs ignorent.]

[a] Comm. Orb. ter. an. 1540.

Sed consilio tamen quàm maximè.

Studuitque, vt Neapolim induceretur.

Qui alios S. Officij auctores faciunt nulla nituntur vera fide.

[b] Vit. S. Ignat.

Anniuersariæ exequiæ Paulo IV. decretæ

Ob institutam Inquisitionē.

Id ipsum Pij V. & Card. Sirleti elogia testantur.

Quæ in rem Christianam commoda ab Inquisitione.

Hæc

Hæc Cynus generatim, raptimque. Luculentiùs verò, ac propiùs restitutum Romanæ fidei, in Italia præsertim, decus cognosceret lector, si nec prolixiùs, nec vltra historiam, aut inuidiam esset, per Italiæ Vrbes omnes excurrere; atque inibi confecta in læsæ religionis perduelles, statim ab Sancti Officij institutione, acta inspicere, ac recensere. Eorum perbreue compendium se vidisse testatur, quem nihil sanè latuit, Antonius Caracciolus; affirmatque, haud posse quemquam illa percurrere, quem simul & correptæ altiùs, ac latiùs hæretica lue Italiæ non capiat commiseratio, & adfuisse illi commodùm, ac præsentissima ope Deum non profiteatur. Fusim hìc ipse, carptimque nonnulla commemorabo, vt hanc etiam partem pro modo impleam. Et quidem erectis ad Romanæ Censuræ specimen per reliquam Italiam iudicijs; lectisque incorruptissimis viris, inter quos fuere Michael Ghislerius, qui Ordini Senatorio à Paulo Quarto adoptatus, in Summum Pontificem mox euasit; Comes Albanus, quem item decus Purpuræ honestauit; Godescalcus, Mutius, Pesarus, alijque compertæ fidei, atque eruditionis, qui hæreticæ prauitati adlatrarent, profligarentque: breuì acri horum peruestigatione compertum est, nullum fermè esse Italiæ locum, quo non aspidum oua foueret hæresis.

Lecti per Italiã sacræ fidei Quæsitores.

Nullibi non necessarij.

Nouatorum vbique commercia, & scholæ. In Venetis publicum impietatis Athenæum Guglielmus Postellius, perditissimus hæresiarcha aperuerat. Famosissimum Vergeriorum par, scelere, & germanitate coniunctissimum, improbitatem apud Istros profitebantur; eò perniciosiùs, quòd eorum alter impiam mentem Episcopali Infula contegebat, conciliabatque dictis suis fidem dignitas. Circumpadanas Vrbes occupauerant Henricus Scottus, Sigismundus Celous, Martinus Borrhaus, & cum his fax illa religionis, Ioannes Caluinus; qui pulsus Gallia, in Italiam per id tempus inuolauerat, quam longè anteà clandestina cum plerisque consuetudine, ac litterarum vsu commaculauerat. Galliam Cisalpinam istiusmodi farinæ homines circumsidebant; atque incredibile dictu est, quæ hìc hæreticorum cubilia detecta. Terebantur hìc maximè transmissi è Germania pestilentissimæ eruditionis libri, atque ad communem perniciem aliò hinc distrahebatur ea merces. Etruriam Vermilius, Carnesecus, Lascisius, Zancus exercebant. Flaminiam, Picenum, Latium, Campaniam id generis præceptores erudiebant. Inter quos non deerant & viri principes, qui nomen impietati dederant, ac plerique supremæ notæ Antistites: vt planè actum iam de Italicis moribus, ac pietate videri poterat, nisi è præcelsa Romana Arce institutæ Inquisitionis zelus detonasset, fulminassetque impios eos omnes: qui acerrimorum Iudicum diligentia conquisiti, postulatique diuinæ Maiestatis, aut fuga elapsi, sese intra munitiones suas Transalpinas recepere; aut capti, tortique dedere criminum pœnas: vt ex eo, quod laudauimus, processuum compendio abundè constat. Quapropter, quòd vnum hoc amplissimum Tribunal Italiam illicò, ac religionem, quà supplicijs, quà metu expiauerit, non exiguum profectò præstantissimæ eius operæ pretium id fuit: ac fatendum omninò est, quàm optimè de Christiana Republica meritos illos esse, qui grauissimo in eo negotio suam operam posuere.

Vbique impietatis incentores.

In Venetis Postellius. Vergerij apud Istros.

In Circumpadana Regione, Scottus, Gelous, Borrhaus, Caluinus.

In Gallia Cisalpina satis multi.

In Etruria Vermilius, Carnesecus, Zancus.

Quibus vindicadis opportunum Inquisitionis fulmen.

At enimuerò, qui Sacram Inquisitionem fundandam enixiùs curauerat, Theatinus, quibus maximè temperari legibus, ac præceptionibus oporteret; nouerat probè ipse, admonebatque singulari prudentia alios. Quæ porrò longo vsu rerum, inspecta potissimùm hæreticorum indole, didicerat esse in ea morum, fideique emendatione præcipuè obseruanda, quatuor omninò erant; quibus ingenti cum animorum, pietatisque compendio insistere eius monitu, nutuque Purputatl Orbis Quæsitores occœpere. Quippè res esse verbi Dei scripti, Sanctorumque Patrum scitis conformes, ac superiori æuo strenuè obseruatas, nouqrant: ftatimque experientia illos magistra erudijt, quàm longè ab scopo errarent; qui aliam flagitiosissimos, ac versipelles Nouatores redarguendi rationem inirent. Igitur, quod primùm in fidei quæstionibus præcauendum existimabat Cardinalis Theatinus, dictum illud Alexandri Macedonis erat; Nihil differendum: hoc est, cum primùm in vitiatæ mentis suspicionem quis venerit, nulla vt mora inter ipsa indicia iuguletur malum. Extemporanea siquidem quadam fœcunditate luxuriat statim hæresis, ac momentò

Quæ in mulctandis hæreticis obseruanda.

Vt quàm primùm in illos animaduertatur.

numerosior grassatur, nisi maturè opprimas. Docuit id aptissima ea similitudine Paulus: Sermo, inquit, eorum, vt cancer serpit. Cuius quidem morbi, longè nocentissimi, is impetus est, vt nisi ignis, ac ferrum, quà perurendo, quà acriùs obtruncando sistant quàm celerrime improbitatem; corripi, ac marcescere mox reliquum corpus necesse sit. Alterum Carafæ monitum in hac religionis censura id erat, vt perquàm diligenter, ac seuerissimè anquiri in suspectos, delatosque debeat; eos præsertim, qui facinus obtegere, ac declinare potentiorum gratia, atque auctoritate iudicium conarentur: vti verò mitissimo in eos ingenio, & clementia, qui sua sponte crimen faterentur. Excepisse autem Cardinalem ipsum Theatinum singulari beneuolentia huiusmodi reos. qui suam ipsi labem eierarent, ac recipi postliminiò in Ecclesiæ sinum flagitarent, testis est apud ᵃ Massonium celebris Bononiensis Iurisconsultus Manfredus. Cum è contrariò quos in sistere obstinatè suo malo cerneret, asperrimè vindicaret; solitu que erat id Regij Vatis sæpenumerò vsurpare: In matutino interficiebat omnes peccatores terræ, vt disperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Hæ siquidem prudentissimi viri artes erant, vt refractarijs quidem durum sese, ac prefervidum exhiberet; implorantibus demissione animi veniam, placidissimum. Ceu id tandem Sacræ Inquisitionis munus esset, subiectis parcere, ac superbos debellare: quæ & præcipua etiam Dei indoles, ac laus est, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Tertium, vt nullis cum hereticis, præcipuè Caluinistis, blanditijs, ac beneficentiæ argumentis agatur; sed summa auctoritate, ac supercilio perduelles frangantur. Petitum hoc à ᵇ Tertulliano, qui sancita veluti lege, cauit, dicens: [Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda.] Testantur quęsita ab omni antiquitatis memoria exempla, Nouatores indulgentia, atque humanitate nunquam expugnatos; neque enim ea est rustica, ac prędura hominum mens, vt capi beneuolentię illecebris queat. Certè quòd ad Caluinum attinet, mitiùs cum homine perditissimo Nouiodunensem Episcopum egisse, aluisse improbitatem fuit. Compertum siquidem scelerum grauissimorum, inustum tantummodò, consignatumque probro, ac lilio voluit nimium facilis Antistes: quem si capitis damnasset, illud ᶜ Epiphanij dictum recolens; [praue fidei desperatam esse emendationem:] non eas subindè in Gallicana Ecclesia, totaque Europa tragœdias, ac turbas, tanto cum omnium luctu, casuque animorum excitasset flagitiosissimus veterator. Postremò admonitum volebat Cardinalis Theatinus, nulli, non Infulis, non Titulis, non Regiæ cuilibet dignitati parcendum. Enimuerò cum periculosiùs, nec soli errent Principes; intentiore quidem curā, ac celeriùs ex stimabat, in ipsos animaduertendum: ne ab ea pompa, ac specie honestari heresim contingeret; ac licere sibi vulgus putaret, quod summi viri profiterentur. Id solitum posteà dicere Bernardo Nauagero priuatis colloquijs Paulum Quartum accepimus: nimirùm Sancti Officij, ac Pontificum censuram cum Magnatibus potissimùm, si quos hęresis adflauerit, exercendam; eorum namque siue casum, siue emendationem, populorum ruinam, aut salutem consequi. Nouerat profectò prolapsum miserrimè vetustissimę Ecclesię Anglicanæ decus, quòd in Principem impurissimum insurgere suo fulmine Pontifex non maturasset. Et quòd vindicare Pius Secundus Georgium, impium Regem distulerit; fœdatam propterea Boemiam; diffusosque longè, latèque Hussitas. Pręstitit hoc porrò ipse intrepidè, ac adamussim: & quo tempore Summum Quæsitorem egit, cùm omnes acerrimè est insectatus, quos sciret impietate delibutos, tùm maximè violatę fidei quęstioni obnoxios viros principes, ac fœminarum nobilissimas; nullo clarorum hominum respectu, aut supremæ potestatis, sed nec regij sanguinis respectu, metuque voluit. Constat namque ex eo, quod memorauimus supra processuum compendio, plerosque Italię Summates, Duces, Principes, Dynastas primæ notæ mulctasse; ac veste, quam pœnitentialem vocant, consignasse. His legibus posita sanctissimę, atque amplissimę Inquisitionis fundamenta; cœptumque peragi hoc negotium eo fructu, compendioque, quo diximus, cùm Romę, tùm ad Romanum exemplar in reliqua Italia. Ac preter exsibilatas, proscriptasque hęreses, illud etiam consecutum est Romę commodum, quod Cynus ig-

Pane-

Vt quàm seuerissimè cū côtumacib⁹.

Ac beneuolè cum spontè fatentibus.

ᵃ Vit. Paul. 4.

Vt nullo beneficiorū illicio.

ᵇ Scorpiac. c. 2.

Benignitas cū Caluino.

ᶜ In Ancor.

Vt vel in conspicuos viros inquiratur.

Quam populorum stragē edit corrupti Principes.

Acerrimus principum vitorū vindex Theatinus.

Panegyrico narrat: nempè plerasque id temporis ab sacra hac Inquisitione excitatas mox, amplificandæ diuinę rei, Religionique Congregationes. Illam pręcertim, quam à promouenda fide Catholica nuncuparunt: cuius pręcipuum munus est, eos, qui recens authorati, Christo nomen dederant, fidei rudimentis, sac iisque institute, ac munificè alere. Atque hęc de Ięsę fidei Censura, Cardinalis Theatini opera Romę instituta, anno videlicet sexti sęculi quadragesimo secundo, quo Pontificium diploma, quod diximus, obsignatum fuit, decimo octauo Kalendas Augusti, Pauli Tertij Pontificatus anno octauo; licet agitari negotium cœperit, cùm priuatim à Card. Theatino eum Pontifice, tùm publicè à Pontifice cum Cardinalibus superiore anno; quo rem, ceu maturè discussam, ac probè constitutam, nos adnotatam voluimus: ac summam sexto huic libro manum imponere tàm insigni opere, quod vnum ex nostris Conditoribus in commune Christianæ rei commodum excogitasse, ac perfecisse, summoperè gratulamur. Quippè, etsi pręclara omninò res est, extremam terrarum, ac marium lineam Religiosos Ordines alios attigisse, ac per ardua montium, damnatasque æternis niuibus plagas in asperrimos, ipsique humanitati inaccessos populos euasisse, vt fidem, ac Numen importarent; præstantius fortasse, laudis certè non imparis est, rationem sapienter iniisse, vt inumbrata, atque afflicta domi, hoc est, Romæ, vniuersaque in Italia, atque Europa, ingenti cum Catholici nominis iniuria, Religio suam dignitatem, decusque recuperaret. Nam, quantum demum est, contemni Sacra in ipso velut mundi Sacrario? Et vbi fidei petra, ac fundamentum est, fidem ipsam impegisse, vel in syrtes, ac scopulos? Igitur, vt propior quędam cura, atque officij ratio est, cauere proximioribus; accessisse Cardinalis Theatini studio Italiæ, Romæque illibatum, auitumque fidei candorem, profligatis, qui infuscabant, nebulonibus, positàque ad orthodoxæ rei emendationem acerrima censura, præclarius enimuerò videtur quid esse; quàm dissitis à nostra humanitate, ac sydere nationibus imbuendis, formandisque cultu Numinis, longissimè peregrinari. Quanquàm neque hæc nostris hominibus egregia laus desit. Multis siquidem abhinc annis, noti Caucaso, atque altissimo Cæli Climati Clerici Regulares; ac iamdiù Theatinum nomen, virtutemque Orientalis Iberia, & Colchis, & Indica Gens pręcipuo quodam affectu, ac veneratione complectuntur.

Deriuatę à S. Inquis. Congregationes.

Præsertim de promouenda fide Cathol.

Fidem ad barbaras gentes propagasse, magnũ opus.

Maius fortasse S. Inquisitioné fundasse Romæ.

LIBRI SEXTI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SEPTIMVS.



OMÆ dum expiandæ Religioni, corrigendisque improbis fidei corruptoribus impigrè vacat Cardinalis Theatinus; Caietanus, cùm amplificandæ in Ordine Regularis disciplinæ, tùm instituendis ad pietatem exterorum animis sedulam operam nauat. Adeò namque, vt sæpè docuimus, ab insigni animorum tractatione, ductuque inclaruerat; vt quisquis ad frugem sese meliorem arcano instinctu Numinis animati sentiret, vitæque rationes cuperet emendari, is Thienæum conueniret, eius præceptionibus imbuendus. Morabatur adhuc Venetijs. Institutis siquidem Neapoli Comitijs generalibus, vertente anno secundo, & quadragesimo, renunciatus ad tertium annum Tolentinatis eius Cœnobij Præpositus fuerat. Quo quidem tempore excellentis sanctimoniæ opinionem, quam virtutum splendore concitauerat, editis miraculis comprobauit, adauxitque. Enimuerò hoc fermè anno putat Antonius Caracciolus, ea illum patrasse admiranda, quæ Io. Antonius Pratus, quem aliàs nominauimus, suis litteris consignauit. Ex quibus & alia profectò edidisse Caietanum sanctitatis documenta, dum viueret, coniectari facilè potest; neque enim iure sibi quisque persuaserit, non plerisque à Deo miraculis fuisse Virum sanctissimum honestatum, cuius vita tanto rerum humanarum contemptu, tantaque in Deum fiducia miraculum planè fuit. Existimandum propterea, aut ipsummet celebritatis despicientia, metuque occultasse; aut nostros homines, quibus imitari optimi Parentis probitatis vestigia, quàm transmittere in posteritatem miracula prius erat, non adnotasse. Quocirca, vt excidisse plura, ac magna, dolendum maximoperè nobis est; ita haud mediocriter gratulandum, pauca isthæc seruata, è tanti veluti Leonis amplitudine vnguem, quò æstimare reliquam molem, ac maiestatem possemus. Duo igitur gesta hoc tempore Venetijs à Thienæo mira accepimus; quæ, vt nos hìc breuiter exscribamus, poscit historiæ series. Alterum est. Periculosiùs, ac penè conclamata nobilis quædam mulier decumbebat. Accurrit Caietanus, & quam medicorum industria, atque ars destituerat, illi spem ipse, atque animos facere: mox ingenti fiducia, qui è Sancti Andreæ Corpore desudat liquor, ægrotanti propinat: haustoque vix guttulis, sanitati matrona restituitur: nec post multò è lecto surgit. Apostoli virtuti tribuenda procul dubio recepta incolumitas: nihil tamen est cur illam Caietani etiam precibus, ac fide impetratam non affirmemus. Solitos fuisse sanctos Viros scimus, pio Diuorum cinere humilitati suæ consulere, cum miracula ederent. Et quidem ita sacris ijs lipsanis accepta beneficia referebantur, vt sua ipsi sanctissimoniæ laude non fraudarentur. De qua re peti ex historiarum monumentis exempla poterunt satis multa. Alterum verò, quod Caietanus patrauit, ita accepimus. Diaconum è nostris quendam, abalienatum diù mente, ceu summè insanum, desperauerat medicorum consilium; qui tamen velut vltimum morbo remedium, iussere, aliud illum cælum experiri. Res Caietano minus probabatur: quippè amentem extra religionis claustra versari, an cum ordinis dignitate posset, vehementer addubitabat: ac pro strictiore instituti obseruantia admouere ijs curationibus ægrè aures solebat, quibus separari aliquatenus à regulari disciplina oportebat. Transigendum cum Deo negotium putauit: fususque in preces, ac lacrymas, pulsare totam noctem Cælum perdurauit; valuitque adeo prolixior

Comitia Neapoli anno 1542.

Miraculis illustratur Caietanus.

Ex quibus plura excidere.

Nobilem feminam sanitati restituit.

ea fides, atque orationis constantia, vt & impetraret, & impetrasse se, diuinitùs acciperet. Quapropter summo manè, antequàm scire de fratris incolumitate quicquam posset, plerisque audientibus, & ipsomet Prato, qui narrat, apertè pronunciauit, exaudiuisse Numen vota, ac redijsse iam iam suæ menti, ac sanitati sodalem; nec opus ampliùs esse, vt cælum, ac solum mutet. Prædictioni euentus respondit; repertus nanque ille est ingenti cum omnium admiratione mentis, ac sui compos: fuitque beneficium perindè constans, vt inauguratus postmodùm sacerdotio Diaconus fuerit. Insperatæ verò sanitatis laudem Thienæi votis, productis ad solidam noctem precibus, tribuendam nullus dubitauit. Ac mirum profectò fuit, id eius fiduciam effecisse, quod cuiquam contigisse, aut nunquam, aut vix inuenies tabulis consignatum: mente videlicet captum curasse. Amentem suæ menti.

Hæc Venetijs Caietanus, vbi egregijs factis, exemplisque virtutum ita aderat, vt latiùs etiam pertineret eius sedulitas. Nam quam præsens alibi excitauerat proximorum caritatem, atque egregia semel opera instituerat; ea absens vrgere litteris, ac monitis conabatur. Id quod datæ sub id tempus Neapolim, tùm ad Sapientiæ moniales, tùm ad alios, litteræ ostendunt. Vicentinæ item caritatis seges, vt in Xenodochio, quod ipse olim intentiore studio, curaque excoluerat, excresceret, vehementer contendebat: compositis nanque ad eius Nosocomij sodales litteris, vt egregio operi insisterent, afflictumque hominum genus erigere, quanta maximè possent ope, pergerent; mirum quo ardore animi commonere sæpiùs videbatur. Neque profectò debere hìc volumus epistolæ exemplar, quam inter pleralque ad eos dedit, plenam quidem robusti cuiusdam spiritus, ceu ipsamet caritas dictauerit; ac proindè dignam, quæ hìc apponatur. Est autem huiusmodi. [Desiderio vos consalutandi hæc scribo, ac simul magnoperè gratulor, delectos vos supremo à Numine inter alios Christi fideles præaltæ huic dignitati, ægrotantium videlicet, atque exulceratorum curæ; & vt tot virtutum operibus, quæ complecti strenuè vestra isthæc Sodalitas solet, ex animo vacetis. Eapropter rogo vos, quæsoque in Christi visceribus, vt si curare vestra Deum Maximum vultis; tueri laudatissimum hoc institutum opere quàm maximo studeatis. Agite, carissimi fratres, si exhilarare animum meum cupitis, illud anxiùs contendite, vt quàm optimè, ardentique caritatis studio res Nosocomij, atque inopum commoda peragantur; ac sitis ipsi spectatis moribus Vibi huic vestræ bonus odor, ac lumen. Hoc ipse ob Christi Domini, sanctissimæque Deiparæ amorem voueo, vrgere nimirum vos vnanimi voluntate præclarum opus: tùm rogo etiam, atque etiam, vt isthæc non tanquam à me peccatore prolata accipiatis, sed ab eo studio, affectuque, quo obstrictum me voluit Deus, vt vos amem, & vestræ Sodalitatis incrementa percupiam. Valete.] Hæc Caietanus, qui quando ea diligentia, ac zeli impetu externis cogitationes suas, animumque appelleret; & qua sedulitate, animique contentione domesticis, legumque nostrarum obseruantiæ aduigilasse dicendus est? Absens pia opera curat Caietanus. Vicentini Xenodochij caritatem litteris incendit. Earum exemplar.

Iam verò, vt accedere in dies ad nostram familiam plerosque non pœnitendæ virtutis viros, ita desiderari identidem contingebat, quos ad laborum stipendia, ac fructum Deus euocabat. Excessit porrò hoc anno è viuis Neapolitano in domicilio Seuerus Titionius, quem aggregatum Venetijs ad nostros homines supra memorauimus. Vir fuit virtutum omnium numeris absolutissimus, quas enimuerò singularis quædam animi demissio cumulabat: sui namque despicientia effecit, vt passus nunquam fuerit exorari, vt sacerdotio initiaretur; sanctissimorum videlicet virorum imitamento, quos terruit dignitatis amplitudo. In profligandis verò animi motibus, ac frangendo corpore, austeriore quadam vitæ ratione, multus fuit: planè vt nunquam impunè sensus exorbitarit, mulctatus continuò flagris acrioribus, ac sanguine, exiguaque annona, aut prorsùs nulla. Hac verò in seipsum seueritate, ac disciplina, vt animum, affectusque suos omnes subiecerit, ac triumpharit, exemplo declarauit, quo nescio, an è celebriore schola aliquis edere nunquam possit præstantius. Erat is, vti significatum est, humaniore litteratura insigniter excultus, doctusque cum primis Græcè, & Latinè; & ne sua videretur contemnere, Italicam etiam linguam anxiùs, atque ad notæ melioris normam expoliuerat: vt meritò Abit ad pauciores Seuerus Titionius. Eius humilitas. Corporis, animique afflictationes. Sui victoria, & eius specimen. Linguis excultus.

inter

inter laudatissimos eius æui Scriptores sermonis munditie, cultuque illum adnumerauerit, quicumque ea perlegerit, quæ ipse, antequam religiosæ disciplinæ nomen daret, euulgauit: epistolam præsertim apologeticam, cuidam ex Ioannis Boccatij libris affixam, longè elegantissimam, ad Camillam Bentiuolam, Principem fœminam, Pyrrhi Gonzaghæ coniugem. Igitur ne steriles transmisisse annos videretur, qui ab ea potissimùm linguarum peritia fructum aliquem posset in rem communem deriuare; quicquid absoluto sacrorum penso, atque ab reliqua disciplina, domesticisque occupationibus, temporis reliquum erat, id ipse studiosiùs in traducendis Sanctorum Patrum scriptis insumebat. Quod verò genij quadam propensione, ac studio quidem prolixiore accurrabat, id erat, Sanctorum vitas, quas Laurentius Surius luculenter descripsit, ex Latino in Italicum transferre. Cumque iam excresceret assidua scriptione opus, ferueretque; Ioannes Marinonius, qui Præpositum agebat; siue quòd nimis anxiùs adornando operi Seuerum cerneret, ac proindè aliquem ab cultissimis ijs vigilijs gloriolæ afflatum illi metueret; siue, vt auream viri indolem ad ignem exploraret, dareturque præclarum virtuti exercitium, ac seges; iubet illum, quas concinnauerat, lucubrationes omnes afferre; allatas, dum quid de illis decerneretur, auctor expectaret, nulla mora Vir sanctus in proximum ignem inijcit conflagrandas. Res planè visa supra hominum vires, ac tolerantiam; ac teputare secum ipse quiduis aliud Seuerus poterat, quàm corrumpendos momento ea flamma desudatos non vna aurora, ac nocte labores suos. Lucubratos à se libros, inquit ille, velut liberos adamari, eò vehementiùs, quàm cæteram sobolem, quòd hanc precarij spiritus, ac breuis æui mortales pariunt; illos, qua parte Deo maximè accedimus, enitimur immortalitati. Nihilò tamen minùs qui assidua virtutum exercitatione, ac fręno coercere animum suum didicerat Titionius, concremari pręclaros Ingenij fœtus dura fronte vidit; ac prosecutus iacturam est sereniore quodam oris habitu, ceu nacta iam illa litterarum monumenta in eo igne meliorem lucem fuerint, quàm publicam. Quocirca qui prudentissimam Marinonij mentem eò collimasse potissimùm nouerat, vt proniorem in eam scriptionem affectum emendaret, transferretque ab ingenij, studiorumque lenocinijs ad solidiora animum; aduolutus illicò summa cum sui demissione ad eius pedes, redarguere nimis, anxiam suam operam, humanæque laudis gustum cœpit: tùm habere sanctissimo Seni gratias, quòd acriore igne lucem fecisset; monuissetque, non scribendis rectè virtutibus, sed cum laude imitandis vacare religiosum virum debere. Istiusmodi documenta apud antiquos asceetarum Rectores inuenies satis multa; vt, & Marinonium austeriore disciplina imitatum sapientissimos animorum præceptores scias. & assecutum Seuerum priscæ virtutis laudem, ac vim animi imperturbabilem, atque inconcussam. Porrò corripuit ea scripta ignis, atque absumpsit quàm citissimè: casu tamen exigua illa lucubrationum pars ab incendio emicuit, euasitque, quæ quadraginta Martyrum res fortiter gestas, triumphosque enarrabat. Veluti qui frigidissimam olim hyemem, geluque vicerant, generosiùs tolerando; par esset, vt ignem nunc luderent, ac superarent. Quàm historiæ particulam die eorundem Martyrum coronis sacra, legi quotannis super mensam solitam fuisse, narrat Tufus: & quam accuratissimum quoddam dicendi genus, ac dictio perquàm elegans commendabat; oblectare animos & argumenti præstantia, & styli gratia mirificè videbatur. Interea ab tolerata adeò strenuè hac præstantium vigiliarum clade libeat reliquum spectati viri laudem æstimare. Neque enim vulgaria virtutum ornamenta, ac decora honestasse illius animum putandum est, cuius patientiam, ac moderationem repentinum illud, ac ingens tentamentum nec minimam quidem partem libauit. Adauctum verò disciplinæ studium, ac peracri eo Ioannis monitu excitata Seueri mens est ad rerum pulcherrimarum imitamenta; & quantum deinceps litteris, atque ingenij occupationibus detraxit temporis, ac diligentiæ, tantundem exornando animo, diuinisque contemplandis adiecit curæ. Cumque summæ virtuti egregiè insisteret, interceptus morbo, ac fato est: clausitque supremum diem hoc anno, die vigesima sexta Augusti, exitu quidem, exactæ vitæ rationibus non absimili; testante communi omnium sensu innocentiam morum, studiumque regularis instituti.

Traducendis Sanctorum Patrum monumentis vacat.

Periculum eius virtutis facit Marinonius,

Scriptos eius commentarios igni dando,

Quos ille cremari constanter videt.

Demissusque in genua constantiam cumulat humilitate.

Quæ flammã euasit scriptorum particula, legi solita super mensam.

Studia virtutum impensiùs prosequitur Titionius

Ac piè moritur.

Capitulum Gen. Venetijs an. 1543

Redeunt consequenti hoc anno voluentis sæculi 43. anniuersaria Congregationis Comitia, Venetijs habita: in quibus Caietanus, expleto eo in Cœnobio triennali Magistratu, renunciatur Neapolitanæ Domus Præpositus; Venetæ verò iterum Bernardinus Schottus. Defunctus suo munere Ioannes Marinonius, singularem animi demissionem, mœroremque, quo Paulinam olim administrationem susceperat, æquauit profectò lætitia, qua nunc abdicauit: quippè, vt excellenti quodam genere modestiæ præstabat alijs, ita præesse illis dignitate, vel maximè auersabatur; incredibili alioquì in communi re temperanda consilio, ac solertia præditus.

Triennalem præfecturam ponit Marin.

Et pretium operæ faciam, si posita nunc familiæ cura, quam in ea regenda prætetulit indolem, ac prudentiam Marinonius, aperiam: vt qui sæpiùs admotus moderandæ disciplinæ fuit, Neapolitanum siquidem domicilium vndeuiginti omninò annos identidem rexit; eius exploratam administrationis formam, rationemque habeamus: ac discere hinc religiosus Rector possit, qua tandem temperatione procurari religiosa res debeat. Et verò, optimi Ascetarum Moderatoris exemplar, ideamque nescio, an aliquis vnquàm veriùs, atque aptioribus lineamentis expresserit Marinonio.

In administrãda re cõmuni eius ratio, ac modus.

Præfecturas in primis, quas adfectare insitum mortalibus est, omni ope, vt diximus, recusabat; cum enimuerò dignissimus, qui illas iniret ab omnibus haberetur: quippè dignitatem consequi, vt non semper virtutis argumentum est, cum ignaui plerumque, ac multò etiam sæpiùs capessant; ita respuere, sine insigni quadam mentis celsitudine, animique præstantia contingere, vix potest.

Magistratus recusare, prim̃ceps illi cura.

Igitur, impositus communi rei Marinonius, prouinciam exemplo maximè accurabat; diceres Præpositum, quod primas in laboribus, curisque communibus obeundis partes sibi vendicabat.

Exemplo subditis præit.

Cæterùm imperata facienti, quàm iubenti similior; ac perinde auctoritati lenocinabatur humilitas, vt reuerentiam conciliaret, non imminueret. Mitissimi planè ingenij erat, raramque in supercilio, vultuque seueritatem admittebat, aut pompam: neque verò relaxari hinc disciplinam vnquam contigit, cuius profectò tenax, quàm qui maximè; curabatque anxiùs, ne qua sensim labes, aut vitium accederet: ac re quidem ipsa docuit opportunè.

Auctoritas illi cum humilitate coniũcta.

Enimuerò è Nostratibus quidam magni nominis, licere ad animi oblectamentum sacrum quoddam modulari carmen, sibi persuaserat: quod vbi Ioannes resciuit, mirùm quo zelo absterruit, mulctauitque. Ignoraret scilicet, quàm Sodalitatibus perniciosa res esset, noua, quamuis honestatis speciem ferant, sed quibus remitti aliquantisper disciplina videatur, inducere.

Disciplinæ regularis studiũ.

Ad hæc, nunquam visus, culpam præterire, quin corriperet, ac vindicaret: ineratque verbis suus rigor, ac pondus; sed quæ ita amabilitas temperabat, vt punitis vel ipsa placeret acerbitas. Si quam nouisset inter Sodales enatam sententiarum disceptationem, verbumque excidisse differentibus subasperum; quòd delicatiorem putaret caritatis indolem, quàm vt leuissimum aliquem simultatis afflatum ferret: mutua statim venia imperata, medicinam exiguo vulneri faciebat, ac futuro potiùs malo cauere, quàm præsenti videbatur.

In increpãdo acer, ac blandus.

Moribus quidem simplicissimus, verùm in dignoscenda animorum indole planè sagax. Arcanas siquidem cuiusque cogitationes, aut impetus ceu fronte legeret; admouere accommodata singulis adiumenta, ac præsidia solitus erat.

Cum prudentia in eo simplicitas.

Solertissimo id genus consilio Seuerum Titionium, quo de modò locuti sumus, erudiuit; abstersitque humani sensus labem, gustumque gloriæ. Qua item luce prudentiæ occultos introspexit alterius conscientiæ morsus; curauitque, consignata opportuna quadam Sacræ Scripturæ pagina, quam iussit, vt legeret. In rebus consultandis, atque expediendis, sententiam suam ita aperire subditis consueuerat; vt excipere eorum monita, ac sequi consilia, quæ erat eius modestia, præcipua in laude poneret. Libari religiosam victus parsimoniam nunquam tulit: si quando verò allaborasse plus solito in domesticis officijs, curisque contigisset; rogatum ibat ipsemet, & quid obsonij parassent? tùm reficiendis copiosiùs viribus, augeret dimensam annonam æconomus, iubebat.

Alijs facilis, sibi rigidus.

Secum ipse oppidò rigidus, ac durus; honestas nihilominùs fratribus remissiones, vt quæ virtutes, opesque animi reficerent, non abnuebat: neque eorum facilè excusationes admittere videbatur, qui istiusmodi laborum, strictiorisque disciplinæ laxamentum respuebant.

In ægrotos caritas.

Ægrotantes vt commiserandos intimè censebat, ita caritas in eos pronior.

niot. Inuisere statim à matutinis precibus in more habuit; ceu princeps isthæc hæreret animo, ac pectori cura: tùm interdiù sæpè aderat: inseruire ipse, solari: an accuratè omnia peragerentur, an tempestiuè? interrogare diligentiùs assueuerat. Iam verò, ne torpesceret communis legum obseruantia, excitare assiduis adhortationibus, ac monere identidem Instituti solemne illi erat. Silentio nihil illi magis ad cor, cuiuslibet, vel exigui susurri vindex. Paupertati ceu primas datet, secundas munditiæ, nitorique; ita in vtramque laudem incumbebat impensiùs. In re potissimùm diuina, sacroque cultu adornando, curandoque totus erat. Ac ne singula anxiùs prosequar, quæ constituere sapientissimum, suisque absolutum nnmeris, sacræ familiæ Rectorem, solent; mirabili planè concentu, conspirauerant in Ioanne, innocentia, mansuetudo, zelus, caritas, prudentia: quibus amplificandæ communi disciplinæ, exaugendæque virtuti singulorum mirificè instructus, cogebat vi quadam ineluctabili, suauique subditos, non modò moderatori obtemperare, sed illum moribus etiam exprimere. Atque hæc de Ioannis in administrando munere artibus, quarum commendatione prouocatus persæpè ad aliorum regimen, vel suis ingratijs fuit.

Silentium. Paupertas.

Sacrorum amor.

Nunc ad Caietanum, qui Neapolitani Cœnobij procurationi destinatus, vt priuatæ libentiùs virtuti operari, regique aliorum arbitrio peroptasset, ita suæ tranquillitati, & commodis communem antehabuit Ordinis vtilitatem, & cui se authorauerat, obedientiam. Profectionem igitur statim adornauit, & quòd vernum iam anni tempus commodam adpromitteret velificationem; ineunte siquidem Maio mense absoluta Venetijs comitia, transmittere Adriaticum mare opportuniùs putauit. Institutam verò nauigationem oborto mox ingenti periculo Caietani preces, ac fides nobilitarnnt. Enimuerò, vt narrat Pratus, quæ est Adriaci sinus inclementia, ac fides, vt nulli planè detur impunè traijcere, consecuta illicò tempestas est, quæ momentò vsque adeò inualuit, vt expugnatura nauim facilè videretur, incumbentibus certatim in eam ventis; nec eius lateraférociùs, quàm omnium pectora, qui vehebantur, propiore discrimine euerberantibus. Decumanis ijs fluctibus dum cedere, & nauis, & rector viderentur, cæterique consternati metu, animum despondissent; haud elanguit in Caietano vis illa pectoris imperterriti: ac spe bona fretus, contra cæli rabiem, ac minas à Cęlo petendum auxilium putauit. Quocircà concepta paululùm prece, cereum Agnum furentes in vndas iecit. Nec mora: ceu mansuetudinem ab sacra ea Agni imagine didicisset pelagus, visum confestim subsedisse; ac restituta fluctibns tranquillitas, perculsos ea rerum facie cunctorum animos serenauit. Victrici maris, ac tempestarum sacræ illi ceræ, vt tribuere miraculum socij; ita Caietani fiduciæ, votisque communi consensione suus honor habitus fuit: maximè quòd ea erat egregij eius spiritus, virtutisque apud illos opinio, vt imperare ventis potuisse, facllè sibi persuaserint. Porrò ex Nostratibus non defuere eius rei testes oculati duo, qui Caietanum comitabantur; nempè Marcus Venetus, de quo aliàs memorauimus; & Gregorius Marinus, qui à Carafa ante annum duodecimum in Ordinem cooptatus, egregiæ semper frugis, atque eximiæ prudentiæ specimen dedit. Hic ille est Marinus, qui conscriptis rerum nostrarum breuibus admodùm commentarijs, quorum autographum Romæ extat in Quirinali tabulario, lucem quandam vetustati fecit: ac tùm plura ijs litteris adnotauit, quorum sanè memoriam æuum obliterasset; tùm maximè rerum, ac temporum seriem consignando, perpetuum quoddam historiæ cõtexendæ filum præbuit: mereturque suam profectò laudem exiguus hic labor, ac perfunctoria veluti quædam annalium delineatio, quam eadem quidem methodo, ac breuitatis ductu alij subindè continuarunt. His igitur socijs Neapolim appulit Caietanus: & qui incredibile sui desiderium, cùm Venetias discessit, reliquerat; reuertentem, vt eius acta canonizationis adnotarunt, veluti lapsum à Cælo Angelum, excepere, cùm nostri homines, tùm exteri: & ipsemet, quòd prouenire Neapolitana in Vrbe, ac florere lætiùs pietatem, pronamque ad omnem virrutis laudem, gentis indolem aduerteret; ardentiore quodam animi impetu, affectuque in eam ferebatur; desudabatque libentiùs ea in area, vnde fructus longè vberrimos colligeret.

Venetijs soluit Caietanus.

Obortamque supero mari tempestatē,

Sacro è cera Agno sedat.

Marcus Venetus, & Gregorius Marinus Caietani socij.

Marinus rerum Nostrarum commẽtarios scribit.

Exceptus Neapoli Caietanus, vt Angelus.

Quod

Quod nostro Ordini perquàm luctuosum hoc anno accidit, is fuit Ioannis Matthæi Giberti, viri in omni laudum genere cumulatissimi, obitus, quem nostris litteris consignare par est: domestica siquidem commemorare, cum de Giberto loquimur, videmur; vt qui nostrum Institutum non modò maximè probarit, atque eius initia singulari quodam ardore animi iuuerit, ac fouerit posteà insigni munificentia inopiās verùm etiam, vt communi inter Nostrates fama compertum est, de eo capessendo cogitauerit, & inijsset quidem, remisso rebus humanis nuncio, nisi publica Romanæ rei cómmoda, & Pontificum studia distinuissent. Et sanè quod impetrare habitu, conuictuque minimè potuit, assecutus vsque adeò affectu, ac studio est, vt citra cultum, ac speciem esset profectò Clericus Regularis. Iam verò de magna eius indole, incorruptisque moribus, de singulari in agendo dexteritate, de susceptis strenuè pro Ecclesia laboribus, de Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, de Summorum Pontificū gratia, ac reliquo eius virtutum censu, sparsim supra innuimus; & describuntur ea omnia graphicè in funebri laudatione, quam in eius parentalibus Adamus Fumanus Veronæ habuit, & noster [a] Aloysius Nouarinus inter suos commentarios luci dedit. Prestantissima verò, atque innumera eius animi decora cum fuerint; tùm ardorem illum in efformanda Veronensi Ecclesia, instaurandisque moribus, nullum profectò elogium æquauerit. Dixisse sat fuerit, Carolum Borromæum, formam illam, gemmamque Antistitum in reformanda Mediolanensi Ecclesia ad Giberti sese exemplar, ideamque composuisse; cuius quidem, vt exempla virtutum versare animo, ac dilaudare consueuerat, Ita reflorescere templorum, morumque cultum, ac decus ab eius institutionibus voluit. Hoc itaque anno exeunte, Veronæ, hoc est, in lectissimæ sponsæ suæ sinu, fato concessit vir laudatissimus, exitu quidem, vitæ innocentiæ consentaneo; quem datis ad Carolum Gualteruccium litteris descripsit Franciscus Turrianus, Patricius Veronensis, Giberti ipsius à secretis: extatque [b] apud nos epistola, quæ inter alia habet: Cauisse illum testamento, vt, quò nulla funeris pompa corpus exanime honestaretur, decem non amplius aurei curandis exequijs impenderentur. Id autem gratissimam Veronensem Ciuitatem minimè tulisse; verùm omnibus tristitiæ imitamentis, ac splendidissimo funere testatam, communem amisisse se Patrem: neque consequi stylum posse publicum, eumque acerbissimum omnium ordinum luctum, ac sensum. Accurrisse porrò ciues omnes, atque è pagis innumeros, qui commendare flagrantissimo erepti Antistitis desiderio virtutem, ingentem iacturam complorare, figere manibus, ac pedibus certatim oscula videbantur. Cumulasse verò optimum Presulem supremo in eo vitæ actu omnigena pietate, ac præstantissimis virtutum documentis, quam de se, morumque suorum sanctitate famam excitauerat viuens. Plura in ea epistola Turrianus. Nos hæc adnotasse sufficerit, vt persoluisse iusta viro beneficentissimo, optimèque de nostro Ordine meritō, famamque nominis à mortalitatis iniuria pro modo vindicasse videremur. Nunc pergimus.

Giberti Veronen. Episc. mors.

Eius in Ordinem studiū.

Virtutum insignia.

a Encyclop. Epistol.

Præsertim disciplinæ zelus.

Ad quem conformatur D. Carolus Borromæus.

b Neapoli in tabulario D. Pauli.

Ab exequiarum splendore cauet sibi Gibertus. Quem supplet Ciuitas Veronensis.

Romæ Cardinalis Theatinus in nouam Purpuræ appellationem, ac titulum transit. Exuta namque priore nomenclatione Sancti Clementis, Cardinalis Sanctæ Mariæ Transtyberim nuncupatur. Institutam verò hæreticorum censuram, ac Religionis emendationem eo ardore, quo inchoauerat, cum socijs prosequitur. Nusquam iam tuta, aut tolerata eo vindice perfidia. Reposci ad pœnas improbos, plectique, ac vindicari acerrimè; collucere palàm ferrum, ac ignem; litari facinorosorum mulctis Catholicæ fidei, frequentiora hæc erant reflorescentis pietatis indicia. Atque hoc potissimum anno clandestina quædam hæresum vestigia deprehensa, proscriptique fraudum architecti, atque impietatis magistri, quibus expiata mirificè Italia est: atque existimationem adauxit Cardinali Theatino publica bonorum omnium commendatio. Neque hic pretermiserim, quo ille sensu, ac lætitia perfundi videretur, cum subsidiarias dare præstantissimo operi manus Principes intelligeret; aut ea imperare in suo Principatu, quæ Religioni cauerent, illamque aut repurgarent, aut amplificarent. Quarè quòd Lusitaniæ Rex Ioannes, laudatissimi nominis Princeps, Hebreos sub id tempus à suo Regno expulerat; quos, vt flagitiosissimos, ac Numini, Cæloque infensos, ita publicæ rei Christianæ, fideique pernicio-

Insignitur nouo titulo Cardinalis Theatinus.

Rem S. Officij egregiè administrat.

Ioannem Lusitaniæ Regem laudat, quòd Hebræos expulerit.

sissimos reputabat Cardinalis Theatinus; probare præclaram mentem, ac dignam sapientissimo Rege satis nunquam potuit: datisque ad eum litteris, gratulatus maximoperè est, quod Regni simul, ac Religionis commoda strenuè curauerit impiæ gentis missione; à qua & popularium mores, & pacis studia, & ipsam rem Catholicam labefactari necesse erat.

Grauissimis autem hisce publicæ Religionis negotijs, quæ magnam planè quandam animi indolem, ac totum vindicare sibi hominis studium videbantur, addita nihilominùs consequenti mox anno aliorum munerum prouincia, ac moles. Sciebat nimirùm Pontifex, amplissimam Theatini virtutem spargi quidem multiplices in curas posse, non minui: cum id sit magnarum mentium, ita vni officio adesse, vt complecti plura eadem vi, ac facultate valeant. Igitur, cum omnibus Romanæ Aulæ officijs, quod sæpè ad nostri æui laudem commemorauimus, malè esset, tùm Sacræ Pœnitentiariæ, quam regi summa integritate, atque incorruptè debuerat, inuecta administrorum sensim auaritia, nihilò meliùs res procurabatur. Expugnauerat quippè iudicij sanctitatem vis auri: grauissimarumque rerum momenta non prudentia, aut æqui, bonique ratio; sed cupiditas, ac licitatio ingenti cum Ecclesiasticæ disciplinæ damno, atque hæreticorum oblocutione expediebant. Eximebantur passim ab suorum Antistitum potestate flagitiosissimi quique Clerici; crescebatque hac indulgentia in publicam perniciem horum improbitas; subiectorum verò crimina si qui punire Episcopi vellent, impetrata statim ab cupidissimis ijs administris impunitate, ludificari iudicia, ac bonam Præsulum mentem contingebat. Apostatis extra Cœnobia aliò quidem habitu, nullaque prorsus sui Ordinis tessera, commorandi facultas concedebatur. Retineri adepta malis artibus Sacerdotia, laxari vota perquàm facilè, irrogatas Pontificum consultis pœnas abrogari, aliaque dictu fœdiora, pacto nimirum pretio, atque institutis veluti nundinis cernebantur. Hæc olim, cum inter Nostrates ageret Carafa, Clementi Pontifici etiam, atque etiam commendauit, vt in ijs monitis videre est, quæ ad eundem Pontificem perferenda, fratri Bonauenturæ, Viro è Diui Francisci Obseruantia integerrimo, dedit, & nos supra recitauimus. Præstantissimi item Patres illi, quibus de emendanda religione negotium à Paulo Tertio fuit datum, in ea scriptione, quam eruditè, ac piè pro Vrbanæ disciplinæ, Christianique Orbis instauratione lucubrasse diximus, in hoc potissimùm, ac prolixiùs inductum in sacram Pœnitentiariam dedecus inuexere; duxeruntque pernecessarium, vt emendarent; quando de hoc præsertim Germanos conqueri sciebant in eo libello, quod, Centum grauamina Germaniæ, inscripsere; nouerantque superiorum Pontificum plerosque in hanc maximè curam animum intendisse; sed quà bellis aliò mentem auocantibus, quà fato perurgente, abrupta fuisse, quæ institui cœperant; iterumque improbitatem, moremque renascentem triumphasse. Cauit profectò accuratè palmaribus hisce hominum flagitijs Cœtus ille, vt videre est in eius lucubrationis capite 21. 22. & deinceps. Verùm, vt iam adnotauimus, dilaudata quidem abundè fuere prudentissimi Senatus consulta, ceu restitutæ Ecclesiæ decus pollicerentur, sed ne communi obseruantiæ proponerentur, vetuit iniqua temporum conditio. Eapropter, cum in publico, sacroque eo Pœnitentiariæ munere administrando, prauæ in dies valescerent consuetudines, atque ad inhonestiora propelleret auri fames; aggredi hoc malum statuit Paulus Pontifex: excitauitque Augustorum Patrum, ac præstantium Antistitum Congregationem, qui immissa in adultam, luxuriantemque eam vitiorum segetem falce, demeterent, abolerentque turpissimum lucri genus, quod vltra ius, fasque in sacrum illud tribunal irrepserat. Huius porrò grauissimorum virorum Cœtus Præfectus renunciatus Cardinalis Theatinus fuit, eiusque in Domo cogi solitum affirmat is, qui eiusdem Theatini Domus Præfectus tunc erat, Virgilius Rosarius, in suis Commentarijs. Socij ex amplissimo Senatu fuere omninò quatuor; nempè Sanctacrucius, Crescentius, Polus, Ardinghellus: Antistites verò quinque, scilicet, Episcopus Forosemptonianus, Capiferrius, Pontificis Datarius; Fabius Peregrinus, Sacræ Pœnitentiariæ Regens; Philippus Archintus, Episcopus Biturigiensis; & Romanæ Vrbis Vicarius. Qui sanè

1544. Eius mens multiplicium curarum capacissima.

Pœnitentiariæ abusus.

Administrorum auaritia.

Remedium frustra alias tentatum.

Afferre Paulus III. studet, instituta Congregatione.

Cuius Præfectus Cardinalis Theatinus.

strenuam eo in negotio operam collocarunt, abruptoque eo cursu rerum, quà inueteratis iam prauis moribus conuellendis, quà nouis, opportunisque legibus sanciendis, visa iustitiæ integritas, ac sanctitas magnam partem restituta. Quâ quidem in re præclarè desudauit Cardinalis Theatinus, cuius maximè virtuti incumbere ea moles videbatur; quam penè iterum collapsam, erigere posteà summa ope conatus est, cum Rempublicam Christianam temperandam ipse suscepit, Romanus Pontifex inauguratus.

Laboratque in ea Prouincia strenuè.

Interea temporis læsæ Pontificiæ auctoritatis, Romanæque religionis ingens cura, ac mœror incessit Pontificem Paulum, qui præsenti iniuriæ propulsandæ, cauendisq; grauioribus Catholicæ rei malis, vsus præcipuè est opera, atque eloquentia Cardinalis Theatini. Celebrauit hoc anno Carolus Quintus, Cæsar Spiræ in Germania Conuentum longè celeberrimum; nam & Septem-Viri omnes adfuere, quod perquàm rarò accidit, & Ferdinandus ipse Romanorum Rex, & Principes, atque Ordines Imperij omnes. Cæsaris ea potissimùm mens fuit, Germanorum Principum inuidiam, ac arma in Gallorum Regem, quocum acriter tunc dimicabat, concitare; eo potissimum nomine, quòd florentissimum Pannoniæ Regnum à Turcarum Rege Solymanno interceptum, Gallo esset imputandum, qui fœdus cum ea Gente, ac Principe sanciuerat. Proindèque non modò cauendum, ne militem in Germania conscriberet, verùm etiam collatis vnà consilijs, ac opibus vlciscendam iniuriam esse, ac vindicandum Gallicum nomen, quòd eo fœdere, ac Turcarum confinio publicam Germaniæ pacem, atque imperia Rex Gallorum perturbasset. Res planè ex sententia Carolo cecidit: exarsere siquidem omnium, tùm Catholicorum, tùm hæreticorum Principum certatim & in Gallum odia, & in Cæsarem studia; communique causæ, & milite, & auro adesse vnanimi consensione decreuere.

Spirensis Conuentus.

Germanos Principes in Gallum incendit Carolus Cæsar.

Felici quodã successu rerum.

Huic omnium voluntati, ac studijs amplissimis obstrictus Carolus, quædam indulgere Germanis Principibus coactus est, quibus carpi non minimùm Pontificis maiestas, ac ipsa Romana religio visa est. Sancitum nanque est, vt hinc Cæsar instaurandæ, reformandæque religioni quandam fidei, morumque normam præscriberet: hinc acatholici suorum etiam dogmatum capita adornarent, quæ proximo Conuentu ad examen exigerentur; vt certa quædam credendi, viuendi ratio constaret; donec aut generale Concilium, aut popularium Comitia in Germania cogerentur. Interim integrum cuique esset, illa profiteri, quæ hactenùs credidisset. Accommodata isthæc tempori fuisse, confessus ingenuè est posteà Nicolaus Granuellanus, vt [a] Iacobus Thuanus refert, quò scilicet faciliùs à Germanis Principibus auxilia impetraret Cæsar; non quòd ea statuendi, obseruandique animus reuera esset: atque è Catholicis quidem nullus fuit, qui probaret, aut scripta obsignaret. Perlata Romam hæc Spirensium Comitiorum decreta, nimiùm quantùm Pontificis animum affecere, qui etsi adstipulatum ijs Senatus-consultis Imperatorem difficilè sibi persuaderet; tamen, quòd ita Romanæ Aulæ sensus interpretabatur, ceu vellet Carolus, cui suspecta iam esse Pontificis fides cœperat, illius auctoritati detrahere; occurrendum præmaturè statuit, monendosque seculares Principes, ne quid in Vicariam Numinis potestatem auderent; ac eius sibi figendi leges, ac scita in rebus Ecclesiasticis, quæ Romanæ dumtaxat Sedis auctoritas, ac vis est, vindicarent. Quocircà Pontificias litteras conscribendas ad Carolum Cæsarem duxit, quibus verborum grauitate leniùs primùm, mox vehementiùs adhortari illum voluit, ne quæ libare Apostolicæ Sedis dignitatem viderentur, consilia promoueret, foueretque. Germaniæ Protectorem eo tempore agebat Christophorus Madruccius, Cardinalis Tridentinus; & quòd aberat, eas tunc vices gerebat Cardinalis Theatinus, vt ex Rosarij Diario habetur; renunciaueratque hoc anno Nouembri mense, publico in Augustorum Patrum Consistorio, pro sui muneris officio, Spirensis Ecclesiæ suffraganeum. Quarè eo nomine, & Theatini animum ea Comitia pulsarunt, doluitque inflictum id Romanæ religioni vulnus vnà cum Pontifice vehementiùs: qui & quòd Germaniæ momenta ad Theatinum spectare videbantur, & quòd neminem maiore facundia, ac prudentia monere Cæsarem posse existimaret; conscribendarum litterarum Pontificiarum negotium illi dedit. Et composuit ille disertè, quas vidisse se penes

Absurda quædam admittit Carolus.

Vt seruiret tempori.

a Lib. 2. pag. 49.

Quæ Pontificem intimè affecere.

Ac monere Cæsarem litteris statuit.

Demandatur Card. Theat. vt litteras ad Cæsarem componat.

 Philo-

Philonardum Episcopum Aquinatum, eiusdem Theatini manu, ac notis plerisque in locis consignatas, emendatasque, vt assolet in autographis, testatur Antonius Caracciolus, qui & excerptam ab ijs particulam in suis Commentarijs attexuit, nosque hic adnotare pretium putamus, quę sic habet.

Earum exemplar. [Carissim. fili. Ex edicto Maiestatis tuę super acta Conuentus Spirensis cognouimus ea, de quibus cùm nostram sententiam dissimulare paternus noster erga te amor non patitur, tùm verò officij, ac muneris, à Deo nobis per Christum commendati, ratio, & cura Vniuersalis Ecclesię, vt apertis verbis te admoneamus, compellit.] Et infra. [Omnia verò in eo sunt, si ab vnitate Ecclesię te abduci non sinas, à consuetudine Maiorum tuorum, & religiosissimorum Principum non recedas; sed eundem, vt debes, morem in omnibus, quę ad Ecclesię disciplinam, ordinem; & instituta pertinent obserues, quem multos annos summa cum pietatis significatione coluisti. Is verò est huiusmodi, vt quoties de ijs, quę ad Religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam omne iudicium referatur; nihilque illa inconsulta statuatur. Tu verò nunc, fili, cum vel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium optimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius in primis Germaniæ verba facis, vel de nationali, cuius etiã meministi, vel de futuro ad proximũ autumnum Imperiali Conuentu, in quo de Religione, cæterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis; ita agis, ita statuis, vt supprimas vbique eius nomen, cui diuina, & humana iura, approbante tot seculorum consensu, supremam tùm cogendi Concilia, tùm statuendi in his, & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ vnitatem, vt litaremq; spectant, auctoritatem dederunt. At verò, neque hęc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesiæ, & Maiorum abs te morem, atque diuinas Constitutiones minime seruatas fuisse; sed alia pręterea, & ea quidem non pauca. Peracti iam Conuentus decreta leguntur, quę maximè, & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam quòd laicos de rebus spiritualibus iudicare vis posse; neque laicos modò, sed nullo discrimine laicos, damnatarũ hęresum assertores: quòd de bonis Ecclesiasticis, & eorum futuris controuersijs statuis: quòd eos qui extra Ecclesiam sunt, & per edictum etiam tuũ damnati, honoribus pristinis in iudicijs, ac tribunalibus restituis; atque hæc pro tua Imperiali auctoritate, & potestate facis, minimè approbantibus cæteris, qui in antiqua, & sancta obedientia perseuerant: quid tandem horũ cum diuinis institutionibus, & legibus, quibus Ecclesia perpetuò est gubernata, conuenit? quæ omnem potiùs disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cœtus regi potest, prorsùs tollunt. Hæc verò quò magis ab omni disciplina, & Maiorum consuetudine sunt aliena, eò minùs nobis persuadere possumus, è tuo ipsius sensu illa vnquam manare potuisse: sed eandem p etatem in animo tuo, suppressam quidẽ ad tempus malorum hominum consilijs, qui huic sanctæ Sedi sunt rebelles, putamus; qui si à te impetrare non potuerunt, vt quæ volebant contra e im, faceres; saltem & eiusmodi edictis aliquam abalienati animi tui significationem dares, abs te contendisse facilè possumus existimare: impetrasse verò tantò magis dolemus, quãtò id tibi, & Ecclesiæ, nisi citò ad teipsum redeas, maiori damno, & detrimento fore, nobis maximè est persuasum. Id quod non possumus in dies magis, magisque non timere, quò attentiùs consideramus, quibuscum amicitiam inieris.] Hæc Paulus, Cardinalis Theatini verbis, ac zelo. Et quidem successere tùm saltem litteræ: declarauitque statim ijs monitis Cæsar, quàm longè à religiosissimi Principis mente abesset, quicquam se dignitati Ecclesiæ, aut Pontificis imminutum velle. Enimuerò perspecta hęreticorum Principum fraude, damnatisque eorum consilijs, ac pollicitationibus, quod ad Connentus Spirensis scita pertinet, insuper habenda censuit; nec post multò pacem cum Gallorum Rege sanciuit, quò maiore quidem nisu Lutherianam audaciam, opesque impeteret, frangeretque.

Spirensem Conuentum abrogat Cæsar, Inita cum Rege Gallorum pace. Iam verò, quando pactam hoc anno inter amplissimos Principes pacem meminimus, haud profectò dissimulandum Cardinalis Theatini in eam studium, ac operam. Planè, eò loci res erat, vt optari tùm quidem ea Principum maximorum concordia poterat, sperari verò ab eo armotũ, latè circumsonãtium, apparatu, strepituq; non poterat. Confecta nihilominùs, Dei nutu; res est, ijs nimirum conditionibus, vt

vt Ferdinandi Romanorum Regis filia Duci Aurelianensi, è secundis Francisci Gallorum Regis liberis, nuberet. Nepti Carolus Quintus, Insubrum Principatum, de quo disceptabatur, dotem diceret. Quo restincta omninò fax illa belli, atque occasio videbatur; simulque Italiæ, communique Christianorum Principum tranquillitati egregiè consultum. Porrò qui à turbido, pacatoque rerum statu pendere fidei, morumque emendationem nouerat Cardinalis Theatinus; in hoc animum, curasque omnes diù, multùmque defatigauerat, vt digladiantes inter sese Regum animos conciliaret, vtque compositum domi bellum, in Catholici nominis hostes inferretur; ordinarique interea posset publica res Christiana, ac restitui pristinę dignitati religio. Quapropter nullus prætermisisse occasionem visus est, quam componendis Principum dissidijs, pacique accurandæ, opportunam sibi persuaderet. Legendæ præsertim, quas supra attexuimus, ad Carolum Quintum litteræ, cum ille Pontificem allocuturus Nicæam Prouinciæ venit. Mirum sanè quo sensu, stylique grauitate, ac vehementia Cæsarem adhortatur, vt pacatam Christianam Rempublicam, amplissimumque Imperium vellet. Extat etiam Herculis Sadoleti, Cardinalis Sadoleti fratris, elegans de Cardinali Theatino carmen apud [a] Antonium Caracciolum, quod ingens potissimùm eius studium prosequitur, quo Venetijs, Patauij, Mediolani, Romæ, opereque quàm maximo laborauerat, vt constans inter Europæ Principes pax sanciretur. Quod cum nunquam vir præferuidus intermiserit, atque ea esset eius facundia, ac vis in dicendo flexanima, vt nunquam frustrà peroraret, aut scriberet; dicendum enimuerò, nonnihil operæ in eam pacem contulisse. Atque vtinam, quæ semel contigit, diutiùs feliciter perdurasset. Erectum nanque in spem longioris commodi Orbem, fatum lusit; corrupitque publicam eam lętitiam sublatus paulò post, intra iuuentam, susceptis nondum liberis, Dux Aurelianensis: quare acriore quidem studio, recrudure mox bella, ac Principum iræ.

Pactis cum Duce Aurelianensi Neptis nuptijs.

Paci conficiendæ desudauerat Card. Th.

Herculis Sadoleti testimonium.
a Vit. Paul. 4. M.S. lib. 3.

Nec perdurauit pax illa diù.

Quod verò ad Congregationis administrationem pertinet, inter Venetos, ac Neapolitanos Patres conuenit hoc anno, vt sua quique in Domo Comitia celebrarent. Quid præsertim causæ fuerit, cur singillatim peracta communis res fuerit, compertum non habeo: ac refectus quidem Tolentinatis Domus Præpositus Bernardinus Schottus. Neapoli verò, quòd Caietanus summis precibus impetrauit, vt munus abdicaret, suffectus Ioannes Marinonius fuit: cui, etsi ea Domus procuratio molesta planè esset, quippè qui ab attentiore illa diuinorum contemplatione, cui mirificè erat addictus, diuelli ægrè patiebatur; parendum nihilominùs Patribus fuit, apud quos post Thienæi virtutem proxima erat Marinonij sanctitas, atque in administranda familia excellens prudentia, quam supra commendauimus. Qui etiam habitis sequenti mox anno Venetis Comitijs, eandem Paulini Cœnobij præfecturam, Patrum suffragio continuauit. Quod quidem Diui Pauli Cœnobium, quamuis ob templi vetustatem, situmque Vrbis celebriorem, magnificum, vti monuimus, videri poterat; & iam quà loci opportunitate, quà ingenti in res sacras Nostratum studio, Caietani præsertim, ac Marinonij, qui virtutum fama omnium animos compleuerant, oppidò frequentaretur, idque à primæ nobilitatis, ac virtutis viris: Ædium tamen angustia plùs nimio laborabant Patres, vt in parua quædam, eaque incommoda domicilia conclusi omnes, nec communi disciplinæ, nec suæ quisque virtuti vacare posset: domesticis præsertim officijs, ac ministerijs opportunitas prorsus nulla. Extruendis quippè, laxandisque Ædibus sufficere paupertas minùs poterat: præsertim, cùm quæ subindè piorum liberalitate erogationes obuenerant, concinnandæ Ecclesiæ vsque ad hoc tempus destinassent. Id enim solenne Nostratibus semper fuit, sacram primùm Ædem, in qua Numini operari quàm optimè, ac decentissimè possent, excitare; tùm animum, curasque extruendæ domui adijcere, in qua nostra mortalitas degat. Is nempè rectus rerum ordo est, à Deo auspicari, quem obstringere profectò videmur, vt nostris faueat, adsitque munificè ædificijs, qui eius priùs substructiones, ac templa procuramus. Itaque hoc anno visi ab ea rerum angustia laxari Patres, coemptis attiguis quibusdam domibus, duobus circiter aureorum millibus; solutumque illicò pretium extemporanea quadam Dei proui-

Neapoli, & Venetijs Comitia an. 1544

Et sequentis anni 1545.

Neapolitani Patres incōmodè habitāt

Nostratum mos, templa primùm, tum Domos curare.

Paulinū Cœnobium ampliatur.

 den-

Comes Oppidanus ad est munificamano, Et Cassandra Marchesia.

dentia, atque ope fidelium fuit. Eius pietatis Antesignanus Caracciolus, Comes Oppidanus, qui quotidiana, ingentique liberalitate optimè de nostro Ordine meritus; tùm maximè, persoluta non exigua eius pretij parte, beneuolentiam Nostratibus adprobauit. Nec minore sanè munificentia, atque auri vi rem iuuit Cassandra Marchesia, laudatissima in primis fœmina, quæ & admirari Nostrorum sanctitatem, & alere indesinenter inopiam solita erat; nec sine pietatis fœnore, ac fructu; quippè quam Ioannes Marinonius ad omnem virtutis laudem egregiè erudiebat. Hac ope amplificata nonnihil area, extruere Patres, & conformare ad religiosi Cœnobij exemplat domum occœpere, nec deerat in dies opportuna piorum manus. Erogatæ autem eleemosynæ, vt non sine grati animi significatione excipiebantur, ita si qua fortè suborta suspicio esset, illas amicorum studijs, ac precibus anxiùs quæsitas, ingenti quidem animo, raroque exemplo ad tuendam suscepti instituti rationem, respuebantur. Contigit siquidem sub id fermè tempus egregium huiusce rei documentum edere Marinonium. Enimuerò Victoria Columna, magni Piscarij olim vxor, cum resciuisset, tempestiuam tùm maximè fore iuuandæ Paulinæ fabricæ pietatem, dignam Principe fœmina eleemosynam Ioanni misit, plenam videlicet signato auro pixidem. Ille, quòd sartam, ac tectam mallet instituti sanctitatem, quàm domestica curari commoda; habitis Piscariæ quæsitissimis gratijs, erogatam munificentissimè eleemosynam recusauit. Suboluit nanque Marinonio, solicitatam aliorum opera piæ fœminæ liberalitatem fuisse; & quamuis reposcere id subsidij inchoatum opus, ac necessitas videretur, lædi nihilominùs Theatinum morem, eleemosynas neque per nos ipsos, neque per alios corrogandi, noluit: ratus, satiùs quidem esse disciplinam, quàm ædificium promoueri. Atque in hac Domus extructione plura eiusmodi, ac magnæ cuiusdam virtutis exempla peti à Ioanne possunt, quibus & eximium humanarum opum contemptum, & constantissimam in Deum fidem probauit. Et quia huc tandem prolapsus stylus, ac sermo est, libet eorum nonnulla strictim hìc enarrare, licet non hoc omninò anno euenerint. Excesserat è viuis Fabritius Maramaldus, è patricio Ordine Neapolitanus, vir militari ingenio, ac fortuna belli celebratissimus: morientique præstò fuerat apptecationibus, pijsque adhortamentis Marinonius. Legauerat hic porrò nummorum summam, planè non exiguam, certis quibusdam, pijsque locis diuidendam, inter quæ & Paulinum Cœnobium adnumerauerat; opportunamque planè omnes continuandæ ædificationi eam opem existimarunt. At Ioannes, qui eius Domus Præpositum agebat, agitare animo cœpit, Maramaldum equestres olim copias sub signis Borbonicis duxisse, ac Romana in ea clade immixtum Germanorum globis, atque auaritiæ, Vrbem diripuisse. Eaque propter, metuens, ne id aurum, immani eo sacrilegio signatum, notatumque, illati tunc damni compensatio esset; abstinendum censuit. Et quanuis non ignoraret, acceptari nihilominùs posse, quòd incompertum omninò esset, incertumque cui restitui res deberet, respuit tamen: neque ea pecunia domum extruere, decorum, ac religiosum putauit, quæ tanta cum infamia, notaque nominis, ac sanctæ Vrbis vastitate veneat. Euulgata hæc illicò Marinonij mens, ac generosior auri contemptus, exceptusque communi, ac perhonorifica omnium admurmuratione; ac veluti à viro sancto consilium, prolixiùs dilaudatum. Id quod non absimile quidem fuit ab insigni eo Cistercienfium Monachorum auri contemptu, quo legatam ab Henrico Quinto Cæsare pecuniam, vt sacra per Ordinem vasa eo auro conflarentur, respuerunt; quòd is Imperator interdictus Romanis sacris excesserat, ac citra fas, iusque Riccardum Angliæ Regem redemerat. Narrat hæc Spondanus *. Quod sequitur dignius fortasse laude fuit, tùm quòd amplius commodum Marinonij pectus solicitauit; tùm quia honestiore titulo vti munificentia poterat; tùm denique, quia propius, atque à domesticis tentamentum. Inierat vir quidam nobilis, ac prædiues Sodalitatem: abdicaturus verò bona, antequàm solennia nuncuparet Religionis vota, peramplam eorum partem Paulinæ Domui destinauerat, cùm vt domestico vsui, tùm maximè, vt absoluendæ eius substructioni cederet. Insusurratum vix Marinonio id fuit, cum ille veritus, ne legatæ permagnæ opes fastu quodam, curaque superbiæ tyronis animum adflarent; nulla commodi,

Quæsitas amicorum prece, eleemosynas respuit Ioannes, Præcipuè Victoriæ Columnæ.

Legatas à Maramaldo opes recusat.

Quòd metueret, ne è Romana direptione essent.

* An. Baron. ad an. 1197.

modi, cœptique iam ædificij ratione commotus, grauissima vsus oratione, ab eo illum consilio reuocauit; ac ne viri beneuolentiam, pietatemque videretur nihil pensi habere, delibasse ab ea pecuniarum vi modicum, satfuit. Quo sanè & abrupta gloriolæ occasio, & probata egregiè ad lydium veluti lapidem, ingens Marinonij, ac supra opes, aurumque virtus: ac nescio, an in tanta rerum inopia præstantiùs fieri magni animi, religiosæque paupertatis periculum potuerit. Is porrò, qui hanc amplissimi patrimonij sui partem legare Diui Pauli Cœnobio constituerat, Benedictus Ferrerius appellabatur, Patria Sauonensis, qui conceptis publicè votis, tùm omnigena virtute inter Nostros floruit, tùm modestia in primis, ac humilitate, quam æquauit solitudine, recessuque: addictus nanque adeo tacitæ, remotæque vitæ rationi fuit, vt visus profectò fuerit, Carthusianos ipsos superasse, sicuti de eo testati sæpè sunt, qui compares, eiusque coætanei fuere Patres. Obijt verò Romæ in Diui Syluestri Domo anno quarto, & octuagesimo supra sesquimillesimum, non vulgari quidem probitatis, ac virtutum fama. Nunc iterum ad Marinonium. Illud etiam preclarum, atque à quadam frontis, dictique seueritate commendatum. Nam cum alius è nostris tyronibus, cui permagnæ itidem opes erant, non exiguo quidem pecuniarum subsidio iuuare inchoatum ædificium cogitaret, aperiretque Marinonio consilium; ille, an facturus eidem fortasse ambitionis morbo eandem medicinam, an vt magnam animi indolem diuitiarum contemptricem adprobaret; acriùs, & quodam supercilio, non egemus, inquit, tua mendicitate: firma nos spes tenet, nunquam fore, vt inopum seruorum obliuiscatur Deus. Hoc dicto, librum, qui tunc illi ad manus, euoluere, ac perlegere singulari quadam vultus, animique firmitate perrexit. Atque hæc Ioannes documenta posteritati transmisit, monuitque, non modò non anxiùs religiosi nominis viris petendam, implorandamque mortalium opem; verùm etiam laudabile interdum esse, cum aut modestiæ, aut paupertati fraudem, fucumque aliquem pertimescimus, oblatas vltrò diuitias respuere; ac sperare interim, non defuturam Dei munificentiam, cui & famulamur, & viuimus, domosque, ac templa excitamus.

Et oblatum à Nostrate vim auri vix libat.

Benedictus Ferrerius humilitate, ac solitudinis studio insignis.

Vt alteri offerenti opes, responderit Marinonius.

Venetias nunc petimus, vbi Bernardinus Schottus egregiam sanè domi, forisque operam ponit: quippè qui singulari prudentia temperare communem disciplinam, curasque videbatur; & mirabili quadam agendi, dicendique suauitate pertractare animos, atque instituere nouerat. Et verò, ea erat hoc maximè tempore doctrinarum, virtutumque eius apud viros proceres ea in Vrbe existimatio, vt ex ijs primi nominis plerique erudiendos, formandosque se, moresque suos traderent. Coluit illum in primis Dominicus Lauredanus, vir sacrarum, humanarumque rerum apprimè sciens, frugi præsertim, laudatique moris; vt ex datis persæpe ad Schottum litteris, quæ penes nos sunt, licet inspicere. Fuit & in eius item clientela Augustinus Lyppomanus, magnę spei iuuenis, Aloysij, Veronensis Antistitis, nepos, qui & Clarissimo Patruo amplissimo postea in munere, ac Insula successit. Erudijsse verò præclaris virtutum, morumque rudimentis suæ ætatis florem Schotti præceptionibus, testatur ipsemet Augustinus luculenter. Profectus siquidem Parisios studiorum caussa, ad ipsum epistolam statim dedit, qua auulsum se ab eius consuetudine vehementer dolet, eiusque pietatis, ac disciplinæ, quam hauserat à Magistro, specimen præfert. Sic porrò incipiunt hæ litteræ. [Cum à vobis discessi, velim, te existimare, pariter eum corpore vitam amittere mihi visum fuisse; quoniam nunquam lux occupabatur à tenebris, quin ipse tua iucundissima consuetudine doctior fierem: sed vt verius dicam, non ita vt præcedenti die ignarus, cùm litterarum studio, tùm bonis, ac sanctis moribus. Ea igitur, obseruandissime Pater, tibi polliceor in mente mea semper fixa, semper locata fore, semperque sanctissimè obseruare, quæ à te, longè principe sapientum, ac verè sapientum didici.] Paucisque interiectis. [Te igitur, Reuerende Pater, vehementissimè rogo id efficias, vt ad illum verum, & sanctum studij finem peruenire possim, à quo optimam viuendi formam, & vnicum Deum, & cunctorum Creatorem, & iustum Regem, & misericordiæ Patrem cognoscere queam, cuius vultu assiduo frui maiorem in modum desideramus. Vale, Parisijs.] Hæc iunior Lyppomanus, qui in singularis cuiusdam obseruantiæ argumentum

Schotti Venetijs existimatio.

Eius studiosus Dominicus Lauredanus,

Et Augustinus Lyppomanus eius disciplina excultus.

Eius ad Schottum litteræ.

fre-

Non parcit calamo Schottus.

frequentioribus litteris appellare Schottum, sueq; vitæ rationes omnes, ac studiorum progressiones edocere, solitus erat; quem vicissim ille grauissimis persæpè litteris, monitisque incitare acriùs, cùm ad ingenij laudem, tùm maximè ad omnem virtutis cultum, profectumque in more habebat. In quo sanè scriptionis genere multus erat cum plerisque, qui consulere virum optimum, cùm de litterarum studijs, locisque difficillimis sacræ Scripturæ, tùm de animorum disciplina, morumque institutione assolebant. Extat præsertim Epistola, verè aurea ad Angelum Castellanum, consanguineum, de instituendis in Dei timore, sacrorumque disciplina pueris: in qua præter dictionis cultum, & grauitatem, dignæ profectò sunt, quæ legantur seriæ, piæque præceptiones, quibus primæ illius ætatis, animique efflorescentis indolem formare, atque effingere conatur. Sanè qui ijs fidei, motumque rudimentis sobolem suam institueret Pater, adpromittere ab eo flore æui fructus longè vberrimos sibi, suæque domui posset. Epistolam hic attexere, vt pergratum foret legentibus, ita ire vltra historiam esset. Porrò Latinè plerumque Schottus scribebat, & scribebatur ad ipsum vicissim Latinè. Quippè in hac styli, scribendique facultate exercitatissimus erat, ac planè elegans. Græcè item non rarò dabantur litteræ; versatus nempè in hac ipsa dialecto haud mediocriter, & Græcas epistolas conscribere, & Græcorum Patrum monumenta assiduò euoluere oblectabatur: affirmabatque non adeò eruditionem, mentemque illorum Patrum sapere, cum Græco à fonte purissimam eam dictionis venam per auctorum interpretamenta longiùs deriuari contingit. Id quod de Magni Basilij Regula ad Prosperum Martinengum, Cassinatum Abbatem, Virum, & instituti, & doctrinæ commendatione oppidò spectabilem, scripsit. Quarum litterarum particulam, quòd lectu non erit fortasse iniucunda, libuit hic exscribere; maximè, quod studiosorum cupiditatem, gustumque excitare, ac perdiscendis Græcis litteris flammam adolere Schotti cohortatio poterit. Sic igitur ad Martinengum: [Regulam Diui Basilij cum moralibus, quam ipse, Ascetica, appellat, nunc primùm integram in Latinum translatam, atque editam scito. Cum Venetias proficar, spero, volumen ipsum Neapolim me missurum, vt deindè ad te Cassinum deferatur. Maluissem tamen, Regulam hanc Græcè conscriptam, Græcè quoque intelligere te valere; quod, nisi à proposito discendi eas litteras excidisses, tibi facillimum erat. Vtinam tale consilium reuoces, vt legendo; & intelligendo experiri posis, qualis, quantusque Vir sit iste verè Pontifex, verè magister, & custos, & Pater animarum. Incredibile est, quanta maiestas in explicando, quanta vis in persuadendo huic inesse sentiatur, quæ sanctitas in docendo, quanta auctoritas in corrigendo: quanta virtutum experientia, atque exercitatio, & exacta quædam traditio occultioris scientiæ rerum spiritualium, & intimarum, multò magis, quàm in homilijs, & tractatibus, hic inueniatur in Regula; quæ non modò Monachorum, sed totius Ecclesiæ potiùs dicenda est regula; neque vnius hominis tantùm inuentum, sed commune quoddam decretum, ac planè Apostolicum. Nec dicas, quia iam conuersa est, propterea non multùm referre, Græcè ne an Latinè quis eam intelligat. Quoniam, vt cætera omittamus, tàm multæ circa modos, figurasque loquendi varietates occurrunt, tàm multæ circa proprietates verborum, sententiarumque intelligentiam ambiguitates ad totius contextum orationis, vt ferè nullus scriptorum inueniatur, translatus in aliam linguam, qui idem ipse censendus sit, vel eandem vtilitatem, ac delectationem præstare posit legenti. Quamobrem cupio te in gratiam redire tum Græcis litteris, &c.] Hæc ille. Istiusmodi porrò asceticarum eius litterarum pleræque[a] apud nos sunt, 'prisco æuo, ac sanctitate dignissimæ, quas in conspectum, lucemque prodire litteratorum, ac bonorum hominum, pretium operæ permagnum foret: niteretque insignis ea virtus, ac eruditio, quæ non modò præsentes voce, exemplisque, sed absentes quoque scriptis epistolis ad pietatem imflammabat.

Eius de instituenda pueritia Epistola.

Latinè semper scribebat, interdum Græcè.

In Græcorũ Patrum monumentis versatissimus.

Eius de D. Basilij Regula iudicium.

Sed in suo Idiomate legendam fructuosius censet.

a Neap. in Tabular. D. Paul.

Hac igitur opinione virtutis summo loco Venetijs cum esset Schottus, alijque Nostrates, curare pleraque negotia apud eius Vrbis proceres, Senatumque contingebat. Neque hìc porrò prætermiserim, egregiè quidem illos per id tempus Societati Iesu in fundando Patauino Collegio fauisse. Enimuerò, cum sacram quandam Ædem,

Rem Collegij Patauini Societatis Iesu Nostri iuuat.

Ædem, addictosque Ædi censûs non exiguos ab Andrea Lyppomano, Sanctæ Trinitatis, vt vulgò appellabant, Priore, annuente item Pontifice, eius Societatis Patres impetrassent; in possessione ineunda nonnihil ijs negotij Eques Lyppomanus, Andreæ frater facessiuit: qui quòd auelli ab hæreditaria, domesticaque opulentia Sacerdotium illud admodùm molestè ferret, ea de re cum Senatu accerrimè conquerebatur. Quapropter colluctandum cum viro, amplissimis clientelis, & consanguinitatibus florenti fuit: cumque frequentissimis subsellijs causa agitaretur, non dubium, quin pro viro Patricio, magnique nominis starent suffragia. Visa nostris hominibus, quibus cum Societatis Iesus Patribus consuetudo, ac præcipua quædam caritas tunc erat, opportuna hæc illos demerendi occasio. Quarè pro ea, qua apud Venetos eos proceres valebant, existimatione, & gratia, conciliare vota plurimorum, & mentes flectere in negotio quidem difficillimo sunt aggressi. Et iuuisse re quidem Nostrorum opem, testatur ex eadem Societate a Franciscus Sacchinus. Interim gratulamur posteri positam à primæuis Patribus in promouenda ea Societatis cura insignem operam; illique Collegio excitando adsuisse, quod omnium in Italia antiquitate princeps fuit.

a In respons. ad Epistolam Castaldi.

Gradum nunc facimus ad annum eius seculi sextum, & quadragesimum, quo habita Venetijs Comitia fuere, de quibus Bonifacius à Colle, qui Bernardino Schotto in Veneta Domo administranda tùm quidem successit ad Patres Neapolitanos Epistolam scripsit, totiusque Conuentus nomine illos, de rebus in ea transactis prolixiùs monuit: ac preces potissimùm Patrum Somascenorum, aggregari ad nostrum Ordinem enixè postulantium, significauit. Quod quia successum posteà habuit, enarranda planiùs rei series. Somascenæ Sodalitatis Auctor, vti significatum est, Hieronymus Æmilianus fuit, Patricij, ac Senatorij Vir Ordinis, qui Ioannis Petri Carafæ, Episcopi Theatini clientela, ductuque ad eximiæ cuiusdam virtutis, ac sanctimoniæ laudem euasit. Quòd verò Theatino spiritu animata ea Congregatio fuerit, quędam illorum Patrum in Nostros, nostramque familiam propensio semper fuit: vt optauerint posteà illi adnecti, adoptarique ad eam disciplinam, cuius ab institutione, sinuque fluxerant. Præsertim, cum receptus Cælo Hieronymus, alere diutius ad perfectam quandam æui firmitatem suam sobolem, inchoatumque institutum ad absolutæ Religionis formam expolire, minimè potuerit, ac proindè indigere præsidio, ac fulcimento videretur. Igitur præclaro suo Instituto, ac singulorum profectui consultum iri putarunt Somasceni Patres, si in Theatinos, eorumque Ordinem abirent; vnumque cum illis, & corpus, & mens esset. Cœpta res agitari inter illos seriùs; vtque nostras leges, viuendique rationes propiùs, atque accuratiùs inspicerent; quandam nostræ administrationis, morumque formam anno præterito à Bernardino Schotto, qui Præpositum Venetæ Domus agebat, efflagitarunt; qui compositis ad eos litteris, quæ penes nos sunt, pauca illa nostrarum Constitutionum capita, ac veluti semina, quæ scripta olim ad Episcopum Gibertum memorauimus, confestim misit; quibus perlectis, in capessendo nostro Instituto animum mirificè obfirmarunt. Quarè, cum grauissimum negotium expediri, nisi à tota Congregatione non posset, opportuna rei peragendæ, huius anni Comitia, quæ haberi Venetijs sciebant, existumarunt; vtque cœpta iam esse intellexere, quatuor illicò è primæ notæ, ac nominis Patribus coactos vnà Nostros côuenere: ac proposito communi suæ Congregationis consilio, votoque, summis precibus rogare, vt qui coniuncti iam animo, affectuque erant, necti vna, eademque disciplina, admittique in nostram familiam contingeret. Causam prolixiùs perorarunt; eo potissimùm incitamento, quòd sicuti cum ingenti sui ipsorum compendio futuram eam coniunctionem, nexumque pro certo habebant; ita non dubitarent, & in rem etiam Theatinam fore: certè adauctis copijs, iunctisque vnà viribus, atque animis, cùm proximorum saluti, tùm diuinæ gloriæ fructuosiùs, ac generosiùs vtramque disciplinam militaturam. Pergrata Nostris ea Patrum religiosissimorum voluntas fuit, & qui negotium non exigui quidem momenti esse intelligebant, ac maius profectò, quàm vt posset breui, atque à solis ipsis confici, responderunt, persuasum habere se, communem, magnamque in vtrumque Ordinem ab ea vnione vtilitatem

Capitulum generale Venetijs. an. 1546.

De rebus in eo gestis Bonifacij ad Neapolitanos Epistola.

Somascenorum vota admitti in nostrum Ordinem postulãtium.

Eius Congregationis in Nostros studium.

Nostras instituiones expendunt.

Ac vehemẽtiùs accenduntur.

Coactos in Comitijs Nostros conueniunt.

Commune desiderium exponunt.

Monendos de re grauissima Neap. Patres statuunt.

Quod cōposi. tis ad eos literis faciunt.

tem deriuaturam; sed rem esse diutiùs examinandam, nec sine Patrum, qui Neapoli commorabantur, consultatione, quos probè de re Somascena certiores reddi oportebat. Permitterent igitur, vt negotium mora, & consilio explorarent; quicquid subindè decreuissent, nunciaturos. Res verò, vt luculentiùs, atque ad historiæ fidem constet, libet hìc Venerorum Patrum ad Neapolitanos, quas modò laudauimus, litteras recitare, quarum autographum in Neapolitano Paulinæ Domus Tabulario habetur; ac planè ducimus pernecessarium illas exhibere, vt videat lector, quàm sincerè hac de re alij scripserint, quos paulò inferiùs notabimus. Ergò post nonnulla, quæ pertractata inter ipsos memorantur, hæc statim Patres. [Intereà temporis peruenere huc quatuor è primoribus Somascenæ Congregationis Patribus, qui suorum omnium nomine petiere, atque enixiùs rogarunt, vt eos complecti, atque inter nos ipsos admittere placeret; causásque adnumerarunt quàm plurimas, quibus fore, vt res diuino honori, animorum vtilitati, ac vtriusque Sodalitatis adiumento cederet, nobis ipsi persuaderemus. Decreuere autem ex ijs Sacerdotibus, & Clericis plerique ad omnem regularis instituti amussim vitam, moresque exigere, conceptis publicè Religionis votis: vtque faciliùs impetrent, modum aliquem, ac temperamentum educationi puerorum statuere: tùm, è suis domicilijs illa retinere, aut deserere, quæ visa nobis fuerint: ea denique præstare omnia pollicentur, quæ nobis sederint: idque tanta animi demissione, quantam enarrare prolixiùs fuerit. Paucis responsum: putare & nos, id è re futurum vtriusque Congregationis: sed excuti studiosiùs oportere, atque ea omnia diligenter inspicere, & curare, quibus confici, ac firmari grauissimum negotium possit. Efflagitandam præterea diximus vestrum omnium sententiam, quos de commodis, fructuque, quem ipsi in rem communem promanaturum prædicant, condocefieri necesse est; quod enimuerò præstari minùs posse existimamus, antequàm è Nostratibus aliquis de eorum domicilijs, de instituto, de statu rerum accuratè edoctus, vos posteà moneat. Eapropter statuimus, fratrem nostrum Bernardinum presbyterum, & Ioannem Antonium, vnà cum quibusdam ex ijs Patribus adlegare, vt eius Congregationis loca, præcipuè Ticinensem videant: vbi sacram Ædiculam, ac domicilium excitatum scimus, ita vt exerceri iam Dei cultus, & communis disciplina Nostratum more possit; atque eò iam nonnullos ex ijs Sacerdotibus, & Clericis, qui obstringi votorum sacramento in animum induxere, conuenisse; & cùm ijs secularem quendam Sacerdotem, prædiuitem, qui pijs operibus addictus, de construenda, amplificandaque domo cogitat. Ac proindè sperare se Patres non exigua, affirmant: præsertim cum plerisque iam relictis domicilijs, in opportunioribus consistant, in educandis, formandisque pueris non admodùm multis, occupari; quorum qui sacris Ordinibus idonei videntur, ad Dei cultum erudiuntur. Esse porrò ex ijs quàm plurimos præclaræ omninò indolis, præstantisque ingenij, Græcis, Latinisque litteris haud mediocriter initiatos, Theologiæ, sacræque Scripturæ studijs admouendos. Hæc in præsenti habuimus, quæ monere vos duximus; nunciaturi, quæ nobis Bernardinus noster in dies significauerit, vt vnà consulere, ac ferre sententiam vestram possitis.]

Explorandæ rei Somascenæ destinatur Schottus.

Hæc Veneti Patres, qui redeunte non post multò Bernardino Schotto, cui Somascenæ rei perquàm studiosè explorandæ prouinciam commiserant, de eius Congregationis viuendi ratione, statuque commonefacti; in eam ipsi venere sententiam, vt suum in contubernium, sinumque religiosissimum Cœtum admitterent. Verùm, quòd Neapolitanorum pernecessariam consensionem duxerant, optimum factu putarunt, si cum ijs, non quidem litteris agerent, sed ipsemet Schottus Neapolim pergeret; eisque coram, exactèque, quod præstare epistola minùs commodè potest, rem totam exponeret, & quid ipsi sentirent de ea coniunctione, edoceret. Ob illam insuper causam peropportunam Neapolitanam profectionem fore existimarunt, quòd pertransiens Roma Schottus, rogare hac de re sententiam Cardinalem Theatinum posset, cuius prætermittere in eius momenti negotio iudicium, ac suffragium nefas profectò erat. Et verò id accidit commodùm. Siquidem Somasceni Patres, quos flagrantissimum ineundæ Theatinæ Congregationis desiderium incitare vehemen-

Cuius relatu suffragantur Somascenis Veneti Patres.

Neapolim Schottus adegatur, vt coram ageret cū Patribus.

Et Romæ per transiens, cōsuleret Card. Theat.

hementer videbatur, ac maturari negotium nimio quidem opere peroptabant; vti etiam Cardinalis Theatini studio, affectuque decreuerant, illumque compellauerant iam litteris: cuius non ignorabant, fore vt auctoritas, quæ maxima apud Nostrates erat, postulationi momentum adderet, ac successum. Et Cardinalis quidem, vt rem non improbasse primùm visus est, ita & probauit posteà plurimùm, audito Bernardino Schotto, qui quod Capituli consulto, iussuque confecerat, retulit; simulque cùm suam, tùm aliorum Tolentinatum Patrum pronam in eam Ordinum vnionem mentem aperuit. Ergò nihil cunctandum ratus Cardinalis Theatinus, Neapolim, vt scitum iam erat, oppidò proficisci Schottum iussit, vt Paulinæ etiam Domus suffragia accederent. Neque à communi sententia discreparunt ij Patres, ac rem quidem, an ad vtriusque Instituti commodum, atque incrementum succederet, aliquandiù saltem periclitari, æquum esse existimarunt. Quod vbi resciuit Cardinalis Theatinus, cum etiam, atque etiam vrgerent Somasceni, rem omnem cum Paulo Tertio Pontifice illicò communicauit, qui & Clericorum nexum probauit, & facultatem viuæ vocis, vt aiunt, oraculo, Cardinali dedit, vt ipse conficeret suo nomine: qui compositis confestim litteris, id auctoritate Pontificia imperauit, quod sancitum à Nostratibus vnanimi consensione iam fuerat. At enimuerò, quòd exeunte iam anno peracta isthæc fuere, nec consueta Congregationis Comitia longè aberant; visum Cardinali Theatino, & nostris etiam fuit, vt Capitulum consequenti anno Romæ cogeretur, vbi solenni quodam ritu, Patrumque frequentia examinatum iam perquàm diligenter negotium, iterùm adprobaretur; accederetque executioni à loco, atque à celebritate omen, ac dignitas. Porrò, vt Venerorum Patrum epistolam hac de re supra produximus, ita & attexere Cardinalis Theatini litteras operæ pretium ducimus, ne ad nostræ potiùs Congregationis existimationem, quàm ad veri fidem, concinnasse nos ipsi, atque effinxisse historiam videamur; vtque vno statim ictu, & vetustiorem Andreæ Stellæ, è Somascha, historiam, & nuperum Augustini Barbosæ dictum, conficiamus. Sic verò rescriptum Theatini habet.

Qui rem probat.

Eademque fuit Neaplit. sententia.

Annuit Pôtif.

Facta Card. Th. facultate, vt côficeret. Qui negotiû perfecit.

Sed non ante Romana Comitia

Venerabiles fratres in Domino æternam salutem. Scripserunt ad nos nuper dilecti nobis in Christo Augustinus, & alij Clerici, ac deuoti Laici, qui in plerisque istius Prouinciæ locis operibus pietatis intenti, curam præcipuè educandorum in Dei timore, & in bonis actibus pauperum orphanorum sollicitè susceperunt, nos magna cum instantia requirentes, vt nos illos in nostros agnoscere, ac suscipere vellemus; neque eorum spem, quam ab exordio inceptionis suæ in nostro præsidio collocassent, frustrari pateremur. Quandoquidem illorum operum fundamenta nostris auspicijs iacta essent, nosque ad eos tùm, cùm Venetijs essemus, bonæ memoriæ Hieronymum Æmilianum, nostrum in Christo dilectissimum fratrem, destinasse; quo Duce eadem opera, & cœpta, & ita, Domino fauente, aucta sint, vt non absque multarum animarum profectu Domum Dei grato odore repleuerint: quin etiam nonnulli ex eis de virtute in virtutem ambulantes, eoùsque, Domino inspirante, progressi sint, vt ad nostrum regulare Institutum conuolare desiderent, seque penitùs sub iugo eiusdem Regulæ diuinis obsequijs mancipare. Accessit ad hæc etiam Venerabilis fratris nostri, presbyteri Bernardini Sabinensis de illorum vita, & moribus, deque studio deuotionis, ac feruore caritatis, nec non etiam de vestro iudicio fida relatio; quæ apud nos meritò plurimùm valuit: & vt magis ex animo huic negotio incumberemus, effecit. Quarè in primis nobis visum fuit, vt idem Presbyter Bernardinus, frater noster, iuxtà præscriptum vestrum, Neapolim pergeret, & fratrum nostrorum, qui ibi Domino famulantur, super hac re sententiam exploraret: sed cum intrà paucos dies indè rediens, de vnanimi eorundem fratrum consensu ad nos litteras attulisset; nos, omnipotenti Deo gratias agentes, & de eius benignitate sperantes, de his rebus omnibus Sanctissimum D. N. consulendum duximus, vt qui Dei vices gerit in terris, eiusdem Dei, & Domini nostri super hac re voluntatem suo nobis oraculo aperiret. Quamobrem idem Sanctissimus in Christo Pater, & D.N.D. Paulus, diuina prouidentia Papa, Tertius, viuæ vocis oraculo nobis hoc negotium demandauit, & vt illud in nostram fidem reciperemus, iniunxit; atque vt vos hor-

Card. Th. litteræ de Ordinû Conunctione.

rarer

tarer in Domino; & nihilominùs nomine, & auctoritate Sanctitatis suæ vobis in virtute Sanctæ obedientiæ præcipiendo, mandarem, vt eorundem piorum operum curam pro Dei amore, & pro Sanctæ Sedis reuerentia, vos suscipere deberetis; & illis ita diligenter intendere, vt ex vestro regimine eadem opera de bono in melius cum salute animarum, & cum diuini Nominis honore procedant. Et cum vos de his omnibus, quæ circa eadem opera experimento didiceritis, nos certiores reddere curabitis, idem Sanctissimus D. N. ex nostra fideli relatione intelligat, quid sit super toto hoc negotio per Sanctitatem suam, & per eandem Sanctam Sedem Apostolicam statuendum. Nos igitur cupientes in omnibus, vt debemus, eiusdem Sanctissimi Domini Nostri parere mandatis, hoc onus in nos, confisi de diuini auxilij largitate, suscipimus; & vos omnes, fratres carissimi, hortamur in Domino, sed & vobis, auctoritate nobis tradita, in virtute Sanctæ obedientiæ præcipiendo, mandamus, vt supradictorum piorum operum, & personarum, in eis quomodolibet pro tempore seruientium, curam, & administrationem suscipere debeatis; & ex eisdem personis, si qui Clerici, vel Laici ad vestram professionem, Domino vocante, aspirauerint, qui tamen vobis secundùm Deum videbuntur idonei, illos ad probationem, & professionem recipere; & tàm ex illis, postquàm probati fuerint; quàm ex vobis ipsis idoneos rectores, & gubernatores eligere, qui administrandis supradictis pijs operibus, & in sinceritate fidei, & sanctitate morum educandis, & erudiendis iuuenibus præponantur, ac pro eorundem iuuenum qualitate, & ingeniorum diuersitate, siue in litterarum studijs, siue in mechanicis artibus dirigendis, & instituendis, viros in primis fideles, & honestos, & earum rerum peritos, constituere, vel conducere; & tàm illis, quàm cæteris personis seruientibus supradictis curam, & administrationem in temporalibus, & spiritualibus diligentem impendere, & illis omnibus Ecclesiastica Sacramenta ministrare; & omnibus priuilegijs, tàm vobis, quàm illis hactenùs concessis, vel in posterùm concedendis, vti, potiri, & gaudere, vt liberè, & licitè possitis, & valeatis, eadem Apostolica auctoritate, nobis specialiter tradita in hac parte, vobis concedimus, & indulgemus, contrarijs non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ in Ædibus nostris die octaua Mensis Nouembris M.D.XLVI.

Hæc sanè qui leget, nempè, Augustinum presbyterum, aliosque Somascenos Patres, scripsisse ad Cardinalem Theatinum, atque impensiùs efflagitasse, vt inter Nostros admitterentur, ac rationes etiam attulisse, cur adoptari deberent; quandoquidem scilicet ab ipso nascentis suæ Congregationis initio in nostro præsidio, tutelaque spem omnem collocassent, ac iacta nostris auspicijs eorum fundamenta essent; næ is statim conficiet, Andream Stellam ex eadem Congregatione presbyterum, virum alioqui doctum, his litteris inconsultis ad scribendum stylum appulisse, ac proniore quidem calamo, quàm accuratum historicum deceat, ea litteris consignasse, quæ in * Hieronymi Æmiliani vita habet. Videlicet, Cardinalem Theatinum eò, quòd lentis progressionibus institutus à se, ac socijs Clericorum Regularium Ordo se promoueret; eam coniunctionem, ceu rem nostris incrementis opportunam excogitasse, ac mox tentasse, ac tandem obtinuisse à Paulo Pontifice. Quid hoc ab historiæ fide, atque à grauissimis Cardinalis Theatini litteris, quas modò recitauimus, magis dissentaneum? An præpostera ea narratione verum corrupit Carafa, dum Maximi Pontificis nomine, ac vice agit? At quis vel ingenti mendacij pretio ementitum sanctissimum, atque incorruptissimum virum vnquam affirmauerit, cuius in laude id potissimùm positum legimus, pectoris, animique sinceritate, candore linguæ, calami libertate strenuè semper litasse vero? Sed neque dignum Purpura fuisset, erubescere posteà, si quis illum mendacij insimulasset. Sed & lapsum insuper Stellam, Venetorum Patrum ad Neapolitanos, quas supra exhibuimus, litteræ manifestè euincunt: vbi & Venetias discessisse eius Congregationis Patres legimus, & coràm cum Nostratibus egisse, & prolixè, multùmque togasse, & concepturos Religionis vota pollicitos; ac modò adsciscerentur, quascumque nostri imperauissent, dedissentque leges, libenter accepturos. Scio Eliseum Nardinum, virum è Nostris integritatis, ac prudentiæ numeris absolutissimum, ac suprema in primis, & nouennali

Erroris conuincitur Andreas Stella.

* Lib.1.c.6.

Eliseus Nardinus de vitiata Stellę historia.

nali vniuersæ nostræ Congregationis Præfectura commendatissimum, cum primùm legisse Stellæ dictum contigit, offensum ea scriptione vehementiùs; datisque Neapolim litteris,[a] quæ adhuc extant, monuisse eos Patres, vt Veneram epistolam, autographam quàm diligentissimè seruarent, futuram nempè consequenti æuo lææ veritatis testem, ac vindicem. Verùm enimuerò stylo nostro, censuraque non indiget Stellæ narratio, quam abundè puto refellere[b] Augustinum Turturam, eiu dem Congregationis hominem, qui diù post illum cùm diligentiùs, tùm copiosiùs de Hieronymo Æmiliano scripsit. Conceptis nanque verbis pronunciat, Patres illos, qui ab eodem Æmiliano in partem laboris socij lecti fuerant, anno ab eius obitu decimo, coniunctionem illam Ordinum à Cardinali Thearino postulasse: idque hoc maximè nomine, quòd eius auspicijs illorum operum essent fundamenta iacta: quod sanè cum Carafæ litteris, ac verbis omninò congruit. Quanuis hìc breuiter non dissimulauerim, Turturam ipsum hoc in loco à vero etiam desciuisse. Videtur siquidem inficiari, Carafæ monitis in piam Orphanorum curam ingressum, Congregationemque inchoasse Æmilianum; laudatis quibusdam datis Neapolim ad Thienæum eiusdem Carafæ litteris, quas nos supra memorauimus. Enimuerò pernegat in ea epistola Carafa missum à se Mediolanum Hieronymum, vt Mediolanensis Dux putauerat, cuius laudes, gratesque modestissimè respuit: at nihil de puerorum institutione, & Clericorum Sodalitate, in quibus consilio, & cohortationibus iuuisse, atque inflammasse Alumnum suum Carafam, & litteris, & continenti eiusdem Ordinis Patrum memoria, famaque constat. At verò cum Somascenis Patribus sat fuerit isthæc velitatio; qua libari, quæ inter nos semper viguit, vt in loco dicemus, mutuam beneuolentiam nolumus. Hoc ipso autem, quo Stellam relo vindicauimus, conficitur[c] Augustinus Barbosa, qui de hac Ordinum coniunctione perindè loquitur, ac si non ipsi Somasceni summis precibus cum nostris egerint, vt reciperentur. Et quod omninò non est in viro eruditissimo ferendum, Carafæ litteras laudat: quas si legisset, non peccasset profectò stylus; sciuisserque quis eius consilij auctor fuerit, quis postulauerit, & qua tandem prudentia, ac mora religiosissimam alioquì familiam Nostrates cooptarint. Esset adhuc quod in Barbosa perstringamus, nam non vno quidem errore labitur, cum in nostram Sodalitatem incidit. Sed nunquam is impunè errauit, qui mentitus aperrè est.

a Neap. tabul. D Paul. 107. Farrag. p. 32.

b Vit. Aemil. lib. 1. c. 17. Cuius etiam errorem Turtura emēdat.

Sed notatur ipse Turtura.

c Sum. Apost. Decis. extra ius vagant. collect. 66. n. 4 Aug. Barbosæ lapsus.

Nunc iterum ad Carafam, qui simul & nostræ Congregationis negotia strenuè procurabat, & acerrimo communis Romanę rei studio tenebatur; vrgebatque Christianæ religionis reformationem, & Ecclesiæ incrementa. Iam Generale Concilium, commune Orbis votum, ac remedium, inchoatum Tridenti erat hoc anno. Nam licet ab anno huius seculi quadragesimo secundo euulgatum à Pontifice fuerat: tamen, quæ rerum maximarum conditio, ac mos est, suis momentis prouehi, ac moliri se tardiùs; aperiri publicum illud fidei Consistorium ante annum quadragesimũ quintum non contigit. Quinimmò hoc anno nihil in eo peractum solidi, magnique fuit. Decembri siquidem mense vnico Patrum Senatu celebrato, prolusisse quodammodò Concilio fuit, agitatumque dumtaxat de ratione in eo viuendi: atque adeò ad hunc annum sextum, & quadragesimum, in quo scriptione versamur, spectare celeberrimi eius Conuentus initium dicendum omninò est; cum expendi, ac sanciri grauissima momenta fidei cœpere. Ergo, vt quædam Tridentini Concilij cum Romana Sede, & Cathedra consensio, concentusque esset; Purpuratorum Patrum, eorum nempè, qui doctrinarum præsidijs, atque integritate morum excellere maximè videbantur, Congregationem Romæ excitauerat sapientissimus Pontifex: in qua curari, ac transigi maturiùs ea negotia Romæ possent, quæ à Tridentino Conuentu in dies nunciabantur; atque hinc ea monita submitterentur, quæ visa quàm opportunissima fuissent. Appellata hæc porrò fuit Congregatio Concilij, conscriptique in ea fuere Cardinales omninò nouem; nempè Ioannes Baptista de Monte, Marcellus Geruinus, Parisius, Corresius, Badia, Crescentius, Guidiccionius, Polus, & Carafa; qui aliquandiù eiusdem amplissimi Cœtus caput fuit: & cum Pontifex, quo præsenti haberi mos erat, aut valetudine, aut negotiorum mole distinebarur, quò minus interesset; in ædibus Cardinalis Theatini cogi solitum, affirmat Ioannes

Tridenti Cōcilium aperitur.

Romæ Congregatio Concilij instituitur.

Cuius aliquādiù Caput Card. Theat.

Y

a Nem. tab. 8. Paul. farr. pa.2. p.197.

nes a Baptista Caracciolus, Episcopus Venafranus, litteris ad nostrum Bernardinum Schottum datis. Et verò eius Congregationis Præfectura collata Cardinali Theatino iurè meritò fuit, cùm ob insignia solidiorum litterarum studia, sacrorumque Canonum, ac Patrum omnigenam eruditionem; tùm quia amplificandæ orthodoxæ religionis, insectandæque Lutherianæ impietatis zelo incitatissimus planè erat; tùm denique quòd Pontificiarum partium studiosissimus, in tuenda Romana auctoritate totus aderat.

Præcipuè ob tuendæ Pôtificiæ auctoritatis studiū.

Enimuerò, allegati Tridentum, qui Concilio summo iure præessent, tres ex ea, quam diximus, Congregatione, Augusti Patres fuere; viri, quà studiorum splendore, quà innocentiæ fama celebratissimi; scilicet Marcellus Ceruinus, Ioannes Baptista de Monte, & Reginaldus Polus: quorum vt Ceruinus Pontifici, vt æquum erat, adhærebat; ita Polus Cæsari; nam tertius prudenti, ac fortasse intempestiua quadam solertia vtebatur, vt neque Pontificem læderet, neque Cæsarem. Iam, quòd Cardinali Theatino idem cum Ceruino animus, & mens esset; illum Congregationi Concilij impositum, hoc etiam nomine Pontifex voluit. vt vterque, Tridenti ille, hic Romæ, supremæ Infulæ potestatem, maiestatemque Romani Capitis propugnarent. Et verò, quia in Ecclesiæ magnitudinem, ac sacrorum Principis dignitatem vsque adeò incumb. bat Cardinalis Theatinus, amabatur à Pontifice impensiùs: qui quæ ad Concilij Patres, Legatosque perscribi oporteret, non alij persæpe committebat, vt ex Cardinali Saluiato narrat a Antonius Caracciolus,

Concilij Trident. Legati.

a Vit. Paul. 4. M.S. li. 3. c. 8.

Card. Polus Theatino olim amicissimus.

Quod verò ad Polum attinet, erat ille quidem summa cum Card. Theatino necessitudine coniunctus, amabatque Carafa ingenium, atque ingenuos in viro amplissimo mores. At refrigerari inter ipsos beneuolentia nunc primùm cœpit, cum non adeò communi bonorum sensui fauere videretur Polus: & qui vel ipsam non rectæ religionis suspicionem, vmbramque execrabatur, Carafa, vtpote acriore, ac delicatiore hac in re sensu; potissimam abrumpendæ amicitiæ causam habuit, cum adflatam communi eius temporis labe, ac sententia Poli mentem aduertit.

Remissior postea amicitia.

Siquidem qui omnium passim animos occupauerat in Italia de Iustificatione per solam fidem error, è Germania importatus, inuoluerat etiam Cardinalem Polum; actum videlicet eo vulgi turbine. At enimuerò excusandus, absoluendusque omninò est vir magnus, ac cæteroquì religiosissimus; qui cùm olim in Anglia, tùm in Gallia, Italiaque insignia dederat documenta pietatis. Difficilis nempè, ac peracuta ea materia erat; virumque in politioribus magis litteris, quàm in sacræ, solidæque Theologiæ spatijs versatum, decipi, facile profectò fuit. Præsertim cum profitentium multitudo, & claritas errorem suaderent, honestarentque. Et quidem abreptum aliorum magis sensu, quàm suo Polum, id abundè demonstrauit, quòd statim ac sancita in Concilio res fuit, exuto ipse errore, religionem, animumque emendauit.

In errorem de Iustificatione inciderat Polus.

Vir alioqui moribus spectatus.

At Cardinali Theatino ea Poli mens, etsi minùs constans, ac pertinax, non potuit, non displicuisse: quippè vehementior, vt diximus, in tuenda fidei sinceritate; atque in hoc potissimùm articulo de Iustificatione, meritoque bonorum operum asserendo, docendoque eò ardentior videbatur, quò amplificari in dies magis Lutherianam hanc luem dolebat; ac pauciores iam erant, qui de eo catholicè, pièque sentirent. Eapropter, qui omnibus hac hæresis labe vel minimùm inspersis adlatrare consueuerat; nil mirum si amicissimo etiam Cardinali succensuit.

At exuit statim prauam mentem.

Neque hic omittendum, iniectam fortasse hanc Polo mentem à M. Antonio Flaminio, qui in verba olim Valdesij, ac Vermilij iurauerat; auxeratque illorum numerum, atque existimationem sui ingenij, ac eruditionis celebritate. Enimuerò ob studiorum similitudinem vtebatur illo quàm familiarissimè Card. Polus; & vt facillimè in aliorum mores, sensusq; consuetudine immigramus, eius, quem magni profectò faciebat, corruptam mentem concipere, ac trahere ab illa ingenij vena hunc limū potuit. Verùm vt Card. Polo rediit sua mens, ita & Flaminio eierare impressam altiùs diùque opinionem contigit: idque Dei primùm beneficio, tùm Card. Theat. opera, ac precibus. Quod sanè, quoniā huc semel incidimus, denarrare, non abs re videri poterit.

Quam Marcus Ant. Flaminius instillauerat.

Antequàm flagitiosorum hominū vsu animum, doctrināq; conclamasset Flaminius; ob insignem bonarum artiū, stylique, ac linguarum facultates percarus Carafę fuit: nec deerant quędam etiam præclara virtutum semina, quæ ingenium cohonestarēt.

Qui & ipse olim Carafæ amicissimus.

Nam,

Nam, vt iam in loco monuimus, vſqueadeò religioſa viuendi ratio, morumque
diſciplina illi placuit, vt petierit enixè olim inter Noſtrates agere. Ergò ipſum cla-
riſſimum virum, voluique cum hæreticorum colluuie, indoluit ex animo Caraſa;
cœpitque rationem inire, qua ſanitati reſtitueret. Sed qui profundiùs luem admi-
ſerat, conualeſcendi ſpem nullam dabat; donec rem Numine ita adgubernante,
morbus morbo præſentiſſimam medicinam fecit. Accidit nanque, vt graui ſebri Et correptus grauiſſimo morbo.
correptus Flaminius, lecto periculosè decumberet, eratque penè conclamata à me-
dicis ſalus. Quod vbi reſciuit Cardinalis Theatinus, etſi parari quidem ſerò medi-
cinam cerneret; quòd ſciret nihilominùs vel maximis rebus moliendis momenta in-
terdum ſufficere; in ſupremo amiciſſimi olim capitis periculo, periclitari ipſe ſupre-
mam animi ſui contentionem, opemque ſtatuit. Ægrotum confeſtim adit: verùm
quòd vaſa iam ille colligeret, extremoque ſpiritu luctaretur; vti cohortatione, ac
monitis fruſtrà fore exiſtimauit. Quarè arceſſendum è Cælo præſidium ratus vir piiſ-
ſimus perindè, & animorum ſalutis cupidiſſimus, innixus genibus, ea fide, animique
firmitudine preces concepit, vt expiranti corporis, & mox animi vitam impetrarit;
valuitque Cęlo Caraſæ eloquentia, quam obſurdeſcentes proxima iam morte aures Mente, & corpore ſanatur Caraſę precibus.
excluſerant. Reſtitutam ſibi hac ope valetudinem, eleganti ad Hieronymū Turria-
num carmine celebrauit poſteà ipſemet Flaminius, quod recitat, Ant. Caracciolus,
qui hæc narrat: additque, narraſſe olim ſibi Ludouicum Card. de Torres, aliquot a Coll. Paul. 4.
poſt annis, nempè eius ſeculi quinquageſimo, catholicè, conceptaque ritè fidei pro-
feſſione diem ſuum obijſſe Flaminium; eodem nimirùm Caraſa, qui virum egregium Et poſteà catholicè diem claudit,
Eccleſiæ conciliauerat, adſtante, ac iuuante. Enimuerò cum Iacobus Herculanus,
Vaticanæ Ædis Curio extremè ægrotanti ſacrum epulum afferret, comitatus illum
pedibus de more cum omni familia eſt Cardinalis Theatinus, qui & ſacerdotem mo-
nuerat, qua potiſſimùm ratione moribundi religionem exploraret. Ventum igitur
ad ægroti domum, ac porrecturus diuina myſteria Herculanus, fidei confeſſionem
poſcit. Interim latere poſt eius terga Caraſa voluit, vt illam exciperet; expende-
retque, an ſana omninò, atque orthodoxa ſententia decumbenti eſſet: cum ille in-
tegro quidem ſpiritu ſymbolum recitauit: faſſuſque propalàm eſt, ſe catholica ani-
matum mente expirare. Tunc Caraſa ſubtiliore experimento, vt ſenſus penitùs om-
nes peruestigaret, Herculano ad aures inſuſurrauit, vt tranſubſtantiationis vocem Explorante orthodoxam Religionem Caraſa.
meminiſſet; veritus, ne qui Latinis præſertim mundities tenebatur, probatum ab Ec-
cleſia, ſancitumque vocabulum, ceu peregrinum, cultiſque auribus abſonum, mini-
mè probaret. At ille, qui vetuſtatem omnem excuſſerat, vt ſenſu, verbiſque ſe Ca-
tholicum præſeferret, tranſubſtantiationem ea, qua potuit, voce pronunciauit. Quo
audito Caraſa ingenti lætitia perfuſus, obtulit ſeſe clienti ſuo, piiſque monitis pro-
ſecutus illum eſt, quoad animam efflauit. In quo plura omninò habes virtutum de-
cora, quæ celebres in Cardinali Theatino, veteris amicitiæ cultum, ardens animo-
rum ſtudium, illibatæ fidei zelum, pietatem, ſolertiam. Atque hæc de Flaminio
Foro-Cornelienſi, occaſione Cardinalis Poli, cum quo iure non conuenire Caraſæ
diximus, quòd ille iuſtificationem ex ſola fide mordicùs aliquando defenderit. Quod
ſanè præferuidus, atque eximiè pius Caraſæ animus nunquam tulerit; quippè qui
hunc præſertim errorem inſectandum ea tempeſtate præ alijs ſuſceperit, non modò
verbis, ſed etiam ſtylo. Nam inter ea, quæ penes Philonardum, Aquinatum Epiſco- Card. Th. de Iuſtificatione liber.
pum Cardinalis Theatini ſcripta erant, vidiſſe ſe teſtatur [b] Caracciolus noſter quàm
optimam, ac luculentam de Iuſtificatione lucubratiunculam, quam ſuo ſtudio, cu- b Vit. Paul. 4.
raque elaboratam miſiſſe ipſummet Theatinum ad Concilium Tridentinum, vero M.S. l. 3. c. 8.
ſimile putat idem Caracciolus.

Claudimus hunc annum Michaelis Mazzalurſij, Monopolitani, obitu, qui om- Michael Mazzalurſius piè obit.
nium planè animos exulcerauit. Quippè, vt in augendo Sodalium numero non ni-
miùm ſoliciti erant noſtri homines; ita cum minui contingeret, intimè, ac peracer-
bè, quæ erat vnanimis, ac mutua inter ipſos caritas, angebantur. Vir fuit Mazza- Eius eruditio, ac mores.
lurſius integritate morum, ac vi quadam capaciſſimæ mentis conſpicuus; tùm ar-
tium, ac litterarum præſidijs inſtructiſſimus. Hic, vt recens Clericorum Regularium
Inſtitutum capeſſeret, Neapoli Venetias ſummo ardore animi diſceſſit; aggregatuſ-

que ad nostrum Ordinem, expectationi, quam de se excitauit, adamussim respondir, insigni virtutum, ac regularis obseruantiæ laude. Sacrorum in primis cultui addictus; ac singulari quadam siue iudicij, siue artis præstantia, instrumentum, ornatumque Ecclesiarum non rudi quidem schemate, sed elegantissimè procurabat: narratque Valerius Paganus, ea omnia, quæ Paulina olim in Æde, statim ac illam iniere, pulcherrimè concinnarunt Patres, Mazzalursij ingenio, studioque adornasse. Fuit porrò, quo tempore Neapoli est commoratus, ob excellentem rerum omnium peritiam, religiosæque disciplinæ rationes, summa apud omnes ordines existimatione. Venetijs verò diutiùs versatus, cùm Xenodochijs frequentandis, tùm formandis aliorum moribus, conscienrijsque egregiè pertractandis, eximiam sibi eius Vrbis beneuolentiam conciliauit. Vbi elatus hoc anno die decima octaua mensis Nouembris nimiùm quantùm domi, forisque tristitiam excitauit.

Sacrorum studium.

Neapoli in precio habitus,

Et Venetijs.

Iam ad Romana Comitia narrationem conuertamus, quæ consequenti anno septimo, & quadragesimo, die quintadecima Maij mensis, celebrari in principe Vrbe placuit. Causam supra innuimus. Nam, quanuis communi iam suffragio, atque agitata re setiùs, in eam sententiam descenderant Patres, vt Somascenis postulationibus morem gererent, augerentque noua virtute nostrum Ordinem; iamque Cardinalis Theatinus Breues, vt diximus, ea de re Litteras obsignauerat: nihilominus, siue vt interiecto maiore temporis spatio, deliberationi pondus accederet; siue vt nouam hanc nostræ Sodalitatis appendicem Romæ etiam approbaret, quæ nascentem iam Ordinem ipsum probauerat; siue vt coactis vnà Patribus, præsente Cardinali Theatino rem denuò ad examen reuocarent, Romam conuenire, vt id potissimùm negotij conficerent, decreuere. Aduentantes singulari quidem beneuolentia suis in Ædibus excepit Cardinalis Theatinus, habuitque oppidò honorificè, ac peramanter; vtpotè quos in oculis ferebat omnes; gauisusque profectò est, ea Patrum celebritate, ac disciplina, quam illi vbique retinebant, suam Domum in Cœnobium commutasse. Itaque cœptis Comitijs, proposita statim in medio Ordinum coniunctio: cumque excussa iterum petitione, nulla sese difficultas, quæ impedire, morarique rem posset, obtulisset; quod Nostratum calculo, nutuque Pontificis scitum iam fuerat, executioni mandatum; innexique institutis, domicilijs, & quod caput est, mutua caritate, ac beneuolentia Ordines fuere.

Romæ Capitulum Gen. an. 1547.

In Aedibus Card. Th.

Excussaque iterù Somascenorum petitione,

Ordines coniunguntur.

Florebant in ea tunc Somaschæ Congregatione plerique celebrioris virtutis homines, qui Hieronymo ipsi Æmiliano, instituendis, curandisque strenuè pueris sese olim adiunxerant. Inter primos censebatur Augustinus Barilius, Bergomensis, qui generis claritudine, fortunisque, atque opulento admodùm Sacerdotio nobilis; abdicata opum copia, ac solicitudine, pauperum ministerio curas suas omnes, atque operam commodauerat. Atque is fuit ex ijs Patribus, præcipuus, qui cùm Venetijs coram, ac impensiùs cum Nostratibus, tùm Romæ cum Cardinali Theatino litteris egit, vt illa animorum, ac Sodalitatum vnio conflaretur; ac primus, qui tyrocinium in nostro Ordine statim posuit, nuncupauitque sequenti mox anno publica Religionis vota Tolentinate in Domo. Ab Augustino, virtutis, morumque indole haud secundus fuit Primus, è prænobili Comitum stirpe, Patria Nouocomensis, cùm linguarum peritia inter paucos excultus, tùm egregio bonarum artium, diuinarumque rerum studio illustris: qui Æmiliani institutum ex animo complexus, generis, ac doctrinarum splendorem mirificè adauxit insigni modestia, qua se magistro litterarum alioquì rudi, atque orphanorum obsequio mancipauit. His addendum nobile præstantium virorum par, Angelus Marcus, & Vincentius, Papienses, è Gente Gambarana; exempla, moresque Hieronymi strenuè imitati: nam cum excellentis prudentiæ laude, communique beneuolentia inter populares suos maximè florerent; commutatis vitæ rationibus, eo in nouam morum disciplinam studio, atq; incremēto virtutum incubuere, vt insigni pietatis opinione dies suos vterq; clauserit. Adhæserat & Hieronymo Leo Carpanus, vir eximiè pius, qui posteà animi sui prēstātiā, morumque grauitatem, vsq; adeò Paulo IV. adprobauit, vt insignes honorū appellationes vltrò ille offerret, quas dū recusat Leo, Pontificis amorem, atq; existimationem

Præstantes è Somascena familia viri.

Augustinus Barilius

Primus in nostra Sodalitate vota suscepit.

Primus Comes.

Angelus Marcus & Vincentius Gambar.

Leo Carpanus Paulo 4. carus.

nem intendit. Nec minorem sanè à Pio V. gratiam iniuit, qui ad egregium virtutis, ac beneuolentiæ testimonium, ægrotantem Leonem inuisere, non infra supremã dignitatem putauit; tentauitque mox Neapolitanis etiam Insulis animum, ab omni prorsus honorum pompa, ac luce abhorrentem. Alij prætereà illam tùm Congregationem, quà litterarum studijs, quà pietatis cultu honestabant; quos hic appellare, ne illorum hominum censum instituisse videamur, abstinemus. Atque hi quidem omnes in nostrum hoc anno institutum, legesque immigrarunt: durauitque aliquot annos nexus, quoad vsu, atque experientia compertum est, perdifficilem rem esse, conuenire dissimilia. Nam quibus semel animus moribus assueuit, ab ijs nullus vnquam aut labor, aut studium reuocabit, eò recurrente statim indole, quo validior iam consuetudo ingenti vi quadam trahit. Sed hæc in loco fusiùs. Et Pio V.

Excussi Romanis hisce Comitijs de more Congregationis progressus. Tùm de nostro præsertim latifundio, hoc est, de ea, quæ spontanea fidelium liberalitate, Cæloque nititur, paupertate actum, cautumque. Enimuerò quòd libare illam amicorum pietas posset; nempè si nobis inconsultis, aut fortasiè conniuentibus precariam operam exhiberent; solicitarentque postulatis suis in nostrum commodum mortalium munificentiam, quam nos silentio expectamus: sancitum inter alia, vt eleemosynæ, neque per nos ipsos, neque per alios quospiam petantur. Id quòd verbis posteà efficacioribus nostris Constitutionibus consignatum fuit, sancitumque, vt non modò secularibus non permittatur; verùm etiam, si nobis inscijs id facere sint aggressi, cum primùm ad nos perlata res fuerit, prohibeantur: vt scilicet coactitia omninò stipes à nostri instituti ratione proscribatur, nihilque humani diuinæ paupertati adhærescat. Actum prætereà de fratribus Laicis, rebus domesticis, Clericorumque ministerio destinatis; de quibus, quia nihil constitutum anteà fuerat, visum in eorum disciplina paulisper consultatione immorari. Enimuerò cum diffundi illorum studium, animumque in externas operas oporteat; magni interest Congregationis, si modus præscribatur, quo id absque internæ virtutis, ac deuotionis dispendio fiat. Satis igitur de horum institutione Patres disseruere; vtque aut religiosis moribus, rerumque diuinarum rudimentis, quoad status eorum postulauerit, imbui; aut contineri in officio possint; certa quædam ratio inita. Quæ verò inter Capituli Consulta adnotarunt, duo fuere, quæ ad externum horum operariorum cultum pertinent. Primùm, vt eorum habitus honestus quidem esse debeat, distinctus tamen ab habitu Clericorum: vt scilicet, qui in Religionis castris diuersa à Clericis acie militant, diuersa item ab illis tessera, sagoque internoscantur; ne quod optimum, ac pulcherrimum est in Religiosis familijs, nempè ordo, perturbetur. Ac decet quidem, vt in hac Regularium Ordinum Hierarchia, quemadmodum in Ecclesiastica, quædam etiam externi habitus diuersitas officia, & gradus distinguat. Alterum autem, quod cautum de Laici ordinis Fratribus est, ne grammaticæ, latinisque litteris vacare permittantur: atque id quidem prudentissimè, ne ab eo instituto, ad quod vocati à Deo sunt, auocentur: facilè siquidem adrepere quoddam laboris, abiectorumque operum tædium, siue contemptus posset, si litteræ paulatim animum erexerint; ac superba quadam studiorum conditione socios etiam alios despicerent ij Laici, quos vel exigua eruditio inflaret. Monet [a] Antonius Caracciolus, hac de re legendos Thomam à Kempis in vita Beati Florentij; & Antistium in vita B. Aloysij Bertrandi, qui accuratè, ac prudenter rem prosequuntur. Expensi in Comitijs Theatini profectus. Cauetur que paupertati. Quædam de Fratribus Laicis statuũtur. Vt distinguãtur habitu. Ne litteras discant. [a] Not. in Cõst. Ol. Reg. p. 2. c. 5

His ita constitutis, vtriusque domicilij, Neapolitani, ac Veneti Præpositi renunciantur; ac Bonifacius quidem à Colle refectus ad alterum annum Venetijs; Neapoli verò Caietanus Thienæus vel inuitus reficitur. Ac soluta Comitia fuere, quę Cardinalis Theatinus, tùm singulari in rem communem studio, tùm in Patres munificentia, quippè quos eo temporis spatio sua amplitudine, ac liberalitate fouit, cohonestauit. Porrò Caietano adiuncti socij duo, qui Paulinum domicilium incolerent, Petrus Veronensis, qui illam olim Domum nauiter procurauerat, & Iacobus Clericus; cum quibus Neapolim discessit: nec sine Thienææ virtutis documento iter absolutum. Nam Atellam, Campaniæ oppidum, inter Capuam, ac Neapolim, diù post solis decasum cum peruenisset, quòd Domini in Cælum ascendentis perui- Bonifacius Venetæ Domus Præp. Caietanus Venetæ.

Qui nocturno itere intendit, vt solemniores preces canere[t].

gilium esset, incendi desiderio vehementiùs cœpit, antelucanas consequentis diei festi preces cum Neapolitanis Patribus persoluendi. Quare neque exacti itineris lassitudo, neque nocturnæ eius viæ incommoda sistere illum Atellæ potuere, quominùs Neapolim excurreret: recepturum abundè spiritus ab ijs celebrioris festi laudibus, nec defuturum interea ambulanti per eas tenebras lumen, vbi conscia magnæ virtutis sydera præluxissent. Igitur sub ipsum nocturnarum precum tempus Neapolim peruenit; positaque vix penula, Odeum adit, easque non obscitabundus, aut similis fesso, sed summa cum animi alacritate cum alijs cecinit. Quod sanè vt contentionem, ardoremque animi, quauis fatigatione superiorem in Thienæo probauit; ita ingenti captos admiratione Patres, perfundere incredibili lætitia potuit; non sine animorum siue fructu, siue incitamento.

Neapolitani tumultus initia.

Porrò, Neapolitanam in Vrbem incubuisse iam luctuosissimam tempestatem deprehendit Caietanus. Cœperat quippè per id tempus acerbissima in Petrum Toletanum Proregem exardescere Ciuium inuidia, excitarique passim turbæ; quòd ille ingratum, exosumque Neapolitanis Inquisitionis nomen, atque officium inuehi adniteretur. Exercuere isthæc dissidia, diuexaruntque ingenti clade Neapolim; cumque in dies gliscerent, affectum ea de causa mœrore, ac tabe Thienæum, confecerunt. Quare, quòd sanctissimum nostri Ordinis Conditorem Neapolitanus hic turbo abstulerit, postulat locus, vt breui rem commemoratione perstringamus, quam fusiùs Scriptores plerique omnes prosequuntur. Appulerant, vti superiùs significatum est, teterrimi quidam Lutheri emissarij Neapolim, ac pestilentissimo quidem ingenio, insignique facundia impietatem disseminauerant. Et quanquam restincta maturiùs lues esset; detectisque hæresum monstris, alij aliò conscelerati sese homines proripuerint: remansisse nihilominùs quædam eius pestis reliquiæ, ac semina videbantur, quæ prauam identidem, nouamque in segetem germinabant. Visum Petro Toletano perpurgandæ florentissimæ Vrbi, tuendæque Regni totius religioni fore peropportunum, si Sacræ Inquisitionis Officium, ijs videlicet legibus, atque

Sacræ Inq. officium.

institutis, quibus in Hispania administrabatur, Neapolim induceretur. Nouerat quippe, quantum ab ea fidei censura dignitatis Hispanæ pietati accesserit; vtque proscripta hæresi, inductisque bonis moribus fides, ac sanctitas vbique florerent; postquàm salutaris ille rigor acri flagitiorum peruestigatione, præsentique remedio terrere, ac vindicare impios cœpisset. Sanè vel hoc nomine celebrari gentium om-

Qui ab hoc munere quæsitumque fructus in Hispania.

nium litteris, plausuque promerentur par illud Coniugum, ac Principum amplissimorum, Ferdinandus, & Elisabetha, Castellæ Reges: qui partum Hispana olim pietate Catholici nomen, nouis subindè regiarum virtutum, Religionis præsertim documentis, exemplisque assertum, Castellæ Regum titulis adiunxere. Enimuerò

Laudari Castellæ Reges.

quà Maurorum moribus, quà peregrinis Arabum ritibus, quà Iudæorum impietate, commaculata Regnorum illorum religione, effugauisse vi bellorum, edictisque,

Inquisitionis Tribunal in Hispania figunt.

ac proscriptionibus monstra, non sat fuit pijssimis Regibus: verùm, vt fidei puritati, atque incolumitati in posterum cauerent; perpetuum impietati, eiusque exitio bellum excitarunt: nempè Sacrum Inquisitionis Officium, quod iusta quidem seueritate, summoque iure procuratum, sacrorum munimentum, ac vindex est, orthodoxique nominis præsidium, ac decus: vt nulla iam ampliùs his excubijs, metuue, ac censura Quæsitorum, aut aperta, aut clandestina hæreticorum bella in

Hoc idem Neap. inuehere cogitat Toletanus, Vrgete Card. fratre.

Hispania formidentur. Cauere hac item iudicij forma, ac terrore Neapolitanæ religioni, Regnoque peroptabat Toletanus; vrgebatque opus Ioannes Cardinalis Compostellanus, Germanus frater: qui quòd ingens ab eo consilio pretium operæ, fideique incrementum præuideret; sciretque frangi persæpè mora, ac languescere magna negotia: duos e Prædicatorum familia, Quæsitorum nomine Neapolim sta-

S. Officij nomen Neap. infensum.

tim miserat, qui Pontificijs litteris, id è vestigiò iudicium inchoarent. Neapolitanis molestissimum Inquisitionis nomen, ac munus iam diù fuerat; eoque nunc memorato, excitataque veteri memoria, verberari acrius ipsorum aures, atque animos

Tentauerat id olim instituere Rex Catholicus.

sensere. Et quidem Ferdinandus Catholicus iam inde ab anno huius seculi quarto potitus Regno, nil prius habuit, quàm vt fidei censuram inibi constabiliret: annisusque strenuè est, vt adornato eo Tribunali, subirent eandem fori religionem Neapolita-

politani, quam Hispani dudùm subierant. At datis ea de re litteris, quæ seuerè præciperent; intentatis, si contra irent, mulctis; renunciatis, qui adirent, ac rem conficerent, Quæsitoribus; vt facile Catholico Regi imperare, ita impetrare impossibile omninò fuit; ac re infecta, illusum regiæ voluntati, ac minis. Ergò hac iterum Inquisitionis formidine perculsi Neapolitani, vbi adlegatos Roma Censores euulgatum fuit, obniti esdem animi indole, ac firmitudine cœpere: turbisque excitatis, clàm, palàm aduersus auctores conclamantes, non exigua secuturæ mox magnæ tempestatis indicia dedere.

Sed frustra.

Ad eius iterũ nomẽ turbat Neapolis.

Rem, quòd interminari publicæ rei, ac suæ ipsius existimationi cladem cerneret Toletanus, componere pro tempore studuit: ac blandè allocutus cùm nobilitatem, tùm populum; visus polliceri, eius Censuræ negotium, mentionemque prorsùs, ac protinus abrumpendam. At in speciem, verboque tenus spopondisse, vt primos eos impetus frangeret, statim declarauit.

Componũtur in speciem motus.

Nam solicitare secretò per internuncios quorundam Neapolitanorum animos, vt instituendæ morum, fideique quæstioni, & adnuerent ipsi, & flecterent sua cohortatione, atque auctoritate alios.

Ardum vrget negotium Prorex.

Quod etsi inter paucos agitaretur, non adeò confici occultè res potuit, quin in vulgus manaret rumor; dissipatusque subindè latiùs, multitudinis, haud planè ad ambigua, ac mollia Proregis verba consopitæ, animos inflammaret: additusque mox commotis huiusmodi animis recens ab edicto quodam impetus, quod principis Templi foribus affixum, Inquisitionis censuram, nomenque apertiùs prætendebat. Quapropter lædi eo fræno libertatem, carpi acerrima Quæstione auitam religionem, inuri suæ pietati notam, ac dedecus, perpetuum animis timorem eo iudicio incuti, de capite demum agi, fortunisque, ac fama omnium, agitare vehementiùs cœpere Neapolitani; tùm obloqui confidentiùs, turbasque palàm excitare: eòque perducta res est, vt exardescentibus inter ipsos, ac Toletanum magis, magisque in dies odijs, quò iugum illi excuterent, hic turbas vindicaret, suprema vtrique consilia, ac remedia meditarentur; ac iam conclamari ad arma cœperit, ac proludi cædibus ingenti calamitati.

Concurritur ad arma.

Indignationem porrò Vrbis, ardoremque adauxit repentinum, ac miserandum planè spectaculum. Enimuerò vt prouectam altiùs popularium confidentiam refrænaret Prorex; monere officij insigni seueritatis documento eos voluit: ac tres è patricio ordine adolescentes, cum infimo loco virum, qui ob æs alienum, Inquisitionis tamen causam, ac nomen ex arto inclamans, in carcerem ducebatur, è lictorum manu, facto impetu eripuissent; ex inopinatò manè publicum in forum productos domestici cuiusdam Mauri manu iugulari iussit, ac iacere inibi ad multam diem sordidata suo sanguine, ac puluere ea corpora. Ergò qui iam ardebant ciuium animi, nimiùm quantùm luctuosa nobilium adolescentum cædes, & commiseratio accendit.

Adaugetque Ciuium turbas nobilium adolescentũ cædes.

Societas, quæ inter nobilitatem, ac populum sancita in communi ea causa iam fuerat, concepto iterum sacramento, ac repetito fœdere, incredibili quodam impetu renouata.

Renouatur inter vulgus, & Ordinem fœdus.

Cœptus à Neapolitanis conscribi miles; exulum, ac sicariorum manus non parua ad præsidium, siue ad exitium Vrbis admissa; dispositæ per compita stationes; flagrare implacabili odio, armisque omnium ordines videbantur. Prorex non segniùs in seditiosos, armatosque gradum componere; accire è vicinis munitionibus Hispanum militem; arcium tormenta in Ciuitatem obuertere: & addidere illi tunc animos aduectæ, commodùm, Cæsarianis triremibus Hispanorum phalanges.

Prorex extrema meditatur.

Hoc vtrinque apparatu, ac turbine excitato, oppidò cruenta, ac decumana in ciues procella detonuit. Hostili siquidem excursione, frequentique conflictu hinc inde grassatum, itumque in cædes. Inchoatum, concinente populorum clamore classicum, intestinum, atque immane bellum eò processit, vt contrucidari passim populares, ac regij milites mutua internecione cernerentur, eorumque sanguine exundare fora: immissæ insuper in tecta, hostium more truculentissimorum, flammæ; explosisq; arcium tormentis verberatæ domus, ac dirutæ; misceri demum omnia, diripi, funestari, miserabili planè Vrbis clade, ac facie.

Vtrinq; cædes.

Turbulentissima hæc planè fuere tempora: quæ quidem, sed longè luctuosiore, ac diuturniore calamitate, ac furore ciuium rediere postmodùm anno centesimo, hoc nempè, quo scribimus, septimo, & quadragesimo post millesimum sexcentesimum:

Redije post centũ annos, sed dirior procella.

mum: vt fatalis profectò nouus hic turbo videri possit, recurrente centum omninò post annos maligno eodem sydere, ac seculari clade, quæ florentissimam Vrbem Neapolitanam, Regnumque penè excidit.

Astrologi syderibus tribuunt,

Et quidem Mathematici, quibus mos est, mortalium mala in stellas refundere, id cæli positioni tribuunt; aiuntque, Medusæ caput, quo ducentos circiter abhinc annos Græciæ imminente, deuastata ea Regio fuit, ac Turcarum tyrannidi, frenoque subiecta; hac tempestate elatum ab Æquatore ad polum nostrum ad gradus nouem, & triginta, Regno huic Neapolitano incumbere, ac vastitatem, supremamque illi miseriam interminari. At adscripserint hæc illi syderum efficacitati, ac motibus, nos planè religiosiùs decet philosophari;

Nos Deo vindici.

& qui scimus solere diuinum Numen hisce cladibus erudire, ac vindicare Orbem, in summo hoc rerum discrimine vltorem Deum agnoscimus, atque vtinam sapere condiscamus.

Dissidiorum causa.

Turbarum causa vectigalia fuere, à quibus cum laborarent populorum vires, tandem excussa patientia est.

Initium.

Initium ab infimæ sortis hominibus, atque à puerorum leuitate factum. Arma, quę fors obtulerat, plerisque pro telis sudes, & conti fuere, & pueris quidem arundines: vt discas, quàm leuibus interdum initijs grandia Regnorum infortunia adolescant.

Ex infima plebe viri Regiam petunt.

In Prætorium primò inuolant, ac ni maturè securitati consuluisset Dux Arcobrigensium, qui Regni vices administrabat, nil propiùs fuit, quàm vt subitario eo impetu interciperetur. Interea augeri plebis confidentia, ac numerus; exemploque audaciorum maior subindè conflatus turbo, qui cum versaret, confunderetque planè omnia, visus præcipuè

Nobilitatem impetunt, cæduntque.

in nobilitatem detonare. Quæsiti viri proceres, fugatique; & quos obuios habuit immanis rabies, discerpsit, raptauitque per Vrbem, indigno plane spectaculo. Incendijs etiam lusum; immissæ in tecta passim faces, ac pretiosior quæque supellex publico igne conflagrauit; cum interim eliceret bonorum lacrymas affusus oculis fumus.

Componuntur motus.

At enim singulari quodam Dei beneficio deferbuit non post multò popularis hic æstus. Laxata annona; imminuta vectigalia, instaurata, quæ obsoleta iam erant, Regum priuilegia; admissæ perduellionis venia; aliæque in principe templo solemni ritu ac sacramento iuratæ vtrinque conditiones, sui Principis obsequio Neapolitanum Populum, suæque tranquillitati Vrbem reddidere. Verùm quæ vulgi facilitas, atque inconstantia est, abrupta iterum insequenti mox Augusto mense concordia.

Sed iterum exæstuatur.

Breuior hic furor fuit, sed cui suæ flammæ, ac patratæ nobilium cædes non defuere; & qui militari quodam apparatu, ac ordine, instructis munitionibus, ac dispositis in præcipuis, atque editioribus Vrbis locis muralibus tormentis, dare profectò atrociorem fabulam poterat; nisi laxior quàm antea Principis beneficentia populum mitigasset, iugulassetque in ipso statim initio renascentem cladem opportunior prouidentia.

Et tertiò vehementiùs.

At enim non cœperant in populosissima Ciuitate hæ turbæ, vt statim subsiderent; vidimus mox recrudescere vehementiùs animorum motus, atque ea quidem odij acerbitate, vt præteritis turbis prælusisse ceu quibusdam velitationibus immani cuidam bello visa fuerit plebs Neapolitana.

Austriaci aduentu.

Siquidem cum Octobri mense ineunte, regia, instructaque admodum classe Neapolim applicuisset Ioannes Austriacus, Philippi Regis filius; qui mulcere populos regiæ stirpis reuerentia, aspectuque suo, aut certè offerre metum bellica vi, atque eo nauium numero debuerat; intellexit, Principis reuerentiam haud grande esse multitudini frænum, ac subditos tunc minùs timere, cum magis timent.

Dimittere arma iubetur Populus.

Igitur, arma, quæ gestabat ex pacto Populus, quoad adstipularetur iuratis conditionibus Rex, dimitti iubentur. Haud decere aiebant regiam sobolem in armatam Ciuitatem exscendere, ac securitati populi satis caueri Philippi Regis filij præsentia, ac fide. Hæc tertia, ac longè luctuosior Neapolitanorum tumultuum fax. Etenim cum metueret vehementer sibi plebs conscia; parùm esse regiam Austriaci fidem putauit, nisi & ipsa sibi, suæque securitati cauisset suis viribus. Ergo cum abijcere arma recusaret Populus, moneri altiùs officij, atque obsequij oportuit.

Quod illedum negat,

Intonare horrendum in modum maioribus tormentis vrbanæ arcea: tùm Classis ad Vrbis latus, quod mari adiacet, appellere, ac verberare, ea pilarum grandine, vt planè ruitura breui Ciuitas videri posset.

Extrema adhibentur remedia.

Biduum tenuit spissior ea nauium, atque arcium explosio; diuque postea perdurauit, mitiore quidem procella; quæ cum ædificia vehementer concuteret, ac passim disijceret, populo-

pulorum animos, conceptamque semel iram non modò non fregit; verùm etiam ab assiduo eo fulmine tacta multitudo, visa acriùs exardescere, ac furere. Scissa illicò Vrbs fuit, ac Regij quidem alteram, ac præcipuam eius partem præsidijs firmare; ne obsidere arces, ac Regiam possent. Alteram Populus aggeribus, fossis, machinis, tormentisque communire. Occœpere mutuæ interdiù, noctùque cædes, populationes, incendia. Vilissima quæque capita, quò furor propelleret, excurrere, ac grassari: consternari metu honesti ciues, dilabi fuga viri nobiles, matronæque; ac breui in miserabilem sese faciem, exundante vbique sanguine, ardenteque ciuili bello, Ciuitas induere. Ac primò quidem visa plebs fidem, ac in Principem obsequium minimè abiecisse; sed vt cum Administris rem sibi esse significaret, exposita publicè non vno in loco Regis imagine, salua se eius reuerentia, ac maiestate tumultuari profitebatur. At concitatis nouis subindè odijs, vt extrema facilè meditatur emota mens, excussere omninò Regem, eiusque imperium; ac specioso libertatis nomine obtento, euadere in Rempublicam cogitarunt. Implorata proindè externa auxilia, ac opes; accersitus excitandæ, tuendæque libertati Gallus; impositus summæ rerum Henricus, Dux Guisius; scriptoque milite, instructaque re bellica, tentatæ non semel Hispanorum munitiones, ac præsidia, dato, haustoque non modico sanguine. Nouatum ad eundem ferè modum in reliquo Regno. Ebulliere vbique populi; eadem flamma arsere odia, ac tecta, & ciuium bona; contrucidatique Dynastarum plerique à subditis; vt sanè hæc in infima plebe longè, latèque animorum conspiratio occulta vi quadam agi veluti à fundo Neapolitanum Regnum, indicaret. Porrò secuta Regis partes Nobilitas, tota statim in armis fuit; inseditque lectissimis copijs Campaniam, ac vicina Neapoli oppida, vt & incuterent armorum apparatu metum; & intercepto commeatu omni, cogeret ieiunam plebem quærere inter regias vlnas annonam, ac vbertatem. Verùm soluta postmodùm magnam partem hac obsidione; vt rediret subditis prisca in Regem obseruantia, ac mens, cum Neapoli abscessisset Dux Arcobrigensis, cuius infensum Populo nomen, nihil planè ab Ioanne Austriaco prætermissum. At enim, siue quòd facti conscientia plerosque nimiùm terreat; siue quòd felicior nonnullis in turbido piscatio; siue quòd metus valeat, ne si bonam quis, pronamque in concordiam mentem prodat, proditæ libertatis postuletur; siue quòd quædam dominandi cupido afficiat, mordeatque dulciùs multorum animos; quæ potissimùm causæ sunt, cur ciuiles plerumque motus plus nimio protrahantur; pacandæ multitudini nulla humanissimi Principis argumenta profuere; impunitas, annona, pollicitationes, publica fides, auctoritas, preces, frustra omnia. Sicque diuulso nobilissimo Regno, ac Vrbe, agimur miseri inter partes, ac studia: miscentque omnia tumultus, bella, funera, proscriptiones, exilia; plaudente ad hanc scenam Europa, ac Orbe. Scripseram, & nequam non siccis oculis vsurpaueram ipse Neapolitanam calamitatem, siluisse posteris viderer, pauca hæc de prolixiore historia delibaueram: cum ecce ex insperato concordia, & faustitas, & Austriaca per Vrbem clementia, acclamatumque inter populares plausus Philippi nomen. Planè, quod arma, & terror cum infensa, ac peruicaci multitudine minùs successerant; alia prudenter inita fuere consilia. Occupati nempè multorum animi, penes quos summa armorum, ac rerum, atque in populum auctoritas; eòque adducta res est, vt quà largitionibus, quà promissis è præcipuis munitionibus facilem sibi aditum in reliquam Vrbem Regij adpromitterent. Destinata impressioni quinta Aprilis mensis lux; factoque à Deo initio, quæ præcessit eam diem nox non tam in armorum apparatu, quàm in supplicationibus, atque vsurpatione sacrorum insumpta. Enimuerò secutus Ioannis Austriaci, religiosissimi Principis, ac cæteræ nobilitatis exempla miles, in expiandis animis, muniendoque Sacra Eucharistia pectore totus fuit. Qua quidem pietate prælusisse victoriæ, siue illam occupasse videri potuit. Igitur instructis florentissimis copijs, cum aliæ alijs demandatæ locorum expugnationes fuerint; Austriacus, vnà cum Ognatti Comite, Prorege, ac lectissima Neapolitanorum procerum manu, ad Portam, quam Albam vocant, exercitum sub primam lucem applicuit. A paucis præsidiarijs militibus, qui vocati in facti conscientiam minimè fuerant, quædam hic mora: sed li-

Municurque vtrinque Ciuitas.

Sequuntur populationes, cædes, exilia.

Salua primùm in Regem fides.

Mox abiecta, vindicare se in libertatem statuunt.

Iidem in reliquo Regno motus.

Nobilitas Neapolim obsidet.

Ioannis Austriaci humanitas.

Nihil profuit.

bato vix vtrimque sanguine, vt in alijs Vrbis munitionibus accidit, aditum Regij occuparunt; effusæque hinc acies pacem, non arma, ac cædes intulere. Deserta statim à Populo munita Vrbis loca; abiecta arma, ac furor. Honesti Ciues, qui turbas, atque in Principem suum contumaciam probauerant nunquam, excipere festis acclamationibus improuisam Vrbis felicitatem; fora, compita excurrere; amota suis locis Regis insignia reponere, inclamare Hispanum nomen; suspensisque niueis per fenestras velis, poscere, gratulari pacem mulieres, pueri, omnisque mortalium gradus, ac ordo. Austriacus, ac miles rectà ad principem Basilicam; vtque Deo victoriam referrent, qui dederat; Eucharisticum hymnum ritè, grataterque persoluunt; tùm ad arcem, quam à Carmelo vocant, inuolant, tecipiunt euestigiò, muniunt. Inde instructo militari quadam forma peditatu, ac equitatu inambulata inoffenso pede Ciuitas, personante victoriam, ac palmam tubarum concentu, plausuque Ciuium: vt planè nullum vnquam Neapolitanæ Vrbi iucundius spectaculum acciderit: quando deducente circumfusa hominum multitudine, ac florentissimo bellatorum agmine Victorem Austriacum, Vrbs eadem triumphata, ac triumphatrix pulcherrimum ipsamet exhibere triumphis theatrum videbatur. Inter hæc itum in Gallos, qui ciuicos eos motus fouebant, regebantque. Capti, aut fugati omnes. Dux Guisæ Henricus, qui tùm quidem è summo Pausilypo Nesida, propè Neapolim Insulam, maioribus tormentis pulsabat; vt dominari iam Regias in Vrbe partes audiuit; fuga sibi paucorum comitatu consuluit, sed interceptus mox in itinere ab excurrente militum manu, Capuam captiuus ducitur, tùm Caietam: Princeps quidem multarum partium, sed qui credere minus vulgo debuerat, cauere magis à Sirenum cantu. Porrò contulisse aliquid in communem hanc Vrbis trāquillitatem nostros homines, non est hìc prætermittendum. Certè qui regia iura, causamque intentiore quodam studio tuebantur, vbi suam ipsorum operam compendio Hispaniæ rei futuram intelligebant, aderant consilio, adhortamentis, secretisque monitis: vt sanè nihil intentatum reliquerint, quod popularium animos componere, fidemque in Regem reuocare, tuerique posset. Comperta hæc Regijs Theatinorum hominum studia, quæ testati & ipsi sæpius Administri conceptis verbis, ac magnificè sunt; ac compositis ad Aulam litteris, vt ad regias etiam aures peruenirent, voluere. Quocirca cum hoc maximè tempore de nostro Matritensi Cœnobio fundando ageretur, ac supplicatum super ea re Regi fuerit à Neapolitana nobilitate; plurimùm conciliandæ eius voluntati ea obsequij opinio valuit, vt in tempore exponemus. Sed de his hactenus: nunc ad superiora ea mala, vnde ad centenarias has turbas defleximus, recurrat stylus.

Afficit Neapolitana calamitas Thienæum.

Bonos omnes intimè afflixit ingens illa calamitas, Caietanum præcipuè: qui quòd incredibili quodam affectu in Neapolitanos ferebatur; inaudire, ac videre oculis gliscentes quotidiè eas turbas, cædesque absque ingenti mœrore, sensuque animi non poterat. Acerbiùs verò, quàm humanam vllam calamitatem, magna, quæ tunc adittebantur in Dei maiestatem crimina dolebat vir sanctissimus. Propulsare, quà diuina, quà humana ope commune, ac publicum malum studuit. Adire ad viros principes, cohortari, prensare omnes. Orationi potissimùm incumbere, noctesque integras fundendis ardentissimè precibus perdurare: tùm publicis etiam indictis supplicationibus, Deiparæ, Diuorumque patrociniis Cælum pulsare, in quibus & illa sæpiùs iterabat: [Vt Ciuitatem istam defendere, pacificare, custodire, & conseruare digneris, Te rogamus audi nos.] Alias præpterea ex Sacræ Scripturæ verbis propitiando Numini preces concinnauerat, inter quas, & illa erant Danielis verba, quæ non post multò cùm supremò decumberet, pronunciare ardenti quodam spiritu solitus fuit, & Ioannis Marinonij manu conscriptæ ad nos peruenere. [Exaudi Domine, placare Domine, & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus, quia nomen tuum inuocatum est super Ciuitatem istam, & super populum tuum, & fac nobiscum secundum misericordiam tuam.] At enimuerò, cum flagrare nihilominùs incendia, ac cædes, ac recrudescere in dies incitatæ multitudinis odia animaduerteret; amantissimæ Vrbis commiseratione, zeloque vsque adeò extabuit, vt febrim grauissimam conceperit. Adauxitque angorem, ac mor-

Occurritque potissimùm precibus.

bum

bum perlatus per id tempus rumor, interpellatum, abruptumque Tridenti fuisse, grassante inibi lue, Concilium. Siquidem, cum Vir rei Christianæ studiosissimus, ab generali eo Patrum Conuentu erexisset ad bonam spem animos, fore vt fœdata impurissimis Lutherisnorum mendacijs Catholicæ fidei dignitas repurgaretur, redirentque mores boni, ac vetus disciplina; postquàm interrupto Concilio, ortisque mox ea de re grauissimis inter Episcopos dissensionibus, trahi vota, conceptasque animo spes falli cerneret, ac religionis, disciplinæque emendandæ occasionem præcidi: deliquium quoddam illum animi, ac languor cœpit; quocum ingens de Neapolitanis motibus mœror coniunctus, paulatim vires, opesque corporis exhausit; atque vnà in eius exitium, mortemque conspirarunt. Plane, mortalium corporibus afficiendis efficaci vi quadam animorum motus valent. Estque inter has hominis partes id omninò fœdus, atque commercium; vt mutua persæpè communicatione affectus, sensusque, ac morbi ipsi refundantur. Et verò, non pauca ab omni antiquitatis memoria cùm sacra, tùm profana historia exempla suppeditarent; eorum scilicet, quos, vehementiore quadam animi affectione in corpus exundante, tabes confecit. Sufficiat vnus Augustinus, cui Patriæ cladem festinasse interitum legimus. Enimuerò Vuandalis Africam ferro, ac flamma latè vastantibus, ac tertium iam mensem Hipponem obsidentibus; morum calamitati, reique Christianæ discrimini adeò indoluit, vt correptus febri, paulò post, ne miserrimo rerum spectaculo interesset, è viuis abierit. Par omnino, ac similis causa Caietano periculum conflauit: depascente nimirùm vehementiùs mœrore animum, ac præcordia, nouissimè decubuit. Porrò suprema ea valetudine acerrima, ac robustior virtus nunquam visa claruisse; statimque præclara edidit institutæ seueritatis, ac sanctimoniæ documenta. Morbo nanque ingrauescente, Antonius Caponius, Medicus, cum defectum senio, ac febri eius corpus, laborare plus nimiò consueto in stramento, vsu iam duriore, cerneret; suadere illi conatus est, vt lanea culcitra inducta, paleas emolliret. Seruiendum nempè tempori, ac suum esse seueriori disciplinæ modum: neque corpori blanditias adornari, sed leuamentum malo: atque id quidem vel ipsi austeritati deseruire; cum resumi arma in seipsum opportuniùs possent, morbo citiùs triumphato. At ille, cui paupertas, & rigor, quàm vita, potiores; subirasci medico visus: [Me ne, inquit, molliore in culcitra? In cinere, &cilicio, in cinere, & cilicio mori debeo, & volo.] Quæ verba sæpè identidem ingeminans, sermonem ad eos, qui aderant, planè luculentum, piumque instituit. Scilicet, abiectissimum quid, cognatumque cineri corpus esse; ac propterea deberi illi cinerem, in quem finit mortalitas. Curari animum oportere, non corpus; quo sanè percalcato, ad suam ille originem, beatitatemque feliciùs engitur. Tùm, nil paupertati, nil Redemptori Cruci affixo, magis dissentaneum, quàm molliùs decumbere; nil magis conforme, quàm cinerem, & cilicium. At quando Saluatoris cruciamenta, & acerbissimam illam pœnarum iliadem subire non erat datum; cur stramentitio saltem, breuique lectulo, ac cinere, spinas, crucem, dedecus, totamque illam tormentorum scenam non compensaret? Hæc, aliaque Caietanus, vigorosiore quidem spiritu, quàm vt morbus ferret; cum interim in lacrymas soluerentur Patres, qui aderant, præclaram vim animi, tantamque sui despectionem, amoremque in Deum in Viro Sanctissimo admirantes. Cui & aliam mox ostentandi sui corporis, vitæque contemptus occasionem præbuit Caponius. Nam cum grauissimum id esse malum, neque se ætate, atque experientia parem illi affirmaret; ac fore opportunum, si alter medicus aduocaretur, vt iunctis consilijs, diligentiore quidem studio in eam curationem incumberent: eodem ille vultu, ac supercilij seueritate, qua culcitram cierauerat, medicum est deprecatus. Tueri, inquit, vitam quàm miserrimam, nihil mihi profectò tanti est; neque despicabile corpus, quale hoc meum, auxiliarem eam opem, ac diligentiam decet. Curaret, proindè Caponius, quæ expedire viderentur; idque satis omninò esse viro pauperi. Vbi iterum in sui despectionem effusus, de paupertate, animique demissione, ac mundi contemptu perorauit. Inter hæc inualuit vehementiùs febris, vt festinare ad communem exitum vita videretur. Quarè sacris ritè procuratus, munitusque, expetitam ingentibus votis mortem,

atque

Quem interrupti Concilij nuncius asperat.

Humanarum affectionum in corpora vis.

Augustinus ex angore animi moritur.

Caietani virtus suprema vitæ linea.

Molliorem culcitram respuit.

Et alterum medicum ad diligentiorem morbi curā.

Patres supremo spiritu alloquitur.

atque immortalitatem cum expectaret, allocutus in hæc verba Patres. [Quem ego ex vobis verbis, aut facto læserim, puto neminem hic esse. Si quis tamen à me, quod ipse prorsùs ignoro, affectum se quauis ratione molestia aliqua existimauerit; veniam quàm maxima possum humilitate precor.] Secutæ nouissima hæc verba quàm vberrimæ omnium lacrymæ, abeuntis iam iam amantissimi, ac sanctissimi Patris desiderio, ac mœrore excitatæ. At Caietanus supremam in illam colluctationem ingressus, inter virtutum omnium, flagrantissimæ in primis caritatis exercitamenta, sensibus integris, summaque alacritate, ac spe plenus, oris etiam quadam serenitate, ceu præciperet iam gloriæ libamenta, in cælum migrauit, septima die Augusti mensis, anni septimi, & quadragesimi supra sesquimillesimum, ætatis circiter sexagesimo.

Et mox animam efflauit.

Euulgatum sanctissimi Viri obitum incredibilis Neapolitanorum sensus excepit, quòd in Thienæo Patrem, ac publicum animorum procuratorem, præceptoremque agnoscerent. Plurimus de excellenti eius virtute, insignique sanctimonia per Vrbem sermo: ac veneraturi exanime, attritumque vigilijs, vitæque asperitate corpus, confluxere in Paulinam Ædem omnis ætatis, atque ordinis certatim homines. Id nanque magnæ virtuti insitum, vt admirere illam quidem, quandiù ob oculos habes; crescat verò, cum amiseris, eius existimatio, & cultus. Iam verò, quo in Neapolitanam Vrbem affectu flagrauerit Caietanus; quoue successu, receptus Cælo, eius Patrocinium capessiuerit, illicò demonstrauit. Enimuerò qui tùm maximè tanta cum publicæ rei clade, ac priuatorum sanguine ardebant tumultus, quos memorauimus, visi confestim deferbuisse; ac mox subsidisse omninò in cinerem discordiarum flammam. Et quidem quo die Caietanus Cælum inijt, Placidus Sangrius, qui vnà cum Ferdinando Sanseuerino, Salerni Principe, adlegatus pridem ad Cæsarem ea super re fuerat, ex Hispania Neapolim appulit. Et quanquam non ea planè Regis mandata afferri viderentur, vt rumulruantes, dissidentesque acriùs à Prorege Ciuium ordines componerent; restincta nihilominùs ex insperatò publica fax illa seditionum, sedata refractariæ multitudinis odia: siluere obstrepentia passim arma; Vbique pax, & securitas, & tranquillitas restituta. Quæ sanè cum eo tempore contigissent, cum turbulentissimis ijs motibus calor ponssimùm, ac vires adderentur, ac nulla componendi dissidij spes affulgeret: constans bonorum opinio fuit, Caietani id precibus, mortalitatem nòn ita pridem exuti, supremo à Numine impetratum. Id quod & Ciuitas ipsa Neapolitana, ne consenesceret annis consequentibus gratia, restatum publicæ obseruantiæ argumentis voluit. Siquidem communi Sedilium, vt vocat, decreto sancitum, vt quotannis anniuersaria eius obitus memoria, ac luce recurrente, funales cerei omninò septem inter solemnia Sacra Caietano dedicarentur, assidentibus ad Aram, Sacrumque Sex-Viris, qui conceptis solemnibus verbis, expressaque debiti professione, publicè offerrent. Ac veluti insigni beneficio parem non dum gratiam retulissent; in Sanctissimum Virum, Patremque beneuolentissimum studium nouo postea, ac luculentiore testimonio cumularunt. Nam celebratis in sua quique Porticu, ac Sedili, vt assolet, Comitijs, communi illum consensione, plausuque inter Vrbis, Regnique Patronos adoptarunt. Successum verò isthæc suffragia non habuere, quia tùm potissimùm temporis Vrbanus Pontifex Octauus lege cauit, ne referri inter Vrbium, ac Regnorum Patronos Beatus quis posset, qui relatus inter sanctos ritè non dum fuerit.

Eius sanctimoniæ apud Neapolitanos opinio.

Consecuta eius mortem pax.

Eius iam cælo potiti precibus tribuitur.

Quod decretis donarijs testatur Neapolitani.

Ipsoque in Vrbis Patronos adoptato.

Redditam porrò Neapolitanis tranquillitatem Caietani prece, ceu publicam sua morte calamitatem expiasset, consignatum nostris tabulis, grauique elogio voluere prisci Patres: nosque luculentissimum id rei testimonium ex Neapolitano D. Pauli tabulario hìc exscribere, opportunum ducimus. Sic verò habet. [Beatus Caietanus è nobili stirpe Comitum Thienæorum Vicentinus, vnus ex quatuor Clericorum Regularium Conditoribus Romæ M.D. XXIV. diuino plenus spiritu, verbo, & exemplo vbique præclarus, & gloria miraculorum insignis, obijt Neapoli anno M. D. XLVII. Septima Idus Augusti, ex angore animi ob imminentem Ciuitati cladem, & seditiosos tumultus; qui tamen precibus ipsius, in Cælum euecti, sedati sunt.] Quod etiam acerrimo Romanæ Rotæ iudicio quàm diligentissimè excussum,

Nostri etiam beneficium litteris consignarunt.

com-

compertumque, non id iactatum vulgò, ac temerè, sed constanti inter prudentes viros opinione circumlatum, veluti per manus traditum, continenti ad nos famam deriuasse. Quarè de Caietano in Beatorum censu adnumerando, descriptis eius virtutibus, rebusque præclarè gestis, apud Vrbanum Pontificem cum agerent Iudices; commemorata ea temporum calamitate, id planè ex omnium sententia affirmant, versantem in discrimine summo rerum Neapolim, & iuuisse illum suis precibus, vigilijsque, dum viueret; & extinctum, perorata in cælo feliciùs causa, tranquillasse. At enim consecutam post Caietani mortem Caroli V. Cæsaris insignem de Friderico Saxoniæ Duce victoriã memorat Antonius Caracciolus, ceu confecti feliciter eius belli pars ad illum spectet. Nam qui euadentem è prælio Saxonem Ducem è fuga retraxerit, Hippolytus Portius Vicentinus Comes, equestris alæ ductor fuit, non sine authoramento gloriæ, ac Cæsaris munificentia. Qui quidem Hippolytus materno è stipite Caietani consanguineus fuit: vt mirum non sit, positum Cælo Thienæum adfuisse in eo belli discrimine, ac victoria cognatis armis. Et Romana item Rota excussit, probauitque.

Iam quæ Caietani Thienæi indoles, ac sanctitas fuerit, & quibus virtutũ pulcherrimatum ornamentis, ad eam vitæ, morumq; sanctimoniam, ac perfectionem contenderit, etsi ex his, quæ narrata hactenùs sunt, abundè nos commemorasse persuasum habemus; nihilominùs quòd nõ omnia complecti stylus, & temporũ ratio potuerit, ac pleraque Thienææ virtutis documenta nullum sibi certum locũ vendicauerint; suis veluti sub signis singillatim recẽsebimus. Igitur, quæ in Caietano primò occurrit, ea est constans ab ipsis cunabulis vitæ innocentia: prætereuectus nimirùm inculpatè florem illum ætatis, quem scopulum rectiùs nominaueris: quippè rari admodùm sunt, qui non illum suis naufragijs nobilitauerint: ac sanctorum quidem plerosq; scimus in omni virtutum genere vitam sanctissimè traduxisse; quorum si iuuentutem spectes, eo ætatis æstu, atque impetu abreptos reperies, vt ardentis æui vitium vindicare posteà diuturnis cruciamentis, lacrymisque, ac sanguine oportuerit. Vicir præclara indole, atque instituto communem mortalium conditionem Caietanus, qui ordiri ea pietatis, atque innocentiæ laude vitam cœpit; vt nouo viuendi genere anteactam telam subindè retexere non oportuerit: constantique disciplina in perfectionis viam ingressus, nihil annis consequentibus, quod mulctaret, aut mutaret, habuerit; vt meritò vel in ipso florentis æui, virtutisque tyrocinio sanctissimus, ac deuotissimus audiuerit, vt in loco significatum est. Caietani virtus multiplex. Perpetua vitæ innocentia.

Atque hic planè subit statim animos admiratio, Virum vel à prima ætate egregiè sanctum perindè in seipsum assidua corporis afflictatione animaduertisse, ac si ingentium criminum conscius, fœdatam aliquando animam peracerba pœnarum irrogatione, ac vi lacrymarum expiandam existimaret. Et verò non ex eorum numero fuit Caietanus, qui abundè esse repuntantes, frænos interna morrificatione animæ facultatibus iniecisse, ne in rationẽ, quæ princeps in homine pars est, facto impetu, affectus rebellent: cæterùm corpus mitiùs habent; ac si aliquantisper exercent, lenta id manu faciunt, indulgentq; illi pluscula, humanæ cuiusdã imbecillitatis, aut necessitatis specie. Enimuero in componendis ille animi motibus, sensuque omni compescendo, adeò totus erat, ac si nulla perdomandi corporis cura teneretur; cùm ea vicissim cõtentione erudire corpus, pœnisq; grauissimis plectere studeret, perindè quasi nihil de animi victoria, atque imperio cogitaret. In hanc verò corporis afflictationem nernos vehementiùs intendebat; quòd sciret, consensionem quandam, ac fœdus corpori esse cum animo; vt nisi illud frangas, iniectoque fræno subijcias, frustra profligare huius cupiditates, ac perturbationes speres: & vt sedari facilè bella animorum solẽt seuera membrorum disciplina; ita exardescere ad hominis exitium, ac virtutum cladem affectus cõtingit, si corpus foueas. Igitur assiduus, ac planè austerus sui censor, & lictor fuit Caietanus; vt plerique eius in corpore vindicando, cruciandoque institutum, moremq; obfirmatum cum cernerent, illum magnæ pœnitentiæ virum appellare nõ dubitauerint. Neque verò consistere in aliqua suppliciorum, ac macerationum mediocritate is poterat, qui implacabili quodam in seipsum odio ferebatur. Dicere nanque solitum accepimus, se corpus suum, tanquam rebellem quẽdam, infernumq; genium odisse. Dictum profectò memorandum, quod vix à quoquam pronunciatum in Corporis afflictatio. Vir magnæ pœnitentiæ appellatus. Oderat corpus vt malũ dæmonem.

in omni antiquitate reperies. Et planè qui eo loco corpus habebat, quique non aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates tenebratum baiũ colluctationem, bellumque sibi esse, cum corpus edomaret, intelligebat; qua contentione illud atterere, qua viuendi duritie, quantisque rigoribus studuerit, haud facile dictu est. Gulæ, quæ desudatas persæpè opes, virtutesque omnes iuxtà vorat, mirum quàm strenuè illusit. Statis Ecclesiæ ieiunijs adduntur ex nostro Instituto non pauca, quæ tamen Caietani animum, abstinentiæ auidissimum, minimè explebant; sed eam sibi præterea victus legem, atque austeritatem imperauerat, vt videretur quotidiè ieiunare: proscriptis nanque omnibus ciborum lautitijs, pretiosiora gulæ irritamenta, aut vulgares herbæ, aut cocta legumina erant, cibario tantùm pane, ac gelida contentus sæpissimè. Qua quidem austeriore annona, continentique abstinentia in eam sese maciem attenuauerat; vt Magno Basilio par, summa cõfectus inedia, ac ieiunijs aridus, pelle, atque ossibus constare videretur. His porrò arctissimis vitæ rationibus accedebat somni mensura, & illecebra. Aspero nanque, ac breuiore lecto mollissimè cubabat in palea, quam nunquam fermè subactam, aut mutatã, paulùm ab nudo asserе, aut humo distare diceres. Seuerissimæ verò istiusmodi quieti paucæ etiam horæ concedebantur, vigilabatque ad multam noctem, aut studio ad animorum institutionem, aut diuinarum rerum commentationibus, aut castigando corpori intentus: nec rarò integram noctem incussis strenuè flagris, alijsque in seipsũ animaduersionibus lucubrabat. Ad hæc, ferro etiam præcinctus, ac cilicio indutus, seueræ virtuti militabat; ne vllum armorum genus deesset viro pugnacissimo, cui cupiditatum, suique triumphus propositus erat. Atque has quidem durissimas corporis exercitationes vel maximè intendebat, cùm aut impetrare sibi, alijsque à Deo beneficium aliquod instituere, aut arceri publica mala, propitiarique Numen oporteret. Tunc enimuerò, quò momentum precibus, ac vim adderet; sæuire alactiùs, ac grauioribus sese iniurijs incessere, nulla valetudinis habita ratione, solitus erat.

Sæpè ad panẽ fontem adhibet. *Stramentitio lectu cubat.* *Vigilatque ad multam noctem.* *Pœnas corporis congeminat, cum impetrare à Deo contendit.*

Reliquam membrorum disciplinam facilè ab austeriore hoc cultu coniectari quis poterit. Oculos nanque, quos refrænare, vt perdifficilè; ita plurimi interest compositi animi, is rigor erudierat, vt nulla vnquàm illos abripere iucundissima res potuerit. Quòd sanè in celebriore illa Caroli Cæsaris pompa, qua Neapolim iniuit, apertè commõstrauit; quando adduci nunquam potuit, vt oculos ad honestissimum, ac longè pulcherrimum spectaculum laxaret, Sodalibus adhortantibus, atque ipso in primis triumpho viciniore alliciente, vt diximus. Cum oculis & linguæ custodiam coniunxere religiosi officij moderatores, ac pari quidem seueritate vtriusque disciplinam temperandam monuere; ne diffluat, euaporetque per isthæc spiramenta animus. Tantum verò in Thienæo coercendæ linguæ studium fuit, vt nunquam lapsus, aut aliquid extra ordinem, prof ctumque aliorum pronunciasse, visus fuerit: verborum scilicet longè diligentissimus æstimator, veluti ad rerum pretiosissimarum lancem illa expenderet, ac venditaret, quàm paucissimis in loco vtebatur. Neque eius silentij, quod à primis quidem facibus ad primam lucem omninò seruare, Instituti, morisque nostri est, contentus Caietanus; illud continuatis interdum precibus, vsque ad prandium producebat, ac persæpè etiam, cum necessarij alicuius officij ratio non interpellauit, dies integros tacuit: imitatus planè Ioannem illum, cui celeberrimum à silentio cognomentum; ac Gregorium Nazianzenum, quem diuturni silentij fræno linguam perdomuisse, litteris constat. His, alijsque austerioris disciplinæ experimentis, & si nihil haberet, quod Vir innocentissimus in se ipso mulctaret, vt innuimus; exactum nihilominùs sensuum, suique dominarum virtuti, ac rationi asseruit: cauitque in primis illibato mentis candori, atque integritati, cui & ipse vnicè studuit; ac sine his aduersarij, ebullientisque sanguinis, carnisque detrimentis, seruari non posse, optimè nouerat.

Oculorum custodia. *Et linguæ.* *Verborum parcissimus.* *Siluit aliquãdo dies integros.*

Hunc porrò animi florem, ac puritatem excoluisse eò studiosiùs visus est Caietanus, quò sciret leui quolibet afflatũ corrumpi pulcherrimam eius formam, ac dehonestari. Armauerat insigni quodam timore animum, quo fallere malorum dæmonum artes, atque occasionum incitamenta, ac proindè tueri omni ope egregium castitatis decus, studebat. Excipiendis in confessione aliorum sordibus, ne aures, ac ani-

Mentis in eo puritas.

ac animus, concepta ea labe, fordefcerent, oratione fefe impenfiùs munire: ac tùm maximè implorare vim Numinis, ac Deiparæ patrocinium, curæ erat. Cui paucus femper fermo; cum alloqui mulieres contingeret, pauciffimus omninò erat: eafque præfertim euitabat, quæ non fine honeftatis fraude, nobilitati, ac formæ, fplendore veftium plus nimiò indulgebant; ceu noxium ab ea gemmarum, aurique luce ignem metueret. Quapropter cum infignem hunc illius pudicitiæ amorem probè iam fcirent prænobiles matronæ, illud cum Caietano perpetuò obferuaffe compertum habemus; vt cum adire illum ad fui eruditionem, fruftumque peroptarent, non anteà auderent, quàm abiecto omni corporis, ac veftium cultu, orifque elegantia neglectu quodam caftigata, ad illam fefe Thienææ modeftiæ normam componerent: ratæ haud tutum quidem effe ad illius confpectum fifti eo luxu, ac magnificentia, à cuius honeftiffimo vultu tacitè, atque afperè obiurgari pompam intelligebant. Et verò qui inerat animo, ac puriffimæ menti, pudor, frontem etiam, ac vultum rigore quodam, planè amabili honeftabat, ac paulifper afperabat. Id quod Erafmus Danefius, Caietanus, Vir integerrimus, qui cum Thienæo olim egerat familiariter, teftatum reliquit in eo, quem de eius virtutibus commentarium confcripfit.

Mulieres vitat.

Quæ cum Caietanum adeunt, cultum abdicat.

Hunc autem pulcherrimæ virtutis amorem inftillare aliorum animis, propofita eius formæ dignitate, omni ftudio conabatur: ac multos quidem, quos expugnauerat penè fua vi, malifque artibus infernus genius, iniecta manu, confirmauit; tenuitque, ne infignem virtutem proftituerent. Quàm plurimos verò vfque adeò ad illam fuis adhortamentis inflammauit, vt vitam ab omni fenfus commercio, atque illecebra alienam, religiofis Ordinibus adfcripti, illibatè traducere elegerint. Atque hoc quidem tuendæ alienæ honeftatis ftudium definiri fuæ vitæ terminis noluit Vir fanctiffimus. Enimuerò poftquam effe defiit inter viuos, in mortalium fefe confpectum perfæpè dedit; vifufque graui quadam fpecie malos ipfos dæmones, ad impuriffima prouocantes, expellere. Duo hic huiufmodi argumenti beneficia denarranda. Alterum Vicentiæ collatum, Venetijs alterum. Vtrumque tabulis, ac iurata fide conftat. Vicentiæ quædam erat honefto loco mulier, quam rebelles genij incubi ingenti vi pulfabant; eòque adducere conabantur, vt cui fe addixerat pudicitiæ, grandi quodam piaculo admiffo, abijceret; ac iam femel, atque iterum, facto impetu, penè dederat manus: cum Caietanus, cui fe ex animo commendauerat, mira quadam luce colluftratus, illi fefe illicò oftendit; vultuque, ac fupercilio perterritos fub fqualentium horridè ferpentum imagine hoftes fugauit: tùm obiurgata fubafperè ab eo mulier, nunquàm pofteà id generis tentamenta experta eft: nifi quòd non poft multò nouum in certamen laceffita, fenfit vehementiùs impelli, vt quam B. Patris imaginem, ceu loci, fuique tutelam, fuo in conclaui affixam, venerabatur, eieraret, expueretque; quod ipfa fcelus execrata facilè eft; cum interim teftarentur fuis ingratijs mali dæmones, certiffimum honeftatis præfidium, ac amuletum, vel folam Caietani imaginem effe. Venetijs verò illud haud paulò admirabilius contigit. Nobilis quædam Virgo eiufmodi praui fpiritus conatibus, integra quidem mentis puritate, libatam Virgo corporis pudicitiam, floremque conquerebatur. In eius momenti negotio, ac iactura interpellare Caietanum, cuius proximè adeffe anniuerfariam lucem nouerat, optimum factu putauit. Neque elufa fiducia eft. Siquidem imploranti obiecit fefe verenda quadam oris fpecie Caietanus; factoque Crucis figno, non modò quæ fœdare animum folebant, rerum turpiffimarum imagines expunxit; verùm etiam vifus ruinam corporis reparaffe; & quem incuffo etiam verbere, detulerant mali genij florem, reftituiffe. Scio vltrà fidem, atque extra miraculorum ordinem videri hanc rem poffe; quippè nullam iftiufmodi in Diuorum hiftorijs recenfitam facti admirabilitatem reperies. Et [a] Hieronymus quidem ad Virginem Euftochium hæc habet: [Audacter loquar, cum omnia poffit Deus, faluare Virginem non poteft poft ruinam.] Quo ftatuere videtur Vir maximus, libatam femel virginitatem refiorefcere ampliùs non poffe. At enim, etiamfi de formali, vt aiunt, abfolutaque virginitate, quam in propofito, ac mente [b] Theologi ponunt, affirmari id omninò debeat; tamen quòd inftaurari carnis integritas poffit, quæ non

Alios ad pudicitiæ ftudium prouocat.

Et implorata poft mortem eius ope,

Honeftatem tuetur.

Vicentiæ lacessita ad turpia mulier confirmatur.

Venetijs pudicitiæ florè inftaurat,

Inaudito miraculo.

[a] Epiftola ad Euftochium.

[b] D.Th. 22. q.152. art.1.

ipsa est virtus, sed virtutis materia, nil causæ est, cur inficiamur; cùm & confractos persæpè crystallinos, aureosque calices sanctorum virorum precibus redintegratos constet: vt de Diuo a Donato, Antistite Aretino, ac de Leone sanctissimo Pontifice, eius nominis Nono, monumenta historiarum narrant. Pleraque verò eiusmodi de Caietano fuere iuratis testibus comprobata, quæ irrefragabile Romanæ Rotæ iudicium, cum referri Thienæam virtutem ad Pontificem oportuit, testata his omninò verbis voluit. [Plurimi quoque à diuturnis, ac inueteratis carnalium vitiorum vexationibus exemptos, & huiusmodi illecebrarum stimulis prorsus immunes sese cognouerunt, vbi seruo Dei fiducialiter, ac deuotè se ipsos commendauerunt.] Quod enimuerò tributum incomparabili eius puritati non dubitauimus. Nam qua maximè virtute in terris quis claruit, floruitque; illa in Cælum posteà asserto gloriarum subindè materia, ac seges amplissima semper extitit. Illud hìc præterea ad Thienææ puritatis coronidem non dissimulauerim, quod rogati hac de re plerique asseruere; scilicet, cum illis aderat, obijciebatque sese Caietanus, qui eius opem in acerrima carnis conflictatione deposcebant, suauissimum quendam mali citrei odorem adflare consueuisse; qui longè, latèque diffusus, diù etiam perdurabat. Certissimum profectò eius virginitatis indicium, cuius luculentum esse symbolum scimus ob perpetuam viriditatem malum citreum.

a Martyrol. Roman.

Tuendæ pudicitiæ adest sæpè aliis.

Obiectusque citrei malì odorem halat.

Reliquas modo virtutes percurramus. Ac in eo quidem, qui opulentissimæ Domus commodis, honorumque appellationibus, ac Infulis abdicatis, ac proposita sibi, alijsque aspertima vitæ ratione, Crucem strenuè est amplexatus, eximius ille rerum humanarum, mundique contemptus principe statim loco occurrit. Et certè, postquàm illecebras, ac seculi aurum adornare laruam, ac scenam quandam semel intellexit Caietanus; nihil vnquam magni, aut pulchri capere magnanimum, ac verè aureum pectus potuit: ac summa isthæc omnia, in quæ mortalium vota, ac spes incumbere vehementiùs videntur; celsiore sua mente, velut infima, abiectaque despectabat. Legere est in eius, quæ extant, epistolis, quo loco florentissimas hominum fortunas haberet; quanti faceret rerum fastigia, ac purpuras: quod apud illum de mundi existimatione; ac fama iudicium. Fucum oculis, animisque fieri his omnibus; ac quædam ad decipiendum incantamenta esse, existimabat. Despectum hunc porrò mortalium, insigni sui generis, & consanguineorum contemptu maximè comprobauit. Ceu dissonam, ingratamque auribus vocem, præclaræ stirpis, suorumque commemorationem excipiebat. Domo sua vbi semel cessit, illam repetere, aut inibi vel ad horam commorari, nunquàm visus est. Siquidem, cum redire Vicentiam interdum cõtingeret; vt ad cognatas Ædes diuerteret, etsi diù, multumq; obtestarentur fratres, exorari nunquam poterat: sed publicum Vrbis Xenodochium rectà adibat; ibique quanti æstimaret commoda, cultumq; domus, stramento edocebat; cùm interim ægrotantibus eximijs caritatis officijs totus adesset. Quid si neque aspectu dignaretur cognatos? ne oculos fortè perstringeret externa illa lux generis, excitaretque aut gloriolæ gustum, aut affectum in suos. Et planè dignum memoratu est, quod Neapoli accidit. Nam cum eò peruenissent plerique eius consanguinei, vt absentem diutius inspicerent; vbi ille ea, quæ prænobiles viros decebat, celebritate, ac pompa accessisse inaudiuit, affixus Numini, & Cruci, ingenti quadã animi magnitudine, neque alloqui, neque intueri voluit; ita vt eo insalutato, ad quem venerant, redire clarissimos viros oportuerit; tantam quidem virtutem suo generi, sibique gratulatos; sed quòd cognatum illud sanctimoniæ exemplar vsurpare oculis non licuerit, planè tristes: ostenditque peregregiè Caietanus, quàm illi mundus sorduerat, vtque amorem, qui vehementissimus esse solet, in gentiles suos expunxerat: quos etiam humanis honoribus consequendis non modò humana aliqua ope iuuare vnquam studuit, sed nec diuina quidem, hoc est, ad Deum precibus; quas non nisi procurandis eorum animis, rebus tantummodò cælestibus impetrandis adhibebat.

Mundialium despectio.

Et Domus.

Consanguineos Neapolim aduenientes neque aspectu dignatur.

Atque hinc in altissimam paupertatem euadere perfacile fuit Caietano. Neque verò profiteri seueram adeò inopiam, rerumque omnium indigentiam potuit, qui non insigni ea mente mundi copiam, luxumque contempsisset: sicuti contemni vicissim tàm strenuè humana res omnis, ac pompa minùs poterat; nisi fixus cordi tàm

Paupertatis studium.

ingens

ingens Apostolicæ, ac verè magnæ paupertatis amor filiisset. Certè, etsi in plerisque virtutibus excellere Caietanus, aut æquare alios visus fuerit; in paupertate nescio, an illi anteferri aliquis possit. Supremam nanque eius attigit lineam, vltrà quam vt prisco æuo eniti nulli mortalium contigit, ita nostra hac tempestate ijs inopiæ legibus, atque angustijs victitare nostrum Ordinem quanquam lateat neminem, penè experimento fidem omnes abrogant. Enimuerò nullo non solùm censu, certisque prouentibus, verùm neque emēdicatò, vt fusiùs alibi memorauimus, familiam viuere; ac piaculum omninò ducere, si quis in summa egestate pietatem, stipemque fidelium imploret: quid enimuerò dignius laude, atque admiratione animus concipiet? Floruit in ipso efflorescentis Ecclesiæ sinu hæc olim paupertas, liliorū instar, quæ nō laborāt, neque nent; sed abruptam sæpiùs instaurauit tandē Caietanus: ac ceu lautissimum patrimoniū suorum fidei commisit, nullo prorsus tempore distrahendum, aut imminuendum; ac certa spe, nunquam decocturam Clericorum Regularium posteritatem, quam hæc rerū indigentia, & nec precaria paupertas ditauerit, ac fulciuerit. Qua verò contentione rueri præclarum Institutum studuerit Caietanus, celebri certamine, quod collato cominùs pede, productisque diuinarum scripturarum testimonijs Oppidano cum Comite Neapoli inijt, planè edocuit; profligata insuper religiosorum hominum phalange, atque eloquentia, qui contra obfirmatum Thienæi propositum à Comite stabant. Certè quo flagraret ille amore paupertatis, quique in eo fuerit nudi in Cruce Saluatoris imitandi ardor, haud quidem clariùs significare, nec generosiùs potuit; quàm ea pugna, in qua tunc vicit, cùm relicto domicilio, visus in fugam sese commisisse. Veronæ item cum Giberto par contentio fuit, vt diximus, recusata optimi Antistitis munificentia, qua ille Christi famulos sustentabat; veritus, ne cui se, suumque Ordinem inopiæ consecrauerat, liberalior erogatio delibaret, læderetque: gratulari quippè maximoperè videbatur, cùm arctiore annona, ac victu votæ paupertatis fructum carperet. Contigit porrò sæpiùs, vt ad mensam vnà cum suis accederet, nonnisi modici panis frustulis, atque aliquot malis medicis instructam; & aliquando ad panem quatuor recentes fabas adiunxisse, cuiusdam illecebræ loco fuit: cum interim gauderet ipse in sinu, ijs lautitijs refici Christi pauperes. Elucebat autem in ipso eius habitu, externaque re omni, præclara hæc virtus. Nàm vestis illi è viliore materia, ac malè sarta. Reputare se aiebat, gemmatam togam induisse, cum centonem gestaret. Cellulæ supellectilem, cultumque Erasmus Danesius, quem supra laudauimus, expressit his verbis. [Priuatim verò in sua Cellula summam pauperiem coluit. Culcitra stramentitia, paleis scilicet infarta, & semilacera. Puluillus item è palleis. Tabella vilis, & scabellum. Pauci libelli, & sacra imago carthacea: his ille diuitijs instruebat cubiculum.] Atque hanc quidem supremam rerum jam pridem, cum non dum Cruci nomen dedisset, animo delineauerat, voueratque. Dominico nanque Xauinellio, amicissimo, & compertæ probitatis viro dixerat aliquando Vicentiæ, & quidem flagrantissimo è pectore verbailla: [Non desistam erogare in egenos quicquid habeo, donec pro Christo adeò pauper euadam, vt nec sepulturam mortuus, nisi precariò obtineam.] Hæc illi in ipso vitæ melioris crepusculo voluntas. Quantùm verò is ardor excreuerit, declarauit nuncupata posteà Deo illa, prisco æuo nata, ac suo seculo obsoleta, de qua diximus, paupertas: cuius laudem, ac pretium, ceu nulla virtutum tantùm sibi cordi esset, inurere suorum animis verbis nouissimis studuit. Nam cum supremam diem, animamque ageret, hæc præsertim ad illos: [Filij, vsque dùm vixi, vixi pauper, ac defungi vita in summa inopia peroptaui. Hanc verò commendatam vobis magnoperè virtutem peruelim.]

Penè vltra fidem.

Quo spiritu opes recusauerit Caietanus.

Gaudet paupere annona.

Quæ illi supellex, & cultus.

Supremus paupertatis amor.

Porrò egregium hoc, ac propè diuinum paupertatis genus, quod adeò impensè adamauit Caietanus, incomparabilem quandam in Deum, eiusque prouidentiam fiduciam euincit. Siquidem, non opibus, non fundis, non postulatis, ac precibus niti; quinimmò eorum omnium opportunitates, scita lege, sibi, & posteritati præcidisse: quid planè aliud fuit, quàm in diuinam omninò spem incumbere, promum, & condum Cælum velle, ac nonnisi immediatè Dei manu, curaque ali? Quod sanè, etsi confidentior fortasse quædam virtutis species, ac supra hominem fidere, videri

Insignis in Deum fiducia.

poterit; nulli tamen dubium, quin magnanimam quandam in Caietano indolem: ac si rectè calculum ponas, non modo insignem in Deum fidem, sed fidei excessum quendam, atque heroicam planè virtutem probet. Fixerint sanctissimi quique viri, ac paupertatis flagrantissimi, spes suas in Deum; certè qui erectiore id animo fecerit, quàm Thienæus, comperies neminem: quando aliorum quidem fiduciæ quædam quæsitæ ab hominibus pietatis, opisque mixtura, humani quid addit: Caietanus verò purissimam omninò, atque haustam solummodò è Cælo spem admisit; atque implorauit quidem liberalitatem, stipemque mortalium, sed fusa ad Deum, non ad homines prece.

Excessus quodã heroica.

Vt autem certissimæ huic eius fidentiæ diuini Numinis prouidentia responderit, vtque liberaliùs persæpè, ac tempestiuiùs, quàm quæuis latifundia, ac census; secuta subindè cælestis beneficentiæ argumenta, testata luculenter sunt. Et quidem non modò Thienæus ipse opportunam Dei beneuolentiam expertus interdum est, cum maximè suprema rei domesticæ angustia premi videretur; verùm etiam, cum transmissum in sobolem idem paupertatis, ac fiduciæ patrimonium fuerit, experiri annis consequentibus & eandem Numinis munificentiam in plerisque nostræ Congregationis locis sæpiùs contigit. Pleraque eiusmodi argumenti exempla raptim superiùs prosecuti sumus, polliciti celebriora hoc in loco aliquantò fusiùs explicare. Ergò, subleuatam præsenti ope Caietani, ac Sociorum inopiam Romæ, in summa rerum clade, ac discrimine, hic iterum commemorare superuacaneum puto. Quanuis nihil profectò pronum in viros summè pauperes, ac spei plenos diuinæ prouidentiæ amorem, manumque euidentiùs probet; quàm in communi direptione Vrbis inuentos homines fuisse, qui egregio pietatis genere deciduis rapinarum reliquijs, hominum, equorumque pedibus corruptis, Dei seruos, humana quauis ope destitutos, alerent. Ac post paulò, cum dilabi ab Vrbe contigisset, inuentam item militum, hoc est, prædatorum manum, qui alios cum expoliarent, Caietano, ac socijs commeatum, aurumque, quo Tyberim transmitterent, darent. Tùm, soliciti vehementiùs cum essent, quò tandem traijcerent; præstò fuisse Venetum Legatum, qui sua Classe honorificentissimè exceptos Venetias perduceret. Denique Venetias bono cum Deo appulsos: vt cum Italiam latè omnem acerrima fames ea tempestate dinexaret; in Venetiarum sinu, vbi egestas mitiùs grassabatur, minùs ea ipsi incommoda sentirent. His prouidentiæ blandicijs ali Caietani fiducia, confirmarique magis, ac magis cœpit. Subsecuta posteà in dies insperata quædam subsidia Numinis, Theatinæ spei fortitudinem approbantis. Duo Caietano ipsi euenere; alterum, quod Romanæ Rotę ad Pontificem narratio recenset, id fuit. Venetijs aureorum summa homini debebatur, aderatque stata dies, cum qua acerrimus creditor interpellabat. Rem non mortalium cuipiam exponit Caietanus, sed ei, qui & fidem, & Cælum oppignorasse in ipsum sperantibus nouerat: concepitque vix preces, cum ecce sibi venusta planè specie Iuuenis, qui tot omninò aureos Caietano perhumaniter porrexit, quot debiti solutio posceret; nec quis opem submitteret, erogaretque aperuit. Nulli dubium, quin è Cælo ea pietas fluxerit; cum diligentissimè mox conquisitus, nusquam munificus Iuuenis appareurit: assertus nempe postliminiò astris suis, noua cum stipe opportunè reuersurus. Neapoli, cum Præpositum ageret, aliud diuinæ beneficentiæ periculum contigit. Prandij hora appetierat, cùm Caietano renunciatur, præter vnicum cibarium panem, nihil esse omninò domi, quod Patribus apponeretur. Visus ille de animi, orisque tranquillitate nihil prorsus remittere; ac dari nihilominùs consuetæ refectionis signum, iussit. Itum in Cœnaculum, cumque vnà Patres discubuissent, institutæ paupertatis eos monere, deque eximia eius laude, & collocanda in Deum spe disertè perorare. Nec plura: inter loquendum, pulsata Domus ianua, dum accurritur, reperti lectissimi panes: quis verò importauerit, repertus nemo: putandumque illum eundem è Cælitum numero Iuuenem fuisse, Numinis adminiculum, atque à secretioribus diuinæ prouidentiæ eleemosynis: qui vt aurum Venetijs erogauit, cum soluendum æs alienum fuit; ita Neapoli panem detulit, cum panis defuit; pari, atque aurea vtrobique liberalitate; documento verò oppidò illustri, inuectum à Clericis Regularibus id viuendi

Adest huic fiduciæ Dei prouidentia.

Cuius exempla enarrantur.

Ac præclara quidem in ip. so Congregationis initio.

Venetijs aureum ex inopinato Caietano affertur.

Neapoli in suprema necessitate panis.

uendi genus, ingentemque potissimùm Thienæi fiduciam quàm gratissimam Deo esse: quando veluti cudere in Cælo aurum, ac panificium inibi exercere, diuina Bonitas videatur, vt hanc inopiam iuuet.

Nunc ad ea, quæ hæreditariæ cuiusdam paupertatis, ac spei merito posteris contigere, stylum conuerramus. Nec alienam ab rerum à Thienæo gestarum serie hanc narrationem putamus. Transmissa nanque ab eo fuit in suos, quæ in Congregatione hodieque perdurat fiducia, ac generositas; proindèque consignandum in illius meritorum censu est, quicquid in ea id generis accidit. Igitur quod de Thienæo modò narrauimus, id in Paulina item domo ad eundem prorsùs modum bis expertus est Ioannes Marinonius, dum rem communem administraret; ac semel quidem panis, nec secundarius insperatò, ac diuinitùs suppeditatus, cum discumberent iam nulla, aut modica annona Patres: iterum lautiùs cœnauere, instructo nimiùm ex inopinatò epulis Cœnaculo, quas Hector Pignatellus, Dux Montisleonis, vir ab omni virtutum genere laudarissimus, diuina prouidentia afflatus, Patribus misit; quibus, mensæ iam assidentibus, nec satis panis erat, quo famem pellerent. Narrat hoc Tufus; qui & aliud statim annectit, quod ibidem accidit, rem moderante Dominico Miscio, viro è Nostraribus mitissimi ingenij, ac spectatæ integritatis. Is cum angustam omninò rem domi cerneret, fratres ad tolerantiam cohortatus, prensandum suprema in egestate Numen edixit, quando implorare mortalium pietatem Theatinæ paupertatis lege minimè liceret; ac dum ipsi interea temporis domi preces funderent, concessurum se ad Diui Martyris Ianuarij Ædem, vt communem eam egestatem aperiret, ac sua inibi vota conciperet. Nec sine extemporaneo quodam pretio, fructuque res fuit. Reuersus nanque ab ea supplicatione Præpositus, impluisse iam aurum diuinam prouidentiam reperit; allata videlicet à prænobili, pioque viro syngrapha aureorum omninò centum: ac ferè citra Patrum admirationem, consueto nimirum istiusmodi beneficentiæ experimento. Frequentiore siquidem ope in Paulina hac Domo visa est diuina liberalitas adfuisse; sanctissimis forrasse Caietani Manibus, qui inibi iacent, id promeritis.

Hæreditaria hæc Nostratibus fiducia.

Neapoli allatus panis cũ maximè indigerẽt Patres.

Et lautiores etiam epulæ.

Et pecunia non modica.

Sed peragrandæ & aliæ nostri Ordinis Ædes sunt. Venetijs, quod nunc sumptuoso planè opere Templum, ac domicilium inspicimus, nonnisi iteratis hisce prouidentiæ miraculis absolutum constat; vt tùm quidem continuari alacriùs ædificium visum fuerit, cum maximè abrumpere oporteret, submissa nimirùm per interualla temporum repentina, ac frequentiore piorum eleemosyna. Quarè extemporaneæ cuiusdam Numinis beneficentiæ monumentum, ac titulum, si quis structuram eam Venetam appellaret, non sanè à vero aberrauerit.

Venetijs templum frequentioribus eiusmodi miraculis exædificatur.

Mediolanum, quo tempore Domum procurabat Hieremias Salodiensis, insignis prudentiæ, atque innocentiæ vir, ac Paulo Quarto Pontifici vnicè carus, de quo suo loco, ingens rei vinariæ caritas exercuit; vt frigida iam plerique sitim extinguerent, quod apud eam gentem omninò insolens. Nostrates antè alios, quibus res angustior, ea calamitas afflixit. Quare adhortari suos Hieremias; vt quando tam auarè sua pocula Autumnus propinasset, gelidæ assuescerent, ac precibus interim vacarent. Finem loquendi nondum fecerat; cùm subita quadam vindemia Numinis prouidentia inundauit: nunciatum nanque est, rùm quidem missas à pio viro ad tricenas vini amphoras, domum aduectasse. Sanè beneuolentiùs Nostros habuit Deus, quàm famescentes olim in deserto turbas; quibus cum abundè panem suffecerit, misceri sedandæ siti vinum noluit: quòd necessitates, non delicias mortalium curare, mos sit diuinæ prouidentiæ, vt egregiè adnotauit hic [a] Abulensis. Nostræ verò inopiæ & hanc illecebram indulsit, vt de Clericis Regularibus, excellens paupertatis genus profitentibus, dici veriùs posset, quàm de tota gente mortalium dixit Seneca: [à Deo vsque in delicias amari.]

Mediolani vinum, quo maximè indigebant Patres, mittitur.

a Abulens. ibi.

Seneca.

Nec minùs profectò luculentiùs, atque opportuniùs hæc eadem prouidentia in Quirinali Domo Romæ illuxit; vbi cùm rerum omnium difficultate laborarent aliquando Patres; rùm ligna in primis parandæ necessariæ, modicæque refectioni deerant: idque consilij ceperant, vt conquisiti domestico in horto inutiles arborum rami, supplendæ inopiæ adhiberentur. Cœpta vix lignatio, cum adfuit pro foribus com-

Et Romæ ligna.

commodùm prouidentia. Ea fuit non exigua lignorum vis, quam Cardinalis Vitellocius Vitellius, instinctu quodam Numinis excitatus, tùm quidem Patribus misit. Ianitorem tempestiua ea pietas sic affecit, vt temperare sibi minùs potuerit, quin altiùs in eam statim vocem erumperet: O magnam Dei prouidentiam. Quod vbi Cardinalis internuncius audiuit: Ecquid, inquit, noui, magnique sensum, ac vocem prouocauit? Cui cum rem ille narrasset, & excepit ipse admirabundus, & renunciauit mox Domino; qui gratulatus summoperè, prouidentissimi Numinis administrum eam se munificentiam impendisse, id illicò apud animum suum statuit, vt singulis mensibus certam lignorum stipem Patribus submitteret. Visa nempè diuina Bonitas materiam abundè suffecisse, qua in paupertatem amor in dies vehementiùs inardesceret. Agebat tunc porrò in ea Domo, vt Patrum, locique sanctitate, ac secessu frueretur, Guiglielmus Sirletus, posteà inter Purpuratos Patres adoptatus, quo de suprà memorauimus; qui insperatam opem & ipse admiratus, summa fide sæpiùs enarrabat.

Cremonę plura eiusmodi exempla.

Iam pulcherrimorum id genus spectaculorum frequentius quidem theatrum visa Cremonensis Domus fuisse. Per singula autem ire, ob exemplorum similitudinem fastidio profectò lectori esset: proindèque vnum, aut alterum recensendum. Egebat summè ea Domus, cum pijssimus quidam, ac frugis eius Vrbis Curio stipem attulit. Cum recederet, moneri intimè, atque extimulari acriùs sensit, vt ampliùs erogaret. Valuitque adeo secretus is animi stimulus, vt rediret, ac eleemosynam manu beneficentiore cumularet. Intellexere statim Patres, tantundem omninò auri opus tunc domi fuisse, vt præsentem quandam, atque ineluctabilem propulsarent necessitatem. At inopinatum magis diuinæ liberalitatis aduersùs eandem Domum specimen nunc, exemplumque subijciamus. Nihil prorsùs nummorum, aut annonæ domi erat; & nisi è Cælo accersiri subsidium contingeret, vndè tunc peti, sperarique posset, omninò non erat. At enim, quæ virebat, florebatque tùm maximè in eius Domus Clericis spes in Deum, experiri munificam Dei manum in horto promeruit. Etenim inambulanti fortasse inibi cuidam è Nostratibus, obuius nummus aureus fuit, quo pulsa eius diei fames. Prodigij planè loco fuit, repertum in pomario aureum; ac præclarum omninò diuinæ prouidentiæ opus putandum, quæ flauescere auro hortos suos iubet, cum libet: vt dici cum Sancto [a] Iob possit: [Glebæ eius aurum.] Monere profectò eo nos miraculo Deus voluit, excoli hortum deberi virtutum exemplis, vt aurum fundat.

Semel tātum pecuniarum, quantū inopiæ satis esset, affertur.

Iterum in horto repertus nummus aureus.

a Cap. 28. 6.

Patauij diuinę prouidentię testis Card. Borromæus.

Patauij eiusmodi prouidentia inspectorem, plausorem prænobilem, ac sanctissimum habuit Carolum Borromæum: qui Venetijs Mediolanum dum iter intenderet, Patauij apud Federicum Cornelium, eius Vrbis Antistitem diuerterat: quò statim illum consalutatum iuere nostri homines. Dominicus Quinquagesimæ dies erat; vrgebantque tùm maximè exquisitis precibus plerique procerum Borromæum, vt immorari consequentem, etiam diem Patauij colliberet. Annuit: verùm ne sine sui compendio, aliorumque exemplo mora esset, quòd sciret à Nostratibus consequenti ea luce ex vetustissimo Telesphori Pontificis consulto magnum Ieiunium inchoari; auspicari laudabilem morem, ritumque eum illis statuit, denunciauitque id statim Patribus. Perhonorificum planè videri potuit, pauperum virorum domicilium eius notæ Purpuratum honestare sua dignitate, ac luce. At Nostros pulsauit statim ingens cura: quòd etsi compertum haberent, virum sanctissimum, ac parcissimum paucis contentum; sciebant nihilominùs, rem esse domi longè angustiorem, quàm vt vel summa ciborum parsimonia Borromæum exciperent. At instruere pro dignitate, ac opulentiùs mensam solius diuinæ prouidentiæ fuit, curauitque epulum peropportunè, ac lautissimè. Enimuerò, haud multò ante quàm discumberet Carolus, missi Patribus fuere pisces quàm lectissimi à beneuolo quodam viro, qui tum quidem Venetijs fortè Patauium redierat. Importari Cardinalis epulas magnificentiores, vt vidit, haud æquo animo tulit; quòd putaret, exceptum se pompa, sumptuque, qui vti frugali Patrum annona vellet. At vbi insperatam Numinis liberalitatem adornasse munificè, ac suo sumptu mensam resciuit; tum vnà eum Patribus referre Deo grates, opesque paupertatis, ac præsentem prouidentiæ opem gratulari.

Huiusmodi verò diuinæ benignitatis documenta quàm plurima Placentiæ reperies, inuentis non semel ad ianuam Domus eleemosynis. Vicentiæ item, quæ Caietanum Orbi dedit, subleuata persæpe ad eundem hunc modum inopia, vt modò summa hyeme tacito quodam incremento signa perdurarent, modò excresceret piorum stipe res frumentaria, cum maximè defecisse videretur. Denique, si rationem subducas, nullam ex nostris Domibus reperies, quæ non quotidianis hisce experimentis paupertatem, ac spem suam alat: & sanè si quæ sunt in fastis collata in nos eiusmodi beneficia censet diuina Prouidentia, transcribere singula in nostris historijs, animus esset; nec stylus profectò, nec tempus in ijs enarrandis sufficeret. Decerpsisse è multis pauca hæc voluimus, vt intelligat lector, Congregationem, quę ceu miraculum quoddam paupertatis in Christianum Orbem videtur inuexisse, miraculis interdum voluisse Deum erigere, ac alere; vt transmissa a Caietano in suos spes confirmaretur: atque vrgere institutum suum Clerici Regulares conarentur, quando adeò curæ esse se prouidentissimo Numini comprehenderet.

Hæc eadem beneficentię argumenta Placentiæ, ac Vicentiæ.

Et passim vbique nostrarum Domorum.

At reliquam modò Caietani virtutem prosequamur. Planè, vndè tam exacta opum, rerumque mortalium abdicatio, vndè absolutissimæ illius paupertatis leges, atque ingens in Deum fiducia, de quibus iam meminimus, fluxerint, nisi ab eximia in Deum charitate, quæ Thienæi pectus acriter inflammauerat, omninò non video. Scilicet hæc statim diuini amoris indicia, ac rudimenta: si sordere tituli, opes, fama cœperint, ac quidam paupertatis gustus excitetur. Ergo florentissimæ fortunæ commoda, honoresque, ac spes mundi omnes abiecisse tam strenuè Caietanum, flagrantissimum iam concepisse ignem, amoremque cælestium, argumento fuit satis luculento. Atque hic quidem ardor vultu ipso, ac verbis se se quàm efficacissimè explicabat. Siue enim priuatim ageret, siue pro concione publicè loqueretur, vsque adeo gestu inflammari, atque oratione videbatur, vt ardere Seraphico quodam spiritu diceres: incendebatque statim alios operosior ea vis. Hoc siquidem viro incitatissimo primum fuit, vt scilicet non sterilis eius flamma diuinorum sensum, amoremque in aliorum animis pareret, formaretque ad frugem virtutis. Id quod, & scripto etiam præstabat peregregiè. Videre profectò est eius litteras, nullas non cælesti quodam igne facundissimas. Non prolixa in illis vrbanitas, non quæsita captandæ beneuolentiæ verba. Sed plena ardoris dictio, vt stylo exarasse, ac dictasse ipsa caritas videatur. Illud insuper iurata fide constat, vt quoties de cælestium amore, aut verba ipse faceret, aut audiret; rapi arcana vi quadam, ac suauissimo mentis deliquio, siue ecstasi videretur. Amoris verò delicias cumulabant ex oculis lacrymæ, quibus frequentissimè inundabatur. Est quidem amoris index, atque etiam fomes lacryma; neque enim nisi à flamma liquescunt corda: quarè vberrimos fletus in Caietano manasse necesse est, quem diuina, ac vehementior quædam ardoris vis totum occupauerat. Atque hi quidem lacrymarum imbres virum sanctissimum copiosiùs perfundebant, cum celebriora Saluatoris mysteria versare animo contingebat. Cumque præcipuo quodam studio, affectuque in Christi nascentis cunabula ferretur, mirum, quo sensu, ac voluptate delibutus, suauissimam Virginei partus memoriam excipiebat. Certè nil anniuersaria, ac natalitia ea nocte Caietano iucundius, ac sanctius. Quò vehementissimæ deuotioni indulgeret, laxaretque amori habenas; efformare sibi præsepis imaginem, ac totam illam corporati, vagientisque Numinis scenam adornare solitus erat; eoque maximè rei imitamento, ac spectaculo ita oblectabatur, vt dulcissimas in lacrymas, ac suspiria abiret totus. Dicere item pro concione ad ea Cunabula consueuerat; vbi cum longe copiosior esset fletus, quam eloquentia, lacrymis potiùs declamare, quàm vocibus, ijsque audientium corda inflammare videri poterat. Alia item in Caietano ornamenta, aut animi impetus quàm pulcherrimos, fœcunda virtutum caritas excitare, atque alere videbatur. Hinc flagrantissimus ille zeli ardor, quo perditorum hominum flagitia insectabatur, & Nouatorum præsertim mendacia, quibus commaculari candorem fidei intimè dolebat. Quo vero studio, & contentione in eiusmodi monstra inuexerit, diximus in loco fusius. Hinc ingens in rebus asperis, aduersisque patientia, quæ virtutum omnium, sed caritatis potissimùm, dapis est

Caietani paupertas ab amore in Deum.

Elucebat hic amoris ardor in vultu, ac verbis.

Epistolæ itē flagrantissimæ.

Amoris indicium lacrymæ.

Quæ copiosius fluebant in solemnioribus Saluatoris mysterijs.

Celebratque præcipue Christi cunabula.

Zeli ardor.

Laborum tolerantia.

pis est lydius. Hinc mira in pondere diei, & æstus alacritas; vt cum tot ipse Religionis munia, tot corporis afflictationes, laboresque subiret; nunquam defatigatum, relaxantemque subindè otio spiritus, quis viderit. Amor quippè, non otium, alimenti, ac virium loco erat; ac dicere solitum accepimus: [Amanti Deum quodlibet onus leue esse.]

In proximos caritas.

Sed iam ad amorem in proximos narrationem conuertamus. Æqua nimirum fronte vtraque in Deum, ac in mortales caritas currit; gliscitque altera ab alterius flamma. Et quidem egregiâ Thienæi caritas nescio, an repræsentari propioribus lineamentis, ac germaniùs possit, quàm quibus Romanæ Rotæ Censores descripsere. Horum porrò verba sic habent: [Dulcissimum reputans refocillamentum continuò animum obseruare, inuenta & noua moliri, quibus animarum saluti opem præstaret, & studio consuleret. Quarè assiduo caritatis opere detinebatur; sermonibus enim, epistolis, consilijs, confessionibus se totum in animarum leuamen dabat.] Quo sanè constat, actuosiorem Caietani caritatem haud quidem mediocri in laude hærere, neque coerceri terminis, communique studio voluisse; sed excogitasse in dies noua, ac præstantiores subindè curas adiecisse, quibus demereri genus hominum posset. Coæua penè illi in proximos caritas fuit; quippe ab infantia nondum enatauerat, cum efflagitare ipse stipem, atque erogare sua manu egentibus gestiebat. Creuitque postea; ac robustior in Xenodochijs stipendia fecit peregregiè. Inseruire assiduo ægrotis, aduigilare, excurrere, nullo vnquam labore, aut fœdiore spectaculo, aut abiecto opere deterritus. Quæ sanè mediocris cuiusdam virtutis documenta videri possent; nisi caput etiam pro mortalium salute, ac bono generosiùs deuouisset. Grassante siquidem Venetijs lue, luctari ipse cum ea temporum calamitate, atque in decumbentium ministeria inuolare non detrectauit. Ceu præsenti quodam amuleto muniretur, contemnere pestilentissimam vim morbi videbatur, propiore, atque animosiore in ægrotos indole, ac manu. Incitatique egregiè eius plerique exemplo ad opus fuere; vt non sua tantummodò ope, sed aliorum etiam, quos inflammauit, caritate, publico malo præstò fuerit.

Romanæ Rotæ testimonium.

In ægrotantium ministerio sedulitas.

Grassante præsertim pestilentia.

At enim iuuandis maximè animis, eorumque saluti procurandæ totus adfuit: vtque aut sacris informaret rudes, aut improbos bonæ frugi, mentique restitueret, nulli sibi parcendum studio, nulli periculo, nullis item vigilijs, lacrymisque, ac macerationibus duxit: vt meritò ob egregiam hanc animi sedulitatem, ac in proximorum quæstu solertiam, venatorem animorum quidam appellauerint. Planè cum alterna quies omnibus placeat, ceu vires accipiat virtus paulùlum resoluta, ac remissa, vt inquit * ille; Caietano nullum laboribus temperamentum fuit, nec frangi præclara animi indoles, atque impetus curarum assiduitate videbatur. Quidquid ab regularibus obseruantiæ, vitæque communis occupationibus superarat temporis, curandæ proximorum incolumitati impendebat, continenti quadam operum successione: ac inter sacrorum administrationem, inter priuata, ac publica ad virtutem adhortamenta, inter solatia miserorum, assiduasque scriptiones, dilabebatur nunquam remisso, aut fesso dies. Expiandis potissimùm confessione noxijs incumbebat, ac singulari quadam tractandorum animorum peritia instructus, mirum qua in eo munere assiduitate, & quo fructu versabatur. Inerat perhumana quædam verbis comitas, atque arcana vis, qua subire animos fortiter, ac suauiter videbatur; priuataque siue obiurgatione, siue institutione cominùs, ac breui ceu telo ita rem conficiebat, vt nullum obsessum criminibus pectus non expugnaret. Dicere solitum accepimus nobilem quendam virum, qui passus aliquando est exorari, vt Caietano conscientiam aperiret, principiò quidem eam peccatorum expiationem subausteram visam, mox suauissimam; expertus nimirùm solertissimæ eius apis aculeum, & mel.

Sed in animorum procuratione flagrantior.

Venator animorum dictus.

* Senec. de tranquil. c. 15.

Nunquam defatigatus.

Porrò intentiore quodam studio in proximorum vtilitatem animatum egregiè fuisse Thienæum, docet, quam ipse cum socijs Clericorum Regularium Sodalitatem instituit. Non enim suo tantùm, aut paucorum profectui maximum hoc opus excitauit; sed qui ampliorem animorum segetem cogitabat, suum communi Orbis bono

Proximorũ studium instituta ab eo sodalitas docet.

bono actuosum institutum destinasse. Et verò quà exemplorum luce, ac incitamento, quà concionum celebritate, quà exquisito templorum cultu, obsoletam sacramentorum frequentiam instaurasse, extinxisse plerisque in Italiæ locis hæresum flammam, ac luem, inuexisse morum disciplinam, perditissimos quosque ad mentem meliorem reuocasse, atque id genus eximiæ caritatis munera obiuisse, alibi commemoratum est. Atque hæc quidem præcipua Thienæi laus est, noluisse caritatem suam intra suæ vitæ terminos circumscribi; sed instituto Sodalitio, illam perenni quadam successione in posterorum animis, atque officijs propagasse.

Cum hoc autem amore, utraque proximorum oppidò solicita, coniuncta in eo fuit, qui nexus perdifficilis, incredibilis quædam mentis quies, animique tranquillitas, ac recessus; vt simul in aliorum commodum, atque opportunitates spargeret cogitationes suas, simul introrsùs recollectus, placidissimo in contemplationis sinu, beato quodam otio frueretur. Videbatur profectò in ipsa diuinorum commentatione illud præcipuè cogitasse, quî posset mortalium vtilitati accuratam operam nauare; adeò ardenter ab oratione ad externum opus inuolabat. Rursùm in ipsa animorum procuratione, ac solicitudine feruentiorem quendam orandi modum didicisse; ea mentis applicatione, ac studio, ab actione sibi, ac precibus redibat. Igitur præter interualla temporum, quæ sibi caritas deposcebat, assiduò fermè precandi studio, atque exercitatione tenebatur. Enimuerò, præterquamquòd integras persæpè noctes in oratione transigebat, cum feruentiore quodam spiritu agebatur, aut acrior impendentis alicuius calamitatis coquebat cura: orandi mos, ac spatium illi hoc erat. Anteuertere horas matutinas, ac se statim in Odeo sistere consueuerat; atque hoc proœmium veluti quoddam erat prolixioris orationis; proludebatque precibus antelucanis, quas cum alijs mox canebat: ijsque absolutis, communem meditationis mensuram ex Instituto implebat, quam ipse ad prouectum diem continuabat. Faciebat mox ad aram, & iterum ad preces ab cælesti eo epulo vigorosior, & nisi interpellari contingeret, ad communem vsque refectionem attentissima rerum diuinarum contemplatione cum Deo agere, meditarique videbatur. Mensam item preces excipiebant; tùm ad externa quædam virtutum opera diuertebat; donec die aduesperascente opportuniores superno lumini excipiendo tenebras nactus, ad multam noctem diuinum cum Cælo commercium summa precandi contentione, ac perseuerantia producebat. Planè, si diem, precesque supputes, maiorem æui partem in diuinissima hac exercitatione insumpsisse Thienæum deprehendes. Id quod [a] Romana ad Pontificem narratio contestatur his verbis: [Maiorem temporis partem orationibus, & in choro transigebat.] Addictus porrò orationi sic erat, vt cum aliorum saluti procurandæ domo auocaretur; aut extra conclaue, Odeumque morari opus esset: Enchiridium, ac lectissimarum quarundam precum libellum gestaret manu; ne scilicet momenta exciderent, sed statim ac vacaret, succederet euestigiò oratio, adhæreretque illicò Deo mens. Quo autem ardore animi oraret, quas supra memorauimus, manantes vberrimè lacrymæ docent; affirmat id nanque Danesius, qui supra, his verbis: [Memini me sæpè vidisse illum inter precandum lacrymantem.] tùm quædam à sensibus abalienatio, elatumque cum spiritu corpus contemplationis vehementiam ostendunt. Visus nanque sæpiùs ingenti quadam vi Numinis adflatus, abreptusque ecstasi ab ipsis vitę officijs, immotus peragrare iam Cælum, atque cum beatissimis mentibus degere adhuc mortalis. Cum verò clauso interdum ostio orabat, latere preces clandestinæ minimè poterant; euulgabant quippè suspiria, & gemitus, qui latè resonabant, non sine incitamento, fructuque audientium. Hac disciplina orandi instituere & alios conabatur; nihilque aut frequentiùs, aut efficaciùs monere: nempè vt quod ipse præsentissimum malorum remedium, atque ad expugnandum Cælum valentissimum machinamentum experiebatur, vsurparent & alij; artemque condiscerent, tùm calamitates feliciter propulsandi, tùm arcessendi è Cælo beneficia, quæ peroptarent. Institutæ in primis à se Congregationi perquàm familiare hoc exercitium voluit, vt non modò actuoso viuendi genere animos strenuè procuraret, verùm etiam Vrbes, Resque publicas præualido hoc orationis præsidio firmaret, muniretque. Munificos potissimùm in Soda-

Contemplationis studiũ.

Quænam illi consueta orãdi tempora.

Maior vitæ pars in oratione impẽditur

[a] Relat. Rom. Rot. ad Vrb. 8.

Precum libellus in manibus semper erat.

Inter orandũ lacrymę, & ecstasis.

Et suspiria, & gemitus.

Probenefactoribus prolixe orat. Sodalitatem vt exquisitis ipse precibus enixiùs iuuabat, ita & nostros homines eorum felicitati, ac saluti assidua litare oratione iussit. Quapropter prudentissimè instituit, vt in ipsa Cænatione post epulas è superiore loco benefactorum nomina recitarentur; vt agnoscere statim liceat, qui sua nos ope, ac liberalitate alerent, simulque memori, gratoque animo exsolui gratiæ possent, exorato pro ijs Numine. Recitari eorū nomina super mensā iussit. Et verò, cum plura sint, quæ conciliare nostræ inopiæ Dei prouidentiam possint; tùm id in primis efficiet in benefactores gratitudo. Nam quemadmodum ingrati, sterilisque animi vitium fontem diuinæ bonitatis exsiccat; ita benefacta grata indole, pretioque rependere, nunquam profectò sine Numinis beneficentię, & gratiarum incremento accidit. Gratitudo in munificos Dei beneficētiā conciliat. Quod aduertere maximè Nostrates debent, quibus non alij planè census, ac opes sint, quàm Dei bonitas, ac piorum gratiæ. Enimuerò quæ demum agendi ratio est, quotidiè beneficijs foueri, & non quotidiè eorum meminisse? accipere quæ magno constant, & non ea statim reponere, quæ præstare vel pauperes nullo impendio possumus, nempè ad Deum preces? Planè nemo est mortalium, qui etsi non vendi, sed collocari beneficium sciat; perdere tamen illud velit, nulla relata prorsùs gratia. Eapropter vt fidelium in nos beneuolentia, quam patrimonium, ac latifundium nostrum nuncupare rectè possumus, excrescat; excolere illam, post ea Cæli Numina, accuratiùs debemus; assidua nimirum pro eis oratione, Conditoris nostri Thienæi exemplo, ac monitis. Fidelium pietas nostri Ordinis latifundium. Iam Caietani preces, quas frequentissimas, ac feruentissimas diximus, valuisse apud Deum plurimùm, atque impetrasse persæpè magna; intelligere ex ijs, quæ patrasse orationis vi supra memorauimus, abundè possumus. Obtinuisse verò plura disertissimum oratorem, non dubitamus; quæ celebritatis, famæque metu occultasse credendum est.

Caietani in Diuos religio. Ab hoc orandi studio non recedimus, cum peculiarem Caietani religionem erga Diuos, ac diuina commemoramus. Statis nanque precibus eos intimè venerari consueuerat, in quos principe studio, ac pietate ferebatur. Ex Apostolis igitur arcano quodam impetu, insignique animi affectu D. Andream colebat; & cum ad Aram maximam non faceret, litari ad huius Apostoli altare religiosissimè consueuerat. In D. Andreā Apostolum. Fortè quòd is flagrantissimè Crucem appetierat, quam ipse summè venerabatur; eandemque in sui Ordinis insigne, ac tesseram legerat. Vsurpare proindè ad effugandos morbos, qui e Sacro eius Apostoli corpore promanat liquor, solitus erat: probauitque Caietani fidem, cultumque Diuus ipse Andreas; restituta aliquando infirmis eo alexipharmaco incolumitate, vt iam in loco narrauimus. Apostolorum verò Principem, eiusque clientelam præcipuis etiam officijs venerebatur; quippè quem non modò communis rei Christianæ, verùm & Clericorum maximè Regularium Patrem, atque Antesignanum nouerat. In Apostolorum Principem. Quarè cum præscripta ex formula solemnia Deo vota nuncupamus, Petro potissimùm dirigi ea voluit: quo planè ostendit, vt sui, ita & suorum, totiusque Ordinis patrocinium, tutelamque illi commendasse. Eximio quodam insuper cultu Franciscum Assisinatem prosequebatur, proposita sibi absolutissima eius sanctimoniæ imagine, ad quam se, suæque vitæ rationes componeret. In Diuum Franciscum. Paupertatem præcipuè inter incomparabilis viri virtutum gazas, gemmasque commendabat; eamque suis moribus, suoque in Ordine tàm accuratè repræsentauit, vt nihil accessisse ad illam propiùs visum fuerit. Cuius præcipuè paupertatem est imitatus. Vt verò plerasque eius virtutum, insignemque diuitiarum contemptum pro modo imitari gratulabatur; ita quæ supra omnem imitationem sunt, sanctiore quadam inuidia ex animo venerabatur: scilicet pretiosa illa morientis Numinis monumenta, ac vulnera, quibus purissimum Francisci corpus sauciatum, inustumque ad maximi amoris siue incrementum, siue argumentum fuit. Seraphici igitur Patris veneratione vsque adeò afficiebatur, vt cum potissimùm anniuersaria ea lux appeteret, qua ille in Cælum abijt; excipere illam tenerrimo quodam animi sensu, ac singulari lætitia videretur: explicabatque ipso oris habitu religionem, affectumque in exactum illud diuini Amoris, totiusque sanctitatis exemplar, ac miraculum. Sacram eius memoriæ diē peculiari studio excipiebat.

In Deiparam Religio. At enimuerò qua pietate sanctissimum magnæ Matris, ac Virginis nomen, ac dignitatem coleret, haud facile memoratu est. Simul & vitæ lucem, & in Deiparam affectum hausisse, persuasit illicò eius Parens; cùm eiusdem planè maximæ Virginis

ginis instinctu, statim ac Sobolem effudit, præmatura, insignique religione, eius illum clientelæ obtulit, vti significauimus. Ostenditque postmodùm Caietanus præcipuum hunc amorem, ac venerationem. Ab Virgine siquidem illi semper cuiusuis operis principium; nihil vnquam inauspicatò, præeunte, atque adspirante eo Numine, aggressus. Cum conscribere litteras contingeret, præfixum epistolæ vnà cum dulcissimo Iesu nomine, & Marianum nomen volebat. Certè, quæ à præclara ea nomenclatione incipiunt litteræ, ab insigni quadam pietate obsignari necesse est. Cum Christi Domini nomen appellaret, addere indissolùbili quodam nexu, Mariæ filium solitus erat. Vim suis precibus, momentumque à Mariæ nomine, ac patrocinio impetrabat. Dicere solitum accepimus, orare quidem diuinum Numen mortales posse; at nisi Maria interprete, exoraturos planè nunquam. Hoc item Virginis affectu, cùm se ipse ad Sacrum faciendum appararet, tùm ad diuinissimam synaxim prouocare alios conabatur. Eius nanque Eucharistici epuli, mysterijque dignissimè celebrandi optimam quidem rationem illam esse existimabat, si amplissima magnæ Matris merita, ac decora Numini offerrentur. Hæc ipse egregiè præstabat. Cumque ad Aram sacris operaretur, viuificum ipsum Agnum ab ipsamet Virgine deuotissimè efflagitabat; concipiebat siquidem dulcissimo quodam mentis obtutu adesse sibi Deiparam, quæ lectissimum filium prona, ac munifica manu porrigeret.

Inscribere eius nomine litteras consueuerat.

De Mariana ope eius dictum.

Rei diuinæ se apparabat Virginis affectu.

At commemorata Sanctissima Eucharistia, ad intimam animi venerationem, qua illam colebat Caietanus, gradum iam fecimus. Planè, vt nihil salutari hoc Sacramento diuinius, ac præcelsius, ita flagrantiore quodam studio ferri in illud videbatur. Assiduò positis in Odeo genibus antè Ipsum perstabat meditabundus; & cum auelli contingeret, restitui postliminiò, atque affigi iterùm loco connitebatur. Eius amore inflammatus, abreptusque, ad Aram principem vt plurimùm faciebat; vtque rantis mysterijs responderet par cultus, octonas persæpe horas ante sacrificium inter pias commentationes transigebat: at quo putamus ardore animi, atque affusione cælestium sacris operatum, qui ea religione, ac tot horarum studio litationi proludebat? Porrò cùm ipse eximia eius pietate incalesceret; excitare ad eam alios, præclarum ducebat. Et quidem in ipso penè ætatis, ac virtutis flore nondum regulari disciplina authoratus, instaurare huius venerabilis hostiæ frequentiam studuit; vt Vicentinæ Sodalitatis Commentarijs consignatum, in loco diximus. Nam qui accedere ad sacrum hoc epulum quater tantùm in anno soliti erant; Caietani monitis, exemploque excitati, principiò semel in mense, mox singulis hebdomadis, tùm adaucta in rem diuinissimam religione, pluries in hebdomada communicabant. Instituto verò Ordine, cum de Christiana Republica bene mereri non vno planè nomine cœpérit, tùm hoc potissimùm in commune bonum contulit, quòd reflorescere eo adhortante, ac redire obsoletus iam sacræ Synaxis vsus visus fuerit. Et quòd externa magis specie, sensuque mouemur mortales; Augustissimum Sacramentum inter collucentes faces, & quo elegantiore posset cultu, exponere publicæ venerationi occœpit, nempè vt latenti inter ea mysteria Diuinitati piorum affectum multiplex ea lux, ac pompa conciliaret. Deriuata hinc est gemina in Ecclesiam vtilitas. Nam laudatissima hæc diuini cultus pars, qua magnificentissimo veluti in theatro, luminum sertis, multoque auro redimitam collocari salutarem Eucharistiam mos est, propagata ingenti cum pietatis incremento vbique populorum est, atque instaurata frequens eius vsurpatio. Quod vtique Caietani consilium, & mens fuit; cuius ea potissimùm sententia de his mysterijs sæpiùs vsurpandis circumfertur. [Mirum, inquit, omninò est, posse Christianum hominem Dominum, ac Deum suum hospitio excipere: & renuere. Per huiusce vitæ syluam, tot inferni hostis insidijs circumseptam, atque in caligine summa rerum ire: & certissimam, quæ hic vitæ cibus est, tutelam respuere. Tùm præsentissima quotidiè sorbere à malo dæmone venena: & antidotum recusare.] Certè qui egregiè inflammatus in tantum diuini Amoris pignus erat, affectos eodem planè sensu omnes peroptabat, curabatque impensiùs. Sacerdotes præcipuè, si quos aut remissiùs facere, aut intermittere interdum Sacrificium intelligeret; emendare lentam illam in diuinissimam

In sacram Eucharistiam deuotio.

Eius frequentiã inuexit.

Exponere splendidiore cultu sacram Hostiam instituit.

Qui mos laté propagatus.

Aliorũ etiam studium in Eucharistiam excitabat.

Hostiam pietatem flagrantissimè studebat. Illud hac in re potissimùm de eo narratur; quod incitatissimæ profectò cuiusdam virtutis documentum fuit; ac nescio, an in omni prisci æui religione, zeloque istiusmodi exempla reperies. Perlatum illi fuit, dum Neapoli ageret, Antistitem quendam magni nominis Romæ per pluSculos interdum dies ab Ara abstinere. Affecit vehementer Caietanum viri segnities; acrique perurgeri stimulo, ac propelli Romam sensit, vt illum obiurgaret, erigeretque ad præstantissimi operis frequentiam. Nec mora: arripere iter non dubitauit. Antistitem conuenit; vt quotidiè sacrificaret, monuit, impetrauitque. Nec Romæ præter noctem vnam moratus, Neapolim reuertit. An non hoc fuerit, ire, redire in similitudinem fulguris coruscantis? Certè leuissimus quidam è Cælitum numero internuncius potuit Antistiti videri Caietanus. Siquidem adfuisse, abfuisse idem penè fuit.

Neapoli Romam contendit, vt moneret Antistitẽ, qui rarò sacrificabat.

Iam quòd solennis eius cultus meminimus, quo sacram Eucharistiam exponere mortalium pietati consueuerat Thienæus; par est, vt eius vniuersim diuini cultus studium describamus: quod sanè præcipuum in viro sanctissimo fuit. Certè instaurandæ externæ Numinis religioni visi Parentes nostri Clericorum hunc Ordinem condidisse; vtque exacta rerum diuinarum procuratione facem alijs prætulerint, excitauerintque exemplo suo ad omnem templorum ornatum, nitoremque, ac ceremonias rite obeundas Ecclesiasticos viros, abundè explicauimus supra. Quod ad Thienæum attinet, tangere hæc illum præsertim cura videbatur. Quàm mundissimam sacram Ædem, parietes, pauimenta, ac sacrum maximè instrumentum voluit. Aras ornari decentissimè, ac pereleganter curauit; & qui grauissimis negotijs implicitus persæpè erat, suffurabat interdum sese, ac in ijs sua manu concinnandis, instruendisque accuratam operam ponebat. Mundum hunc, quem magni Numinis Templum esse, eiusque maiestate, ac veneratione impleri, sapientum dictis constat, sua ab ipsomet Numine manu exornatum fuisse syderum auro, ac picturatis florũ aulæis conuestitum, nouerat Caietanus; ac proindè Dei ipsius imitamento oppidò decorum putabat, expolire per se templa, Arasque magnificè procurare. Id quod in Nepotiani non vltima posuit laude Hieronymus, quem non adeò grauiores curæ, litteræque distrahebant, quin ipse per se diuinas Aras Numini adornaret; gaudebantque profectò nitere ab sanctissima, atque erudita ea manu templa. In sacri porrò ministerij supellectili non tantùm munditiam, verùm & elegantiam, ac pretium peroptabat; vt paupertatem, quam tantoperè adamabat, extra Dei templa adamasse videretur; quicquid enim gemmarum, aurique, aut attalici syrmatis in Ecclesijs lucet, vt nihil paupertati detrahere, ita adaugere plurimùm populorum reuerentiam, inter sacras eas opes Diuinitatem sibi facilè repræsentantium, existimabat. Planè, qui à sublimi ea Cæli Arce despectat modò nostra Thienæus, gaudere vel maximè putamus, duo hæc sarta, ac tecta in instituta ab se Sodalitate seruari: nempè eandem paupertatem domi, eundemque in sacris Ædibus splendorem: illam quidem supra hominum fidem; hunc supra paupertatem. Atque hac potissimùm ratione persuasum habemus excitasse nos plerosque alios, vt sua item Templa componerent, ac perornarent. Videbant quippè probro dari, eos quidem, quibus nulla domi, forisque res est, Templa tàm magnificè instruere; se verò opulentissimo censu instructos, squalere in Ecclesijs, atque adeò inuexere in Aras religiosissimè opes suas; ita vt in sacris iam plerisque Regularium Ædibus Regum, ac Cæsarum magnificentiam non inuideas. Quam sanè laudem inchoauere superiori seculo nostri homines, præcipuè Caietanus.

Sacrorum cultus.

Sua manu Aras concinnabat.

Nepotiani exemplo.

In Sacro instrumento elegantia.

Excitati alij Ordines à Nostrorũ cultu.

Qui etiam, quòd magnam diuini cultus partem statæ psalmodiæ pensum existimabat, in hanc etiam curam egregiè incubuit, & quàm grauissimè persolui in Odeo voluit, simplici quidem vocis flexu, non cantus modulatione, vt robustiora, ac sanctiora primæuæ Ecclesiæ tempora per integra plurium seculorum interualla consueuere, vt [a] Nicephorus adnotauit. Iam quòd Breuiarij Romani emendationem Nostrates susceperint, eamque illis Clemens Septimus prouinciam demandauerit, vt in loco significatum est; non exiguam profectò sacrarum rerum peritiam, totiusque diuini cultus studium probat; declarauit idem Maximus Pontifex, datis ea

Choro impensiùs studet Caietanus.

[a] Nic. lib. 9. cap. 16.

super

super re litteris; in quibus hæc leguntur potissimùm verba: [Vos religionis, & diuini cultus honore, & feruore succensi.] Quam laudem tangere præcipuè Caietanum, sacrorum apprimè scientissimum, atque ad rem omnem Ecclesiasticam incitatissimúm nullus dubitat. Quod verò ad sacrorum ritus, ac ceremonias pertinet, mirum quàm studiosè, ac suo quasque ordine, locoque peragendas sacras functiones curabat. Confluere pijssimi quique ad exactam illam diuinorum administrationem spectandam videbantur. Affici nanque mirificè, atque excitari magnoperè pietatem ab ea ministerij concinnitate, atque elegantia deprædicabant. Planè, qui Clericorum viuendi rationes ad prisci, ac laudatissimi moris disciplinam composuerat, præclarum hoc item Clericorum munus priscæ grauitati, ac decentiæ restituisse visus est: Siquidem non exemplo tantùm, verùm & scriptis etiam sacrorum rituum leges; præceptionesque consignauit. Nam, vt refert Molfesius noster, Ceremoniale Romanum magnam partem cum socijs Caietanus lucubrauit. Quod sacrorum rituum studium transcriptum peregregiè in posteros à primæuo Parente gratulatur nostra Sodalitas. Quippè & sacris ceremonijs dari quàm diligentissimè operam in Ecclesijs nostris videmus; & sancitæ item leges quàm exactissimè eas peragendi à Nostris fuere; edito sacrarum Ceremoniarum libro, verè aureo, ab Andrea Piscara Castaldo, viro è nostro Ordine, à multiplici cùm sacra, tùm profana eruditione, à laude prudentiæ, qua sexennali, summoque iure Congregationem vniuersam est moderatus, ab excellentissimarum virtutum complexione, morumque innocentia, communi omnium persuasione, consensuque longè spectatissimo. Probatusque hic porrò ab omni Ecclesiasticorum hominum gradu Ceremoniarum Commentarius vbique gentium fuit; ita vt recudi sæpiùs oportuerit, vt vota, ac terras impleret.

Sacrarũ ceremoniarũ studiosissimus.

Romani Ceremonialis magnam partem cum socijs côcinnat.

Andreas Piscara Castaldus sacrorum rituum scriptione celebris.

Has verò virtutes omnes, quas in Caietano strictim enarrauimus, prudentia, quæ lux est mentis, atque animorum auriga, eaque singulari, ac propè diuina cumulatas fuisse, non est, cur ostendere fusiùs aggrediamur. Præcipua quidem in ipso hæc vlirtus fuit; eiusque præstantiam in ea, quam de illius rebus gestis Ioannes Antonius Pratus narrationem conscripsit, testatam voluit in hæc verba: [Vir erat Caietanus summæ prudentiæ, consilijque, ad quem ideo plures confugiebant.] Et in quadam etiam epistola Andreas Auellinus, vir sanctissimus, ait, se à Gualterio Gualanno, quo vsus aliquando est familiariter Caietanus, magna quidem de eius præsertim prudentia audiuisse. Neque profectò vt pulcherrimum, ita difficillimum opus, quale est, nouam in Christiano Orbe religiosorum hominum familiam excitare, suisque munire legibus, ac institutis, aggredi quis potuisset; nisi cui eximia quædam prudentia, atque in agendo solertia inesset. Respublicas quidem, sapienter à Maioribus institutas, moderari, earumque aduigilare felicitati, ac tueri commoda; nisi insigni vi quadam mentis, ac prudentiæ præstare nullus potest. At condere ab stirpe generis, ac suis vndique partibus, numerisque corpus efformare, preclarisque animare institutionibus; longè præstantioris prudentiæ, animique planè sapientissimi est. Maximarum quippè rerum initia nunquam non ardua; adnascuntur statim difficultates, ad quas eluctandas exerto ingenio, atque egregiæ virtutis solertia opus est. Ergò Christiana, nec vulgari quidem valuisse prudentia Caietanum, argumento id est satis luculento, sapientissimos disciplinarum Auctores imitatum, nouam in Ecclesia Rempublicam, legibus, præceptisque egregiè instructam, fundauisse. Administrare posteà identidem contigit ea indole, vt nullam exacti moderatoris laudem quispiam desideraret. Primas caritati, ac beneuolentiæ partes dabat. Nam etsi quadam subausteræ frontis, orisque grauitate reuerentiam maximè, timoremque incutere suis videretur; descendere nihilominus à sua illa seueritate, ac supercilio, quæsita comitate, ac beneuolentia conabatur: persuasum nanque habebat, amore, quàm metu Religiosorum hominum Cœtus meliùs regi, ac reddi quàm leuissimum rectori onus, si subditi ament: docebatque id alios. Nam cum Petrus Fuscarenus, de quo sæpè aliàs, detrectaret Domus præfecturam, & cum Caietano conquereretur, quòd esset suffragatus: Is hæc statim ad illum: [Vis, Petre, onus istud tibi, subditisque leuissimum reddere? Cura, vt ameris cum Deo.]

Eximia in Thienæo prudentia.

Quã robat institutea ab eo Sodalitas.

Quam etiam egregiè administrauit,

Amore præsertim, & comitate.

Quid Fuscareno de famuliarum rectione dixerit.

Hac ipse arte subite suauiter suorum animos videbatur, quos incitabat fortiter, ac validissimè exemplo. Stata nanque exercitamenta, preces, labores, vigilias primus obire; tùm rem communem sedulò curare, singulorum commodis consulere, adesse omnibus, adhortari singulari facilitate, peragebantur egregiè, veluti ab eo, qui prudentiæ articulos omnes nosceret. Iam in rebus agendis excellentissima quædam vis mentis elucebat. Prævaltum ingenium vsus etiam elimauerat, vt quæ expedienda negotia susciperet, summa dexteritate explicaret. Cuius in agendo felicitatis specimen, cùm non vnum planè dederit, tùm illud præcipuum, cum insolitas, inueteratasque inter Gibertum Episcopum Veronensem, Clerumque simultates composuit. Sedare tempestatem illam, æstumque animorum, nulli antea Neptuno contigerat. Seruata nempe res difficillima cælesti Thienæi prudentię; cuius vim vigilijs etiam, afflictationibus, ac ieiunijs adauxit prudentissimè. Et quidem familiare Thienæo erat in rebus agendis oratione, ac ieiunijs superius etiam lumen impetrare; sine quo hallucinari humanæ cuiuslibet prudentiæ aciem nouerat. Affusa hæc illi porrò è Cælo lux vsque adeo interdum inclarescebat, vt supra nostræ vim mentis arcana, ac longinqua penetraderet, ac futuris interesset, prædiceretque. Vt cùm viro nobili nihil hac de re prorsùs cogitanti, publicum votorum Sacramentum prædixit; & cui se potissimùm Religiosorum familiæ olim adiungeret, indigitauit. Et cùm incolumem iam esse quendam ex nostris Clericis indubitanter pronunciauit, pro cuius salute rogauerat; nec dum scire ipse, aut alij poterant, an impetrasset. Et id genus pleraque: in quibus ad eximiæ eius prudentiæ lumen, accessisse meridiem quandam lucis melioris constat.

Dexteritatē in rebus agēdis ostendit.

Cum Veronensem Clerum suo cum Episcopo conciliauit.

Superiore eius lumine eius mens iuuabatur.

Ac futura inde prædicebat.

At reliquum, quæ Caietano inerant, virtutum censum, percurrere, prolixiùs profectò esset. Claudat insigne hoc agmen ea virtus, quæ postremo semper loco censeri cupit. Cæterùm princeps in ea familia est, lucemque alijs facit, dum latet. Humilitatem appello, siue modestiam, animique demissionem: quæ, vt in ædificiorum fundamentis accidit, demittitur, vt exurgat sublimiùs sanctitas; consistatque æternùm elata virtutum moles. Verùm enimuerò, cum hanc virtutem commemoramus, nescio quem statim excitari animi sensum, tristitiamque sentimus, qua de insigni modestia conqueri potiùs, quàm enarrare illam cogamur. Nam; quòd tam decurtata, ac mutila transmissa nobis fuerit Caietani virtus, proindèque præclara, integraque ea exemplorum luce careat posteritas, humilitas fecit: quam cum colere nesciant viri sancti sine publica quadam iactura, ac fraude mortalium; tùm in primis Caietanus id maximè contendit, vt præstantissima quæque virtutum decora, resque sanctissimè gestas, humilitate consepeliret: voluitque locupletiorem exemplis vitam, quàm historiam. At occultauerit virtutes alias modestia, seipsam contegere minùs potuit: vita exist mationi, sanctitatique Caietani vel minimùm detraxisse; quando ab summa hac humilitate, summam nos, excellentissimamque virtutem coniectamus. Itaque cum duo præcipuè ad gloriæ cupiditatem, gustumque elidendum curet humilitas: clàm virtutes habere, vitia; ac labes in lucem trahere: vtramque anxiùs partem implebat Caietanus. Nam vti significauimus, si quando aut præclara ederet virtutum documenta, aut præstaret alijs mira; aut acciperet ipse è Cælo magna, nihil odisse magis videbatur, quàm celebritatem, famamque nominis: cauebatque ab his scopulis rerum pulcherrimarum taciturnitate, ac tenebris. Contra verò si quid culpæ, aut labis admisisse videbatur vir sanctissimus, luce vindicabat, euulgabatque errata; vt imminuta virtutis opinione, excresceret tutiùs ipsa virtus. Familiarissimum id Caietano, vel in ipsis, quæ peccasset natura; cuius labes in humilitatis exercitium, atque incrementum vertere consueuerat. Nam cum alterius pedum vitio laboraret; id ipse persæpè, data opera, curabat, vt elata paululùm toga, pateret ea inconcinnitas: profligaretque, ceu collato cominùs pede superbiam, eiusque pedem pes luderet. Iam, cum clara, vt diximus, ab Thienæa stirpe esset, floreretque opibus ea gens; nil profectò accidere illi molestius poterat, quàm commemorare quempiam genus, & proauos, splendoremque diuitiarum.

Caietani humilitas.

In virtutibus occultandis,

Ac detegendis, si quæ inesset, corporis, aut animi labe.

Lucem tenere aufugiebat.

Sed neque intuitu consanguineos dignatum, narrauimus, ne lux illa generis, & pompæ, qua venerant, modestiam decoloraret. Qua item sui abiectione perquàm impensè præfecturarum insignia, ac titulos auersabatur: illas autem sic administrabat, vt cùm defungi officio postea contingeret, tanta animi, frontisque alacritate abdicabat, vt ostenderet planè, quo sensu capessiuerat, quaue obiuerat tristitia, despectuque sui munus. Sanè, cum parere, quàm imperare humilitati gratius, id etiam prius fuit Caietano, magistratus omnes deprecari, vt ad alterius sese nutus semper componeret. Retinuitque præclarum hoc obsequendi institutum, ac studium ea constantia, vt nunquam vel latum vnguem à Confessarij, siue Præpositi imperio discederet; vt meritò peculiari quodam nomine appellatus aliquando fuerit, [Perpetuò obediens.] Atque in hac obedientiæ laude id etiam est assecutus, vt non vtcumque parere satis illi esset; sed votum insuper erat, vt illa Superior præciperet, quæ magis suæ voluntati aduersarentur. Vt cum Venetijs Neapolim discessurus, non modò socium, nisi ex obedientiæ nutu, manuque noluit; verùm precatus ex animo est, vt illum sibi adiungerent Patres, qui minùs genio, suæque voluntati conformis esset, vt in loco memorauimus. Illud verò egregium humilitatis documentum, abiectissima quæque officia, cum maximè præesset, obire: atque in euertenda domo, aut Ecclesia, in linteis perpurgandis, vehendisque oneribus primum esse. Cum infirmis nescias, maior ne caritas, an humilitas esset: ijs nanque non modò assiduò adesse, ac morbis demulcendis adhibere tempestiuiùs verborum solatia; verum & viliora aggredi ministeria, & quæ fœdissima visu erant, attrectare, curare, singulari quadam despectione sui videbatur. Iam, aliorum virtutem permagni æstimare, sua contemptim habere, quæ humilitatis est indoles, Caietano solenne erat. Ac sui quidem ea omninò erat existimatio, vt indignum se Dei administrum reputaret, ac erubescere, pulsarique suamet conscientia videretur, quoties sacerdotem se meminisset. Quapropter cum anniuersaria ea dies affulgeret, qua sacerdotio fuerat initiatus, dicere solitus erat; [Hac luce insignem illam admisi ambitionis, ac superbiæ noxam.] Vitio scilicet vertens, quòd honestari se eo gradu passus fuerit. Quò item spectat, quòd cùm sacerdotes alios peruetusto Domini titulo appellaret, simplici quidem nomenclatione consignaret, vt plurimùm nomen suum, indignumque se præfigi ea ordinis nota censeret. Hæc porrò sui demissio in ipso corporis, orisque habitu nimiùm quantùm elucebat. Eadem quippè, quæ affectus, facultatesque animæ omnes internè humilitas moderabatur, externam etiam disciplinam egregiè temperabat. Oculi siquidem humi defixi vagari, ac spargi nunquam visi. Vox illi submissior, incessus, gestusque omnis ad modestiæ regulam compositi; vestis præterea vilior; externus denique cultus is erat, vt qui in Caietanum incideret, ipsam intueri humilitatis imaginem putaret: vsque adeò humilis, & erat, & videbatur, internæ, externæque humilitatis concentu. Quam quidem celebrioris notæ virtutem in vltima ipsa vitæ linea mirificè intendisse scimus, cum quouis se humanitatis officio indignum putans, nullum curando impensius corpori adhiberi studium voluit, vti diximus. Cumque plura supremo eo spiritu moneret suos, sùm humilitatem in primis commendauit; eamque pronunciauit sententiam verè auream. [Anima nostra æternæ felicitatis, ab dulcissimo Redemptore sibi promeritæ, cupida, eò eniti velociore gradu in sublime videbitur, expedita hoc corpore, quò descenderit profundiùs, dum vixerit.] Quod accidisse ipsi Caietano, pro comperto habemus, sedetque modò superiore planè loco in eorum Diuorum Concilio, gloria circumfusus, quem sui contemptus infra mortales omnes posuit, dum viueret.

Atque hæc quidem de interna Caietani virtute, hæc eius animi imago, ac forma: quam si adhuc delineari compendio, ac breuiore veluti in tabula cupis, vt vno videlicet intuitu totam illicò percurras, habeasque seu prolixioris sanctitatis breuiarium, describi strictiùs magna indoles, & contrahi in angustum illa virtutum maiestas sic poterit. Caietanus Thienæus genere peræ nobilis fuit, sed quod preclara morum luce inumbrauit. Animam sortitus bonam, adultam sanctitatem auspicatus ab incunabulis. Mens illi supra omnem rerum humanarum illecebram, aut vicem.

Et Præfecturas.

Obedientiæ studiosissim.

Appellatus perpetuò obediens.

Vilia obit munera vel Præpositus.

In infirmorū ministerio humilitas.

Indignum se sacrorum ordinum dignitate reputabat.

In ipsa externa specie humilitas.

Quam moriens præcipuè commendauit.

Caietani lectio virtutum lineamētis expressa.

Nulla honorum appellatio, ac lux animum perstrinxit. Infulas abdicauit, quas demiserat prius ad abiectissima quæque in Xenodochijs opera, ac pietatis officia. Visus permagni opes fecisse, quia in pauperes erogabat: cæterum eximius earum contemptor fuit. Paupertatem non nisi summè asperam adamauit, vouitque. Nullo niti censu, aut precaria stipe, sed Numinis dumtaxat liberalitate voluit; magnæ prouidentiæ assertor, ac miraculum. Paupertati respondere adamussim omnia. Cura, aut cultus corporis nullus: exigua, ac vili annona, breui somno, assiduis rigoribus, flagrisque seipsum mulctabat vir innocentissimus. Nulla porrò cum alijs seueritas, quòd totam effunderet in seipsum: nil quippè odisse implacabiliùs videbatur, quàm corpus suum, quod assiduo penè labore exanimabat; reparabantque mox vires, non otia, sed vigiliæ, & nouus labor. Labentis æui mores sua, ac suorum disciplina vindicauit, emendauitque; instaurara prisca religione, ac viuendi forma. Orationi intentissimus. Plures interdum iunctæ continuandis precibus auroræ non defatigabant. Commentandis diuinis vmbra, ac secessu nil gratius; iuuandis mortalibus sole, ac puluere nil dulcius. Gemina quippè depascebat medullas flamma; proximorum videlicet, ac Dei amor. Nec se se vtrique dispensare ex æquo videbatur; sed totus hærere Deo, totus in procurationem animorum incumbere; pectore nimirùm Numinis, terrarumque longè capacissimo, vt quod vtraque caritas certatim dilatabat. Aliorum noxas, ceu suas fletu vberrimo deplorabat; nec semper amaræ illi lacrymæ, nam superna persæpè dulcedine delibuto, fluere ex oculis deliciæ videbantur in lacrymas. In egenos oppidò liberalis, vel cum summa ipse egestate premeretur. Leuandis aliorum calamitatibus piè disertus, verbis alioqui parcissimus. In communi commodo procurando eximiè prudens, priuatæ prorsùs rei negligens. Illibatus illi animi candor, & flos; ingenuitas, mansuetudo, modestia, grauitas, cumulatissima. Denique in tanto decorum, ac cælestium munerum splendore singularis illi humilitas: ceu molès illa virtutum acclinaret humi præclarum animum. Absolutissima hæc porrò sanctimoniæ, magnæque mentis effigies, quam hactenus descripsimus, incurrebat statim in oculos intuentium Caietanum; elucebat quippè tota in vultu, externoque corporis habitu. Cuius etiam hic lineamenta accuratè ducere, non abs re puto, erit; vt vtrumque hominem stylus repræsentet. Ergo, ex Erasmi Danesij, quem supra laudauimus, narratione Caietani imaginem, Antonij Caraccioli calamo expictam, sic accipe. Statura erat mediocri, neque pusilla, neque procera: vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulùm macie extenuato; genis nonnihil rubentibus. Oculis, atque ore suauitatem, benignitatemque spirabat: barba attonsa, & canescente: comam vsque ad extremas aures promittebat, vt eorum temporum mos erat.

Externos eius corporis imago.

Iam verò, antequàm gliscentem post obitum sanctissimi Viri famam, collatis nimirum in genus humanum beneficijs, narremus; adnotare hic opportunè quasdam eius sententias, est animus; quas cùm Antonium Carraciolum, tùm Ioannem Baptistam Castaldum accuratè collegisse pretium fuit; vt cùm pleræque earum non exiguo quidem cum virtutis detrimento exciderint, superessent mortalium incitamento hæ paucæ. Sanctorum videlicet facta, iuxta & verba faces sunt, quibus incitari mirificè pectora ad pietatis cursum, ac laudem contingit. Et quanuis valentiora omninò exempla sint: tamen nescio quæ sermoni inest vis ignea, præsertim cum pronunciatio accedit, & ipse dicendi ardor, quo sanè excelluisse Caietanum scimus; vt in priuatis cohortationibus triumphare pressa, atque efficax eius facundia videretur; ac singulari quodam dictionis arbitrio animum in quam ipse partem vellet, propellere. Quanuis autem laudati modò Auctores has sententias conscripserint, recensere nihilominùs hic illas ideo placuit, ne quid in hoc commentario de sanctissimo Parente nostro desideret lector. Hæ verò sunt.

Quædam Caietani sententiæ recensentur.

Sanctorum dicta vim habent.

I Diuinam Eucharistiam non esse sumendam, vt Christus se se in nos commutet, sed vt nos in seipsum: hoc est, non eo scopo communicandum, vt Christus nostram faciat voluntatem; sed vt nos eius voluntatem sequamur, atque exequamur.

II Mundi delicias, & voluptates non esse aliud, nisi dæmonum præstigia, qui-

bus ho-

bus homines, à se excantatos, non replet, aut nutrit, sed inflat solummodo: Deum autem solum habere in sua potestate veras ac solidas voluptates, quæ scilicet verè satient, & expleant humana corda.

III Comitem Oppidanum famulis suis crebiusculè, & ob leues causas, vt morosi senes faciunt, irascentem, his aliquandò repressit. Dic mihi, quæso, Comes, Es ne tu adeò promptè Deo obediens, quemadmodùm tibi homini ab hominibus vis obediri?

IV Bartholomæo Scayno sibi alioquin amicissimo, roganti, vt filio suo, quem iudicem fieri cupiebat, apud quendam procerem faueret, liberè respondit, Vt iudices populis dentur, quibus iustitia per eos administretur, id quidem bonum est. At Religiosos viros immiscere se curis secularibus, & procurare, vt quisque iudex eligatur, id verò non est bonum.

V Elisabethæ Thienææ, fratris filiæ scripsit; Non secus homini Patriæ suæ, quæ Cælum est, oblito, accidere; ac Viatori, qui in Caupona sese inebriet, & vino madidus, viam, quæ ad Patriam ducit, reperire non possit.

VI Cum excitare rerum humanarum, suique contemptum vellet, hæc pronunciare potissimum solitus erat. Gemere sub hac graui sarcina mortalitatis omnibus contingit. At quanuis vna, eademque viuentes omnes calamitas, ac lues tangat; ijs nihilominus miseriarum seges felicior prouenit, quibus carior est vita; & qui pluris æstimant, plus dolent.

VII Dei amorem hac etiam sententia conflabellabat. Deum ama: illi vt placeas, vires, neruosque omnes intende. Tùm ipse, etiam si omnes te Cæli ciues deserant, tuis semper necessitatibus præstò; ac totus aderit.

Quæ adnumerauimus Thienæi facta, ac dicta eximiam illi sanctitatis famam, dùm inter viuos ageret, conciliauerant: confluebantque, vt diximus, viri principes, atque è vulgo passim, qui conuenire, alloqui, figere manibus, aut vestibus oscula, eius sese precibus commendare, inter Dei beneficia computabant. Quippè, vt ad Pontificem Romanæ Rotæ Auditores retulere, testati plerique è Nostratibus sunt, Viri egregiè probi, & Caietano æquales, illum non vulgari quadam virtute celebritatem sibi, nomenque peperisse, verùm ad id perfectionis fastigium inuolasse, vt summæ notæ, ac sanctimoniæ viros adæquasse, aut etiam præteruexisse dici facilè potuerit. At enim, quia rebus omnibus, desiderari cum cœperint, pretium, ac dignitas crescat; statim ac ad pauciores abijt Caietanus, spargi latiùs fama, ac florere pulchriùs à funere virtus cœpit. Enimuerò accurrere confestim omnium ordines ad corpus exanime, magnæ animæ exuuias intimè veneraturi; deosculari certatim pedes, ac manus; subita, publicaque acclamatione Beatum compellare. Plerique, quòd nunquam absque graui Reipublicæ vulnere decedunt boni, funeri illacrymari; satis multi spe patrocinij erecti, eius sese clientelæ committere; fuere, qui confestandæ sanctitati impetrare, ac seponere sibi defuncti reliquias, ac venerari priuata statim religione Virum sanctum cœperint. Neque verò intra Neapolitanam pietatem circumscripta hæc eius opinio fuit. Nam cum primùm per reliquam Italiam excessisse Caietanum manauit tumor, eodem planè sensu, ac pietate laudatissimam virtutem, ac memoriam prosequi; commemorari sanctitatis exempla; pictisque ad venerationem imaginibus tutelam, opemque implorare. Quam sine communem virtutum existimationem, exorata eius mox ope Cæli Numina; promta in mortalium vota patrocinium collata beneficia, edita miracula, adauxere vehementer. Assertum siquidem Cælo Caietanum, abrogatis persæpe naturæ, fatique legibus, domita malorum dæmonum indole, propulsatis populorum calamitatibus, instaurata frequenter membrorum incolumitate, declaratum voluit Deus.

Caietani apud omnes existimatio.

Quæ creuit à funere.

Et à patratis miris.

Hæc porrò miracula, ac largita Caietani meritò mortalibus beneficia enarrare nunc stylus aggreditur, non quidem omnia; tùm quia fastidium legentibus similitudo, & numerus crearent; tùm quia peti ab alijs possunt, qui fusè de Thienæo scripsere: ac satis omninò ducimus, illa hic adnotare; quæ plus habere admirabilitatis videntur; certa quidem fide constantia; quippè iuratis testibus, ac publicis tabulis consi-

Quæ recensentur.

consignata. Ea verò sunt, quæ statim à morte, ac deinceps patrauit; nam quæ viuens adhuc edidit admiranda, suo quæque loco recensuimus. Igitur primo loco apponenda, quibus Romanæ Rotæ iudicium, ac momentum accessit.

Georgio Triultio iam deplorato salus restituitur.

Georgium Triultium, gente, ac virtute iuxta nobilem, eò dierum omninò viginti febris adduxerat; vt defectis iam viribus, quòd sumendo amplius cibo non esset, medicorum iudicio conclamata salus esset. Itaque accersiti ab Olympia Palauicina, ornatissima Coniuge Nostrates, vt supremis iam sacris ritè procuratum, luctantemque extremo spiritu animam, pijs cohortationibus iuuarent. Incumbere illi in eam curam, atque officium; ac simul Olympiam nimis animo consternatam hortari, vt Caietano Virum ex animo commendaret. An non, inquit illa, supremo anhelitu laborantem, ac morti propiorem cernitis? Tùm Patres, fideret nihilominus Thienæi patrocinio, speraretque fore, vt suæ statim saluti eius ope, ac viribus Georgius redderetur. Erecta ad eam spem Patrum cohortatione Olympia, positis illico genibus, conceptoque voto, Viri incolumitatem à Caietano impensiùs efflagitauit. Statim à prece paululum iuris decumbenti propinatum. Sumpsit retinuitque, ac permissa insuper breuis quies: secundùm quam vsque adeò conualuit, vt defunctum iam omni periculo, ac febri comperer[i]nt medici; qui victam momentò morbi pertinaciam, præsertim in profundæ senectutis viro, nonnisi superiore quadam vi factum asseuerantes, miraculum conclamarunt; adaucta mirificè in Thienæum, qui impetrauerat, religione.

Et Helenæ Grittæ, item conclamatæ.

Alterum triumphatæ etiam mortis argumentum id fuit. Helena Gritta, fœmina inter Venetas nobilissima, diù, multùmque cum febri colluctata; tandem victa, supremam vitæ lineam attigit. Aderant nostri homines, qui vt Beatorum Caietani, & Andreæ fidem imploraret, monuere. Paruit illa, & videre statim sibi visa est venerenda quadam specie senem, Caietanus is erat; qui, vt excitaret ad bonam spem animum, iussit. Ergo, cum maximè salutem omnes desperassent, ac Sacramentis expiatę, ac iam iam moriturę illacrymarent; ipsa Thienæi aliquid reliquarum efflagitauit. Allati à Nostratibus Andreæ quidem sacri cineres, Caietani verò imago. Interim factum ad aram; vt ipsa ad impetrandam eius ope incolumitatem, imperauerat. Peracto sacrificio, iterùm sese Thienæo commédauit: statimque redire opes corporis, ac sua membris incolumitas, ac vigor; vt postero die moliri se per domum, nec post multò extra domum cœperit: omnibus, qui ineluctabile malum nouerant, admiratione defixis.

Ab eodem vitæ periculo reuocatur Veronica Zannanina.

Adhuc in mortis confinio immoramur. Mediolani Veronica Zannanina, octuennis puella; innexis vnà morbis periculosiùs conflictata, vehementissima quidem febri, laterum dolore, ac pleuritide simul laborabat: eòque tandem perducta res erat, vt iusa iam artis industria, seuerè omninò medici pronunciauerint. Monita interim Mater, vt ad D. Antonij puellam deferret; sisteretque ante Caietani imaginem, cuius tùm miraculorum celebritate gliscebat mirum in modum religio. Excitata ea spe mulier, exanimem penè filiam sistit Thienæo; conceptaque paululùm prece, adflari, confirmarique fiducia quadam animum sensit, fore, vt filia sanitati restitueretur. Domum reuertitur. Correpta somno Veronica; tùm Matrem compellat; En, inquit, Mater obiecit sese mihi nigra veste senex ille, quem Caietanum vocant; abijtque capite actrectato; quo sane conualuisse mihi videor; pulsat verò me fames, quam sedari peruelim. Refecta cibo, ipsamet suis se manibus induit, atque illicò ad Diui Antonij, persolutura Thienæo, liberatori suo grates, & vota.

Et Franciscus Virga.

Mediolani itidem vrgebat lethalis id genus febris Franciscum Virgam, à suis penè conclamatum. Nuncupato Thienæo voto, pulsari, propellique vi quadam à tergo sensit, vt lecto desiliret. Paruit impulsui, surrexitque, nulla mora, incolumis, ac si nunquam decubuisset.

Sedatur inueterata doloris vis.

Petrum Francum, Venetum, non is quidem morbus diuexabat, vt vasa colligeret; sed diuturna, atque inueterata quadam sinistro in brachio doloris vi, maximè perè, ac totum decennium angebatur; neque vlla poterat medicina excogitari, quæ solueret. Excruciari aliquando plus solito sensit. Eapropter interna quadam religione,

gione, instinctuque ad Diui Nicolai Tolentinatis adijt: ibique ad Caietani imaginem prouolutus, efflagitare impensiùs indolentiam. Nec mora: fedatus decumanus dolor, ac restituta omninò brachio sanitas.

Sequitur miraculorum par, ideò planè nobilissimum, quòd patrari nobiliori in hominis parte, nempè oculis contigit. Vicentiæ Helenæ Thomasellæ, quinquenni puellulæ, dexterum oculum humoris quædam affusio, crustulæ, & crassa item nebula pessimè affecerant; vt certam iam lucis iacturam doleret anxiè mater. At, cùm miraculis inclaresceret in dies Caietanus, ab eo patrocinio petendam filiæ sanitatem sibi persuasit, Ergo si voti compos fieret, geminum ex argento oculum dedicaturam se, vouit ad beneficij monumentum. Postera luce micuit purissimè oculus, dispulsa nimirum, quæ inumbrabat, nebula, crustulisque iussis facessere. Atque ad eundem planè modum reddita Franciscæ Bertæ, Venetæ, oculorum lux fuit. Nam cùm impacta casu vestis oculos vehementiùs afflixisset; suffusoque intimè sanguine, lacrymisque exundantibus, atque obtendente sese nebula, noctesceret iam vultu lumen: implorata Thienæi ope, admissus iterùm dies, ac sanitas. Nec latere potuit beneficium, cui à gemino oculorum sydere lux. Oculi pessime affecti curantur.

Neque minimi momenti est, comitialem fœminam omninò curasse, quod modò annectam. Duodecim haud minùs annorum spatio, sacro eo morbo laborauerat Vienna Musca, Vicentina, ea quidem vi, vt ter intra solidum diem decideret; iaceretque singulis vicibus binas ternasue horas sensibus destituta. Forte è Nostratibus quidam eam inuisit; ac deciduæ mulieris calamitatem ex animo commiseratus, Caietani imaginem obtulit; subindè cohortatus, vt eius sese fidei committeret, imploraretque enixè sanitatem. Non segnis illa: quotidiè se orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam ad Thienæi effigiem recitaturam sanctè pollicetur. Votum excepit illicò salus. Nam cùm ea die, ceu statam inchoasset morbus colluctationem, semel iam decidisset; non ampliùs visa est ad terram affligi: ac profligata omninò vis mali fuit. Id quod nouo posteà miraculo comprobatum. Siquidem cùm post bimestre, quod susceperat votum, persoluere Vienna obliuisceretur; tedijt statim morbus, negligentiæ vindex: abijtque mox iterum, cum obligatam Thienæo fidem liberasset. Quod rursus quatuor post mensibus accidit; cùm segnitie, atque obliuione omninò castigata, facet ille, atque atrox morbus penitùs facessit. Et Comitialis morbus.

Catharina Buranella, Veneta, tres integros annos pertinaci quodam in superiore palati parte vlcere diuexabatur; ac nullo iam medicorum consilio, manuque fracta vis morbi, nares ipsas fœdè corripuerat, eo quidem discruciamento, vt à febri interdum laboraret. Monita Catharina, vt Caietanum imploraret; simulque hius illi effigies tradita, vt vota, precesque ad illam intimè conciperet. Vouit confestim ipsa, si conualesceret, quæsitæ, collatæque gratiæ indicem, tabellam consecratutam. Itaque admota ad corruptum os, ac nares Thienæi imagine, ingenti sese cum fiducia cubitum recepit. Mirum profectò visu fuit. Manè restitutam integrè ori incolumitatem reperit, ac si nulla vnquam lues labefactasset. Et fœdum in ore vlcus.

Dignamerita Catotia, Veneta, tertium, ac decimum iam annum aqua intercute laborabat: & quia fœcunda semper lues, correpta interim eo cruciatu, ac dolore fuit, vt ceu sibi forent comminuta, ac luxata ossa, moliri se, nullo modò poterat. Eo loco cùm res esset, noctu expergefacta, videre sibi visa est clarissimum quoddam, velut admissum è fenestra lumen, cubiculum compleuisse; ac Virum è Clericis Regularibus propter lectum adstare. Prouectum iam diem esse, existimauit Dignamerita; atque inibi Religiosum virum, qui eius audire confessiones consueuerat, adesse, vt inuiseret. Rem verò cùm attentiùs inspiceret, Caietanum esse animaduertit, statimque inclamauit, ò Beate Caietane, ò Caietane sancte. Ad quas ille voces vnà cum circumfusa ea luce euanuit; eodemque temporis momento, veluti salutari quodam sydere afflata, defunctam se aqua intercute, immanique dolore sensit. Et quod admirandum planè fuit, nullo deinceps alio morbi genere mulier laborauit; cum bis, ac ter in singulos annos decumbere periculosè, ac diutiùs soleret. Aqua intercutis facessit Caietani prece fenus.

Iam verò, malis etiam cum genijs conflixit Thienæus, profligauitque. Mediolani Iuliam Grottam miris quidem modis inferni id genus hospitis sæuitia exercebat; Mali genij debellantur.

cumque

cumque ritè compelleretur, vt abiret; respondit in Diui Antonij Templo ad Beati Caietani imaginem, immunem ab iis cruciatibus puellam fore. Ergo eò perducta, ac legitimis, sacrisque imprecationibus exagitatus malus dæmon, tandem Caietani nomine ter appellato, excessit, erupitque relicta penè exanimi puella; id quod suæ profectionis indicium fore, pronunciauerat.

Insigne ab effigie miraculum.

Inter admiranda, quæ Romanæ Rotæ Auditores, ceu ritè expensa, atque comperta narrant, vltimo loco hominem adnumerant, supremo anhelitu laborantem; Est verò huiusmodi. Bartholomæus Triuellinus, qui Venetijs agebat, è lethali morbo morti proximus, accersiri, qui supremo Sacramento animum procuraret, iussit. Adfuit illicò qui administraret; & vt chartaceam Thienæi imaginem super decumbentis lecto inspexit, deosculandam illi tradidit; monuitque, vt ea ter verba pronunciaret: Ora pro me Beate Caietane. His peractis effigiem ad lecti angulum, vt decidere minimè posset, affixit Curio. Efflabat iam iam ille animam, cum visa, quam diximus, imago locum deseruisse, ac in morientis sese facie colocasse. Summæ admirationi res fuit, quòd nullo ministerio, manuque id factum; acceptamque effigiem presbyter expirantis ori admouit exosculandam; qui libato statim osculo ad Numinis amplexus peruolauit.

Mira alia perstringenda.

Hæc sunt, quæ publicis tabulis, actisque grauissima Romanorum Iudicum decreta consignarunt; alia nunc miracula accensenda, quibus etsi ab irrefragabili eo iudicio pondus non accesserit; ea tamen sunt, vt aut iurata in processibus testium fide constent, aut ea quidem auctoritate, famæque constantia comperta, vt nullus relinquatur suspicioni locus. Perstringenda illa porrò, non fusiùs enarranda: atque ea quidem serie, vt prius quæ ad animorum curationem, aut fructum; tùm quæ ad corporum commoda; postremò quæ spectare ad fortunæ bona videntur, delibemus.

Hæreticus, Caietani ope Catholicæ menti restituitur.

Atque ad animorum quidem frugem, quæstumque nescio, an contingere aliquid maius, aut fructuosius potuerit, quàm quod Vicentiæ accidit Caietani ope. Franciscum quendam, quem Fatfatellum nominabant, violatæ fidei Quæsitores, capitis, ceu relapsum, damnauerant; & quod bonos omnes maximopere afficiebat, obfirmauerat adeò in sua sententia animum, vt nulla prorsus argumentorum machinamenta expugnando esset, luderetque doctissimorum hominum operam insigni pertinacia. Inter viros doctos, qui hominis contumacissimi salutem vrgebat, erat ex nostratibus Ioannes Centutella; qui vt frustra conatus omnes esse, aduertit, experiri auxilia, atque opem Cælitum statuit: interpellauitque Caietanum, vt quando is erat Franciscus, qui eandem Valdesii, atque Ochini orbitam anxiùs premeret, quorum ipse olim insanias, atque impetus strenuè fregerat; adesset modò infelicissimi capitis impietati, ac pertinaciæ arietandæ: putare se, haud ardentiore tùm quidem zelo exarsisse, dum ageret inter mortales; quàm arderet nunc caritate, inter meliores transcriptus. Res enimuerò supra fidem hominum visa. Nam haud opus longiore conflictu fuit: cumque de lustralibus Purgatorij flammis, quas ille pernegabat, cœpta dissertatio esset; primo statim ictu dedit hæreticus manus, effususque in lacrymas deprecari de genu, ac intimè errorem cœpit. Nec post multò orthodoxæ pietatis, fideique confessione, sacramentisque Ecclesiæ ritè initiatus, singulari constantia irrogatum supplicium subijt. Planè, quàm difficile est hæreticorum adamas, atque æs triplex circa pectus frangere: tantò putandum est flagrantiore studio huius causam in cælestibus subsellijs perorasse Caietanum; qui cum agitari de fide, ac religione contigit, nunquam non ardentissimus.

Thienæos concordat Tueatus.

Gentem Thienæam affine, cognatumque præsidium experiri par fuit: ac eo quidem affusiore beneficentia, quò propior Caietano. Simultates inter sese quàm grauissimas duo ab ea stirpe viri proceres exercebant, ac totum iam quinquennium implacabile odium tenuerat. Amicorum, ac gentilium, in id animotum fœdus incumbentium monita, obfirmata, ac pertinax vtriusque in eo dissidio mens, excludebat. Cùm præsentem Caietani opem deposcendam quidam ex consanguineis duxit: statimque implorata eius fide, visa repentè ea inimicitiarum flamma subsedisse. Id verò Caietani suffragio factum potissimùm declarauit, tranquillatum tùm maximè discordiarum æstum, cum minimè speraretur: ac illorum alter dicere posteà solitus

litus erat, nil se admirari vehementiùs, quàm subsecutum extemporaneũ illud fœdus.

Illud etiam à domesticis eius Domus fastis petendum. Flaminia Thienæa, in Diui Petri Asceterio, quod celeberrimum Vicentiæ est, sub D. Benedicti disciplina diù vixerat; senectaque iam ætate, ac morbi vi quadam ineluctabili conflictata, supremò decumbebat. Integra quidem pijssimæ Virgini mens erat: verùm ita linguæ vsum interceperat languor, vt expiare in extrema ea vitæ periodo noxas suas minùs posset. Itaque rogare cognatum Numen, quod potentissimum Cælo non dubitabat. Nec mora: instauratum linguæ officium: adnumeratisque expeditè labeculis confessario, non ita post multò summa animi tranquillitate occubuit.

Linguam Flaminiæ Thienææ restituit, vt peccata aperiret.

Contigit verò Syracusis ingens eiusmodi beneficium Ioanni Allegriæ, nostri Ordinis Sacerdoti. Fuit is adeò vehementi, ac præcipiti correptus febri, vt quarto statim die ab humanis excesserit. At pridiè quàm obiret, abalienatus prorsus mente, supremo tantummodò Sacramento initiatus; cæterùm neque expiari confessione, neque muniri ad longè difficillimi certaminis præsidium Eucharistia poterat. Perculit peracerbè ea fratris calamitas Nostrates. Tùm Caietanum, cuius anniuersariam ea luce memoriam exceperant, vt rectam infirmo mentem impetraret, impensiùs orare. Audijt ille suorum vota: ac visus illicò sui compos Ioannes, qui habitis primùm Thienæo gratijs, quòd opportunè adfuisset; vt ea pietatis officia maturarent, monuit: ijsque vix sacris procuratus, prolapsus in eadem morbi deliramenta iterum est; exhalauitque postera die animam, non sine iterato, præsentique sanctissimi Parentis patrocinio: paulò siquidem ante obitum restitutus denuò sensibus fuit, vt piè inter flagrantissimæ caritatis actus, atque exempla virtutum expiraret.

Similique ope Ioanni Allegriæ ex Nostris adest.

Ponam adhuc animorum curationi Caietani manum duæ honesto loco fœminæ, Venetæ, Iuliæ nomine testantur; quarum vni Brixianæ cognomentum erat, alteri Zoæ. Brixiana præferuida quidem indole, ac facilis indignari, temperare impotentiam, ardoremque animi minus poterat; dolebatque eò vel maximè, quòd indigere æquanimitate in prolixiore viri morbo videbatur. Igitur continenti oratione rogare integram hebdomadam Thienæum statuit, vt impetraret. At neque constituram precum periodum absolui passus Caietanus. Nam primo statim die inijci quoddam animo frænum sensit Iulia: adoleuitque patientia, ipsamet vehementiùs nimirùm admirante, tolerantem laborum, atque ærumnarum indolem tacitè, suspensisque adeò vestigijs successisse; litauitque mox auctori gratias, quem Caietanum fuisse deprædicabat. Zoa verò implorata eiusdem Thienæi tutela, idem sibi orandi spatium ad molestissimarum quarumdam cogitationum, quæ mentem magnopere fœdabant, victoriam præscripsit. Beneficij sine vlla mora compos facta. Verùm, quòd posteà promissis non staret; angi, cruentarique ijsdem telis cœpit, donec liberata penitùs fide, redijt suus iterum candor, ac tranquillitas menti: & quòd iterum acceperit, bis quidem Thienææ beneficentiæ obnoxia mulier fuit.

Ardentem fœminæ indolem temperat.

Et cogitationes malas abigit.

Atque id genus animi affectionibus attulisse persæpè opem Caietanum compertum habemus: quo loco non dissimulauerim præclaram, quam inijt rationem monendi, mulctandique virum, cum paucis probum, qui ad perfectionem virtutis via grassabatur. Consueuerat is ad vesperam ante Caietani imaginem explorare animum, exactique diei horas ad examen, libramque reuocare. Ergò noxas attentiùs dum recognosceret; qua die errasse grauiusculè contigisset, auersam mirè imaginem aduertebat; quo & auersari eam noxam, & vindicandam acriùs docere videbatur Thienæus. Rectè magistram vitæ effigiem illam dixeris: quippè labentes diei horas non indicabat modò; sed si quæ nulla fruge, aut segniùs fluxissent, perstringebat, emendabatque.

Auersa imagine culpam monet.

Hactenùs de animorum morbis. Vocant nunc corporis beneficia. Et quidem extinctos ad vitam reuocasse, hoc demum inter miracula maximum, supremumque communi calculo existimatur. Hac porrò laude insignia Caietani merita honestari diuinum Numen voluisse, tabularum fide constat: habeturque in actis Mediolanensibus fusè, quod hic raptim enarrabimus. Anna Camilli Aquauiuæ vxor, lapsum è superiore loco filium, Franciscum nomine, vt vidit, vt accurrit: at nullam in eo corpusculo superfuisse vitæ particulam cum cognouisset, extinctum filium penè

Mortuus ad vitam reuocatur.

secuta

Hostiam pietatem flagrantißimè studebat. Illud hac in re potißimùm de eo narratur; quod incitatißimæ profectò cuiusdam virtutis documentum fuit; ac nescio, an in omni prisci æui religione, zeloque istiusmodi exempla reperies. Perlatum illi fuit, dum Neapoli ageret, Antistitem quendam magni nominis Romæ per plusculos interdum dies ab Ara abstinere. Affecit vehementer Caietanum viri segnities; acrique perurgeri stimulo, ac propelli Romam sensit, vt illum obiurgaret, erigeretque ad præstantißimi operis frequentiam. Nec mora: arripere iter non dubitauit. Antistitem conuenit; vt quotidiè sacrificaret, monuit, impetrauitque. Nec Romæ præter noctem vnam moratus, Neapolim reuertit. An non hoc fuerit, ire, redire in similitudinem fulguris coruscantis? Certè leuißimus quidam è Cælitum numero internuncius potuit Antistiti videri Caietanus. Siquidem adfuisse, abfuisse idem penè fuit.

Neapoli Romam contendit, vt moneret Antistitem, qui rarò sacrificabat.

Iam quòd solennis eius cultus meminimus, quo sacram Eucharistiam exponere mortalium pietati consueuerat Thienæus; par est, vt eius vniuersim diuini cultus studium describamus: quod sanè præcipuum in viro sanctissimo fuit. Certè instaurandæ externæ Numinis religioni visi Parentes nostri Clericorum hunc Ordinem condidisse; vtque exacta rerum diuinarum procuratione facem alijs prætulerint, excitauerintque exemplo suo ad omnem templorum ornatum, nitoremque, ac ceremonias rite obeundas Ecclesiasticos viros, abundè explicauimus supra. Quod ad Thienæum attinet, tangere hæc illum præsertim cura videbatur. Quàm mundissimam sacram Ædem, parietes, pauimenta, ac sacrum maximè instrumentum voluit. Aras ornari decentissimè, ac pereleganter curauit; & qui grauissimis negotijs implicitus persæpè erat, suffurabat interdum sese, ac in ijs sua manu concinnandis, instruendisque accuratam operam ponebat. Mundum hunc, quem magni Numinis Templum esse, eiusque maiestate, ac veneratione impleri, sapientum dictis constat, sua ab ipsomet Numine manu exornatum fuisse syderum auro, ac picturatis florū aulæis conuestitum, nouerat Caietanus; ac proindè Dei ipsius imitamento oppidò decorum putabat, expolire per se templa, Arasque magnificè procurare. Id quod in Nepotiani non vltima posuit laude Hieronymus, quem non adeò grauiores curæ, litteræque distrahebant, quin ipse per se diuinas Aras Numini adornaret; gaudebantque profectò nitere ab sanctissima, atque erudita ea manu templa. In sacri porrò ministerij supellectili non tantùm munditiam, verùm & elegantiam, ac pretium peroptabat; vt paupertatem, quam tantoperè adamabat, extra Dei templa adamasse videretur; quicquid enim gemmarum, aurique, aut attalici syrmatis in Ecclesijs lucet, vt nihil paupertati detrahere, ita adaugere plurimùm populorum reuerentiam, inter sacras eas opes Diuinitatem sibi facilè repræsentantium, existimabat. Planè, qui à sublimi ea Cæli Arce despectat modò nostra Thienæus, gaudere vel maximè putamus, duo hæc sarta, ac tecta in instituta ab se Sodalitate seruari; nempe eandem paupertatem domi, eundemque in sacris Ædibus splendorem: illam quidem supra hominum fidem; hunc supra paupertatem. Atque hac potissimùm ratione persuasum habemus excitasse nos plerosque alios, vt sua item Templa componerent, ac perornarent. Videbant quippè probro dari, eos quidem, quibus nulla domi, forisque res est, Templa tàm magnificè instruere; se verò opulentissimo censu instructos, squalere in Ecclesijs, atque adeò inuexere in Aras religiosissimè opes suas; ita vt in sacris iam plerisque Regularium Ædibus Regum, ac Cæsarum magnificentiam non inuideas. Quam sane laudem inchoauere superiori seculo nostri homines, præcipuè Caietanus.

Sacrorum cultus.

Sua manu Aras concinnabat.

Nepotiani exemplo.

In sacro instrumento elegantia.

Excitati alij Ordines à Nostrarū cultu.

Qui etiam, quòd magnam diuini cultus partem statæ psalmodiæ pensum existimabat, in hanc etiam curam egregiè incubuit, & quàm grauissimè persolui in Odeo voluit, simplici quidem vocis flexu, non cantus modulatione, vt robustiora, ac sanctiora primæuæ Ecclesiæ tempora per integra plurium seculorum interualla consueuere, vt [a] Nicephorus adnotauit. Iam quod Breuiarij Romani emendationem Nostrates susceperint, eamque illis Clemens Septimus prouinciam demandauerit, vt in loco significatum est; non exiguam profectò sacrarum rerum peritiam, totiusque diuini cultus studium probat; declarauit idem Maximus Pontifex, datis ea super

Choro impēsiùs studet Caietanus.

a Hist. lib. 9. cap. 16.

super re litteris, in quibus hæc leguntur potissimùm verba: [Vos religionis, & diuini cultus honore, & feruore succensi.] Quam laudem tangere præcipuè Caietanum, sacrorum apprimè scientissimum, atque ad rem omnem Ecclesiasticam incitatissimum nullus dubitat. Quod verò ad sacrorum ritus, ac ceremonias pertinet, mirum quàm studiosè, ac suo quasque ordine, locoque peragendas sacras functiones curabat. Confluere pijssimi quique ad exactam illam diuinorum administrationem spectandam videbantur. Affici nanque mirificè, atque excitari magnoperè pietatem ab ea ministerij concinnitate, atque elegantia deprædicabant. Planè, qui Clericorum viuendi rationes ad prisci, ac laudatissimi moris disciplinam composuerat, præclarum hoc item Clericorum munus priscæ grauitati, ac decentiæ restituisse visus est. Siquidem non exemplo tantùm, verùm & scriptis etiam sacrorum rituum leges; præceptionesque consignauit. Nam, vt refert Molfesius noster, Ceremoniale Romanum magnam partem cum socijs Caietanus lucubrauit. Quod sacrorum rituum studium transcriptum peregregiè in posteros à primæuo Parente gratulatur nostra Sodalitas. Quippè & sacris ceremonijs dari quàm diligentissimè operam in Ecclesijs nostris videmus; & sancitæ item leges quàm exactissimè eas peragendi à Nostris fuere; edito sacrarum Ceremoniarum libro, verè aureo, ab Andrea Piscara Castaldo, viro è nostro Ordine à multiplici cùm sacra, tùm profana eruditione, à laude prudentiæ, qua sexennali, summoque iure Congregationem vniuersam est moderatus, ab excellentissimarum virtutum complexione, morumque innocentia, communi omnium persuasione, consensuque longè spectatissimo. Probatusque hic porrò ab omni Ecclesiasticorum hominum gradu Ceremoniarum Commentarius vbique gentium fuit; ita vt recudi sæpiùs oportuerit, vt vota, ac testas impleret.

Sacrarũ ceremoniarũ studiosissimus.

Romani Ceremonialis magnam partem cum socijs cõcinnat.

Andreas Piscara Castaldus sacrorum rituum scriptione celebris.

Has verò virtutes omnes, quas in Caietano strictim enarrauimus, prudentia, quæ lux est mentis, atque animorum auriga, eaque singulari, ac propè diuina cumulatas fuisse, non est, cur ostendere fusiùs aggrediamur. Præcipua quidem in ipso hæc virtus fuit; eiusque præstantiam in ea, quam de illius rebus gestis Ioannes Antonius Pratus narrationem conscripsit, testatam voluit in hæc verba: [Vir erat Caietanus summæ prudentiæ, consilijque, ad quem ideo plures confugiebant.] Et in quadam etiam epistola Andreas Auellinus, vir sanctissimus, ait, se à Gualterio Gualanno, quo vsus aliquando est familiariter Caietanus, magna quidem de eius præsertim prudentia audiuisse. Neque profectò vt pulcherrimum, ita difficillimum opus, quale est, nouam in Christiano Orbe religiosorum hominum familiam excitare, suisque munire legibus, ac institutis, aggredi quis potuisset; nisi cui eximia quædam prudentia, atque in agendo solertia inesset. Respublicas quidem, sapienter à Maioribus institutas, moderari, earumque aduigilare felicitati, ac tueri commoda; nisi insigni vi quadam mentis, ac prudentiæ præstare nullus potest. At condere ab stirpe generis, ac suis vndique partibus, numerisque corpus efformare, præclarisque animare institutionibus; longè præstantioris prudentiæ, animique planè sapientissimi est. Maximarum quippè rerum initia nunquam non arduæ adnascuntur; statim difficultates, ad quas eluctandas exerto ingenio, atque egregiæ virtutis solertia opus est. Ergò Christiana, nec vulgari quidem valuisse prudentia Caietanum, argumento id est satis luculento, sapientissimos disciplinarum Auctores imitatum, nouam in Ecclesia Rempublicam, legibus, præceptisque egregiè instructam, fundauisse. Administrare posteà identidem contigit ea indole; vt nullam exacti moderatoris laudem quispiam desideraret. Primas caritati, ac beneuolentiæ partes dabat. Nam etsi quadam subausteræ frontis, orisque grauitate reuerentiam maximè, timoremque incutere suis videretur; descendere nihilominus à sua illa seueritate, ac supercilio, quæsita comitate, ac beneuolentia conabatur: persuasum nanque habebat, amore, quàm metu Religiosorum hominum Coetus meliùs regi; ac reddi quàm leuissimum rectori onus, si subditi ament: docebatque id alios. Nam cum Petrus Fuscarenus, de quo sæpè aliàs, detrectaret Domus præfecturam, & cum Caietano conquereretur, quòd esset suffragatus; Is hæc statim ad illum: [Vis, Petre, onus istud tibi, subditisque leuissimum reddere? Cura, vt ameris cum Deo.]

Eximia in Thienæo prudentia.

Quã robur instituta ab eo Sodalitas.

Quam etiam egregiè administrauit,

Amore præsertim, & comitate

Quid Fuscareno de familiarum rectione dixerit.

Sed neque intuitu consanguineos dignatum, narrauimus, ne lux illa generis, & pompæ, qua venerant, modestiam decoloraret. Qua item sui abiectione perquàm impensè præfecturarum insignia, ac titulos auersabatur: illas autem sic administrabat, vt cùm defungi officio postea contingeret, tanta animi, frontisque alacritate abdicabat, vt ostenderet planè, quo sensu capessiuerat, quaue obiuerat tristitia, despectuque sui munus. Sanè, cum parere, quàm imperare humilitati gratiùs, id etiam prius fuit Caietano, magistratus omnes deprecari, vt ad alterius sese nutus semper componeret. Retinuitque præclarum hoc obsequendi institutum, ac studium ea constantia, vt nunquam vel latum vnguem à Confessarij, siue Præpositi imperio discederet; vt meritò peculiari quodam nomine appellatus aliquando fuerit, [Perpetuò obediens.] Atque in hac obedientiæ laude id etiam est assecutus, vt non vtcumque parere satis illi esset; sed votum insuper erat, vt illa Superior præciperet, quæ magis suæ voluntati aduersarentur. Vt cum Venetijs Neapolim discessurus, non modò socium, nisi ex obedientiæ nutu, manuque noluit; verùm precatus ex animo est, vt illum sibi adiungerent Patres, qui minùs genio, suæque voluntati conformis esset, vt in loco memorauimus. Illud verò egregium humilitatis documentum, abiectissima quæque officia, cum maximè præesset, obire: atque in euerrenda domo, aut Ecclesia, in linteis perpurgandis, vehendisque oneribus primum esse. Cum infirmis nescias, maior ne caritas, an humilitas esset: ijs nanque non modò assiduò adesse, ac morbis demulcendis adhibere tempestiuiùs verborum solatia; verum & viliora aggredi ministeria, & quæ fœdissima visu erant, attrectare, curare, singulari quadam despectione sui videbatur. Iam, aliorum virtutem permagni æstimare, sua contemptim habere, quæ humilitatis est indoles, Caietano solenne erat. Ac sui quidem ea omninò erat existimatio, vt indignum se Dei administrum reputaret; ac erubescere, pulsarique suamet conscientia videretur, quoties sacerdotem se meminisset. Quapropter cum anniuersaria ea dies affulgeret, qua sacerdotio fuerat initiatus, dicere solitus erat; [Hac luce insignem illam admisi ambitionis, ac superbiæ noxam.]; Vitio scilicet vertens, quòd honestari se eo gradu passus fuerit. Quò item spectat, quòd cùm sacerdotes alios peruetusto Domini titulo appellaret, simplici quidem nomenclatione consignaret vt plurimùm nomen suum, indignumque se præsigni ea ordinis nota censeret. Hæc porrò sui demissio in ipso corporis, orisque habitu nimiùm quantùm elucebat. Eadem quippè, quæ affectus, facultatesque animæ omnes internè humilitas moderabatur, externam etiam disciplinam egregiè temperabat. Oculi siquidem humi defixi vagari, ac spargi nunquam visi. Vox illi submissior; incessus, gestusque omnis ad modestiæ regulam compositi; vestis præterea vilior: externus denique cultus is erat, vt qui in Caietanum incideret, ipsum intueri humilitatis imaginem putaret: vsque adeò humilis, & erat, & videbatur, internæ, externæque humilitatis concentu. Quam quidem celebrioris notæ virtutem in vltima ipsa vitæ linea mirificè intendisse scimus, cum quoius se humanitatis officio indignum putans, nullum curando impensiùs corpori adhiberi studium voluit, vti diximus. Cumque plura supremo eo spiritu moneret suos, tùm humilitatem in primis commendauit; eamque pronunciauit sententiam verè auream. [Anima nostra æternæ felicitatis, ab dulcissimo Redemptore sibi promeritæ, cupida, eò eniti velociore gradu in sublime videbitur, expedita hoc corpore, quò descenderit profundiùs, dum vixerit.] Quod accidisse ipsi Caietano, pro comperto habemus, sedetque modò superiore planè loco in eorum Diuorum Concilio, gloria circumfusus, quem sui contemptus infra mortales omnes posuit, dum viueret.

Et Præfecturas.

Obedientiæ studiosissim.

Appellaturque perpetuò obediens.

Vilia obit munera vel Præpositus.

In infirmorũ ministerio humilitas.

Indignum se sacrorum ordinum dignitate reputabat.

In ipsa externa specie humilitas.

Quam maximè præcipuè commendauit.

Atque hæc quidem de interna Caietani virtute; hæc eius animi imago, ac forma: quam si adhuc delineari compendio, ac breuiore veluti in tabula cupis, vt vno videlicet intuitu totam illicò percurras, habeasque seu prolixioris sanctitatis breuiarium; describi strictiùs magna indoles, & contrahi in angustum illa virtutum maiestas, sic poterit. Caietanus Thienæus genere prænobilis fuit, sed quod preclara morum luce inumbrauit. Animam sortitus bonam, adultam sanctitatem auspicatus ab incunabulis. Mens illi supra omnem rerum humanarum illecebram, aut vigem.

Caietani lcõ virtutum lineamẽtis expressa.

Nulla honorum appellatio, ac lux animum perstrinxit. Infulas abdicauit, quas demiserat prius ad abiectissima quæque in Xenodochijs opera, ac pietatis officia. Visus pormagni opes fecisse, quia in pauperes erogabat: cæterum eximius earum contemptor fuit. Paupertatem non nisi summè asperam adamauit, vouitque. Nullo niti censu, aut precaria stipe, sed Numinis dumtaxat liberalitate voluit; magnæ prouidentiæ assertor, ac miraculum. Paupertati respondere adamussim omnia. Cura, aut cultus corporis nullus; exigua, ac vili annona, breui somno, assiduis rigoribus, flagrisque seipsum mulctabat vir innocentissimus. Nulla porrò cum alijs seueritas, quòd totam effunderet in seipsum: nil quippè odisse implacabiliùs videbatur, quàm corpus suum, quod assiduo penè labore exanimabat; reparabantque mox vires, non otia, sed vigiliæ, & nouus labor. Labentis æui mores sua, ac suorum disciplina vindicauit, emendauitque; instaurata prisca religione, ac viuendi forma. Orationi intentissimus. Plures interdum iunctæ continuandis precibus auroræ non defatigabant. Commentandis diuinis vmbra, ac secessu nil gratius; iuuandis mortalibus sole, ac puluere nil dulcius. Gemina quippè depascebat medullas flamma; proximorum videlicet, ac Dei amor. Nec se se vtrique dispensare ex æquo videbatur; sed totus hærere Deo, totus in procurationem animorum incumbere; pectore nimirùm Numinis, terrarumque longè capacissimo, vt quod vtraque caritas certatim dilatabat. Aliorum noxas, ceu suas fletu vberrimo deplorabat; nec semper amaræ illi lacrymæ; nam superna persępè dulcedine delibuto, fluere ex oculis deliciæ videbantur in lacrymas. In egenos oppidò liberalis, vel cum summa ipse egestate premeretur. Leuandis aliorum calamitatibus piè disertus, verbis alioqui parcissimus. In communi commodo procurando eximiè prudens, priuatæ prorsùs rei negligens. Illibatus illi animi candor, & flos: ingenuitas, mansuetudo, modestia, grauitas, cumulatissima. Denique in tanto decorum, ac cælestium munerum splendore singularis illi humilitas: ceu molès illa virtutum acclinaret humi præclarum animum. Absolutissima hæc porrò sanctimoniæ, magnæque mentis effigies, quam hactenus descripsimus, incurrebat statim in oculos intuentium Caietanum; elucebat quippè tota in vultu, externoque corporis habitu. Cuius etiam hìc lineamenta accuratè ducere, non abs re puto, erit; vt vtrumque hominem stylus repræsentet. Ergo, ex Erasmi Danesij, quem supra laudauimus, narratione Caietani imaginem, Antonij Caraccioli calamo expictam, sic accipe. Statura erat mediocri, neque pusilla, neque procera: vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulùm macie extenuato; genis nonnihil rubentibus. Oculis, atque ore suauitatem, benignitatemque spirabat: barba attonsa; & canescente: comam vsque ad extremas aures promittebat, vt eorum temporum mos erat.

Externa eius corporis imago.

Iam verò, antequàm gliscentem post obitum sanctissimi Viri famam, collatis nimirum in genus humanum beneficijs, narremus; adnotare hìc opportunè quasdam eius sententias, est animus; quas cùm Antonium Carraciolum, tùm Ioannem Baptistam Castaldum accuratè collegisse pretium fuit; vt cùm pleræque earum non exiguo quidem cum virtutis detrimento exciderint, superessent mortalium incitamento hæ paucæ. Sanctorùm videlicet facta, iuxta & verba faces sunt, quibus incitari mirificè pectora ad pietatis cursum, ac laudem contingit: Et quamuis valentiora omninò exempla sint: tamen nescio quæ sermoni inest vis ignea, præsertim cum pronunciatio accedit, & ipse dicendi ardor, quo sanè excelluisse Caietanum scimus; vt in priuatis cohortationibus triumphare pressa, atque efficax eius facundia videretur; ac singulari quodam dictionis arbitrio animum in quam ipse partem vellet, propellere. Quamuis autem laudati modò Auctores has sententias conscripserint, recensere nihilominùs hìc illas ideo placuit, ne quid in hoc commentario de sanctissimo Parente nostro desideret lector. Hæ verò sunt.

Quędam Caietani sententiæ recensentur.

Sanctorum dicta vim habent.

I Diuinam Eucharistiam non esse sumendam, vt Christus se se in nos commutet, sed vt nos in seipsum: hoc est, non eo scopo communicandum, vt Christus nostram faciat voluntatem; sed vt nos eius voluntatem sequamur, atque exequamur.

II Mundi delicias, & voluptates non esse aliud, nisi dæmonum præstigia, quibus ho-

bus homines, à se excantatos, non replet, aut nutrit, sed inflat solummodo: Deum autem solum habere in sua potestate veras ac solidas voluptates, quæ scilicet verè satient, & expleant humana corda.

III Comitem Oppidanum famulis suis crebiuscule, & ob leues causas, vt morosi senes faciunt, irascentem, his aliquandò repressit. Dic mihi, quæso, Comes, Es ne tu adeò promptè Deo obediens, quemadmodùm tibi homini ab hominibus vis obediri?

IV Bartholomæo Scayno sibi alioquin amicissimo, roganti, vt filio suo, quem iudicem fieri cupiebat, apud quendam procerem faueret, liberè respondit, Vt iudices populis dentur, quibus iustitia per eos administretur, id quidem bonum est. At Religiosos viros immiscere se curis secularibus, & procurare, vt quisque iudex eligatur, id verò non est bonum.

V Elisabethæ Thienææ, fratris filiæ scripsit; Non secus homini Patriæ suæ, quæ Cælum est, oblito, accidere; ac Viatori, qui in Caupona sese inebriet, & vino madidus, viam, quæ ad Patriam ducit, reperire non possit.

VI Cùm excitare rerum humanarum, suique contemptum vellet, hæc pronunciare potissimum solitus erat. Gemere sub hac graui sarcina mortalitatis omnibus contingit. At quamuis vna, eademque viuentes omnes calamitas, ac lues tangat; ijs nihilominus miseriarum seges felicior prouenit, quibus carior est vita; & qui pluris æstimant, plus dolent.

VII Dei amorem hac etiam sententia conflabellabat. Deum ama: illi vt placeas, vires, neruosque omnes intende. Tùm ipse, etiam si omnes te Cæli ciues deserant, tuis semper necessitatibus præstò, ac totus aderit.

Quæ adnumerauimus Thienæi facta, ac dicta eximiam illi sanctitatis famam, dùm inter viuos ageret, conciliauerant: confluebantque, vt diximus, viri principes, atque è vulgo passim, qui conuenire, alloqui, figere manibus, aut vestibus oscula, eius sese precibus commendare, inter Dei beneficia computabant. Quippè, vt ad Pontificem Romanæ Rotæ Auditores retulere, testati plerique è Nostratibus sunt, Viri egregiè probi, & Caietano æquales, illum non vulgari quadam virtute celebritatem sibi, nomenque peperisse, verùm ad id perfectionis fastigium inuolasse, vt summæ notæ, ac sanctimoniæ viros adæquasse, aut etiam præteruexisse dici facilè potuerit. At enim, quia rebus omnibus, desiderari cum cœperint, pretium, ac dignitas crescat; statim ac ad pauciores abijt Caietanus, spargi latiùs fama, ac florere pulchriùs à funere virtus cœpit. Enimuerò accurrere confestim omnium ordines ad corpus exanime, magnæ animæ exuuias intimè veneraturi; deosculari certatim pedes, ac manus; subita, publicaque acclamatione Beatum compellare. Plerique, quòd nunquam absque graui Reipublicæ vulnere decedunt boni, funeri illacrymari; satis multi spe patrocinij erecti, eius sese clientelæ committere; fuere, qui contestandæ sanctitati impetrare, ac seponere sibi defuncti reliquias, ac venerari priuata statim religione Virum sanctum cœperint. Neque verò intra Neapolitanam pietatem circumscripta hæc eius opinio fuit. Nam cum primùm per reliquam Italiam excessisse Caietanum manauit rumor, eodem planè sensu, ac pietate laudatissimam virtutem, ac memoriam prosequi; commemorati sanctitatis exempla; pictisque ad venerationem imaginibus tutelam, opemque implorare. Quam sanè communem virtutum existimationem, exorata eius mox ope Cæli Numina, pronum in mortalium vota patrocinium collata beneficia, edita miracula, adauxere vehementer. Assertum siquidem Cælo Caietanum, abrogatis persæpe naturæ, fatique legibus, domita malorum dæmonum indole, propulsatis populorum calamitatibus, instaurata frequenter membrorum incolumitate, declaratum voluit Deus.

Caietani apud omnes existimatio.

Quæ creuit à funere.

Et à patratis miris,

Hæc porrò miracula, ac largita Caietani meritò mortalibus beneficia enarrare nunc stylus aggreditur, non quidem omnia; tùm quia fastidium legentibus similitudo, & numerus crearent; tùm quia peti ab alijs possunt, qui fusè de Thienæo scripsere: ac satis omninò ducimus, illa hic adnotare; quæ plus habere admirabilitatis videntur; certa quidem fide constantia, quippè iuratis testibus, ac publicis tabulis consi-

Quæ recensentur.

consignata. Ea verò sunt, quæ statim à morte, ac deinceps patravit; nam quæ viuens adhuc edidit admiranda, suo quæque loco recensuimus. Igitur primo loco apponenda, quibus Romanæ Rotæ iudicium, ac momentum accessit.

Georgio Triultio iam deplorato salus restituitur.

Georgium Triuultium, gente, ac virtute iuxta nobilem, eò dierum omnino viginti febris adduxerat; vt defectis iam viribus, quòd sumendo amplius cibo non esset, medicorum iudicio conclamata salus esset. Itaque accersiti ab Olympia Palauicina, ornatissima Coniuge Nostrates, vt supremis iam sacris ritè procuratum, luctantemque extremo spiritu animam, pijs cohortationibus iuuarent. Incumbere illi in eam curam, atque officium; ac simul Olympiam nimis animo consternatam hortari, vt Caietano Virum ex animo commendaret. An non, inquit illa, supremo anhelitu laborantem, ac morti propiorem cernitis? Tùm Patres, sideret nihilominus Thienæi patrocinio, speraretque fore, vt suæ statim saluti eius ope, ac viribus Georgius redderetur. Erecta ad eam spem Patrum cohortatione Olympia, positis illico genibus, conceptoque voto, Viri incolumitatem à Caietano impensiùs efflagitauit. Statim à prece paululum iuris decumbenti propinatum. Sumpsit retinuitque, ac permissa insuper breuis quies: secundùm quam vsque adeò conualuit, vt defunctum iam omni periculo, ac febri comperierint medici; qui victam momentò morbi pertinaciam, præsertim in profundæ senectutis viro, nonnisi superiore quadam vi factum asseuerantes, miraculum conclamarunt; adaucta mirificè in Thienæum, qui impetrauerat, religione.

Et Helenæ Grittæ, item conclamatæ.

Alterum triumphatæ etiam mortis argumentum id fuit. Helena Gritta, fœmina inter Venetas nobilissima, diù, multùmque cum febri colluctata; tandem victa, supremam vitæ lineam attigit. Aderant nostri homines, qui vt Beatorum Caietani, & Andreæ fidem imploraret, monuere. Paruit illa, & videre statim sibi visa est venerenda quadam specie senem. Caietanus is erat; qui, vt excitaret ad bonam spem animum, iussit. Ergo, cum maximè salutem omnes desperassent, ac Sacramentis expiatę, ac iam iam moriturę illacrymarent; ipsa Thienæi aliquid reliquarum efflagitauit. Allati à Nostratibus Andreæ quidem sacri cineres, Caietani verò imago. Interim factum ad aram; vt ipsa ad impetrandam eius ope incolumitatem, imperauerat. Peracto sacrificio, iterùm sese Thienæo commedauit: statimque rediere opes corporis, ac sua membris incolumitas, ac vigor; vt postero die moliri se per domum, nec post multò extra domum cœperit: omnibus, qui ineluctabile malum nouerant, admiratione defixis.

Ab eodem vitæ periculo reuocatur Veronica Zannanina.

Adhuc in mortis confinio immoramur. Mediolani Veronica Zannanina, octuennis puella; innexis vnà morbis periculosiùs conflictata, vehementissima quidem febri, laterum dolore, ac pleuritide simul laborabat: eòque tandem perducta res erat, vt lusa iam artis industria, seuerè omninò medici pronunclauerint. Monita interim Mater, vt ad D. Antonij puellam deferret; sisteretque ante Caietani imaginem, cuius tùm miraculorum celebritate gliscebat mirum in modum religio. Excitata ea spe mulier, exanimem penè filiam sistit Thienæo; conceptaque paululùm prece, adflari, confirmarique fiducia quadam animum sensit, fore, vt filia sanitati restitueretur. Domum reuertitur. Correpta somno Veronica; tùm Matrem compellat; En, inquit, Mater obiecit sese mihi nigra veste senex ille, quem Caietanum vocant; abijtque capite attrectato; quo sane conualuisse mihi videor; pulsat verò me fames, quam sedari peruelim. Refecta cibo, ipsamet suis se manibus induit, atque illicò ad Diui Antonij, persolutura Thienæo, liberatori suo, grates, & vota.

Et Franciscum Virga.

Mediolani itidem vrgebat lethalis id genus febris Franciscum Virgam, à suis penè conclamatum. Nuncupato Thienæo voto, pulsari, propellique vi quadam à tergo sensit, vt lecto desiliret. Paruit impulsui, surrexitque, nulla mora, incolumis, ac si nunquam decubuisset.

Sedatur inueterata dolor in vna.

Petrum Franeum, Venetum, non is quidem morbus diuexabat, vt vasa colligeret; sed diuturna, atque inueterata quadam sinistro in brachio doloris vi, maximopere, ac totum decennium angebatur; neque vlla poterat medicina excogitari, quæ solueret. Excruciari aliquando plus solito sensit. Eapropter interna quadam religione,

gione, instinctuque ad Diui Nicolai Tolentinatis adijt: ibique ad Caietani imaginem prouolutus, efflagitare impensiùs indolentiam. Nec mora: sedatus decumanus dolor, ac restituta omninò brachio sanitas.

Oculi pessimè affecti curantur.

Sequitur miraculorum par, ideò planè nobilissimum, quòd patrari nobiliori in hominis parte, nempè oculis contigit. Vicentiæ Helenæ Thomasellæ, quinquenni puellulæ, dexterum oculum humoris quædam affusio, crustulæ, & crassa item nebula pessimè affecerant; vt certam iam lucis iacturam doleret anxiè mater. At, cùm miraculis inclaresceret in dies Caietanus, ab eo patrocinio petendam filiæ sanitatem sibi persuasit. Ergo si voti compos fieret, geminum ex argento oculum dedicaturam se, vouit ad beneficij monumentum. Postera luce micuit purissimè oculus, dispulsa nimirum, quæ inumbrabat, nebula, crustulisque iussis facessere. Atque ad eundem planè modum reddita Franciscæ Bettæ, Venetæ, oculorum lux fuit. Nam cùm impacta casu vestis oculos vehementiùs affixisset; suffusoque intimè sanguine, lacrymisque exundantibus, atque obtendente sese nebula, noctesceret iam vultu lumen: implorata Thienæi ope, admissus iterùm dies, ac sanitas. Nec latere potuit beneficium, cui à gemino oculorum sydere lux.

Et Comitialis morbus.

Neque minimi momenti est, comitialem fœminam omninò curasse, quod modò annectam. Duodecim haud minùs annorum spatio, sacro eo morbo laborauerat Vienna Musca, Vicentina, ea quidem vi, vt ter intra solidum diem decideret, iaceretque singulis vicibus binas ternasue horas sensibus destituta. Fortè è Nostratibus quidam eam inuisit; ac deciduæ mulieris calamitatem ex animo commiseratus, Caietani imaginem obtulit; subindè cohortatus, vt eius sese fidei committeret, imploraretque enixè sanitatem. Non segnis illa: quotidiè se orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam ad Thienæi effigiem recitaturam sanctè pollicetur. Votum excepit illicò salus. Nam cùm ea die, ceu statam inchoasset morbus colluctationem, semel iam decidisset; non ampliùs visa est ad terram affligi: ac profligata omninò vis mali fuit. Id quod nouo postea miraculo comprobatum. Siquidem cùm post bimestre, quod susceperat votum, persoluere Vienna oblíuisceretur; redijt statim morbus, negligentiæ vindex: abijtque mox iterum, cum obligatam Thienæo fidem liberasset. Quod rursus quatuor post mensibus accidit; cùm segnitie, atque obliuione omninò castigata, sacer ille, atque atrox morbus penitùs facessit.

Et fœdum in ore vlcus.

Catharina Buranella, Veneta, tres integros annos pertinaci quodam in superiore palati parte vlcere diuexabatur; ac nullo iam medicorum consilio, manuque fracta vis morbi, nares ipsas fœdè corripuerat, eo quidem discruciamento, vt à febri interdum laboraret. Monita Catharina, vt Caietanum imploraret; simulque huius illi effigies tradita, vt vota, precesque ad illam intimè conciperet. Vouit confestim ipsa, si conualesceret, quæsitæ, collatæque gratiæ indicem, tabellam consecraturam. Itaque admota ad corruptum os, ac nares Thienæi imagine, ingenti sese cum fiducia cubitum recepit. Mirum profectò visu fuit. Manè restitutam integrè ori incolumitatem reperit, ac si nulla vnquam lues labefactasset.

Aqua intercutis facessit Caietani præsentia.

Dignamerita Catotia, Veneta, tertium, ac decimum iam annum aqua intercute laborabat: & quia fœcunda semper lues, correpta interim eo cruciatu, ac dolore fuit, vt ceu sibi forent comminuta, ac luxata ossa, moliri se, nullo modò poterat. Eo loco cùm res esset, noctu expergefacta, videre sibi visa est clarissimum quoddam, velut admissum è fenestra lumen, cubiculum compleuisse; ac Virum è Clericis Regularibus propter lectum adstare. Prouectum iam diem esse, existimauit Dignamerita, atque inibi Religiosum virum, qui eius audire confessiones consueuerat, adesse, vt inuiseret. Rem verò cùm attentiùs inspiceret, Caietanum esse animaduertit: statimque inclamauit, ò Beate Caietane, ò Caietane sancte. Ad quas ille voces vnà cum circumfusa ea luce euanuit; eodemque temporis momento, veluti salutari quodam sydere afflata, defunctam se aqua intercute, immanique dolore sensit. Et quod admirandum planè fuit, nullo deinceps alio morbi genere mulier laborauit; cum bis, ac ter in singulos annos decumbere periculosè, ac diutiùs soleret.

Mali genij debellantur.

Iam verò, malis etiam cum genijs conflixit Thienæus, profligauitque. Mediolani Iuliam Grottam miris quidem modis inferni id genus hospitis sæuitia exercebat: cumque

cumque ritè compelleretur, vt abiret; respondit in Diui Antonij Templo ad Beati Caietani imaginem, immunem ab ijs cruciatibus puellam fore. Ergo eò perducta, ac legitimis, sacrisque imprecationibus exagitatus malus dæmon, tandem Caietani nomine ter appellato, excessit, erupitque relicta penè exanimi puella; id quod suæ profectionis indicium fore, pronunciauerat.

Inter admiranda, quæ Romanæ Rotæ Auditores, ceu ritè expensa, atque comperta narrant, vltimo loco hominem adnumerant, supremo anhelitu laborantem. Est verò huiusmodi. Bartholomæus Triuellinus, qui Venetijs agebat, è lethali morbo morti proximus, accersiri, qui supremo Sacramento animum procuraret, iussit. Adfuit ilicò qui administraret; & vt chartaceam Thienæi imaginem super decumbentis lecto inspexit, deosculandam illi tradidit; monuitque, vt ea ter verba pronunciaret: Ora pro me Beate Caietane. His peractis effigiem ad lecti angulum, vt decidere minimè posset, affixit Curio. Efflabat iam iam ille animam, cum visa, quam diximus, imago locum deseruisse, ac in morientis sese facie colocasse. Summæ admirationi res fuit, quòd nullo ministerio, manuque id factum; acceptamque effigiem presbyter expirantis ori admouit exosculandam; qui libato statim osculo ad Numinis amplexus peruolauit.

Insigne ab effigie miraculum.

Hæc sunt, quæ publicis tabulis, actisque grauissima Romanorum Iudicum decreta consignarunt; alia nunc miracula accensenda, quibus etsi ab irrefragabili eo iudicio pondus non accesserit; ea tamen sunt, vt aut iurata in processibus testium fide constent, aut ea quidem auctoritate, famæque constantia comperta, vt nullus reliqu atur suspicioni locus. Perstringenda illa porrò, non fusiùs enatranda; atque ea quidem serie, vt prius quæ ad animorum curationem, aut fructum; tùm quæ ad corporum commoda; postremò quæ spectare ad fortunæ bona videntur, delibemus.

Mira alia perstringenda.

Atque ad animorum quidem frugem, quæstumque nescio, an contingere aliquid maius, aut fructuosius, potuerit, quàm quod Vicentiæ accidit Caietani ope. Franciscum quendam, quem Farfatellum nominabant, violatæ fidei Quæsitores, capitis, ceu relapsum, damnauerant: & quod bonos omnes maximopere afficiebat, obfirmauerat adeò in sua sententia animum, vt nulla prorsus argumentorum machinamenta expugnando esset, luderetque doctissimorum hominum operam insigni pertinacia. Inter viros doctos, qui hominis contumacissimi salutem vrgebat, erat ex nostratibus Ioannes Centurella; qui vt frustra conatus omnes esse, aduertit, expetiri auxilia, atque opem Cælitum statuit: interpellauitque Caietanum, vt quando is erat Franciscus, qui eandem Valdesij, atque Ochini orbitam anxiùs premeret, quorum ipse olim insanias, atque impetus strenuè fregerat; adesset modò infelicissimi capitis impietati, ac pertinaciæ arietandæ: putare se, haud ardentiore tùm quidem zelo exarsisse, dum ageret inter mortales; quàm ardeter nunc caritate, inter meliores transcriptus. Res enimuerò supra fidem hominum visa. Nam haud opus longiore conflictu fuit: cumque de lustralibus Purgatorij flammis, quas ille pernegabat, cœpta dissertatio esset; primo statim ictu dedit hæreticus manus, effususque in lacrymas deprecari de genu, ac intimè errorem cœpit. Nec post multò orthodoxæ pietatis, fideique confessione, sacramentisque Ecclesiæ ritè initiatus, singulari constantia irrogatum supplicium subijt. Planè, quàm difficile est hæreticorum adamas, atque æs triplex circa pectus frangere; tantò putandum est flagrantiore studio huius causam in cælestibus subsellijs perorasse Caietanum; qui cum agitari de fide, ac religione contigit, nunquam non ardentissimus.

Hæreticus Caietani ope Catholicæ menti restituitur.

Gentem Thienæam affine, cognatumque præsidium experiri par fuit: ac eo quidem affusiore beneficentia, quò propior Caietano. Simultates inter sese quàm grauissimas duo ab ea stirpe viri proceres exercebant, ac totum iam quinquennium implacabile odium tenuerat. Amicorum, ac gentilium, in id animorum fœdus incumbentium monita, obfirmata, ac pertinax vtriusque in eo dissidio mens, excludebat. Cùm præsentem Caietani opem deposcendam quidam ex consanguineis duxit: statimque implorata eius fide, visa repentè ea inimicitiarum flamma subsedisse. Id verò Caietani suffragio factum potissimùm declarauit, tranquillatum tùm maximè discordiarum æstum, cum minimè speraretur: ac illorum alter dicere posteà solitus

Thienæos concordat Thienæus.

litus erat, nil se admirari vehementiùs, quàm subsecutum extemporaneũ illud fœdus.

Illud etiam à domesticis eius Domus fastis petendum. Flaminia Thienæa, in Diui Petri Asceterio, quod celeberrimum Vicentiæ est, sub D. Benedicti disciplina diù vixerat; senectaque iam ætate, ac morbi vi quadam ineluctabili conflictata, supremò decumbebat. Integra quidem pijssimæ Virgini mens erat: verùm ita linguæ vsum interceperat languor, vt expiare in extrema ea vitæ periodo noxas suas minùs posset. Itaque rogare cognatum Numen, quod potentißimum Cælo non dubitabat. Nec mora: instaurarum linguæ officium: adnumeratisque expeditè labeculis confessario, non ita post multò summa animi tranquillitate occubuit.

Linguam Flaminiæ Thienææ restituit, vt peccata aperiret.

Contigit verò Syracusis ingens eiusmodi beneficium Ioanni Allegriæ, nostri Ordinis Sacerdoti. Fuit is adeò vehementi, ac præcipiti correptus febri, vt quarto statim die ab humanis excesserit. At pridiè quàm obiret, abalienatus prorsus mente, supremo tantummodò Sacramento initiatus; cæterùm neque expiari confessione, neque muniri ad longè difficillimi certaminis præsidium Eucharistia poterat. Perculit peracerbè ea fratris calamitas Nostrates. Tùm Caietanum, cuius anniuersariam ea luce memoriam exceperant, vt rectam infirmo mentem impetraret, impensiùs orare. Audijt ille suorum vota: ac visus illicò sui compos Ioannes, qui habitis primùm Thienæo gratijs, quòd opportunè adfuisset; vt ea pietatis officia maturarent, monuit; ijsque vix sacris procuratus, prolapsus in eadem morbi deliramenta iterum est; exhalauitque postera die animam, non sine iterato, præsentique sanctißimi Parentis patrocinio: paulò siquidem ante obitum restitutus denuò sensibus fuit, vt piè inter flagrantißimæ caritatis actus, atque exempla virtutum expiraret.

Simileque ope Ioanni Allegriæ ex Nostris adest.

Pronam adhuc animorum curationi Caietani manum duæ honesto loco fœminæ, Venetæ, Iuliæ nomine testantur; quarum vni Brixianæ cognomentum erat, alteri Zoæ. Brixiana præferuida quidem indole, ac facilis indignari, temperare impotentiam, ardoremque animi minus poterat; dolebatque eò vel maximè, quòd indigere æquanimitate in prolixiore viri morbo videbatur. Igitur continenti oratione rogare integram hebdomadam Thienæum statuit, vt impetraret. At neque constitutam precum periodum absolui passus Caietanus. Nam primo statim die injici quoddam animo frænum sensit Iulia: adoleuitque patientia, ipsamet vehementiùs nimirùm admirante, tolerantem laborum, atque ærumnarum indolem tacitè, suspensisque adeò vestigijs successisse: litauitque mox auctori gratias, quem Caietanum fuisse deprædicabat. Zoa verò implorata eiusdem Thienæi tutela, idem sibi orandi spatium ad molestißimarum quarumdam cogitationum, quæ mentem magnopere fœdabant, victoriam præscripsit. Beneficij sine vlla mora compos facta. Verùm, quòd posteà promissis non staret; angi, cruentarique ijsdem telis cœpit, donec liberata penitùs fide, redijt suus iterum candor, ac tranquillitas menti: & quòd iterum acceperit, bis quidem Thienææ beneficentiæ obnoxia mulier fuit.

Ardentem fœminæ indolem temperat.

Et cogitationes malas abigit.

Atque id genus animi affectionibus attulisse persæpè opem Caietanum compertum habemus: quo loco non dißimulauerim præclaram, quam inijt rationem monendi, mulctandique virum, cum paucis probum, qui ad perfectionem virtutis via grassabatur. Consueuerat is ad vesperam ante Caietani imaginem explorare animum, exactique diei horas ad examen, libramque reuocare. Ergò noxas attentiùs dum recognosceret; qua die crassè grauiusculè contigisset, auersam mirè imaginem aduertebat; quo & auersari eam noxam, & vindicandam seriùs docere videbatur Thienæus. Rectè magistram vitæ effigiem illam dixeris: quippè labentes diei horas non indicabat modò; sed si quæ nulla fruge, aut segniùs fluxissent, perstringebat, emendabatque.

Auersa imagine culpam monet.

Hactenùs de animorum morbis. Vocant nunc corporis beneficia. Et quidem extinctos ad vitam reuocasse, hoc demum inter miracula maximum, supremumque communi calculo existimatur. Hac porrò laude insignia Caietani merita honestari diuinum Numen voluisse, tabularum fide constat: habeturque in actis Mediolanensibus fusè, quod hic raptim enarrabimus. Anna Camilli Aquauiuæ vxor, lapsum è superiore loco filium, Franciscum nomine, vt vidit, vt accurrit: at nullam in eo corpusculo superfuisse vitæ particulam cum cognouisset, extinctum filium penè

Mortuus ad vitam reuocatur.

secuta

secuta ipsa est exhausta ingenti vulnere doloris. Vt verò se se paullisper collegit, sperare nescio quid animus iussit, superiore certè instinctu erecta. Cumque iam Caietani, eiusque patrocinij fama euulgatis vndique beneficijs percrebuisset, commendare sanctissimi viri pietati filium statuit. Ergo post pluscula ab eius obitu horas, Caietano in D. Antonij Templo illum sistit, obfirmauitque strenuè animum, non indè se recessuram, nisi impetrata postliminò puero lucis vsura. Vix illa ardentiores eas preces concepit, cùm aperire, ac versare oculos puer, recepto nimirùm spiritu, ac vita. Abijtque domum mater incolumi sobole, compertam Caietani opem continenti gratiarum actione compensatura.

Parientibus adest salutaris, Tùm Mediolani,

Iam cùm proximæ fato sint, quæ difficili puerperio vtuntur; quæcumque ereptæ ab eo discrimine sunt, censeri profectò inter reportata de ipsa morte trophæa poterunt. Narrantur planè de Thienæo istiusmodi victoriæ non paucæ. Mediolani bis in ea patiendi difficultate compellatus, bis adfuit salutaris: & Angela quidem honesto loco fœmina, vix nuncupatum à viro votum fuit, cùm & sua, & sobolis incolumitate peperit. Susanna verò Castillionia præstantiore quadam ope non modò ab ingentibus se cruciatibus liberari, suscepto voto sensit; verùm & enixa felicissimè fœtum est, lectoque statim desilijt, ea virium firmitate, ac si nunquam peperisset.

Tùm Vicentiæ difficillimo in puerperio.

Vicentiæ Valentiæ Ferramusoæ experiri adhuc valentiùs Caietani tutelam, ac suppetias contigit. Enimuerò, & partus ad vmbilicum nondum perductus, exitum intempestiuiùs maturabat, & eo insuper situ vterum vrgebat, vt periculum congeminaret: ac demum correpta vehementiore febri Valeria, commune id erat medicorum suffragium, non euasuram ab eo nisu incolumem. Quid multa? Admota Caietani lipsana visa periculum, metumque omnem protinus abegisse; effuditque illa felicissimè puerperium: ac Thienæo acceptam retulit sanitatem, ac sobolem. Sed eiusmodi in partu mirabilia, diuina ac præsentissima eius virtus frequenter peperit.

Varia vbique malorum genera curat.

At enimuerò malorum genus omne percurrere, quæ imploratum Caietani nomen difflauit, infinitus penè labor esset. Nullibi non iugulatos morbos reperies. Et quidem quod ad febres attinet, ab ijs aut nuncupato Thienæo voto, aut orata vtcumque illius ope, conualuere, Mediolani Antonius Montegnanus, qui supremo spiritu luctabatur: Franciscus Cermina, sexennis puer, cuius iam florem æui decusserat, ac protriuerat penè mors: Leonardus Galerius, & Hippolyta Coira, vterque acutissima febri confectus: Vicentiæ, Sirena Poiana Trissina; Petrus Magte, Catharina Mainentes, Horatius Pasqualinus, alijque satis multi. Genuæ Dominicus Caressetus. Ferrariæ Lauinia Pia Thienæa, Scandiani Marchionissa. Neapoli Ferdinandus Carafa, Laurini Dux. Ex Nostratibus verò conclamati iam fuerant Romæ, Marcus Romanus, qui tùm maximè Caietani Apotheosim apud Cardinales accurabat; Cremonæ, Stephanus Santinus Vicentiæ Stephanus Ioppolus, notæ probitatis presbyteri; ereptique periculo Beati Parentis præsidio fuere.

Innumeras item alias valetudinis species effugasse egregiam eius virtutem pro comperto habemus. Mediolani Franciscus Vercellinus à calculis, ac disuria nulla spe vitæ laborabat; viso noctu Thienæo, vt eius se patrocinio commendauit, conualuit. Vicentiæ Iosepho de Leonardis è Capuccinorum Ordine ob vehementiorem quendam corporis nixum miserandum in modum diffluxerant viscera, vt ferro medicinam facere cogitarent iam medici. At longè mitiùs actum, Caietano adspirante. Ad susceptum nanque fratris votum suam illicò se se in stationem fusa intestina recepere. Leonida Montia, in Diuæ Mariæ Aracæli Cœnobio sanctimonialis, articulari morbo sesquiannum conflictata, remedium omne exhauserat, nullo quidem operæ pretio. Curauit Caietanus voti ream. Mediolani Francisco Landriano, duodenni puero, excreuerat ad renes insanæ magnitudinis tumor, discruciabatque intimè. Matris adhortamento dùm precatios globulos ad Caietani imaginem recitat, visa statim diffluere, ac solui lues. Venetijs Paschetiæ Comatiæ altè prolapsæ luxatum corpus voti nuncupatione in artus redijt. Eiusmodi præcipiti casu afflictæ, Bartholomæa Menzaria, & Catharina Bellosia, eodem patrocinio

erectæ,

erectæ, & redintegratæ. Corneliæ Canalis digitum ab leuissima quidem cuspide ea lues corripuerat, vt reliquo iam corpori meruerent medici. Admota Caietani imagine virus euanuit. Vicentiæ Dianam Bessolam annos haud minùs quadraginta pituitæ pernicies, fluxusque diuexabat: frustra quæsita medicorum arte remedia, & preces ipsæ erant; quippè seruata Thienæo curario, cuius ope implorata redijt sanitas. Petrus Francus dolorem, qui duodecim iam annos brachium occupauerat, fusis ad Thienæum precibus, dispulit. Contracti iam Paulo Moretto nerui, orata eiusdem ope, soluti. Idemque neruorum vitium ijsdem nempè suppetijs à Florentia Elisabetha Mutia emendatum.

Atque hæc de morbis satis. Nam si cui percurrere eorum syllabum, ac censum vacat, qui ob effugatas ægritudinum lues, recuperatamque corporum incolumitatem Caietani munificentiæ sunt obnoxij, adeat in eius vita Castaldum nostrum, qui raptim, ne & ipse tedio legentes afficiat, damnatos voto innumeros penè commemorat. Iam, quòd inter æstuantis pelagi fluctus interminari, ac sæuire atrociùs mors videatur; quæ in eo procellarum conflictu, metuque adsunt cælitus præsidia, æstimari pluris solent. Nec defuit inter Caietani trophæa perdomitum mare, ac fracta superbientium vndarum impotentia. Ex eius generis miraculis narrandum hic vnum, aut alterum.

In Venetis æstuarijs ea vi impetiere cymbulam fluctus, vt excusso, proiectoque statim in mare ventorum impetu rectore, nil propiùs esset, quàm vt exigua rates, & quos vehebat, sorberentur. Affulsit, salutare ceu sydus, Caietanus. Siquidem nuncupatum vix à quadam fœmina, atque ab ipso, qui furenti cum pelago luctabatur, Rectore, votum fuit; cum ecce tibi sedata momento tempestate, visum mare Thienæi nomen, ac potentiam, posito fastu, demissiùs venerari. Erepti naufragio beneficij testem, ac monumentum ad Caietani imaginem tabellam dedicarunt.

Illud Gentili suo tempestiuè impensum. Comes Antonius Thienæus adnatare ad cymbam cùm oporteret, frangi, atque exhauriri in medio conatu spiritum sensit, vt maria emetiendo desperaret iam vites sufficturas. Statuit à domestica statim tutela opem implorare: nec lusit fiducia. Nam adesse commodùm sub pedibus ceu ramum quendam sensit, cui innixus, refectisque modicùm viribus, moliri se iterum cœpit: sed cum latera iterum, lacertique conanti deficerent; orato denuò Caietano, eadem rami ope respirauit, enatauitque mox in lintrem, habitis precatio, quem acceperat, spiritu, ingentibus Seruatori suo gratijs.

Quædam nunc malorum dæmonum victoriæ delibandæ: quæ sanè beneficia eò mortalibus potiora, quò vehementiore quidem tyrannide corpus diuexatur; refuso etiam in animum magnam partem exitio. Quippe ab infensissimi hostis propinquitate clades, vt propior, ita acerbior. Ergo ex multis pauca memorabimus. Venetijs, Ioanna Moretta exagitata à rebellibus istiusmodi genijs erat: & quò vrgebant vehementiùs imprecationes, ac sacra; eò resumere vires robustiores inferna illa phalanx videbatur. Tandem compellatus Caietanus; ad cuius nomen visus illicò frangi hostis; vt qui cæteris præerat. Pulcher nomine, sacrorum vi carminum diceret, dare se potenti nomini manus, nec ferre iam posse suauissimum odorem, citrio malo persimilem, quem puellæ obiectus efflauerat. Itaque euasit stygia ea lues, non amplius puellam ausa diuexare. Hunc porrò citrei odorem frequenter inhalasse Caietanum, cùm spectandum se se mortalibus daret, diximus, cùm de eius virginitate sermo fuit; vbi & alias dæmonum victorias commemorauimus.

Venetijs item lacessibant acriùs Lucilettam Albericam praui dæmones, obijciebantque sese multiplicem indui aspectum; vt quà minis, quà blandicijs ab tuendæ virginitatis consilio deterrerent. Cumulabant porrò artes, atque odium suum inferni veteratores. Quippè vt illa sacrorum vsum abrumperet, suadere conabantur, actum iam de eius salute, ac destinatam deuotamque æternis fletibus. Quid inferorum candidatæ prodessent sacramenta, atque vsura diuinorum? Aperire hęc animi turbamenta Confessario id demum optimum experiebatur remedium Alberica. Edoctus siquidem iste, quantum inesset Caietani nomini, ac tutelæ in rebelles dæmones momenti, compellabat protinus eius opem; quo firmari puella in-

Tempestas sedat.

Præcipui in Venetis æstuarijs.

Adest Antonio Thienæo in vndis laboranti.

Malorum dæmonum victoriæ.

egregio honestatis proposito, atque ad diuina inflammari vehementer sentiebat. Atque hinc ad exactam stygis victoriam vti ipsamet Caietani appellatione, ac patrocinio statuit; constituto fundendis precibus certo dierum numero: quo expleto visus illi Thienæus graui specie, qui blandissimis vsus verbis, ab ijs posthac hostibus non ampliùs prouocandam, ac diuexandam monuit. Profligatum verò omninò aduersarium consecuta mox animi tranquillitas demonstrauit. Ad eundem ferè modum aggressi Mediolani Hippolytam Trumbam ijdem hostes, id efficere maximè conabantur, vt à Sacramentis abhorreret. At eiusdem Thienæi fides implorata egregiè triumphauit. Visa nanque Hippolyta ab eo præsidio proniore quidem studio & lustrare conscientiam, & diuinissimo refici Epulo. Cuiusmodi patrocinij parcimus plura hîc exempla adnumerare. Pergimus ad ea, quæ fortunæ bona vulgò nuncupantur, quibus aut tuendis, aut amplificandis, non segniùs adfuisse Caietanum, hæc eius potissimùm documenta declarant.

Fortunę bona tuetur Caiet.

Ioannes Donatus Nardarinus, cui Venetijs è re nautica quæstus, obseruasse diutiùs se narrabat non sine admiratione, nauigium quoddam suum nullis vnquam pelagi casibus obnoxium, celeriùs quidem, ac longè quàm alia prosperiore velificatione cursum conficere: reputasse verò apud animum suum, non id aliundè, quàm à Thienæi tutela accidere potuisse. Quippè Caietani nomine appellari illud voluerat; eiusdemque inibi imago cernebatur, ventorum, marisque moderatrix.

Felix abeius tutela velificatio.

Est & illud longè maiore admiratione dignum. Subducturus negotiator quidam cum socijs rationes; adnertit, mille aureos in accepti, expensique commentario minimè consignatos: reductaque sæpius re ad calculum, nusquam id pecuniæ adnotatum reperit: ac ne lusos fortasse, vt assolet, errore quodam oculos, præterijsset ea summa; quòd falli manum minus posse existimaret, excerbere rationes omnes quàm accuratissimè, ac singillatim voluit. Itaq; quòd prætermissa obliuione quadam ac neglig. ntia reuerà esset summa id demum tuendæ existimationi, fideiq; remedium erat, si solueret. Intereà multa de Caietano, collataque mortalibus eius ope, felici admurmuratione Venetijs narrabantur: qua ille miraculorum fama excitatus, in ea non exigui momenti iactura compellare eius patrocinium statuit. Ergò Ecclesiam Tolentinatem vt adijt, orare ad Caietani imaginem impensiùs, Adesset, qua soleret virtute, ac tutela. Nec multa: dum rationes post paulò recognosceret, adscriptam in loco, quæ deerat pecunia, repetit, perindè ac si suo ipse in tempore consignasset. Quis inibi illam adnotarit, Caietanus, an ex angelorum numero aliquis, supremo videlicet Numine ad Caietani preces id imperante, parum refert.

Emendatus codex rationarius implorata eius ope.

Huiusce argumenti illud item est, quod equidem non dissimulauerim: & quanuis in tenui præsidium non tenuis profectò Caietano ex eo gloria. Vicentiæ bombyces ad sericum procurare impensiùs, in more positum est. Quod sanè inauspicatiùs quotannis Claræ Ghellinæ contingebat. Quippè, quò illa in eam curam incumbere diligentiùs videretur, eò res cederet infeliciùs, extincta nimirum magnam partem sericaria ea sobole. Aderat Cassandra Muzzara Claræ mater, quæ irriti laboris, aduersæque nimiùm fortunæ successionem filiæ indolens; votum Caietano nuncupauit, vt eo anno, quo adflato iam consueto à sydere bombyce, corrumpi maximè cœperat sericum opificium, eas ille curas benignè fortunaret. Vix implorata ea fides; cùm visa sisti clades, & quanuis grassata in maiorem eorum partem lues iam esset; is nihilominus ab his, qui superfuero, prouentus fuit, vt cæterorum iacturam longè compensarit; adaucta nimirùm Caietani precibus paucis illis virtute, qua opulentiùs, ac magnificentiùs lucubrarent.

Feliciùs cedit res sericaria, Caiet. implorato.

Plura istiusmodi exempla essent, quæ meminisse pretium foret: sed prætermittimus; vnum id solummodò enarrantes, quod Germano cuidam medico accidit. Emensus hic diù pericula, ac longissimi itineris labores fuerat; pulsatus vndique calamitatibus, malorum quandam Iliadem circumferebat. A suis etiam ita diuulsus, vt quo aut ipse, aut illi sub sole essent, neque ipse scire posset, neque illi. Ergo post menses vndeuiginti iactatus vi, lusuque fortunæ, Vicentiam appulit. Tùm, casu ad D. Stephani, nostri Ordinis Ædem: vbi Caietani imaginem, multis insignem tabellis, hoc est, profligatæ omnigenæ aduersitatis trophæis, conspicatus; excitare

Germano cuidam Medico adest.

ad bo-

ad bonam spem animos cœpit, ac sanctissimi Viri nomen, opemque ex animo implorare. Nec mora: Affulgere illicò dies lætiores occœpere, dilabique calamitatum genus omne, suis sibi restitutis. Cuius quidem beneficij, vt posteritatis documento extaret memoria; idem ipse, qui accepit, tabula eleganter descripsit, dedicauitque Caietano: nosque hic exscribere, non pigebit.

DEO OPTIMO MAXIMO,

AC

BEATO CAIETANO THIENÆO.

Post exanthlatos vndeuiginti mensium tempore labores, dolores, terroresque acerrimos, dum extorris patria, inuisus omnibus, sic auulsus à meis, vt nec ipsi de me, nec de ipsis ego rescire quicquam potuerimus: Italiam, Germaniam, Orbem ipsum oberro miser, ac profugus afflictis, perditis, desperatis rebus omnibus, humana amissa ope: diuina spe, cœleste confidenter ante imaginem B. Caietani Thienæi, Vicentię in Templo S. Stephani, imploraui auxilium; Caietani preces, Caietani merita interponens meis erga Deum precibus. Et extemplò restitutus meis, mihi mei sunt. Ergo voti æquè reus, & compos hoc syngraphum meum ante sacram illius Iconem appendi volui. Actum, Vicentiæ octaua Ianuarij M. DC. XXVII.

Ioannes Lupus nobilis Germanus.

Quæ hactenus enarrauimus, non suo quæque tempori censuimus adscribenda, quippè in multiplici ea mirabilium sylua, ac censu minus necessarium. Sciuerit lector ea successiuè ita contigisse, vt labentibus ab eius excessu annis, nullus penè fuerit, non Caietani virtute, ac miraculis nobilitatus; omnisque eius promerita dies loquitur, ac testatur. Hoc ipso, quo hęc scribimus anno, seculum faustè absoluitur, quo Vir sanctissimus exuit mortalitatem; neque longiore hoc æuo, aut consenuisse patrocinium, aut defatigatas in audiendis mortalium votis eius aures videmus. Adest ille vbique gentium, animorum, & corporum procuratione; compluunt etiam num è Cælo beneficia ad Caietani nomen: damnantur quotidie votis miseri; gratiq; animi indices tabellæ consecrantur. At enimuerò, & si plerisque in locis, prona quidem manu, populorum religionem erga sua ipsius merita alat munificè; nihilominus, nescio quonam pacto, siue id ciuium pietas conciliauerit, siue quia suus etiam Diuis est genius, atque animi propensio, Platia, quæ Vrbs est in Siciliæ meditullio, ciuium, opumque censu notissima, Caietani tutelam, ac beneficentiam nostra hac tempestate vsque adeò experitur, vt nullibi ille frequentiùs, ac largiùs opem suam erogauerit. Cœpta hæc eius in Platienses munificentia anno supra millesimum, & sexcentesimum quadragesimo primo, cùm inter eius vrbis Tutelares Diuos ab illustri eo Senatu est cooptatus. Nam etsi beneficijs aliquot antea eos ciues demeruerat Caietanus: tamen cùm decretus illi patrocinij hic honor fuit, ceu compensare magnificè pietatem vellet, rupto velut obice, pleniore in illos sese amne effudisse visus est. Enimuerò innumeri penè censentur, qui orata eius ope, conceptisque votis, ac sacræ potissimum eius imaginis gestatione, à grauissimorum morborum incommodis conualuere: plerique à suprema ipsa vitæ linea gradum reuocantes, gaudent precariò viuere; ac satis multi animorum curationem assecuti, obnoxios se ampliori beneficio prædicant: vt iure quidem meritò felicitatem Vrbis ab ea Caietani clientela, ac præsidio proximæ quæque Vrbes, pagique inuideant. Sed hæc raptim commemorasse abundè est. Effusa nanque populorum vota, ac patrata inibi mirabilia singillatim enarrandi, suus erit locus; cùm ad nostra hæc tempora excurrerit, Deo dante, historia.

Non exhausta adhuc Caietani beneficentia.

Platiæ in Sicilia mortalium precibus pronior.

Editque passim miracula.

Verùm his adhuc recentiora habemus, quæ de Caietano memorentur. Nam postquàm hæc scripsimus, vertente anno huius seculi quadragesimo octauo, postremis hisce diebus, ac præcipuè sub ipsa eius solennia, insigni quadam miraculorum copia, ac facilitate testatam sanctitatem suam voluit in Paulino Neapolis Cœnobio, vbi sacri eius Cineres iacent. Commodùm Id quidem: nam tum maximè de ipso in sanctorum censum asserendo agitabatur; ac iam Pontificiæ

Noua Caietani miracula Neapoli.

ea super re manauerant litteræ: vt scilicet Innocentij Decimi Pontificis Maximi eximiam in eius Apotheosim voluntatem communis etiam plausus, ac recentia populorum beneficia, & comprobarent, & vrgerent. Accidit id porrò mirifica, ac peramœna quadam miraculorum assiduitate; floribus nanque rem agit, qui Christi bonus odor fuerat. Enimuerò, qui eius aræ ornandæ spargi flores, præcipuè gelsimina solita erant, cùm quis superiore quodam instinctu, implorato Thienæi nomine, graui cuidam morbo adhibuisset, successit faustè pietas, côualuitque dicto citiùs. Cùmque is quam à sacro Cinere flores virtutem hauserant, candidè euulgasset; manauit breui latius rei rumor; atque impertita subinde, alijs atque alijs salute, vsque adeò Thienæis gelsiminis creuit fama, ac pietas; vt vix iam sufficiat mortalium votis ingestum aræ longè copiosiùs solito salutarium florum ver. Quo sanè præsidio noui quotidie, grauesque curantur morbi; loquunturque pictæ, atque exaratæ pro parietibus tabulæ; ac ipsimet prædicant, qui beneficia accepere. Diceres è Cœli areolis afferri flores, quando tam diuina, præsentique ope valent. Innuimus hæc; ac parcè apis in morem, flores hosce delibauimus: dicturi postea fusiùs; nam gratiùs profectò in loco, suisque veluti in floralibus gelsimina isthæc; rosæque efflorescent.

Idque impertita floribus: vt.

Iam verò continenti hac miraculorum successione, quæ viuenti iam sanctimoniæ fama contigerat, & adaucta, vt diximus, statim à morte fuerat; amplificata labente æuo est, ac longiùs propagata: vt confirmata de absolutissima Caietani virtute opinione, amplissimè, ac luculento sanctitatis testimonio plerique de eo scripserint. Neque animus est, syllabum hic eorum attexere, qui Caietani merita scriptis suis quoquo pacto consignarunt. Exteros dum taxat, atque ex ijs paucos, adnotasse suffecerit, ne nimia scriptorum lacinia scriptio hæc nostra oneretur. Et quidem [a] Onuphrius Panuinus, scriptor non pœnitendus, breui hoc elogio prolixiorem Thienæi virtutem contestatur: [Caietanus Thienæus, nobilis Vicentinus, Vir sanctus.] [b] Iacobus Marzarius illum [vitæ Virum innocuæ] appellat [c]. Peregrinus Bertachius, Episcopus Mutinensis hæc de eo: [Verum, ac viuum exemplum, à quo insignia promanare possunt bona in homines cuiuscunque status, & præcipuè in Clerum, cuius ipse Beatus reformator, atque instaurator fuit] [d] Paulus Æmilius Saracenus hac illum laude commendauit: [Hoc tempore euocatus est in Cælum Beatus Caietanus è nobilissima Thienæorum familia, vnus ex Vicentiæ Tutelaribus, Clericorum Regularium Fundator, qui suos filios diuinæ prouidentiæ inuocationem cumprimis edocuit.] [e] Ioseph Laurentius hæc in suis epistolis de eo ad Comitem Thienæum, Caietani gentilem scripsit: [Cuius vita integerrima sanctissima, mors felicissima & miraculis admiranda vno omnium sermone celebratur, ac scriptorum monumentis perhibetur.] Qui & ea etiam addidit: [Felix Thienæa familia filio tanto, Vicentia Ciue tanto, cuius vita imitanda, mors veneranda.] Suis etiam litteris Thienæum commendauit [f] Augustinus Turtura, Somascenæ Congregationis Præpositus Generalis, de eo loquens in hæc verba: [Qui postea Romæ cum Ioanne Petro Carafa Clericorum Regularium Parens, & Auctor fuit, eoque in Religioso Ordine non obscura sanctitatis laude decessit.] His adiungendi duo diserti quidem è Societate Iesu scriptores [g], Petrus Antonius Spinellus, & Iulius Nigronus. Ille hæc habet: [Beatus Caietanus Thienæus, Vicentinus, Protonotarius Apostolicus, qui vitæ merito miraculis etiam claruit.] [h] Nigronus verò in austerioris disciplinæ exemplo illum posuit posteritati, dilaudatque ab eximia voluntatis addicatione, qua socium, qui conformis genio foret, fuerat deprecatus. Sed neque deberi hic velim Alexandri Cardinalis Estensis, laudatissimi Principis epistolæ, quam de Caietano conscripsit, particulam, quæ sic habet: [Dignum sanè est, vt gloriosa tanti Viri memoria omnibus commendetur, qui sine dubio nouus fuit Apostolus, nouus fuit Angelus, à Deo missus ad mores reformandos, & imprimendum Crucis signum, non in fronte, sed in corde credentium, mortificatione, suæque vitæ exemplo. Id quod equidem vehementer exopto, tum propter deuotionem, qua sum in Beatum incensus; tùm propter virtutes, atque miracula, quæ ipsum valde conspicuum reddunt.] Illud verò Thienææ virtutis, ac sanctitatis peruetustum testimonium

Qui de Caietano cum laude meminerint.

a Vit. Pauli IV.
b Hist. Vicen. lib. 2.
c In Act. Canoniz.
d Vit. Albert. de Aloys. Canon Reg.
e Epist.
f Vit Hieronym. Aemil. lib. 2. c. 5.
g Dolaul. Virg. c. 4. n. 12.
h Comment. Ascet. Reg. 43 n. 29.
Card. Estens. Epist. Op. Cast.

nium est, quod [a] Ioannes Baptista Castaldus memorat. Contigit, cum is Vicentiæ moraretur, vt ad Diui Felicis, Cassinensis Congregationis Cœnobium se conferret. Aderat inibi Fortunatus, eiusdem Congregationis Monachus, qui tum ad humanitatis argumentum, prisca, ac celebriora eius Asceterij monumenta ostenderet; iner alia, Vicentiæ Vrbis fastos, siue Menologium manuscriptum inspectandum præbuit, in quo Sancti, siue indigenæ, siue eius Ecclesiæ olim Præsules notabantur; quos inter sub eadem ipsa, qua excessit, die censetur Thienæus in hæc verba: [Septimo Idus Augusti Beatus Caietanus Confessor, Fundator Ordinis Theatinorum.] Quod postea Menologiū Iulij Carcani, Patricij Vicentini opera typis expressum Romæ fuit superiorum permissu, cui tit tutulus: Index Sanctorum, & Beatorum magnificæ Vrbis Vicentinę. Singulorum ibi effigies, & nomen, & dies nataliria: exornatque eos etiam fastos Thienæi commemoratio. Quo planè edocemur, prisca quidem religione, & cultu veneratam Viri Sancti memoriam; atque in eam statim egregiæ virtutis famam floruisse, vt adscribi olim in Diuorum classe meruerit. Secundæ huic de Thienæo opinioni visi etiam Pontifices Maximi adstipulari. Enimuerò Paulus, optimæ memoriæ Pontifex Quintus, vt proniora in defunctorum venerationem populorum vota compesceret; cum publicas ea de re sanctiones euulgasset, professus omnino est, nihil ijs se legibus de Caietani cultu imminutum velle: immò mentem esse, vt & erga præclara eius merita religio perduraret, glisceretque: & Beati nuncupatio, vtpotè peruetusta, constantique gentium pietate incitata, vsurpari passim, ac vulgò posset. Atque hanc postmodùm animi sententiam comprobaram viuæ vocis, vt aiunt, oraculo voluit, explicata sua mente geminæ Augusti Senatus celebriori Purpuræ, Ioanni primùm Delfino, Cardinali Vicentino, mox Roberto Cardinali Bellarmino, id quod etiam Venetæ Reipublicæ Oratori conceptis verbis declarauit: ac tandem compositis litteris, Deodato Gentili, Episcopo Casertano, Nuncio Apostolico Neapoli iussit, vt cæterorum quidem cultum ad earum ordinationum regulam exigeret: quod verò ad Caietanum Thienæum pertineret, nihil pristini honoris, externęque pietatis decerperet, immutaretque. Hac igitur communi omnium Ordinum existimatione commendata diù, multùmque Caietani sanctitas, demum seueriore Romanæ Rotæ censura accuratissimè, ac ritè discussa, accedente Sedis Apostolicæ auctoritate, nutuque, exposita publicæ venerationi fuit. Anno siquidem labentis seculi nono, & vigesimo, post millesimum sexcentesimum, illum Beatorum numero adoptauit Vrbanus Octauus, summa Infula, ac summa virtute Maximus; qui cum non ita pridem ex nostris etiam, Andream Auellinum inaugurasset; visus clarissimorum è Theatina disciplina syderum par Romano Cælo affixisse. Planè cum plurimùm se Vrbanę amplitudini, ac munificentiæ debere se sentiat noster Ordo; tùm id in primis nulla temporum successione consenescet: permisisse videlicet Nostratibus Aras, & sacra. Certabunt profectò perenni quadam apud nos æmulatione, gratitudo, & pietas: hac sanctissimis Viris litabimus, illa sanctissimo Pontifici; atque in ipsismet Aris, quas domesticæ nostrorum sanctitati excitauimus, innexus semper erit cum Diuorum veneratione, Vrbani cultus. Sed hæc in loco memorare fusiùs continget, cum in ea tempora inciderimus. Interim narrata Thienæi virtute, assertoque superis eius Nomine, finem septimo huic libro imponimus.

a Vit. Caie. c. 9.

Vicentinæ vrbis Menologium.

Fauet Caietani memoriæ Paulus V.

Beati nuncupationem factam, cessam, voluit.

Monito Neapolitano Nuntio.

Postremò Vrbanus VIII. in Beatorum Album retulit.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER OCTAVVS.

B. Caietani excessus haud funestus Ordini.



VNESTISSIMVS profectò Congregationi videri poterat hic annus voluentis feculi septimus, & quadragesimus: erepto nimirùm Sanctissimo Parente Caietano. Verùm, quòd is proximè ad Deum accessit, tuendoque efficaciùs Ordini, ceu tutelare illuxit Cælo sydus; faustus omninò dicendus est contigisse. Quanuis & aliqua ex parte iactutam resarcierit diuinum Numen. Hoc siquidem eodem anno Venetijs nomen Sodalitio dederant duo eximiæ virtutis, atque innocentiæ viri: Hieremias Isachinus Soladiensis, & Ioannes Paulus

Isachinus, & Montorphanus in Congregationem adsciti.

Montorphanus Nouocomensis: hic inter tyrones adoptatus mense Iulio: ille vota publicè nuncupauit die quinta Iunij. Qua verò morum fruge, ac disciplina, quaui consilij, quàm frugiferæ eloquentiæ studio, fructuque excelluerit Isachinus, testati luculenter sunt Pontifices Maximi, Paulus IV. Pius V. Sixtus V. tùm Respublica Veneta, & vir sanctissimus Carolus Borromæus, quibus suam ille operam in primis adprobauit. Sed suo hæc quæque in loco prosequemur: quemadmodum & de Montorphano, cùm sese dederit occasio, narrabimus. Nunc offert se Cardina-

Romæ strenuam operã ponit Card. Theat.

lis Theatinus, qui hoc anno, vti significauimus, egregiè in ea Tridentini Concilij Congregatione desudabat. Nam cum abrumpi Tridenti vniuersalem eam Synodum, ac Bononiam transferri contigerit; oborta inde inter Pontificem, & Carolum Cæsarem dissidia, ingentem illi laudum materiam, ac segetem præbuere. Rem non longiùs quidem, ne diuertere nimiùm videamur; sed eo, quem historiæ nostræ postulauerint, modo, ac ratione describemus. Cœptum anno præterito Tridenti auspicatissimè, ac summa cum Orbis gratulatione Concilium, ibidem egregio in rem Christianam studio Patres prosequebantur. Cùm exorta populari lue, pluri-

Bononiam Tridento Cõcilium transfertur pestilẽtis aeris prætextu.

a Pauuin. Vit. Paulo 3. Paul. Iou. lib. 45. hist.

morum ea mens fuit, vt translato Bononiam Conuentu, suæ incolumitati maturiùs cauerent. Prætextus is quidem fuit; cùm reuerà prudentissimus Pontifex, ac reliqui Patres longè alias versarent animo mutandæ eius Sedis rationes, quas eius temporis a Scriptores non obscurè quidem litteris tradidere: inter quas illa vehementiùs melioris notæ, famæque Antistites torquebat, quòd cernerent iam, agitari inibi res grauissimas, illibata Pontificis dignitate, Romanæque Sedis celsitudine, ac maiestate minùs posse. Quæ sanè potissima fuit causa, cur elapsis proximè annis idem Pontifex Paulus adduci nunquam potuerit, vt in Germania Concilium

Reuerà quòd minùs congrueret Pontificiæ dignitati locus.

cogeretur; sed designatis intra Italiam Vrbibus, Mantua, Vicentia, Bononia, cauere Romanæ amplitudini, ac libertati studuerit. Ad hæc, quidam etiam superiorum temporum ritus, atque agendi ratio suadere id videbatur. Enimuerò aut nunquam, aut perquàm rarò in ijs Prouincijs celebrari generales Conuentus olim contigit, in

Concilia alibi celebrata, quam vbi hæreses grassabantur.

quibus enatæ hæresum lues grassabantur, & quas præsentissimo eo remedio curare oportebat. Voluntibus id annalium monumenta planiùs constabit. Siquidem, vt Arrij Alexandrini impietatem iugularent Patres, non Alexandriæ, aut alia in Ægypti Vrbe, sed Nicææ in Bythinia coactum Concilium fuit. Contra eundem Arrium, Macedonium, Photinum non quidem in Oriente actum; sed Romæ in celeberrima Synodo cusa in illos faba. Nestorium Constantinopolitanum Ephesini Patres condemnarunt; Dioscorum Alexandrinum Chalcedonenses; atque aliæ alibi Synodi habitæ. Eapropter cum nuperum id Concilium, vt multiplicem, renascentemque

Ger-

Germanam Hydram obtruncaret, cogeretur; non in Germania, sed alibi, peruetusto Ecclesiæ more, cogendum existimabat Pontifex. Igitur arrepta occasione, translata Bononiam celebritas. Quod cum Carolus Imperator inaudiuisset, tulit profectò acerbissimè. Quippè Germanis Principibus id efflagitantibus, diù ipse, multùmque cum Pontifice egerat, vt Tridenti Concilium figeretur: putabatque, cùm publicæ pacis, tùm maximè Catholicæ Religionis plurimùm interesse, si inibi permaneret; quando polliciti Germani fuerant, in eam posthac fidem iuraturos, quam Tridentini Patres sanciuissent. Cœptum itaque, se inconsulto, atque inscio, id consilij, & Cæsaris dignitatem læsisse, & rem Ciuilem, Christianamque perturbasse in Germania ratus Carolus; vehementiorem profectò in zelum, Princeps, cæteroqui moderatione, atque Apostolicæ Sedis studio laudatissimus, prolapsus est. Nam Didacum Hurtadum Mendozam, qui supremo tunc iure Imperatoris nomine Senis præerat, Romam adlegauit; qui quod paulò ante Cardinalis Tridentinus, eiusdem Cæsaris nomine postulauerat; nempè vt Concilium Tridentum reuerti iuberet Pontifex, hoc idem ipse efflagitaret: adderetque insuper, mandasse Cæsarem, id nisi impetret, vt coram Pontifice ipso, Augustisque Patribus, ac cæterorum Principum Legatis, Synodum, nec iurè, nec ritè Bononiæ congregatam publicè denunciaret; ac secutura inde in Orthodoxam Rempublicam incommoda ad Carolum minimè pertinere, omnibus profiteretur. Vocatum in amplissimi Senatus suffragium negotium longè grauissimum fuit: eaque potissimùm inter Purpuratorum Patrum sententias, insedit Pontifici, vt hac de re Bononienses Antistites maturè statuerent. Significatum id simul Mendozæ, & Cardinali de Monte, qui Romanæ Sedis Legatus principem in ea Synodo locum obtinebat. Quid Montanus Cardinalis cum ijs Patribus ea super re decreuerint, narrant fusè in suis historijs Augustus Thuanus, & Ioannes Baptista Adrianus. Consilij summa hæc fuit. Bononiam legitimè Patres immigrasse, ac liberum ijs esse abire pro arbitratu, ac transferre aliò Synodum, cùm maiori Sacri Consistorij parti collibuisset. Redarguendos proindè Antistites, qui contra id, quod Concilium senserat, Tridenti hæserant: ac pertinere ad œcumenici eius Conuentus dignitatem, vt non anteà de reuersione quidquam agitaretur, quàm illi ad alios aggregarentur. Tùm Germaniæ Episcopi, ac Principes, si Tridentum reuocatum Concilium vellent, parituros se Tridentinis Constitutionibus publica sponderent fide; cauerentque, ne turbas excitarent. Compositæ in hanc sententiam litteræ, recitatæ coram Augusto Senatu Mendozæ fuere: addiditque plena humanitatis, atque accommodata in rem præsentem verba Pontifex, quibus eximium in Cæsarem, ac Germaniam studium luculenter repræsentauit. At quòd res non è sententia successerit, ea Bononiensium Patrum mens Mendozæ minùs placuit; pronuntiassetque tùm quidem conceptis verbis protestationem, nisi moram amplissimus Senatus impetrasset, quoad Cæsari significatum id responsum fuerit. Verùm, quod & Cæsari sapientissima Synodi deliberatio minus grata acciderit; sequenti mox anno ineunte, hoc est, die quartadecima mensis Ianuarij, simul Romæ, ac Bononiæ protestati Imperatoris Legati sunt. Bononiæ quidem Franciscus Vargas, & Martinus Velascus: Romæ verò coram Pontifice, ac Purpuratorum Collegio, ac Principum Oratoribus Didacus Mendoza, qui de genu, ac Latinè dixit. Nec recensere hic strictim dictorum capita abstinuerim. Sunt verò hæc. Contendisse Cæsarem omni ope, egisseque prolixiùs cum Romanis Pontificibus, Leone X. Adriano VI. & Clemente VII., vt discerptus pestilentissimis Nouatorum factionibus Christianus Orbis, instituto generali Concilio, sanaretur. Impetrasse demum à Paulo III. idque in Germania, quæ Catholici corporis pars laborare ab ea lue maximè videbatur; ac proindè admoueretur propiùs malo remedium. Vt huc Germaniæ Principes, Vrbesque conuenirent, adnisum vehementer, ac bellis sese periculosissimis non sine Regnorum suorum, opumque clade implicuisse; triumphatisque hostibus reluctantes adegisse, vt & adessent œcumenicæ Synodo, & Consulta Patrum adprobarent, sancirentque obseruantia. Interea nulla, vel certè leui ex causa, coactum Tridenti Concilium, inscio Imperatore, Bononiam commigrasse, Romanæ ditionis Vrbem, nec liberam. Vt Germaniæ restitueretur, nullum non mouisse lapidem, adle-

Translationẽ ægrè tulit Imperator.

Agit, vt Tridentum rediret Synodus.

Denunciatꝰ à Mendoza Legato protestatione.

Scitum, vt Bononiensis Conuentus indicet.

Quid ij Patres statuerint

Sententiam fert indignè Mendoza,

Et Cæsar.

Cuius Legati protestationẽ pronunciant.

Mendozę protestationis summa.

adlegatis Romam Cardinali Tridentino, & Mendoza, qui coram negotium transigerent, rogarentque impensiùs; ne qui proximè vi quadam Principes, ac Ciuitates in Comitijs Augustanis assensuros Concilij scitis fidem oppignorauerant, mutato Concilij loco, ab ea sententia resilirent. Frustrà & vota, & preces apud Pontificem, & Patres fuisse: proindèque Cæsarem, quem ceu Germaniæ caput, atque Ecclesię propugnatorem tangebat ea cura, profiteri, translationem illam friuolam, ac illegitimam; ac denunciare, quicquid calamitatis, detrimentique in publicam rem Catholicam deriuasset, sciebat verò fore non exiguum, non quidem sibi, sed Pontifici imputandum. Hæc aliquantò fusiùs Mendoza; quæ sanè quòd agitata diù fuerant, ac præuisa, minùs negotij Pontifici, Patrumque Consessui exhibuere. Ergò, vt telum, quo Mendoza insurrexerat, propulsarent, destinatum proximum Consistorium. Interim qui rebus Concilij impositi erant, Cardinalibus respondendi partes à Pontifice demandatæ. Id verò Cardinalem Theatinum, qui tunc Episcopus Albanensis, confecisse, pro comperto habemus: quippè celebrioris prudentiæ, & Concilij Congregationis, vt diximus, Princeps: quod etiam innuere videntur [a] Onuphrius, & [b] Antonius Cardinalis Carafa. Is, vt Legati vim, potestatemque exploraret; exhiberi Cæsaris mandatum à Mendoza, iussu Pontificis, efflagitauit: ex quo Imperatoris mentem eam esse compertum est, vt non quidem Pontifici, ac Purpuratorum Senatui, sed Concilij Patribus, coram Pontifice, & Cardinalibus protestaretur Legatus, denunciaretque ab ea translatione incommoda. Quarè cùm Pontifici ipsi, & Cardinalium Collegio ea esset contestatus Mendoza; excessisse mandati fines proclamarunt; atque adeò præcisam apertæ inter Pontificem, & Carolum Cæsarem simultatis causam: sartamque, ac tectam Romanæ Sedis amplitudinem gratulati Augusti Patres, ea omnium fuit sententia, pronunciatam à Legato Protestationem, quòd vltra Imperatoris iussa, præscriptamque rationem, nullius momenti, ac roboris fuisse: proindèque dilaudata Cæsaris moderatione, quòd scilicet non ea sibi in sacrorum Principem licere permiserit; Legati confidentiam prolixè castigarunt. Porrò quòd is esset potissimùm contestatæ eius litis, ac dissidij cardo; an scilicet fuisset ritè Concilium Bononiam translatum: causam Pontifex iurè agitari, disceptarique ea de re, audita vtraque parte, voluit; & qui communis Ecclesiæ, & Conciliorum Arbiter, ac Princeps erat, agere ipse Iudicem statuit. Quapropter è Cardinalium numero quatuor legit, qui Tridentinis, ac Bononiensibus in ius vocatis, quæ quisque momenta rationum afferret, audirent: tum Pontifici referrent, qui ad iustitiæ libram exactam maturiùs, vni partium adiudicaret litem, aut abiudicaret. Interim canit anathemate, ne quid aut hi, aut illi intra mensem innouarent.

Destinatur Card. Th. vt Mendozæ respondeat.

a Vit. Paul 4. b Apolog. ad Nauag.

Qui singulari prudentia rē agit.

Causam sibi vendicat Pōtifex.

Hæc publicè mox Pontifex Mendozæ significauit; quibus ille, quippe qui carpi se acriùs intelligebat, visus non mediocriter commotus; admotaque iterum veluti ad capulum manu, responsum illud noua protestatione excepit; quam Cardinalis Theatinus egregio spiritu, ac vi dicendi infregit: probauitque insigni, atque extemporanea oratione singularem animi præstantiam, excellentemque eruditionis, atque eloquentiæ facultatem Pontifici, ac frequentissimis Purpuratorum subsellijs. Laudatissimus hic porrò apud Scriptores Theatini impetus, ac subitæ dictionis ardor, ac zelus quem vt stylus suo ordine prosequatur, poscit locus. Ergò audito Pontificis, atque amplissimorum Patrum sensu, protestari denuò Cæsaris Legatus, maiori quidem libertate, ac supercilio, quàm summi Antistitis maiestas ferret. Tunc ob rei nouitatem reliqua Purpuratorum corona admiratione defixa; Cardinalis Theatinus, quę eius erat præclari, atque ingenui pectoris generositas, vultu quidem ad omnem dignitatem, grauitatemque composito, surgens, hæc elata ad Pontificem voce: Beatissime Pater, quanquam hic te, tuique fastigij celsitudinem tangat repetitus Cæsarei Oratoris sermo; attamen respondere te homini, infra tui Maiestatem arbitror: Cumque primas ipse in Concilij Congregatione obtineam, simque cæteris æuo maturior; ad me rectiùs spectare munus hoc puto. Tum ad Pontificem accessit vir egregius; ad nisusque genibus dixit, Iube Domne benedicere; cui ille benè precatus ijs verbis est: Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis. Interea magnam eam- indo-

Et Mendoza iterum protestatur.

Quo loco zelum, ac facundiam probat Theatinus.

Qui vindicādi publicè Legati munus suscepit,

Facta à Pontifice facultate.

indolem, ingentesque animos admirati amplissimi Patres, suspensi animo expectare, vt ille, primarum veluti partium actor, theatro, quod sibi excitauerat, responderet. Theatinus verò, nulla mora, luculentam, grauemque ex tempore orationem, cuius modò subijcimus capita, adornauit. Accepisse illam porrò se, narrat [a] Antonius Caracciolus ab Episcopo olim Theanense Marincola, viro eius æui, earumque præsertim rerum scientissimo, quippè Gonti Carafæ intimo, qui tùm Commentarium, qui penes nos extat, de Pauli IV. rebus præclarè gestis concinnauit; tùm hac potissimùm de re cum eodem Antonio Caracciolo, & Raphaele Rastellio, etiam è Nostratibus, disertè egit; affirmauitque in hanc planè sententiam in ea Romani Senatus luce, conspectuque Pontificis perorasse.

[a] Tabul. D. Paul. Neap.

Ardentioris eius orationis capita.

Quòd Cæsar adeò solicitus sit de Republica Christiana, vt pro dissidijs pro religione sedandis Concilium vniuersale, qui optimus, & sanctissimus confutandarum hæresum est modus, toties efflagitauerit; id quidem eius pietati, atque Christiano zelo tribui debere, neminem esse, qui ambigat. Attamen, quòd eò ab impotenti huiusmodi sine scientia zelo ferri se sinat Imperator, vt Romani Pontificis, cuius suprema est in Concilijs authoritas, acta conuellere nitatur; id quidem non è sui ipsius, Augustissimi alioquin, ac pijssimi Principis profectum fuisse mente; sed è politicorum, & Aulicorum, hoc est, parùm veritati, plurimùm fœdè adulationi deseruientium, prauis suggestionibus, consilijsque existimari debere; eique huius certum indicium esse præsentem Mendozæ Oratoris Cæsarei illegitimam protestationem, iniussu sui Principis, & vltra mandati fines semel, atque iterum factam.] Dicenti id exordium fuit. Tùm in vehementius dicendi genus ingressus, Deum, ac superos obtestari, ac in eam se temporum calamitatem incidisse, conqueri, in qua de cogendo, transferendo, constituendoque œcumenico Concilio liberi, atque in dubium reuocari Maximi Pontificis authoritatem cernere cogeretur. Non has Ciuilis Præfecturæ partes esse. Adesse Vicariam Cæli potestatem, quæ rem Christianam temperet. Romanum Imperatorem filium esse Ecclesiæ, non Choragum; ac proindè debere Summi Patris legibus, decretisque stare, ac fauere. Ita ingenti cum sui ipsorum laude Constantinum Magnum in Nicæna Synodo fecisse, Theodosium in Constantinopolitana; Theodosium item Iuniorem in Ephesina; Marcianum in Chalcedonensi. Nihil laudatissimos omni æuo Principes sacræ sibi potestatis vindicasse; nihil præter nutum Romani Antistitis, atque Episcoporum Christiani Orbis ausos. Vtque cominùs ageret Theatinus, id ipsum, de quo disceptabatur, Concilium attulit in medium; quod quidem Pontifex Paulus pro arbitratu fixit, amouitque. Nam Mantuæ primùm indictum, tùm Vicentiam, postremò Tridentum legitimè transtulit. Itidem fecisse Eugenium in Constantiensi, quod primò Ferrariam; deinde Florentiam, vti ipsi libuit, ac licuit, translatum est. Ad hæc, eadem planè, qua cœperat, velificatione, & copia duo subindè rerum capita complexus oratione est: ac primò quidem beneficia adnumerare, quæ postremi Romani Pontifices, Paulus præsertim Pontifex Tertius, in Germaniam, & Carolum ipsum Cæsarem contulissent. Tùm, quæ in Romanam Ecclesiam damna, cladesque Germania, Germanique Cæsares intulissent, percensere. Hæc vbi disertissimè absoluit; ad Mendozam postremò, qui aderat, orationem conuertit; visusque ea quidem arte, ijsque eloquentiæ numeris, ac verborum grauitate viri licentiam perstringere, ac vindicare; vt dilaudauerint effusè omnes facundiæ, ac pectoris constantiam.

Laudatur Theatini dictio.

Certè Pontifex, vt Vincentius Massa è nostro Ordine, laudatus à nobis aliàs, narrare consueuerat, vt finem dicendi fecit Cardinalis Theatinus, sua ipse manu manantem fronte, ac vultu sudorem abstersit. Tùm ad Nepotes suos: Mirabilem hunc virum, inquit, hac ab illo appellatione Theatinum nominatum, narrat [b] Panuinius, honestare pro meritis, dignisque honoribus, vt votum esset, cumulare ipse nequeo; vobis eximia hæc virtus, animique magnitudo relinquitur amplificanda. Quo non obscurè monere eos voluit, vt dignissimum summa Infula caput, ad id ipsi fastigij, dignitatisque posteà prouocarent.

Pontifex sudorem sua manu tersit.

[b] Vit. Paul. 4.

Amplissimis laudibus, & commoda, censusque addidit Pontifex: quo in loco commemorandum, quod huc, data opera, distulimus, vt intelligat lector, seriùs, ocyùs

Adauctoque censu.

Quandam animi offensioné detersit,

Ob Parmæ, & Placentiæ commutationem,

ocyùs restitui magnę virtutl lucem, ac opes, si quando ob egregia facta, ac dicta malè accipi contigerit; ac præclarum opus auctori suo fraudi nunquam esse. Anno huius seculi quadragesimo quarto distrahere Paulus Pontifex ab Ecclesiastica Ditione Placentiam, ac Parmam, celebres in Gallia Cisalpina Vrbes, ac Farnesijs, impe-rata certa ijs pensione, acceptisque vicissim Camertio, ac Nepe, addicere constituit. Rem enimuerò compendio Ecclesiæ fore, & persuasum ipse habebat, & persuadere alijs omni ope nitebatur. Vrbes Roma longiùs abesse, confinio Principum, Mediolansis pręsertim Ditionis nunquam abundè tutas. Muniendis arcibus, alendo-que illic præsidio pecuniarum plus nimio insumi. Præstare igitur absque milite, metuque intra Ecclesiæ sinum Camertium, ac Nepem tutò possidere; quàm longè positas, diuulsasque à suo corpore Placentiam, ac Parmam, stipendio militum, munitionumque dispendio Ecclesiæ graues, obnoxias alienæ cupiditati, atque aleæ bellorum habere. Arduum planè ipsa abalienationis facies negotium repræsentabat, nec facilè prudentissimis Patribus probatum iri. Quamobrem quæ prudentiæ est indoles, explorare priùs euenta rerum; non antea publicam experiri amplissimi Senatus mentem decreuit Pontifex, quàm singulis priuato sermone compellatis, eius commutationis consilium, causasque aperiret; ac transacta cominùs re, præciperet cuiusque suffragia. Obstrictus Farnesijs non vno planè nomine erat Cardinalis Theatinus; tùm quia Purpuræ illi honestamentum ab ea Domo; tùm verò quòd Hieronyma Vrsina, Petiliani Comitis filia, Theatini proneptis, Octauio Farnesio, Pon-

Quam non vna ex causa faciendam curabat Pótifex,

Putabatque opportunum Theatini suffragium.

tificis Nepoti nupserat. Igitur & affinitate, & Purpura deuinctum, non modò in eam sententiam discessurum; sed qui plurimùm apud alios opinione, ac prudentiæ laude valebat, instrumento perquàm idoneo futurum, vt plerique annnerent, sibi Pontifex persuaserat. At compellatus ea spe Theatinus, quæ de ipso concepta mens erat, statim lusit. Enimuerò qui erat Romanæ rei amplificandæ studiosissimus, metuere detrimento Ecclesiæ vehementer cœpit: posteritatis deindè iudicium, exemplumque reformidandum; tùm præsentium oblocutiones, quibus vel optima quæque carpere, in more erat: postremò certa inde bellorum incendia exarsura; aliaque in Italiam incommoda cum præuideret; singulari quodam candore animi, ac modestia, vir alioquì gratissimæ indolis, ac Pontifici obsequentissimus, pericli-

Qui ingenuè sententiam aperuit.

tandam rem esse constantissimè negauit. Expressum candidè animi sui sensum secus accepisse Pontificem, parùm profectò negotij ipsi facessiuit, cui Ecclesiasticæ Reipublicæ, suo muneri, famæque integritatis egregiè respondisse, abundè erat. Quo die habitum ea de re Consistorium fuit, optimum factu ex:st:mauit abesse; ne aut Pontificis obsequio deesse videretur, si publicè refragaretur; aut sibi, si taceret: atque adeò vtrumque vir prudentissimus scopulum declinauit absentia. Interim quòd minùs iam gratum Pontifici Cardinalem Theatinum existimarent Administri, quę exhiberi honorum species Purpuræ amplitudini consueuerant, illi magna ex parte

Imminuti illi ob hanc causam census.

denegabant. Insuper centum aureorum pensionem, persolui solitam in singulos menses Cardinalibus indigentibus, placuit interturbari. At enimuerò quòd eo generosi pectoris impetu, quo de nunc diximus, tueri Pontificium culmen, auctoritatemque studuisset; ac Pauli Tertij potissimùm dignitatem, mulctata Mendozæ confidentia, insigniter vindicasset; visus profectò, non tantum præteritam offensionem

Conduplicatur, Mendoza castigatq;

omnem detersisse, verum & demeruisse egregiè Pontificem, qui & laudibus illum, vti explicauimus, cumulanit; & quòd ad ablatam pensionem pertinet, iussit statim duplò maiorem solui, hoc est, bis centum aureos singulis mensibus. Id quod narrat Panninius, & in ea, quam adornauit, Apologia, Antonius; Cardinalis Carrafa.

In Germania Conuentus Augustanus.

Hæc Romæ agitabantur. Consecuta verò in Germania sequenti anno consilia religionis orthodoxæ dignitati longè dissentanea. Enimuerò, cum obfirmatum animo Pontificem Conuentus Augustanus inaudiuisset; nec posse adduci, vt Tridenti Concilij sedes restitueretur: consulere ipsi, vt dicebant, Germanæ tranquillitati, ac fidei decreuerunt. Rem grauissimam committi paucis voluerei qui quoad Concilium ad exitum perduceretur, communemque Religionis formam præscriberet; sancirent ipsi interim quid crederet, obseruaretque Germania. Ergò consti-tutus

tutus Theologorum Triumuiratus. Fuere hi Iulius Fluggius, Episcopus Numburgicus; Michael Sidonius, Moguntiæ suffraganeus; & Ioannes Islebius Agricola: qui secta pro arbitratu in plures articulos fide, votis Augustanis, ac Germaniæ Principibus ea scriptione apprimè responderunt. Euulgatam dogmatum formam, Interim, appellarunt; hoc est, obseruandam, quoad Tridentina Synodus absoluerétur. Quàm insolens Catholicis auribus præposterus is rerum ordo acciderit, haud facile dictu est. Visa nanque misceri humana, ac diuina: quando quod eius officium est, qui summus religionis, sacrorumque est Arbiter, vicemque Numinis in terris obtinet; humanus sibi Magistratus arrogauerit. Sunt certi Ciuilis Præfecturæ fines; constituta ipsis etiam Regibus, ac Cæsaribus, eorumque fascibus area, intra quam figere populis, ac refigere leges possunt; extra illam pedem, aut Insulam si extulerint, procul dubio prodigij loco esse: veluti si affixa suo cælo minora sydera, amplissimi, collustrantisque omnia Solis prætorium, ac iura occuparent. Affecit porrò opere quàm maximo Pontificem Augustanum hoc monstrum: cumque Triumuirali in ea scriptione multa improbasset; tùm illa statim censoria virgula notanda duxit, declarauitque abolenda: nempè Sacerdotum connubium, & sub vtraque specie communionem; in quæ strenue inuecti scriptis suis Catholicorum quàmplurimi, doctrinarum fama ea tempestate celeberrimi, peregregiè confutarunt. Historicorum verò stylus mirum quo iambo tùm duo hæc, tùm totum illum Augustani Conuentus actum excipiat; proscindatque. Remedium vt malo quàm opportunissimum admoueretur, præcipua Pontificis cura erat. Rogabat potissimùm opem Carolus Cæsar, qui discerptam hæreticorum perfidia Germaniam, ac perturbatam Rempublicam, excitatis ab ipsis Nouatoribus eo super Interim tragœdijs, intimè dolebat. Habitæ ea de te non semel inter Pontificem, Augustosque Patres consultationes. Illud postremò omnium animis sedit, duos alios in Germaniam Internuncios adlegare: qui vnà cum Episcopo Fanensi, qui tùm eo ipso munere apud Cæsarem fungebatur, coniunctis vnà viribus, oblataque Pontificis benignitate, eas turbas componerent. Destinatus grauissimæ legationi Sebastianus Pighinus, Episcopus Ferentinus; & Aloysius Lipomanus, Episcopus Veronensis. Porrò maximi eius negotij partem aliquam Nostratum opera sibi vendicauit. Nouerat Lipomanus Bernardini Schotti cùm in omni morum, ac virtutis laude præstantiam, tùm studia litterarum, sanctorumque Patrum, & Canonum vsum; eloquentiam in primis singularem, linguarumque peritiam. Vbi cum Lutherianis res esset, agitarique Catholicæ momenta religionis oporteret; virum excellenti eruditione, ac facundia præditum, adiumento quidem non exiguo futurum existimauit. Quapropter litteras ad Bonifacium à Colle, qui Venetijs tum Præpositum agebat, dedit. Schotti operam anxiùs postulat: fore eius comitis virtutem, doctrinamque non sibi dumtaxat commodo; verùm Romanæ etiam Sedi, fideique Christianæ compendio; tùm permagnæ Ordini existimationi. Antistiti Maiorum, ac sua laude cum paucis spectato, atque optimè de Congregatione merito, vt morem gereret, adduci facilè potuit Bonifacius: tùm id maximè incitamento fuit, quòd de formanda re Christiana, profligandisque hæreticis ageretur. Ergò ad Lipomanum has ille litteras exarauit, quas hic Latinè damus. [Reuerendissime mi Domine. Perlectis litteris tuis, quibus fratrem nostrum Bernardinum Schottum Germanici itineris comitem impensè efflagitas; principiò, vt Religiosos viros, ac in re quidem magni ponderis, decet, vnà cum his meis fratribus explorandum Numen duxi: tùm vt eius opera vtare, volenti planè animo permitto; addictus namque sum tuis meritis, exemplisque virtutum, quarum longè, latèque odorem diffundis; ac fidei potissimùm causa id poscit, vrgetque, cui omnia posthabenda. Illud hìc monuerim, vt quando non adeò firma Schotti salus, ac vires sunt; in tam longo: ac difficili itinere, vt aliquam ipse sui rationem habeat, cures: quem etiam à Reuerendissimo Patre nostro Cardinale Theatino Romam scias proximè euocatum, ac Somascenos item Patres aliquantisper eo frui petijsse, at prius apud nos religionis incrementum, ac pijssimum tui desiderium fuit. Interim me, fratresque hos meos tuæ gratiæ, ac precibus commendo. Litabimus nostris nos vicissim precibus tanti negotij successui,

Quæ Interim appellatur.

Vt Pontifice affecit hoc Interim.

Et Catholicos animes.

Destinatur in Germaniam Legati.

Lipomanus Schottum itineris comitē petit.

Dat ad Bonifacium à Col le litteras.

Et impetrat

Bonifacij ad Lipomanum litteræ.

cessui, ac tuæ incolumitati. Vale. Venetijs die vigesima secunda Septembris 1548.] Hæc Antistiti Veronensi Bonifacius, qui litteras ipsi etiam Schotto dedit, quas patentes vocant. Commisere sese viæ Pontificis Legati cum Bernardino Schotto Octobri mense, tardiùs profectò, quàm par erat: dimissi nanque serò Romana ab Aula fuere. Quapropter cum profectum ab Germania Cæsarem, ac Bruxellas, vt Philippum filium, quem in Belgium vocauerat, exciperet, contendisse cognouissent; eò illum conuenere. Egregiam Pontificis mentem de Germaniæ incolumitate, ac fide, ac tanta Lutherianæ hæresis clade, ac Principum, religionem huc illuc distrahentium dissensione, Carolo exponunt. Quæ ipsi ad instaurandam in ea Prouinciis, clarissimaque Imperij Sede pietatem, Nouatorum perfidia labefactatam, afferrent; hæc esse. Pollicerentur effusè Pontificis benignitatem: modò accipiant ea Gens, ac Principes leges, non præscribant. Redeuntes ad Ecclesiæ gremium reciperent peramanter; nemine prorsus excepto, quamuis flagitijs omnibus coopertus, immoratusque in ijs diutiùs fuerit: modo crimen suum, ac luem apud sacerdotem orthodoxum ritè expiauerint. Publicam verò peccatorum ejerationem, confessionemque, Ecclesiasticis legibus sancitam, Pontificem omninò remittere. Ad hæc, qui fœdus cum Lutherianis iniuissent, fidemque ijs suam iureiurando obstrinxissent, vt exsolui ab ijs pactis possint, facultatem Legatis factam. Religiosos viros in pestilentissimos errores prolapsos, quique exuta disciplina, habituque ad Nouatorum partes transfugissent, suæ menti restitutos admitterent, adscriberentque iterum in castra, ac munus. Cum Ecclesiasticarum rerum vsurpatoribus, vt transigere de perceptis iam fructibus possent, datum: ita vt bona Ecclesijs suis posthac cedant. Tum esum, vsumque lactis, & carnium pro locorum ratione permitterent. De sacra item in vtraque specie Synaxi, ad tempus celebranda, ritè statuerent. Demum, vt transigi opportuniùs isthæc possent, destinare & alios per Germaniam Episcopos valerent, qui sedulò componendis rebus vacent. Gratissima hæc planè accidere Carolo Cæsari, qui Germanæ rei, ac pietati dari modum peroptabat. Ergò, quæ Legati à Pontifice attulerant, acceritauerant, magnoperè probauit: exscribi ea mox, atque euulgati placuit: tùm ad Germaniæ Episcopos misit; monuitque, vt populis propinarent, vrgerentque obseruantiam, non verborum quidem, minarumque acerbitate, sed beneuolentia. At enimuerò altiùs inibi inhæserat impietas, quàm vt conuelli ea publici Parentis benignitate posset. Quarè cum refractaria, ac superbissima hæreticorum natio nil oderit magis, quàm quod Roma sanciuisset; insuper habenda ea omnia duxere. Principes præsertim, eatumque partium Administri, atque Antesignani non modò deprecati veniam, suasque ipsi aures occlusas Romanæ caritati voluere; verùm etiam conniti omni ope videbantur, ne salutari ea comitate populus conualesceret: eòque iam oblatæ beneuolentiæ apud eam Gentem contemptus processerat; vt quacumque transire Apostolicos Nuntios contingeret, auersari eos, vel ij, qui Catholici audirent, viderentur. Nempè captus semel hæresi, permissa à Luthero viuendi licentia animus, indormite erroribus, ac cœno curpit: & si moneas, aut irascare, prolabi in deteriora, consilium est. Negotium nihilominùs longè grauissimum, in quo non Germaniæ modò, sed vicinarum etiam Gentium salus versabatur, ne scilicet in eandem orbitam adigeret eas exempli vis; perurgere Romani Internuncij, præclari spiritus viri, insigni contentione, atque ardore animi curarunt. Cuius planè successum etsi exigua seges consecuta minùs commendauerit; nihil est, cur eorum industriam, sedulamque operam non egregiè positam affirmemus. Respondisse verò nostrum Bernardinum Schottum Lipomani, Collegarumque expectationi sua eruditione, ac vi dicendi, pro comperto habemus; neque enim fas erat, virum doctissimum, ac singulari prudentia spectatum inter ea momenta rerum feriari. Quando verò ad suos transierit, mox dicemus.

Ites intendût Legati cum Schotto, Cæsarem cõueniunt.

Quid habe[a]t in mandatis exponunt.

Probat ea Carolus.

Atq; euulgari populis præcipit.

Nullo licet operæ fructu.

Quamuis vrgerent rem Legati.

Quibus adeerat egregiè Schottus.

In Germania dum hæc aguntur, cœpta iterum Romæ in Aulæ, & Clericorum mores censura, Cardinale Theatino id in primis apud Pontificem vrgente. Nam quod aggressus olim fuerat ad Ecclesiæ emendationem, lucubraro vnà cum clarissimis viris insigni opere, vti suo loco significatum est; id nunc valdè opportunum, ac per-

Romæ instituitur censura morum.

pernecessarium esse existimabat; ne dum reuocare ad frugem Germaniam contenderent Pontificis Legati, Romanam ea Gens licentiam, Aulamque obiectarent. Idque etiam Schottum nostrum, antequàm cum Internuncijs proficisceretur, Romæ anxiùs, quà scripto, quà voce commendasse, adnotauit Antonius Caracciolus: qui quidem sapienter, partem eius operis, quod aggrediebantur, esse commutatas Aulicorum viuendi rationes, & Cleri formam; ac nisi ab ea Catholici moris instauratione auspicari rem contingeret, frustrà sanctissimam expeditionem illam, atque inauspicatò adornari, affirmabat. Ergò in id negotij accuratè incumbere Cardinalis Theatinus; cui etiam, quòd simile quid est, morum, ac templorum nitor; Ecclesiarum, quæ Romæ sunt, inspectio sub id tempus demandata. Planè in ipso religionis Domicilio, ac Sede sanctitatis Templa, diuinorumque cultum sordescere, indecorum omninò erat, ac sanè præposterum. Obsoletum vbique sacrum instrumentum cernebatur: exiguus Aris cultus, aut nullus: seruando Eucharistico Numini pyxides passim ligneę: nullus non paries vitium fecerat; excipiendoque imbri tecta laxabantur. Lustrasse isthæc omnia Theatini solertiam, ac zelum, in nouam commutasse faciem, exuto veluti senio, fuit; mulctata acriùs, vt par erat, administrorum negligentia: quod enimuerò, quæ clades æui erat, inuidiam in Theatinum concitauit; cuius obfirmatum egregiè in curanda te sacra pectus, nulla vnquam malorum oblocutio à præclaro instituto retardauit.

Quam monuerat etiam Schottus.

Curauitque Cardinalis Theatinus,

Cuidemandata etiam Ecclesiarum inspectio.

Ingenti cum diuini cultus incremento.

Neque verò circumscriptum Roma tanti viri studium erat, sed etiam ad longè à nostro vertice, Cæloque positas Regiones pertingebat. Ecclesiasticæ siquidem amplitudinis, fideique flagrantissimus, quò amplificati res Christiana in Æthiopia, continerique sub Romano Principatu, ac iure Gens illa pro modo posset, persuadere hoc anno Pontifici studuit, vt inaugurati inibi Patriarcham adnueret. Gestauerat hanc Cardinalis Theatinus diutiùs mentem: quid verò causæ fuerit, cur id animo conceperit, versaretque, illud planè fuit, quod in [a] Thesauro Politico narratur. Lusitanus quidam, Ioannes nomine, Clementis Pontificis Septimi tempore apud Æthiopas morabatur. Is cum Vaticinium quoddam vulgi sermonibus, famaque celebrari apud eos homines cognouisset; fore nimirum, vt post centesimum Abunam, (sic Sacerdotem nuncupant) qui tum è viuis excesserat, reuunciatus à Romana Sede Patriarcha illuc amandaretur; in Italiam soluit. Tùm composito Pontificio diplomate, cohonestatum se ea honoris appellatione, ac dignitate effinxit, iterumque in Æthiopiam adnauigauit: vbi exceptus perquàm honorificè à Dauide Rege, populoque fuit, ac si inauguratus ea Infula reuerà esset. Et Rex quidem vnà cum Helena Auia, Pontificis beneuolentiam sibi, ac Genti suæ gratulatus; Oratores Romam misit regijs litteris, quæ & locasse se Pontificia in Sede Ioannem Patriarcham testarentur, & beneficij cumulatè gratias redderent. Abesse longiùs eas terras, quàm vt peruenire illuc Romana prouidentia, curæque possint, in causa fuit, vt imponeret ea simulatione populis Lusitanus vetetator: nempè securitatem peccandi tribuit, aut nunquam, aut vix posse crimen detegi. Igitur, ne decipi aliàs ea Regna contingeret, haberentque sacrorum Antistitem, qui orthodoxam religionem tueretur, atque amplificaret; fore optimum factu, Pontificem monuit Carafa, si Regi facultatem faceret, eligendi Patriarcham, ac duodecim Abbates secundum cor suum; qui elato subindè Patriarcha, alium ex seipsis muneri subrogarent. Hinc fieret, vt cùm Abbates ij populares forent, quem ipsi Antistitem dederint, facilè à sua Gente admitteretur. Adlegare verò hominem exterum, verendum planè esset, vt exciperetur. Experimentum id posteà comprobauit, cum Gregorius XIII. Lusitaniæ Rege adnitente, exterum Patriarcham ad Æthiopas amandauit, quem scimus non acceptatum: admisissent porrò, si duodecim illi Abbates, gentiles sui elegissent. Egregia hæc autem Cardinalis Theatini mens successu caruit, quòd honestare non mediocri censu nouam illam Patriarchæ, atque Abbatum dignitatem oporteret.

Latiùs extenditur Theatini zelus.

Et rei Aethiopicæ consulit.

a Part. 2. fol. 144.

Lusitani cuiusdam versutia,

Qua in Aethiopiæ Infulam euasit.

Eligendum in ea Regione Patriarchã cõsulit Card. Theat.

Sed caruit successu consilium.

Illud præterea è fidei orthodoxæ zelo profectum, non dissimulandum de Cardinali Theatino; cui id potissimùm, vt modò monuimus, curæ erat, vt apud remotissimas mundi plagas non intercideret religionis sensus, lucemque faceret vltra an-

Olaus Magnus, agente Theat. Pallio insignitur.

ni, ac solis vias Romani Pontificis maiestas, ac nomen. Curauerat olim, vt Pallium, quod Episcopale insigne est, ab Adriano Pontifice Sexto, Olao Magno Vpsalis, quæ Vrbs est in Gothia, Archiepiscopo, viro doctissimo, perindè & religiosissimo, concederetur. Huic autem vita functo, cum Ioannes Magnus, germanus frater ijs in Insulis successisset; egit hoc anno Carafa cum Paulo Pontifice, vt idem illi insigne sponte mitteretur. Decere quidem, vt sub nubilo, frigidoque illo Gothici Cæli tractu quædam arderet lux, ac fauilla religionis, Romanæque potestatis. Promereri hunc porrò Ioannem honorem illum, quòd egregiè iam in tuenda re Christiana desudauerat, ac tùm maximè insignem suam operam in hæreticos impendebat, qui in eas Prouincias ingressi, pietatis reliquias maximoperè diuexabant. Ipse verò exilio postmodùm mulctatus, ac iactatus ea diutiùs procella; Romam tandem, veluti in publicæ Parentis sinum confugit: vbi cum plures in se Purpuratos Patres beneficos expertus esset; tùm in primis Cardinalem Theatinum ingentem ipsius calamitatem fuisse commiseratum, fidei, animique generositatem dilaudasse, fouisse munificè inopiam, est gratulatus. Cæterùm Catholicos viros, quos exutos opibus, suoque deiectos gradu ac sede, hæreticorum vi ac sæuitia, vndique gentium, ac terrarum Romam confluere contingebat; eximia complecti caritate, ac prona in miseriarum, afflictæque fidei opem manu, domo excipere Theatinus consueuerat. Inter quos sub id fermè tempus fuit Bartholomæus Georgeuizius, vir Polonus, quem cùm gentis nobilitas, tùm mores, ac doctrinarum præsidia apprimè commendabant. Vendicauerat is sese ab crudelissima Turcarum seruitute, quam diù pertulerat. Perfugium Roma fuit, ac præcipuè Cardinalis Theatini Domus, qui hominem cùm apud alios authoritate, tùm suamet ipse liberalitate, auroque iuuit. Librum prætereà, quem inscripserat, Speculum humanæ miseriæ sub Turco Captiuorum, vt publicæ luci daret, collato ære impulit: vt perlecta Principes ea Captiuorum infelicitate, cuius ille exactam, suisque expressam lineis; imaginem accuratè repræsentabat in communem humani generis Tyrannum, eiusque cladem inardescerent; ac mouerent arma, nunquam profectò sanctiùs, atque illustriùs exacuenda, quàm cùm lunæ illi cruentandæ collimauerint.

Et eo defuncto, mittitur Ioanni fratri, eodem agête Theat.

Ioanni Magni in re Catholici studium.

Et Card. Theat. in illũ beneficentia.

Georgiouigius excipitur Romæ à Theatino.

Eius liber, cui titulus Speculum humanæ miseriæ sub Turco Captiuorum.

Venetijs Comitia an. 1548

Iam, quod ad Ordinis administrationem hoc anno spectat, habita Venetijs Comitia fuere, exeunte Aprili mense: ac Tolentinatis quidem Domus Præpositus Bonifacius à Colle ad tertium annum renunciatus. Neapoli verò ab excessu Thienæi nullus eam Præfecturam inierat; sed qui nostri Ordinis mos est, vt si quando aut obire diem suum, aut abesse Præpositum contingat, Senior ex Patribus eas vices administret; Marcus Venetus, illibatæ vir famæ, vsque ad generale Capitulum rem Paulinam procurauerat, cui nunc denuò impositus Ioannes Marinonius. Planè, nil accidere illi molestius, nil alijs iucundius poterat. Munus & deprecabatur semper bonus Senex, & subire semper cogebatur. Enimuerò quoties de re communi Capitula celebrabantur, in quibus eligi, qui præsint, mos est; anteuertere Patrum suffragia Ioannes consueuerat, atque infimis precibus rogare, vt publicis curis exemptum vellent. Sed qui semper orabat, perrarò exorauit; ceu religio quædam esset, tantum virum vacare magistratu, qui vacare magistratui tanta cum animi sedulitate, ac prudentia solitus erat. Sed de eius in administranda familia præclaris artibus fusiùs diximus supra.

Bonif. Venetę Domus Præpositus.

Marinonius Neapolitanæ.

Congregationem hoc anno die tertia, & vigesima Nouembris inijt Thomas, natione Anglus, Patria Cantuariensis, Gente Golduellus, genere nobilis, litterarum iuxta, ac pietatis studio clarus, Sacerdotio item initiatus; quem communis ille Angliæ turbo, ab Henrico, impurissimo Rege excitatus, exulare coegit domo, ac patria, Romam ab ea tempestate enatauit, exceptus Cardinalis Poli beneuolentia, quem ceu salutare Britanniæ sydus naufragus quisque Anglorum in ea religionis procella inspiciebat. Tùm Neapolim auspicatiùs profectus, tutiorem in portum appulit, ad nostrum Ordinem, disciplinamque in Diui Pauli Domo aggregatus. Is posteà, etsi Patriam reliquerit, visus Anglum non exuisse; eaq; iu populares suos caritate semper fuit, vt quæcumque sese iuuandæ eius Christianæ rei obtulit subindè occasio, libens, vo-

Thomas Golduellus dat Congregationi nomen.

volensque arripuerit: vtque diuisos terris, ac fide Britannos, Romæ iterum anne-cteret, non grauissimis quidem incommodis, ærumnisque, non capiti pepercit, vir Catholicæ fidei studio, suæque potissimùm Gentis commiseratione, ac pietate fla-grantissimus. Sed suo hæc loco memorabimus. Venetijs verò publicè Tolentinate in Domo vota concepit hoc item anno, Septembri mense, Augustinus Barilius, Sa-cerdos, Bergomas, de quo meminimus suprà, cùm de Patrum Somascenorum cum nostro Ordino coniunctione egimus. Is quippè proniore quadam in nostrum Or-dinem propensione nexum illum, cùm Venetijs apud Nostrates, tùm Romæ apud Cardinalem Theatinum ardentiùs transegit: datoque statim Congregationi nomi-ne, excellenti quodam genere virtutis ea transitione, siue insitione floruit, testimo-nio probatissimi viri Hieremiæ Isachini, qui numerare Augustinum inter egregios nostræ disciplinæ professores non dubitauit: siue enim alijs præesset, siue subesset, eximiæ cuiusdam, religiosæque prudentiæ, ac modestiæ specimen dedit. Sed de illo incidet aliàs sermo, nunc ad alia properamus.

August. Baril. adsciscitur Ordini.

Vir omnigenere laudis ornatissimus.

E Germania consequenti mox anno labentis seculi quadragesimo nono reuerti-tur Bernardinus Schottus; missionemque à Lipomano non facili quidem negotio impetrauit; quippè qui nonnisi legatione absoluta, illum abire, atque vnà simul repedare in Italiam peroptasset; eruditissimi siquidem, æquè & carissimi capitis con-suetudine inter illos cogitationum, curarumque æstus temperare nonnihil Cæli, gentisque asperitatem videbatur. At valuere apud optimum Antistitem Nostratum vota, ac postulationis æquitas. Comitijs nanque hoc anno Maio mense Neapoli ce-lebratis, refectoque ad secundum annum in Paulino Cœnobio Ioanne Marinonio; destinatus Venetæ Præfecturæ communi suffragio Bernardinus Schottus fuit. Certè cùm intra paucos omninò menses confectum iri Germaniæ negotium putassent Pa-tres, vt non grauatè eius olim profectioni assensere; ita reuersurum propè diem cùm persuasum haberent, domestico illum munere excipere decreuerant. At enim-uerò, diutiùs, quàm ipsi putauerant, hæsuros in Germania Legatos cùm rumor per-crebuisset; conscriptis ad Lipomanum litteris, rogare illum communis mens fuit, vt quando non ita maturior Pontificiæ eius expeditionis exitus foret, ac pro certo sci-rent, Schotti operam non adeò iam ijs curis, legationique necessariam, ipsum verò Patrum suffragia Venetæ procurationi admouissent: iuberet humanissimus Præsul, vt suæ ille prouinciæ administrandæ opportunè adesset. Id communem Congrega-tionis rem poscere, id orare prolixiùs Patres: quorum nihilominùs animi sensus is erat, vt sua ipsorum vota beneuolentissimi Antistitis voluntati posthaberentur. Li-pomanus, etsi auelli præclarum à se virum, vti diximus, ægrè ferret; tamen quòd de legationis successu minus iam solicitus esset, conspiceretque, nihil porrò eruditione, ac facundia cum præfracta hæreticorum perfidia profici; Patrum postu-latis perhumaniter annuit. Quòd verò in interiore Germania adhuc essent; dilata aliquantisper profectio; donec Salisburgum, quæ proximè Italiam Vrbs est, Nuntij concedentes, vbi immorari aliquandiù oportuit; reuerti Schottum iussit Lipoma-nus, qui & litteris ad Bonifacium à Colle, ac Venetos Patres dedit, grati animi, ac Bernardini virtutis testes; quas hic, Latinè redditas attexere, erit profectò curæ pretium: sic verò habent. [Cum Deo volente tam propè] ab Italia abesse contige-rit, longiùs caritati vestræ, ac votis Præpositum vestrum debere nolui. Illum ita-que vobis restituo; ac si diutiùs, quàm voluisse vos scio, detinui, parcite: moræ verò causa loci distantia fuit, neque enim vti ille tàm commodo itinere poterat. Gratias porrò vobis omnibus refero, quòd ea mihi beneuolentia tàm solidæ probi-tatis Patrem concessistis, cuius equidem exemplorum documenta & ipse hoc tem-pore, quo vsus eius sum consuetudine, hausi, & meam quoque familiam omnem ab ijs eruditam gratulor: vobisque hoc me nomine maximoperè obstrictum, perue-lim vos scire; & si Deus, ac dies adspirauerint, spero, fore vt testimonio luculen-tiore comprobetis. Quid hìc rerum accurare nos hactenùs contigerit, quoue in præsens loco sit religio, ac res Romana, docebit fusè Bernardinus. Planè si vnquam ardentiore prece pulsandum Cælum fuit; supplicandum impensiùs Numen nunc est, vt non quidem mortalium crimina æstimet, sed suæ impulsu pietatis à caligine

Reuertitur è Germania Schottus.

Renunciatus Venetæ Domus Præp. in Comitijs Neapol. an. 1549.

Petiere id anxiè Patres à Lipomano.

Qui annuit.

Scriptis ad Bonifaciũ, & Patres litteris.

hac

hac summa rerum, magnisque, quibus inuoluimur, calamitatibus, in lucem nos, pacemque asserat. Reliquum est, vt cùm Ecclesiæ Veronensis commoda, tùm ipse me vobis offeram, quantus sim. Iucundius profectò mihi nihil vnquam erit, quàm si mea omnia vestra esse intelligatis; & qua mihi fiducia vti vestratum opera libuit; eadem vt vos meis vtamini, rogo. Valete. Salisburgi di 22. Iulij 1549.] Restitutus Italiæ, ac Venetijs Schottus nimiùm quantùm non modò suos, qui expectare anxiùs videbantur, exhilarauit; verùm etiam exteros, quos demereri omni officiorum genere, ac prudentissima tractatione animorum consueuerat. Cum Lipomano verò, quoad is morari Salisburgi oportuit, intercessere litterarum commercia, quarum ille vsu acte viri desiderium temperabat: & qui permagni Schotti iudicium faceret, communicare cum eo solitus erat, quas egregijs sanè lucubrationibus Sanctorum virorum vitas in Germania concinnabat, ad hæreticorum insaniam præstantissimarum virtutum exemplis profligandam.

Exceptus Venetijs Schottus omnium lætitia.

Instâte anno seculari sacro,

Romæ egregia Cardinalis Theatini virtus minimè hoc anno vacat; ac post Ecclesiarum inspectionem, quod accuratissimè munus obiuisse, diximus; noua illi prouincia demandata. Propè aberat, vetere Ecclesiæ instituto, Annus secularis sacer; flagrabatque ingenti quidem desiderio Paulus Pontifex Tertius, publica Christianum Orbem munificentia, amplissimoque sacrorum congiario cumulare. Nam profundissima licet ætate, ac maior octuagenario esset; non accisæ adeò vires erant, quin pertingere ad Romana ea Sacra posset. Ergò erectus ea spe, iussit parari iam, quæ instituendo Iubilæo, excipiendoque Orbi forent opportuna. Principem eius rei curam Cardinali Theatino, tunc Episcopo Sabinensi, imposuit: qui plures iam Pontifices emensus, Illique celebritati aliàs præsens, nouerat, quid obseruandum, quid cauendum in tanta hominum frequentia esset. Itaque diligentiore quidem memoria repetens, quæ minus decorè, ac perturbatè acciderant, cùm anno quingentesimo supra millesimum Alexandro Sexto Pontifice, tùm anno quinto, & vigesimo Clementis Septimi auspicijs inaugurato; leges planè prudentissimas ea super re statuit. Quæ ad Sacrorum administrationem spectant, præclara quadam ratione, ac zelo accurare, præcipuus labor fuit. Peruenere quidem ad nos, quas sapienter præscripsit præceptiones, ac monita; sed quæ rerum omnium antiquarum conditio est, decurtata, ac mutila: ea tamen sunt, vt integra in ijs extet, spiretque Cardinalis Theatini mens, ac eloquentia.

Præscribitur à Card. Th. eius celebrãdi ordo, & ritus.

Moritur Paulus Tertius.

At enimuerò, hæc solennis anni faustitas Paulo non contigit; senecta siquidem ætate, magnisque curis hoc maximè tempore confectus; suprema interceptus mortalium necessitate, fatoque fuit, die quarta decima mensis Nouembris; vir quidem omni maximarum virtutum laude cumulatissimus: eo potissimùm excellenti prudentiæ genere, quo explorare animorum studia, recessusque, atque abductas Principum mentes nouerat. Testata porrò magnificè, antequàm diem obiret suum, Cardinalis Theatini merita, atque eximiam virtutem voluit. Quod ex [a] Antonio Cardinali Carafa nobis non dissimulandum. Etenim cum eo tempore, quo extremè decumbebat, publicis, priuatisque factionibus, ac Principum studijs satis turbida Ecclesiæ negotia intelligeret; quod subirent tunc animum Cardinalis Theatini sensa, quæ domestico non semel colloquio ijs de rebus aperuerat, fertur defecta penè voce inclamasse: O Cardinalem Theatinum, vtinam audire monentem te libuisset. Alterum, quo tunc honestare illum voluit Paulus, amplissimum Neapolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium fuit. Nam cùm eas Infulas Ranucius, Card. Farnesius abdicasset; Theatino, haud multò antè quàm excederet, hoc est, die nona Nouembris, contulit; non vulgaris planè beneuolentiæ testimonio; quòd in ipso vitæ confinio de illo beneficijs cumulando, ornandoque cogitaret. Qui quidem auctus censu, ac opibus, non quæsitioris quidem cultus, aut luxus, sed liberalitatis, pietatisque materiam accessisse est gratulatus. Ea enim erat virtutis in eo indoles, vt munificentior, quàm splendidior, plus aliorum indegentię, quàm dignitati suę daret. Id quod pręstiterat, vel cùm domesticę rei difficultate premeretur. Enimuerò, vt Sinibaldus in Commentarijs de Episcopis Theatinis scribit; anno proximè elapso, cùm simplicia quædam in Theatina, quam ipse administrabat Ecclesia, vacasse beneficia contigisset, vt Clericorum de-

[a] Apol. ad Nauag.

Theatini monita meminit supremo spiritu.

Quę Archiepiscopatu Neapolitano paulò ante donauerat.

Aucta Theatino opes ad munificentiã non ad luxũ.

ceutiæ,

centiæ, honestatique consuleret, cedere omnia in Collegij, quod Hebdomadoriorum vocant, censum, & commodum voluit; nulla prorsùs habita sui ratione, pauperiore licet inter Purpuratos fortuna vteretur. Et par erat prætereà, ac perhonestum, suis illa vsibus adijcere, tùm quia in transalpinos, ac transmarinos Catholicos munificus, multum auri in eorum hospitio insumeret; tùm verò, quod domi suæ tunc agerent Montorij Comites, & Carolus Carafa, affinesque alij; quos habere perhonorificè, & Purpuræ dignitas, & ipsa in cognatos caritas poscere t. Sed non hæc apud virum, cui prius suorum Clericorum decus, quàm sui commodum erat, valuere. Ob quem, non planè exigui prouentus contemptum dignus fortasse posteà fuit, vt amplissimæ Neapolitanæ opes adderentur. Porrò, antequàm hoc Sacerdotium adipisceretur, ab Insulis Albanensibus ad Sabinenses transierat, quæ ex ijs sunt Ecclesijs, quæ successiuè Patribus Purpura antiquioribus contingunt. Et in Sabinensi quidem, quæ collata illi maiori, quàm vnquam alijs, authoritate, ac iure à Paulo Tertio fuit, plura sanè insignis cuiusdam prudentiæ, ac zeli documenta dedisse, scimus. Plerosque inibi Clericos, neque habitu, neque disciplina Clericorum agentes, quorum iam patrandis flagitijs frons depuduerat, reperit: tùm irrepsisse publica in populos crimina, prauasque obtinuisse consuetudines. Bona item Ecclesiarum inter communes illorum temporum, ac bellorum turbas temerè à Regulis vsurpata; vt sacerdotia ipsi pro arbitratu, ac libito conferrent, ceu transmisso à Maioribus in posteros iure. Hæc, aliaque huiusmodi adnisus acriter est Theatinus emendare, ac vindicare: confecitque mox, vt suæ quidem Ecclesiæ opes; modestia, ac disciplina Clericis; vulgo mores boni restituerentur. Consignauit hæc litteris Virgilius Rosarius, qui eius tunc Ecclesiæ Vicarius erat, postea Cardinalis: extatque is in nostro Neapolitano tabulario libellus manuscriptus.

Card. Theat. Episc. Sabin.

Quæ in Ecclesia emendauerit.

Iam quæ in consequentis anni quinquagesimi Comitijs nostris, Neapoli habitis, de Congregationis disciplina prouehenda, agitata inter Patres fuere, adnotata nusquam inuenio. Est verò nonnihil, quod in hisce nostris historijs consignemus, de celeberrimis, atque amplissimis Augusti Senatus Comitijs ob Pauli Pontificis Tertij obitum; quæ suffragijs hinc inde disceptantibus, diutiùs Romanorum animos, atque Orbis vota diuexarunt. Negotium longè grauissimum, ac publicæ Christianæ rei momentum id est, cum de eligendo Capite agatur, à quo humana, ac diuina omnia vice Numinis temperantur; & à quo in subiecta Ecclesiasticæ Hierarchiæ membra vigor omnis, motusque, ac spiritus propagatur. Eapropter conscripti Patres, quorum partes sunt, id maximè rei, atque officij peragere, congruentor quidem operi, ac muneri suo faciunt, cùm eos sibi familiares, in grande Comitium secum vnà ingressuros, adsciscunt, quorum ipsi consilio, ac prudentia in re summa vti possint. Thomæ Golduelli, quem duos abhinc annos nostrum Ordinem iniuisse, memorauimus, doctrinam, integritatem, atque egregiam vim mentis apprimè nouerat Cardinalis Polus; eiusque proindè operam fore sibi in eo congressu perutilem cùm existimasset, secum in Pontificium Conclaue duxisse, narrat Antonius Caracciolus. Res quidem impetratu difficilis fuit; neque enim par erat, virum tranquillissimam in stationem paulò ante assertum, sibique, ac paci suæ vacantem, in illum maximarum curarum æstum conijcere. At valuit Poli cùm authoritas, tùm in Ordinem beneuolentia: mouitque ea etiam causa Patres, quòd è communi re Ecclesiæ id esse intelligebant. Denique quòd eximia eius virtus, ac maturior morum grauitas, & constans probitas efficerent, vt de illo, non tanquam de tyrone statui oporteret; beneuolentissimo Cardinali morem gerere consilium fuit. Et verò, egregiæ Golduelli virtutis argumentum videri potuit, & postulasse Cardinalem, & concessisse Patres; communi nempè eorum iudicio in solidæ eius prudentiæ opinionē conspirante.

Capitulum Gen an. 1550.

Cardinalium Comitia.

In quibus Card. Polo adest Thomas Golduellus.

Et assentire Patres non nam ob causam.

Cardinalis verò Theatinus in magnis ijs Pontificium Comitiorum curis sui profectò similis fuit; ac nescio, an maiorem præseferre vnquam animi celsitudinem, atque constantiam potuerit. Nobilitata omni dignitatum gradu longæuitas, perpolita prolixiore rerum vsu prudentia, sacrorum omnium scientia, morum integerrimorum constans fama; tum ipsa Purpuratorum Patrum admurmuratio, ac suffragia, plenioribus planè velis ad summam illam potestatem, ac rerum culmen proue-

Card. Theat. in ijs Comitijs animi præstantia.

hebant. Docuissent profectò alios spes hæ magnæ prensandi modum. Communes siquidem Candidatorum artes illæ sunt: compositis conciliandæ, amplificandæque beneuolentiæ verbis vti; indolis seueritatem, si qua insit, ad humanitatem erudire; spes bonas scitè alijs inijcere, iniectas alere magnificè; vel ficationem sese ad omnem accommodare; suspensis admodùm vestigijs, ac auribus explorare, inspicere, timere omnia. At Cardinali Theatino, cui mereri virtutis conscientia, quàm assequi magnos honores antiquius; longè alia agendi ratio, ac mens fuit. Quippè ne emendicare Pattum studia videretur, à præclaro sincerioris animi instituto, morumque, ac vultus subausteriore grauitate nihil detractum voluit. Nunquam aut colligendę gratiæ, aut negotijs pertractandis, prensandisque Sodalibus visus circumire: suo sese in cubiculo continebat; ac ceu nulla ipsum ingentium illarum curarum pars tangeret, summa cum animi tranquillitate vacabat studijs, ac precibus. Admirandum illud porrò, ac dignum planè omnium laude fuit, vt in magno quodam momento, æstuque rerum, cùm omnes huc illuc Augusti Patres discurrerent; solus ipse extra cellulam pedem non extulerit; ostenditque, quàm illa minimè adfectaret, quorum intentior sanè cura tàm acriter alios exerceret. Ad hæc, admotus Pontificij Comitij ianuis, ac publicæ custodiæ cum alijs fuit; quorum illæ potissimùm partes erant, inspicere, an inter illa, quæ Cardinalium vsibus inducerentur, præcipuè inter epulas, secretæ laterent ad eos epistolę, ac monita. Plenum aleæ munus hoc est: & quibus erectus spe animus, summa profectò cum dexteritate peragi oportebat, ne quempiam læsisse viderentur. Apud Cardinalem Theatinum, cui fungi integerrimè officio curæ erat, nullus gratiæ, aut conniuentiæ locus fuit; quominùs diligenter omnia peruestigaret. Accidit porrò semel, vt in occultas quasdam litteras incideret; quas, haud quidem veritus, ne inuidiam sibi concitaret, fauoremque, ac spes suas corrumperet, intrepidè, ac propalàm combussit. Magna hæc egregij, constantisque animi argumenta: illud fortasse maius, quod in primis adnotarunt, qui ea tunc Comitia stylo excepere. Numerabantur Purpuratorum suffragia: quorum aliqua accessisse Cardinali Toletano vt intellexit; quòd præclarè admodùm cum Christiana Republica actum iri existimaret, si illum renunciari Pontificem contigisset; totus in virum egregium, licet Hispanum incumbere; Tranensi Cardinali Decano in consilium, opemque accito: eòque Theatini ardor euaserat, vt nil propiùs fuerit, quàm vt re confecta Pontifex Cardinalis Toletanus consalutarerur. Scilicet eò ille collimare tantummodò videbatur, vt lectissimum caput præstantissimo corpori imponeretur; regeretque Ecclesiam, qui comperta virtute Diuiniratis in terris vices promeruisset. Cæterùm, sibimet refragari se, suasque lædi rationes, prono in alios studio, nihil pensi habebat: vt mox cum agi impensiùs de se ipso cœptum, insigni planè magni animi documento commonstrauit. Enimuerò scissis in studia Patribus, hi Cardinali Polo, hi Theatino acrioribus quidem suffragijs imminebant: vtraque numerosior, ac tenax propositi pars; neque institutæ semel disceptationi cessura. Ergò æqua fronte, ac lance diù certatum: cùm Theatinus teri inter ea votorum dissidia tempus, indignum ratus, moras, ac æmulationem abrumpere maiorem quouis Principatu animo statuit. Eapropter allocutus grauissima oratione amplissimum Senatum, precatus enixè est, ne suffragari ipsi ampliùs vellent. Non deesse in sacro eo Cœtu excellentis prudentiæ, atque indolis viros, qui Principis Tiaræ honores, curasque, & auspicatiùs capesserent, & sapientiùs administrarent: flecterent proindè in alios studia, & vota: se quidem, vt omnium beneuolentiæ quæsitissimas habere gratias, ita hortari, obtestarique, vt velificationem commutarent. Exceptæ omnium plausu, atque admiratione hæ Theatini preces, obfirmato quodam oris habitu conceptæ, velut à sincera, atque altiore quadam mente. Valuitq; id exemplum apud Cardinalem Polum, qui coactum se Theatini sequi vestigia professus statim est, rogauitque Patres, ne in ea suffragatione pergerent. Fuere porrò & alia in eo Comitio, in quibus suum erga rem Christianam studium, zelumque magnoperè probauit: præsertim cùm euectum iam penè ad Pontificatus apicem magni nominis Cardinalem, conatus omni ope est ab eo fastigio deturbare: idque non priuato quidem æmulationis, aut inuidiæ sensu, quarum ipse causas procul habe-

Candidatorũ artes,

Ablegatę à Theatino,

Qui sibi, & precibus vacat.

Comitij ianuis præest,

Insigni integritate, & cõstantia.

Cardinalem Toletanum ad Pontificatũ prouehit,

Sui negligẽs.

Vocatur ipse in suffragium vnà cũ Polo,

Recusatque magna indole.

Secutusq; exẽplum Polus.

Strenuè agit Theat. ne Sãctam Sedem iocat indignus.

habebat; sed quia libatæ religionis, fideique quidam de illo rumor percrebuerat. Refrigeratus in illum fauor Theatini præsertim authoritate, ac facundia est; qua ab Apostolica illa, certissimaque veritatis Cathedra non errorem modò, sed quamlibet vel leuissimam erroris suspicionem facessere oportere, vehementiùs petorauit.

Igitur Numine adspirante, cuius est magna isthæc moliri, per longa ea partium dissidia, atque alternantium suffragiorum vices, appellatus tandem Pontifex est Ioannes Baptista de Monte, dictusque Iulius Tertius: qui Cardinalem Theatinum, quippe qui præclaras eius animi partes apprimè nouerat, perhonorificè habuit; & quas ille adeptus à Paulo Tertio sub ipsum vitæ finem Neapolitanas Infulas fuerat, ratas statim habuit: addiditque maioris cuiusdam beneuolentiæ specimen: ab ea nanque quam Sacerdotio imposuerat Paulus, mille aureorum pensione, Cardinali Farnesio soluenda, illum absoluit: cùm enim non scindendam tunicam, neque alligandum os boui trituranti esse, Theatinus Iulio pulchrè insinuasset, annuit is perhumaniter; atque integros eius commodo cedere iussit Vineæ prouentus, qui incumbere in eiusdem Vineę procurationem, cultumque diligenter debebat. Theatinus verò in ipsis sacri Principatus rudimentis, vt egregiam Iulij mentem in promouenda re Orthodoxa, continuandoque œcumenico Concilio dilaudare, atque incitare acriùs cœpit; ita si quæ ille præter modum, communemque grauissimorum hominum sensum moliri consilium esset, animum suum candidissimè aperire, constanterque monere, non dubitabat: nunquam enim, aut vis beneficij, aut timor à maiestate magnam eam indolem labefactauit. Et verò suam cùm in dicendo libertatem, tùm animi constantiam commendauit hoc ipso anno; cùm de adoptando inter amplissimos Patres Innocentium de Monte Pontifex egit. Demeruerat is, genio quodam Principum, Iulij beneuolentiam, nullis planè bonis artibus instructus, nec morum fruge, aut fama; infimo præterea loco, obscurisque adeò natalibus, vt non atauus, non auus, sed ipse statim lateret pater. Huic non vtcumque Purpuram, verùm & galerum ipsum suum, & cognomentum destinauerat: ferebantque peracerbè pleriq; Patrum, ceu dehonestaret Ordinem, ac seipsos noui hominis Infula. Causam apud Pontificem disertè orauit Theatinus. Quippè rogatus priuatim sententiam, strenuè remouere ab eo consilio Pontificem studuit. Pertimescendam, inquit, bonorum, ac vulgi famam, qua nullum efficacibus Principibus frænum, ac supplicium. Non ea Innocentium virtute esse, qui honestari Purpuræ insignibus dignus foret. Quinimò proscindi passim viri mores; ac proinde quæ priuata modo erat hominis nota, communem ipsiusmet Pontificis, atque amplissimi Senatus contumeliam, ac dedecus fore. Præterea, patriæ, generis, ac patris obscuritas quantas offunderet Purpuræ, ac Pontificio nomini tenebras? Prosecutus copiosè, ingentique cum zelo argumentum est: finemque sermoni imposuit ijs verbis: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Hæc sæpius Nostratibus narrabat Cardinalis Saluiatus, affirmabatque vulgò tunc ferri. Pontifex adornare hominem amplissimis ijs Infulis, quàm consulere famæ suæ, maluit. At Theatinus, ne adstipulari suffragijs videretur, ab eo Consistorio, quo renunciatus ille erat Cardinalis, abstinuit; mentem verò suam scripto istiusmodi ad Pontificem misso aperuit. [Beatissime Pater, laboraui per aliquot dies corporis incommodis, neque adhuc satis firma sum valetudine: ideò nec Sanctitatem Vestram adire, nec cum Reuerendissimis Dominis meis Cardinalibus frequentiùs esse potui; licuisset enim mihi, tùm de cæteris rebus publicis, tùm de promotione istius pueri aliquid audire, vnde nunc votum meum tutiùs formare possem. Quare cum penitùs ignorem, & genus, & patriam, & natales, & ætatem, & qualitatem personæ, quorum notitia in causa tam graui necessario requiritur; dabit mihi veniam Sanctitas Vestra, si à ferendo suffragio reuerenter abstineam.] Hæc ille. Quis autem in Purpura posteà fuerit Innocentius de Monte, historiæ, quibus in mortalium mores, ac famam ius est, loquuntur: & Pius Pontifex Quintus luculenter postea declarauit, qui illum ad Montem Cassinum in exilium amandauit: cùm interim Theatinus honore illum prosequi minus recusaret; & cuius non admodum indolem probabat, honestare dignitatem atque Infulam videbatur.

Eam sibi porrò excellentis prudentiæ, summæque apud Pontificem authoritatis famam,

Salutatur Pontifex Iulius Tertius.

Qui Cardin. Theat. honorifice habet.

Et solutam omni fœnore Ecclesiam Neapolitanam illi tribuit.

Theatini cũ Pontifice libertas.

In deprecanda Innocentij de Monte Purpura.

Eius ad Pontificem hac de re suffragium.

Quis in Purpura fuerit Card. Montanus.

famam, non modò Romæ, vt sæpè meminimus; verùm etiam foris, atque apud longè terrarum dissitas gentes comparauerat Cardinalis Theatinus: vt eius sese fidei, ac patrocinio committere Vngarorum Proceres hoc anno decreuerint. Florentissima ea olim Gens, Regni longè clarissimi opulentia, fortissimorum Regum virtute, procerum nobilitate, ac indole, splendore opum, ac ipsa religione fuit. Perdurasset profectò ea Regni felicitas sub Ferdinando Austriaco, cuius fascibus post Ioannis Vaiuodæ, Regis fata, pactis cum eo conditionibus, accedere Pannoniæ Imperium ritè debuit. At eius vt frænum excuterent, accersitus Aulicorum potiùs, quàm Reginæ consilijs Solimannus, qui punica vsus fide, aliorum dissidia suos in triumphos vertit: occupatque dolo, ac vi toto penè Regno, pulcherrimam illam Cæli, ac soli faciem fœdauit, mores ac religionem corrupit: inductaque statim cùm barbarorum Imperio tyrannis, ac præalta barbaries. Quæ pars Regni immunis ab ea clade, ac seruitute fuit, metuere ab efferatæ Gentis propinquitate, ac lue videbatur: ac præcipuè Catholicæ Religioni cauit; quam vt quæsito insigni quodam præsidio tuerentur, amplificarentque Vngarorum Proceres, neminem profectò inter Romanos Patres inspexere, quem Theatini virtus, atque amplitudo non anteiret; ac proindè qui complecti diligentiore quidem studio, maiorique authoritate conuulsam Pannoniam posset, nullum esse existimarunt. Ergo litteras ad illum sigillis omninò quatuor, & viginti, ad eius Regni Procerum numerum, obsignatas, conscripsere: quibus & Gentis calamitatem, & partem felicitatis, si in suam ipse reciperet clientelam, explicantes; rem Vngaricam, distractæque potissimùm apud ipsos religionis negotium, ac patrocinium commendarunt. Pertulit has illi litteras Paulus Gregoriauecz, Electus Zagabriæ Antistes, Vir quidem egregia virtute, ac præstantia morum insignis; qui quo loco in eo Regno fides, ac sacra essent, & quàm opportuna præstantissimi Viri tutela afflictis adeò rebus accideret, voce etiam disertè docuit: incitauitque Theatinum, vt curas magno operi, manumque adijceret. Neque verò oblata is demetendæ amplissimę segetis occasione visus labori, ac studio suo pepercisse. Quanuis enim innumeris penè alijs, grauissimisque Aulæ curis distractus, Procerum nihilominùs, Regnique postulatis, ac votis apprimè respondit: vt nihil omninò prætermiserit, quo augere fidem orthodoxam, cauere populorum incolumitati, ac demereri omni officiorum genere eam gentem posset. Extant verò eius Regni litteræ, quas meminimus, inter ea scriptorum monumenta, quæ Episcopus Philonardus ab illata Carafis clade eripuit, seruauitque, ceu paucas è naufragio tabulas; vt aliàs monuimus.

Ad Vngarici Regni Patrocinium inuitatur Theat.

Pannoniam occupat Solymannus,

Vngarorum ad Theat. litteræ.

Recepta in clientelam ea Gens,

Egregium Cardinalis studium experitur.

Hæc anno huius seculi quinquagesimo contigere. Sequenti verò, cùm celebrari de more Congregationis Comitia verno tempore debuissent, Venetis Patribus, penes quos id iuris erat, quippè qui generale Capitulum repræsentabant, visum iustis quidem de causis ad Autumni initium Conuentum differre. Quo subinde inito, die decima Septembris mensis, primùm facultas ferendi suffragium nonnullis facta, quos prudentiæ, ac morum laude spectatos communis rei consultationibus, curisque adhiberi meritò posse Patres existimarent. Tùm de Ordinis administratione, ac disciplina ritè actum; cautumque, ne dum eresceret sodalium numerus, decresceret virtus, quam tamen gliscere in dies benignitate Numinis gratulabantur. Postremò renunciati Domorum Præpositi: ac Venetæ quidem impositus Bonifacius à Colle, qui eam olim Præfecturam cum laude temperauerat: Neapolitanæ verò Gregorius Marinus, quem in ijsdem his Comitijs iure ferendi suffragium honestauerant; ac ceu Consilio: ac natu magnum, perquam idoneum Paulinæ rei moderatorem fore communis Patrum conspiratio declarauit. Illud, antequàm hęc Comitia haberentur, cum Cardinali Theatino egerat Bonifacius, qui veluti Congregationis totius senior, atque vnus ex Conditoribus, curare propiùs, ac peculiari quodam studio, nostra solitus erat, vt elargita nostro Ordini a Clemente, ac Paulo, summis Pontificibus, priuilegia, à Iulio confirmarentur. Et Theatinus quidem, qui inter ardua Christianæ Reipublicæ negotia, instituti etiam à se Sodalitij curas volenti animo complectebatur; maturè cum Pontifice egit, nec post multò rem ex animi sententia confecit: datæque ad Bonifacium, aliosque Regulares Clericos Pontificiæ breues

Capitulum generale ad Autumnum dilatum ann. 1551.

Confirmantur Congregationis priuilegia, agente Card. Thea.

breues litteræ, ad diem decimum mensis Iunij huius anni. Quibus quæ annis superioribus deriuata in nostrum Ordinem, Pontificum munificentia, exemptiones, ac priuilegia fuerant, & adprobantur, & non vulgari quadam auctoritatis, verborumque amplitudine de nouo communicantur: cauetur que, vt rata ea quisque habeat, irrogatis etiam pœnis, si qui interturbare vsum, aut obniti quauis ratione decretis pertentauerit. Quò sanè declarauit luculenter Pontifex, non obscura quidem, aut dubia tunc fuisse nostri Instituti incrementa: & quos polliceri de se maiora, ac celebriora in dies cernebat, eos vehementiore clementiæ aura impellere, ac velificari feliciùs publicæ Ecclesiæ vtilitati, ac bono voluit.

Mortalitatem hoc anno exuit Petrus Fuscarenus Veronensis, exulcerauitque præstantissimi viri funus peracri quidem desiderio, doloreque Patrum animos, erepto nimirum virtutum pulcherrimarum exemplari, ad omnem regularis obseruantiæ disciplinam, ac probitatis amussim expolito. Occurrit is persæpè nobis in hisce historiarum monumentis nostris litteris consignandus, laudatusque non vno in loco est à doctrinarum præsidijs, laureaque Parisiensi, ab honorum, Infularumque despicientia, ab insigni morum censura, à vitæ integritate, à vi iudicij; ac plura quidem virtutum incitamenta addidisset posteritati, si vt eximiè probus fuit, ita suis moribus, factisque celebritatem, ac lucem minimè timuisset. Et verò nihil illi; proniore ad contemplationem indole, tàm cordi fuit, quàm quædam à mortalium conspectu abalienatio, atque arcanum cum Deo, Cæloq; commercium: ita vt extra scenam perrarò ageret, nisi cum id externa Instituti, exercitamenta, ac precum publicarum pensum poscerent. Cæterùm quicquid temporis supererat, tacitus intra cubiculi, suæque mentis recessum diuinis commentationibus transigebat. Quanuis, quod est virtutis ingenium, vt quò magis contegas, eò magis radij vibrent; celeberrimus Neapoli Fuscarenus fuit, vel ipsa lucis famæque contemptione illustris. Quarè cum in formandis aliorum moribus, qui confluebant, egregiam quidem operam posuisset; tùm illud in primis effecit, vt sibi ipsi Beatum Andream Auellinum celebrioris sanctitatis Virum nostra Congregatio deberet. Primus siquidem, quocum ex Nostratibus consuetudinem inijt Andreas, Petrus Veronensis fuit, à quo Christiani moris, disciplinæque elementis imbutus, robustioris probitatis semina concepit, quæ postea sub Ioanne Marinonio pulcherrimam cuasere in segetem: vt ingens profectò sit Andreæ sanctitatis argumentum, sub tantis præceptoribus rudimentum posuisse virtutis. Porrò, etsi animum, quàm ingenium excolere, antiquius Fuscareno fuerit; ea tamen litterarum studia, quæ summa felicitate, ac laude adeptus in Sorbonica Academia fuerat, assiduis lucubrationibus nobilitauit. Extant plura apud nos, quæ de varijs Canonici Iuris quæstionibus, atque in Sacram Scripturam accuratè, doctèque conscripsit: optarent profectò bono in lumine collocari, atque in publicum litteratorum conspectum, ac theatrum produci; vt in communem eruditionem vsuráque cederent, quæ egregio sanè labore, ac studio vir doctissimus lucubrauit: hinc enim fieret, vt cum præclaris ingenij monumentis, eius etiam virtus inclaresceret, digna posteritatis memoria, ac æuo. Hæc autem virtus in postremo vitæ actu visa Fuscarenum luculentiùs commendasse. Quippe grauissimo, ac diutino morbo conflictatus, præter inuictam animi patientiam, quæ acerrimi languoris vim frangere videbatur; nunquam consuetum orandi, contemplandique vsum, ac solennes præsertim sacerdotibus preces abrupit: immò, ceu peropportunum mulcendæ valetudini pharmacum, ac solatium preces forent; alios subindè, atque alios è psalmis versiculos conabatur. Illud frequentiùs, nec sine consternatæ perculsæque mentis indicio: [Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?] At mox spe bona afflatus, exhilaratusque repetebat: [Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.] Hæc verò sæpiùs cùm iteraret, morbo sub ipsam maiorem hebdomadam ingrauescente, expiari supremis sacris oportuit: quo tempore fertur, prænunciasse excessurum se quo die maximè peroptabat; nempè quo triumphata Saluator mortalitate reuixerat. Accidit porrò, vt die Cœnæ Dominicæ sacra, propiore iam morte interceptus, vitæque officio, ac sensu omni destitutus; videretur tùm quidem animam exhalare. Verùm quòd consignauerat iam vaticinio certum funeris

Ad pauciores abit Fuscarenus.

Sæpè dilaudatus.

Contemplationi cum paucis addictus.

Sanctitatis in Auellino semina à Fuscareno.

Eius in studijs litterarũ lucubrationes.

Vitæ actum claudit insigni virtute.

Prænunciat obitus sui diẽ

ris tempus,ad eam vſque Reſurrectionis Dominicæ diem exeuntem ſpiritum produxit. Ac tùm quidem Patres,cùm de more omnes in eius cellulam conueniſſent, iuuare precationibus,ac pſalmis, præſertim pœnitentialibus laborantem animam occœpere; inchoatoque pſalmo, De profundis, vt uerba illa pronunciarunt: Si iniquitates obſeruaueris Domine: Petrus, qui tertium iam diem extremo anhelitu conflictabatur, eo, quem vſurpare metu quodam crebriùs ſolebat, verſiculo excitatus; ſequentem, quo maximè recreabatur, ante alios pleniore quodam vocis ſono, diſertèque ter recitauit: Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Expirauitque eo expleto; manantibus præ gaudio adſtantium lacrymis; quòd eximiam Petri virtutem,adeptamque gloriam teſtatam admirabili exitu conſpexiſſent. Eius rei teſtes extant Ioannis Marinonij, Viri ſanctiſſimi, ad Hieremiam Iſachinum litteræ; narrabatque ſumma fide Vincentius Maſſa, celebrioris apud Noſtrates probitatis, ac grauitatis Vir, qui Congregationem non ita pridem iniuerat; fuitque profectò is omnium hac de re ſenſus,vt diuina id virtute acciderit. Et verò,triduum iam penè mortuum, fuiſſe illicò ſenſibus, ſibique reſtitutum, concepiſſe diſtinctè verba, mox occubuiſſe; altius quid fuit,quàm vt confecta iam,ac ſua omninò ope deſtituta,ſuppeditare natura vires potuiſſet.Contigit verò mors die 28. menſis Martij: ductumque ſumma populorum celebritate funus, ceu ſupra vulgarem virtutem, inſigniſque apud Deum meritis Vir deceſſerit. At enimuerò Fuſcareni occaſum gemino veluti ſydere compenſauit Numen: dedere ſiquidem hoc eodem anno,eadem Neapolitana in Domo, vno eodemque ſimul die, Congregationi nomen inſignium virorum par, quorum poſtea eruditionem, atque eximios mores Infula cohoneſtauit. Fuere hi Marcellus Maioranus, Neapolitanus; & Antonius Agellius, Surrentinus: hìc Acernanus, Ille Accerrarum Epiſcopus. Et Maioranum quidem cùm Theologiæ ſplendor,Sanctorumque Patrum ſtudium, tùm Eccleſiaſtici ritus, moriſque exacta eruditio cum paucis commendarunt. Agellius verò excellentis cuiuſdam, ſacræque litteraturæ, ac linguarum tyrocinium ſub Guilielmo Cardinali Sirleto poſuit; ſcriptiſque monumentis quantum doctrinarum hauſerit ab erudita ea Purpura commonſtrauit. Sed illuſtrare ſuo nomine noſtros hoſce commentarios vtrumque ſæpiùs continget.

Quid in ipſo mortis inſtâti acciderit.

Maioranus, & Agellius Inſtitutum capeſſunt.

Agellius Sirleto operam dedit.

Redeo nunc Romam ad Cardinalem Theatinum, cui animo quidem, quàm æuo robuſtiori, nouum hoc anno onus acceſſit. Friſingiæ ſiquidem,quæ ampliſſima in Germania Prouincia eſt, Epiſcopatum in ſuam accepiſſe clientelam, ac fidem compertum habemus. Quare & hoc maximè nomine, & quòd totius etiam Germaniæ patrocinij, vti ſignificauimus, vices Romana in Aula adminiſtrabat; Leo, Friſingenſis Epiſcopus, litteras, ſequenti anno ineunte, ad illum compoſuit, quibus eius operam in ampliſſimo eo ſacerdotio, Pontificis authoritate, nutuque ineundo, poſcit; vtque reſtitui ſuis opibus, ac ſplendori Eccleſiam illam curaret, etiam, atque etiam rogat. Iam, vt qua integritatis,ac iuſtitiæ fama apud exteros eſſet Theatinus,lector intelligat; libet hanc epiſtolam ex parte exſcribere, quæ ſic habet. ¶ Reuerendiſs. in Chriſto Pater, & Domine, Domine, & Princeps illuſtris. Cùm Nuncium meum ad Curiam pro capienda confirmatione electionis, nuper ad Eccleſiam Friſingenſem, per obitum prædeceſſoris vacantem, canonicè, & ſolenniter de me, licet indigno, factæ ablegaturus eſſem; ideoque inquirerem, quinam è veſtro Sacroſancto Senatu laudibus iuſtitiæ, prudentiæ, atque humanitatis eſſent cum primis celebres: Reuerendiſsima, & Illuſtris Paternitas Veſtra, vel primo loco eſt eo mihi nomine indicata. Ad eam igitur, tanquam Ariſtidem alterum, in prædicto negotio ſupplex confugio, vt illa cauſæ ſummam æquitatem beneuolè conſiderare, & notiſsimam huius Eccleſiæ nuditatem, & inopiam ſalubri ſuo ſuffragio ſubleuare clementer dignetur. Faciet in eo Reuerendiſs. & Illuſtris Paternitas Veſtra rem Deo cum primis gratam, ſupradictæ Eccleſiæ vtilem iuxta, & neceſſariam, & planè ſuis quoque virtutibus dignam:meque hoc tam inſigni beneficio ita deuinciet, vt in omni vita nihil ſim tanto animi deſiderio exoptaturus, quàm referendę gratiæ qualemcumque occaſionem mihi aliquando oblatam iri. Reuerendiſsimæ, & Illuſtri Paternitati Veſtræ me, vt Cappellanum deuotum, ſimul cum vniuerſo Clero

Epiſcopatum Friſingenſem patrocinio, complectitur Card. Theat.

eiuſdem

eiusdem Frisingensis Ecclesiæ quàm humillimè commendans. Datum Frisingæ die 16. Martij 1552.

Complexus libenter est hæc Leonis Frisingensis Antistitis, eiusque Ecclesiæ negotia, & commoda Cardinalis Theatinus; curauitque apud Pontificem peregregiè; quo maximè tempore Pontifex ipse eius dignitatem, ac rem apud Carolum Cæsarem strenuè ageret. Quippè admotus Neapolitanis Infulis à duobus summis Pontificibus, Paulo, & Iulio, impetrare à Petro Toletano Prorege, alijsque Cęsaris Administris nequiuerat, vt id muneris ritè capesseret, administraretque. Offensum illum Cæsari, eiusque rebus, atque amicis minùs fauere causabantur. Nam quamuis scriptis ad Cardinalem Toletanum litteris, quæ penes nos sunt, visus iam Imperator fuerit, deterfisse, quam olim de Cardinali Theatino opinionem conceperat: nihilominùs quòd facilè relabimur in ea, quæ semel animus sibi persuasit; offendit iterum ille apud Carolum, tùm quòd nuper in Pontificijs Comitijs aduersus Cæsarianæ partis candidatos perorauerat, tùm quòd consilij, nescio cuius autorem apud Paulum Tertium fuisse, fama euulgauerat. Ergò Iulius, qui præclara Viri promerita, virtutemque permagni faciebat, obiecta illi impedimenta, damnumque Neapolitanæ Ecclesię haud exiguum ab ea mora cùm molestè admodum ferret; litteris cum Cæsare agere efficacioribus in animum induxit suum; conatusque impensiùs est, amplificata egregia eius in rem Austriacam voluntate, ac fide, quæ in laudatissimi viri famam mendacia insperserat liuor, disertè diluere. Quòd vno hoc Pontificis Maximi testimonio Cardinalis Theatini fama, ac dignitas maledicorum linguas, conatusque egregiè triumpharint; attexendæ hìc sunt Pontificiæ eæ litteræ, quæ sic habent.

Iulius Tertius cum Cęsare agit pro Card. Theatino.

Carissime fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non parum admirationis, & molestiæ nuper accepimus, quòd Venerabili fratri nostro Ioanni Petro Cardinali Neapolitano possessio suæ Ecclesiæ Neapolitanæ per tuos denegata fuerit; quàuis ipse omni laude, & virtute eniteat, & per cessionem pacifici possessoris illi Ecclesiæ præfectus sit, & Procuratores eius litteras Apostolicas eisdem tuis exhibuerint. Quo fit, vt idem Cardinalis, qui in præfectione Ecclesiæ Neapolitanæ priorem suam Ecclesiam Theatinensem dimiserat, vtraque nunc frustratus remaneat, & ad extremam redigendus sit egestatem: nisi tua bonitas, & iustitia contra maleuolorum calumnias ei subuenerit: qui, sicut nobis relatum est, non videntes, quomodò in tàm perspicuo iure ei nocere via ordinaria possent, quin eandem Ecclesiam assequeretur, ad maledicentiam se conuertentes, ipsum Cardinalem apud tuos traducere, infamiaque aspergere, non dubitauerint, tanquam ipse in proximo Neapolitano tumultu illud tuum Regnum nostro Prædecessori tradere cogitauerit. Quòd falsò ei obiectum esse, euentus docuit. Nec verò Nos quid tale de hoc Viro audiuimus: nec si audiuissemus, credere potuissemus: nec tanta audacia in S.R.E. Cardinalem, sacerdotio præditum, pietate eximium, grauique iam senio confectum, cadere poterat; vt qui sacræ vel lectioni, vel operationi, vel meditationi ferè semper affixus est, is tantam rem moliri, tantos motus concire, pertenuibus ipse facultatibus ausus esset. Non putamus, fili carissime, hæc tibi verisimilia visa esse, si modò audisti: nihilque in tota fabula hac à te repertum credimus præter vanam calumniam, hoc ipso tempore à maleuolis ob id confectam, vt ipsum Cardinalem ab ipsa possessione excluderent. Cuius impij sui voti ne compotes per se fiant, tuæ bonitatis est prouidere: quò enim maior est tuæ benignitatis sublimitas, eò magis ad magnitudinem animi tui pertinet ora obloquentium, & detrahentium obstruere; & incompertos, ac vanos susurros non admittere, qui ab odijs, & maleuolentia plerumque oriuntur: semperque maxima fuerunt digni laude Prædecessores tui Cæsares, etiam Ethnici, qui huiusmodi maledicentijs aures in tantùm non præbuerunt, vt etiam tota scrinia libellorum, & litterarum comburi iusserint, ne cui pernicies per hæc pararetur. Quæ nos quàm pluribus verbis ideò prosecuti sumus, quòd de protegenda dicti Cardinalis innocentia, & de illius Ecclesiæ vtilitate apud te promouenda laboramus, quam tali Pastore priuari vtique nollemus. Quem sanè Nos illi Ecclesiæ, & Clero Neapolitano necessarium arbitramur, & perutilem fore speramus. Est enim hic Vir, vt nosse te arbitramur.

Pontificiarum litterarum exemplar.

tramur, doctrina, prudentia, pietate, & morum grauitate, & exemplari vita conspicuus. Nec præterea dubitamus, quin & sua ipse sponte, & hoc à te beneficio possessionis affectus, Tibi, suo Regi sinceram, & solidam fidem omni tempore exhibeat, nec locum vnquam vlli de se suspicioni præbeat; cum præsertim Nos nec illius, nec vllius tales motus, vel ausus nostro tempore, pro nostris viribus permissuri simus. Quamobrem, fili carissime, cùm huiusmodi possessio sine nostri, ac tui honoris diminutione diutius differi nequeat; per illam, qua Tu Deum, & Ecclesiam reuereris, pietatem; perque eam, qua nos Te prosequimur beneuolentiam, Te, & hortamur, & rogamus, vt primò ipsum Cardinalem, Virum quidem eminentem virtutibus, & omni laude cumulatum in tuam gratiam recipere, deindèq; possessionem, quam sine tuo scitu, & voluntate ei denegatam fuisse credimus, ipsi Cardinali tradi facere sine alia mora velis: quo & illa Ecclesia suo Pastore fruatur, nec diutiùs vacans, maiora detrimenta sustineat; simulque, vt iustitiæ, quam tibi cordi esse scimus, communique nostro honori consulatur. In quo rem tuæ eximiæ pietati, ac officio consonam, Deoque omnipotenti maximè gratam facies. Quàm verò etiam Nos id à te optatum, & iucundum recepturi sumus, etsi ex his litteris potest sua Serenitas cognoscere; dicet tamen copiosiùs Venerabilis frater Petrus Episcopus Phanensis, Nuntius apud Te noster, cuius verbis fidem præstaro velis indubiam. Datum Romæ.]

Valuit Pontificis officiũ. Hæc ad Cæsarem Iulius Pontifex: eaque fuit dictorum fides, ac momentum, vt euicerit statim, quod postularat; ac iusserit confestim ille, possessionem à Cardinali Theatino iniri: factumque id Septembri mense eius anni. Accedere porrò ipsemet, eiusque Ecclesiæ curas coram temperare haud potuit tunc quidem Theatinus, Romæ pernecessarius: nec planè eo tunc accedere opportunum videbatur;

Inijtque Neapolitanã possessionem Card. Theat. recentes siquidem cùm essent inuidiæ morsus, neque extingui tàm subitò concepta de se opinio, ac fama potuisset; vix impunè quid ageret, Cæsaris administris rectè facta in malum ex facili detorquentibus. Quanquàm, quòd eius erat in ferendis strenuè pro animorum salute aduersis animi robur, ac zelus, iuisset, grauissimam prouinciam coram administraturus; ac non semel, vt missionem impetraret, Iulium Pontificem rogauit. Abnuit verò Pontifex, quòd perutile rei Christianæ Romanum Theatini domicilium existimaret; ac simul cerneret, egregium Virum, vel absentem, Ecclesiæ Neapolitanæ ope, & curis suis adesse. Quo

Nec accedit non vna ex causa.

Notatur Turrianus. sanè præposterum fuisse constat Francisci Turriani, hominis Hispani, zelum, qui hoc anno, multò scilicet antequam Societatem Iesu iniret, Epistolam paræneticam ad illum dedit, qua officij sui monere, ac religionem inijcere conatur, quòd præsens oues suas minimè procuraret. Nam quis Cardinali Theatino in sui muneris administratione diligentior, quis aliorum, suique ipsius conscientiæ studiosior? An vt aulicis studijs, Romanisque assentationibus senex religiosissimus perindè & actuosissimus vacaret, affixus Romæ erat? Qui in re communi Ecclesiastica curis prolixioribus ea tempestate versabatur: quibus si regios, non adeò sinceræ voluntatis Administros, addas, vti meminimus; certè neque licuit, neque expediit Neapolim Theatinum immigrare.

Scipio Rebiba Neapolitanæ Ecclesiæ Vicarius. Eius præstantia meritorũ. Qui vices suas obiret, Scipionem Rebibam, natione Siculum, Episcopum Motulensem Neapolim adlegauit, Virum integerrimum, ac longè doctissimum, rerumque præsertim Ecclesiasticarum vsu ad omnem prudentiam factum: quem postea idemmet Card. Theat. Pontifex Maximus inauguratus, ad amplissimum Senatum aggregauit, vocatusq; Cardinalis Pisanus; ac dictus subindè summus fidei Quæsitor, moxque Episcopus Sabinensis, non exiguam planè insigni virtute addidit dignitatem, lucemque Purpuræ. In nostrum verò Ordinem ea fuit beneuolentia, vt etiam post

Et in nostrũ Ordinem studium. fata voluerit perennare, lecta nimirùm nostra Quirinali S. Siluestri Æde, in qua suam mortalitatem, ac cineres deponeret. Eiusmodi notæ Virum procurandæ Ecclesiæ Neapolitanæ amandauit Theatinus, quæ disseminata non ita pridem hæresis

In rem Neapolitanam diligenter incumbit. lue, corruptisque nebulonum quorundam consuetudine, atque eruditione, vti significauimus, moribus; accuratiore quidem diligentia, cultuque indigebat. Et verò, vt ille eminus, ita cominus Rebiba insignem operam nauauit; conuulsis hæresum

rebusque reliquijs proscriptis, qui inter moniales præsertim inoleuerant, non sine iniuria, diprofanique sacrorum, ritibus; emendata populorum disciplina; ac restituta religiosi Cleri morumque facie, ac forma.

Enimuerò, quamuis præcipua Cardinalis Theatini cura ea fuerit, vt animos quidem perpurgaret, moresque bonos induceret; nihilò tamen minùs externum Ecclesiæ cultum, ornatumque haud planè visus dissimulasse: tùm quia institutæ à se Religionis morem meminerat, ornandi perquàm magnificè Templa, curandique exquisita supellectili, ac instrumento; tùm verò, quod Antistitem id vel maximè decere sciret, sponsæ ad exaugendam formam, conciliandamque populorum venerationem, auro, ac gemma non desit. Neque enim par est, regio quidem luxu nitere Præsulum conclauia, mensasque premi, ac superbire cælato auro, argentoque, ac splendidissimè parietibus spirare sumptuosi, argutique operis aulæa; Ecclesias verò suas, sponsasque sordescere, ac nullis exuuijs, ornamentisque squalere sacra. Id quod omni æuo sanctorum Antistitum exemplis, dictisque acriter vindicatum, Cardinalis Theatinus in primis abhorruit, passusque nunquam est, fulgere tectum, aut abacum, nudis aris. Ergò cùm Neapolitanam Ecclesiam non sacri instrumenti, ac vestium cultu, quæ eius amplitudinem deceret, ornatam reliquisset; munera quidem sumptu, atque opere insignia ex interuallo ad illam misit: quosdam præcipuè solido ex auro calices, excellentis formæ, ac prisco ritu prægrandes; tùm sacerdotalia indumenta, attalici operis auro prætexta; lampadem item ex crystallo, mole, ac pretio spectabilem, quam Respublica olim Veneta dono illi dederat. Hæseratque hic intimè sponsæ adornandæ affectus, vt etiam in Pontifice perdurauerit; ipso namque è viuis sublato, reperta in secretiore eius cubiculo plerque ex auro, argentoque ingentis ponderis ad sacrorum vsum vasa, quæ Neapolitanæ Ecclesiæ destinauerat, vt in assertionibus pro Alphonso Carafa Cardinali Neapolitano, quæ penes ᵃ nos sunt, habetur.

Externum sibi Ecclesiæ cultum curat Theat.

Indecorum squalere Tépla fulgentibus Antistitum domibus.

Pretiosis donis Neap. Ecclesiam ornat Card. Theat.

ᵃ Tabular. D. Pauli Neap.

Capitulum generale Neap. anno 1552.

Cæterùm, quod ad rem Theatinam attinet, non quidem verno tempore habita de more Comitia consequentis anni; sed cùm differri anno superiore, iustis, vt diximus, ex causis ad Septembrem mensem debuerint, consuetum expleri interuallum oportuit: ac celebrata Neapoli ad idem Autumni tempus fuere. Planè cùm tam crebrò communia Congregationis commoda agitarentur; quæ ad disciplinæ incrementum, legumque obseruantiam pertinent, haud multis quidem examinari opus erat: præsertim cùm diffundi adhuc latiùs Patres nollent. Voluptati quidem erat non minimæ, posito calculo, eo Congregationem florere instituto, vt & publicis virtutibus communi proximorum saluti, & priuatim suo quisque profectui egregiè vacaret. Quæ quidem virtutum exempla, cùm ad easdem vitæ rationes capessendas passim alios incitarent, augeri disciplina videbatur. Atque inter illos, qui institutum hoc anno inijere, insignioris notæ, virtutisque fuere duo; Hieronymus Ferrus, Monopolitanus; & Christophorus de Refrigerijs, Mediolanensis: hic Venetijs die 14. mensis Iulij, ille Neapoli die tertia decima Iunij. Hieronymus Ecclesiastico, ciuilique iure consultissimus, prudentia in primis, rerumque agendarum vsu spectatus, non modò communi rei Theatinæ egregiam operam nauauit: verùm externis etiam occupationibus, magnorum Antistitum, ipsorumque nutu Pontificum Maximorum admotus; visus & nostri Ordinis commodo, ornamentoque natus, & publicæ Ecclesiarum, Christianique Orbis vtilitati non minimùm inseruisse. Illud verò in Ferro laudabile potissimùm fuit; constantia scilicet, ac firmitas quædam animi, qua in grauissimis rerum momentis nunquam, & nullo partium studio visus ab æquo, honestoque flecti: vt ea ingenui pectoris Fortitudine mensuram cognominis planè adæquauerit. At Christophoro, vt varia sunt Numinis dona ad Sodalitatum concentum, aliæ viuendi rationes fuere. Non sparsa in aliorum vsum indoles actuosior, sed interna quædam animi tranquillitas, & contemplationis studium magis placuit: excoluitque tacitis, priuatisque virtutibus animum; meritis, quàm fama illustrior. Sed de his suus erit dicendi locus.

Hieronymus Ferrus, & Christophorus de Refrigerijs in Ordinem adoptantur. Ferri studia, & solertia.

Et infracta animi vis.

Recollecta Christophori vita.

Porrò cùm expoliendæ, adornandæque quàm decentissimè Ecclesiæ, Neapolitani

tani Patres, defunctorum ab Ecclesia sepulcra, vti memorauimus, vetere instituto, amouissent; Cœmeterium extra ipsam Ecclesiam, peramplum quidem Nostratibus, exterisque excipiendis concinnauerant; quòd hoc anno ab Scipione Rebiba, de quo nunc diximus, consecratum ritè voluere: ac visa profectò ea loci siue religione, siue munditia ita affici mortales, vt in eo tumulari certatim percuperent, cœperintque: neque honesti tantummodò, ac nobiles vtcunque viri; verùm è præcipuo etiam censu, ac genere Principes plerique, fœminæque nobilissimæ, auitis familiarum monumentis abdicatis, Paulino in Cœmeterio conquiescere ossa, ac manes suos præoptauerint. Creuitque Neapolitanorum in id loci affectus, ac reuerentia, cum huius seculi anno octuagesimo tertio, excitato ad magnificentiorem quandam formam Templo, infrà ipsum emortualem illam aream construxere Patres, laxato commodùm situ, instructoque decenti cultu pariete; ceu Templum alterum infra dedicassent, vt mortuis benè esset: atque ex eo quidem tempore elata hic passim funera è præcipua præsertim nobilitate.

Paulinum Cœmeteriũ consecratur.

Thomas Golduellus stylum nunc vocat, cui egregiè pro fide orthodoxa desudandi, iuuandæque Patriæ aditus consequenti mox anno aperitur: cùm Angliæ Rex Odoardus, ex Iana Seimera Henrici filius, paternæ hæres fidei, ac mali corui malum ouum, sexdecennis moritur. Quod huic ea ætatis acerbitate in Anglicanam Ecclesiam non licuit, ij strenuè confecere, quorum fidei Henricus filium commendauerat; præcipuè Seimetus, Semerseti Dux, Regnique, ac Regis Rector, penes quem summa rerum, ac fasces fuere, Zuinglianæ luis assertor, ac princeps tutela; qui accersitis è Germania, vicinísque Prouincijs plerisque religionis, ac morum corruptoribus, Bucero præsertim, & Cacomartyre, notissimis hæresum monstris, eò mentem applicuit, vt Catholici nominis, ac moris reliquias omnes aboleret. Et iam eius opera, atque admissariorum scelere pietati Anglicanæ tàm malè erat, vt proscripta omninò re sacra, Romanaque potestate, ac sinceriore Patrum doctrina, triumpharet in Ecclesijs, atque Academijs Lutherus, Caluinus, Zuinglius viderentur. Affulsit porrò hoc anno voluentis seculi tertio, & quinquagesimo rebus hisce luctuosissimis auspicatior quædam, & breuis lux. Sublato siquidem Odoardo, Dudlæi, Ducis Nortumbriæ, ac Henrici, Ducis Suffocliæ malis artibus, quippe qui Regnum adsectabantur, Mariam, Catharinæ, pijssimæ, repudiatæque olim Heroinæ, filiam, Reginam proceres consalutarunt. Visa simul excepta Londini Maria, & toto Regno religio, ac fides. Restituta Romano Pontifici dignitas; & quas, scissa Ecclesia, Henricus vsurpauerat, Numinis vices. Mancipati carceri clarissimi Antistites, Virique principes in libertatem asserti. Reuocati, qui exulabant fidei studio. Postulati capitis, mulctatique humanæ, diuinæque Maiestatis rei. Exteri quique omnes, hæretica labe infecti, proscripti; iussique ex Anglia facessere: feruntque eorum numerum triginta capitum millia excessisse. Tum instaurari Catholicorum Cœtus, & conciones; ac reflorescere Romani vbique ritus occœpere; aris, ac templis honore, cultuque restituto. Planè, quantum olim vniuerso Christiano Orbi doloris attulit, desciuisse à Romanis legibus florentissimum Regnum; annexoque nouo capite, in teterrimum monstrum abijsse: tantundem voluptatis bonos cepit, postquàm redire ad suum caput Anglicana ea membra, atque animari Christi spiritu, intellexere. Reginæ nihil antiquius, quàm vt auulsi ab Ecclesia, deuotique diris Ecclesiastis Britanni, publicis sacris expiati, in Ecclesiæ sinum, fidemque reciperentur. Quarè precata enixa est Iulium Pontificem, vt renascenti extrema in ea Orbis parte, religioni adesset, cumularetque lætitiam, misso Apostolico Legato, qui Regno benè precatus instauratum in Romanam Sedem obsequium, ac redeuntem populorum pietatem exciperet, foueretque. Pontifex æuo suo, atque Angliæ gratulatus felicitatem, fauere euestigiò tantis Catholicæ rei initijs, atque incrementis statuit. Reginaldum Polum, Anglum, Purpura, ac virtute ornatissimum, magnis natalibus clarum, Reginæque consanguineum, omni doctrinarum genere spectatum, summis procerum clientelis instructum; percarum Mariæ, nobilitati, ac populo fore existimauit, ac longè

Golduellus iuuandæ Patriæ incumbit.

Corruptissimus eius Regni status.

Refloruit, appellata Regina Maria.

Cuius opera instaurantur mores, & auita pietas.

Apostolicum Legatum postulat Regina.

Destinatur muneri Cardin. Polus.

longè dignissimum, qui eam legationem obiret. Polo ea expeditio gratissima planè accidit, vt quam toties afflictam, lapsamque Angliæ fidem deplorauerat, sua ipse manu erigeret, ceu publicus Patriæ Pater, veræque libertatis assertor. At amplissimum, pulcherrimumque olim agrum, iam diù neglectum, incultumque, ac spinis horridum, qui solida nunc eruditione, ac labore proscinderent, excolerentque, Viri probi, ac docti, cùm pernecessarios esse cerneret; statim ad Thomam Golduellum nostrum, familiarem olim suum, animum intendit. Illum tantæ rerum moli parem, populis quà edocendis, quà dedocendis aptissimum existimauit; vtpotè genere, ac moribus spectabilem, sacris litteris insigniter eruditum, ac populari insuper lingua percommodum. Cardinalis precibus assensere statim Veneti Patres, qui tùm Capitulum generale repræsentabant; nimio quidem opere gauisi, tanto fidei negotio posse à Nostratibus aliquid opis impendi. Ergò monitus Golduellus, qui Neapoli morabatur; quod maximè optauerat, litandi, videlicet, communi suæ Gentis saluti, ingenio, eruditione, ac vigilijs suis occasionem illicò arripuit. Conuenitque Septembri mense Cardinalem Polum ad lacum Benacum, quò ille non ita pridem Cæli amœnioris desiderio apud Cassinates diuerterat. Instituta confestim in Angliam profectio: & quòd sistere aliquandiù iter inter eundum oportuit, Carolo Cæsare postulante; Cardinali Polo, & Golduello, in Patriæ incolumitatem festinantibus, molestissimum id planè fuit. Ad notam Britanniæ oram tandem appulere; exceptusque Londini Legatus ingenti Vrbis, ac omnium ordinum gratulatione, ceu præsens quoddam Angliæ lumen, ac Numen adesset; facturum Regno diem, ac felicitatem. Allatam Roma indulgentiam, gratiamque noluit diù Legatus distulisse. Indictus publicus procerum, ac populorum Conuentus: præsenteque Philippo Austriaco Rege, ac Regina, cui tùm nupserat, postquam ille pauca, & grauiter de Romanæ fidei, sedisque Apostolicæ dignitate, fructuque pœnitentiæ perorauit; habitis Deo Maximo gratijs, quòd eius lux clementiæ nobilissimo tandem Regno affulserit, cunctis præ gaudio vberrimè collacrymantibus, genuque nixis, veniam est elargitus: scissamque viginti ab hinc annis Anglicanam Ecclesiam, Romanæ iterum reconciliauit, copulauitque. Consecuta mox populorum hilaritas, ac plausus; signatusque in omnium animis, ceu puriore gemma anspicatissimus dies. Multa interim sapienter conniuere; pleraque summo iure relaxare, confirmare, ac rata habere nonnulla Legatum oportuit, donec religio sensim adolesceret; ne absterrerentur Angli, si exigi ad absolutam Canonum normam mores, ac res Ecclesiasticæ statim omnes debuissent. Atque in his quidem peragendis, expediendisque vsus Polus excellenti præsertim Golduelli iudicio, ac opera: & quem prudentissimum, æquè ac doctissimum nouerat; grauiora quæque negotia cum ipso communicabat, vocabatque in curarum maximarum partem. Qui planè cùm cerneret, quantum laboris, ac vigiliarum posceret ibi res Christiana, vt pristinus rediret Catholici nominis splendor; facultates, atque opes suas omnes cùm ingenij, tùm corporis, insumere in præclarum opus cœpit. Nunquàm visus calamo, aut linguæ parcere: publicis declamationibus ita vacabat, vt priuatis documentis animos acriùs procuraret. Sacramentorum vsus, vt reuocaretur, ornarenturque prisco ritu templa, inductis ceremonijs, cultuque sacrorum, assiduum Golduelli studium tunc erat; perdurauitque summa contentione, quoadusque acerbissimo Reginæ occasu murata in Anglia est rerum facies; scenamque iterum impleuit personata Elisabethæ fronte, vultuque impietas. Sed de his, collatisque Viro egregio Infulis Asaphensibus, dicemus in loco. Porrò quo tempore Thomas in Anglicana ea expeditione Cardinalem Polum est comitatus, Congregationis Comitia Venetijs habuere Patres: ipsumque maturiore iam prudentia, ac singulari vitæ innocentia spectatum iure ferendi suffragium in communibus Domorum consultationibus cohonestarunt.

Qui Thomã Golduellum adiungi ad eas curas poscit.

Et impetrat à Nostratibus.

Iter egressi.

Londinum perueniunt.

Dicit ad publicum populorum Conuentum Legatus.

Tùm religioni manus admouet.

Adiuuante Golduello.

Qui egregiè in eo munere desudat.

Capitulum generale Venetijs, anno 1555.

Exeunte hoc anno elatus Dominicus Cardinalis Cuppis, Ostiensis Episcopus, atque amplissimi Collegij Decanus. Proxima illi Purpura erat Cardinalis Theatinus, iam Episcopus Portuensis. Quare in Ostiensis Ecclesiæ titulum immigrauit,

Elato Card. de Cuppis,

Appellatur Collegij Decanus Card. Theat.

appellatusque est Augusti Senatus Decanus. Amplificata illiâ dignitate authoritas, quam pridem grauissimis moribus obtinuerat; censusque adaucti, qui tamen insigni in pauperes, atque exteros liberalitati vix sufficiebant. Igitur Patrum Princeps cùm esset, accessere amplissimæ item curæ; ac penè Pontificium ipsum onus in ipsum incubuit. Enimuerò Pontifex, cui vergente iam in senium ætate, molestiora esse cœperant Aulæ negotia, quique sua etiam sponte amœnioris quidem erat genij, quàm vt frangi occupationibus pateretur; Theatinum, quippè integerrimum, ac maximè administrationi parem, imponere summo iure Vrbanæ rei, ipsumque alterum penè Pontificem constituere decreuit. Libet à Pontificijs ijs litteris, quibus isthæc illi tributa authoritas, pauca excerpere; quæ sic habent. [Nos considerantes, quòd Tu, qui generis nobilitate, litterarum scientia, & rerum experientia polles, ac integritate morum, ac singulari in Deum pietate coram omnibus refulges, ingenioque, & dexteritate plurimùm præstas; securitati, quietoque, & pacifico statui dictæ Vrbis, ac bonæ directioni, & regimini Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & piorum locorum, nec non subleuationi carceratorum, & miserabilium personarum, vt præfertur, oppressarum intendere facere poteris, & eximiè scies, ac studiosè voles: motu simili, & ex certa nostra scientia &c.] Expendere officij sui partes cœpit Cardinalis Theatinus: inductosque in Vrbem prauos mores cùm abolere omnes cogitaret; ab ijs initium sumendum, sibi persuasit, quos & absolnere publica impunitas, & damnare bonorum zelus maximè videbatur. Illud planè reprehensibile, ac indecorum, quòd Quadragesimæ, ac reliqua per annum ieiunia pauci iam obseruabant; vt prostare venalia, nulla temporum ratione; metuque legum, vetita vbique edulia cernerentur. Indignam sacra Vrbe consuetudinem delere, quòd edita passim decreta minimè potuissent, publica ipse mulcta aggredi rem voluit. Semel nanque multo stipatus satellitio, sacræque cum Inquisitionis Administris circumire ex inopinatò cauponas, ac fora cœpit; tum quicquid inibi carnium, ac volucrum, ciborumque istiusmodi vendebatur, auferri iussit; mulisque clitellarijs, quos inanes plerosque duci curanerat, impositum, per Vrbis Nosocomia distribui. Iucundissimum tunc sanè Romæ spectaculum fuit, improuiso eo turbine decuti fora, asportari inter populorum plausus, & cauponum vociferationes præpostera esculenta, ditarique damnata ea copia pauperum Xenodochia. Narrauit hæc Romæ Antonio Caracciolo, & Gregorio Cardonæ ex Nostratibus, Alexander Iuuenalis, vir Senatorius, eius theatri spectator.

Cui demādatur Romanæ rei cura.

Quàm intrepidè munus obiuerit Th.

Ieiunij obseruantiā vrget.

Ablata vetita annona publicè venali.

At enimuerò suprema hac authoritate, ac naturali quadam oris, animique maiestate summis etiam in Vrbe viris venerationi, terrorique erat Cardinalis Theatinus; ipsosque interdum Augustos Patres continere in officio videbatur; præsertim iuniores, quibus dicere ioco solitus erat Pontifex: Cauete à Theatino, quippè vos acriùs vindicabit. Acciditque persæpè, vt cùm inter sese Cardinales tempus non ita intra Purpuræ grauitatem tererent; adueniente Theatino, composito ad dignitatem vultu, seria statim agitarent. Neque verò immunis ab eo supercilio, censuraque ipse Pontifex erat. Nam si quæ monere illum duceret necessarium, incredibili quadam sinceritate non dissimulabat; ea tamen reuerentia, vt augeret in virum candidissimum beneuolentiam. Semel, ac iterum subiratum Theatinum, ac non mediocriter succensuisse Pontifici scimus, obiecta quadam animi magnitudine, ac libertate. Mancipatus quidam carceri erat hæresis postulatus, iucundissimi alioqui ingenij, ac moris. Desiderari in Suburbani cuiusdam conuiuij delicijs hominis festiuitatem, ac iocos minimè voluere viri Principes: rogatumque Cardinalem Theatinum, præcipuum è Sacræ Inquisitionis Censoribus, mittunt Pontificis nomine, vt emissum ad horam è custodia lepidum caput eò ire permitteret. Nuntio hæc Theatinus: Se persuasum habere, non illam esse Sanctæ Sedis iussionem, quippè sanctæ fidei minimè consentaneam. Iret proindè, renunciaretque Pontifici ipsi: nisi administrari fidei censuram, qua deceret authoritate, seueritateque permitteret; non eo ampliùs in loco, quò tunc erat, futuram Sanctitatem suam. Affirmatque Antonius Cardinalis Carafa, qui rem narrat, vsque adeò obfirmasse animum, vt sæpiùs monitus, exorari nunquam passus fuerit, vir æqui, sanctique retinentissimus. Qui & illo

Cardinales ipsos in officio continet.

Iulij Pōtificis dictum.

Cui nec parcit Theat.

Eius animi generositas.

illo prætereà magni animi, zelique documento, quo admonitam Pontificis facilitatem voluit, maximè dilaudandus. Delatus apud fidei Quæsitores vir quidam Religiosus fuerat, non obscuri nominis, Principum gratia subnixus, sui præsertim Ordinis Protectori peracarus, agebatque tunc Monasterij Abbatem. Rem, ac nomen Theatinus ad Pontificem detulit, ac visum, fore illum in carcerem compingendum. Peragendo negotio Sacræ Inquisitionis administri sistunt se maturè Cœnobio. At quem conscientia pulsabat, sui causa adesse, pro certo habuit: ratusque strenuè obluctandum, fores clausit, muniitque, vt eas conuellere, ac disijcere oportuerit, vt comprehenderent. Protector, cui vir ille commendatissimus, nec comperta adhuc læsa religio erat, vbi correptum, mancipatumque custodiæ Abbatem intellexit, protinus ad Pontificem, atque inclamare vehementiùs nimio Cardinalis Theatini zelo perturbari Vrbem; inustam præclaro viro infamiæ notam, cuius probitatis, spectatæque indolis testis Roma erat! tantique apud Pontificem fuit patrocinium, atque ardens facundia, vt iusserit statim dimitti. Nunciata hæc Cardinali Theatino, dum rei diuinæ in Templo ad Mineruam interesset, ac supra modum indignatus, ad Paulum nostrum Consiliatium, qui lateri semper adetat, Cedamus, inquit, Roma. Nec mora; instructo vehiculo, stratisque pro famulatu equis, adornari profectionem iussit; ac statim à sacro Neapolitanum iter instituit, inscio quidem, insalutatoque Pontifice, quem certiorem extemporaneæ eius discessionis factum, consilij causa non latuit: nouerat quippè præclaros Theatini impetus, zelumque præferuidum. Ergò, qui abeuntem assequerentur, statim amandauit, iussitque polliceri suo nomine, integrum penes ipsum mulctandi hominis, ius fore. Obtemperauit Theatinus; reuersusque Romam, excussam Rei impietatem, compertam Pontifici voluit, vindicauitque pro merito. Atque hæc quidem integerrimæ, ac liberæ omninò mentis opinio in causa item fuit, cur persuaderi Pontifex nunquam potuerit, vt Balduino de Monte, ex fratre Nepoti, morem gereret. Rogabat nempè Balduinus persæpè, ac summis precibus Auunculum, vrgebatque, vt Camertium, Ecclesiasticæ Ditionis Vrbem, sibi concederet: At nullam Pontifex ab ijs sese precibus expediendi efficaciorem inire rationem poterat, quàm si diceret: Annon intelligis, Cardinalem Theatinum, & Sanctæcrucium nulla vnquam ratione assensuros? Theatinum tibi nisi conciliaueris, frustra quidem conatus, ac preces.

Et iterum.

Eius itē apud Pontificem integritatis opinio.

Præclara hac, atque operosa animi virtute, hisque publica authoritate officijs administratis, emensus Iulij Pontificatum est Cardinalis Theatinus: prolusitque planè suo, ad quem nunc stylus properat. Nam sequenti mox anno quinquagesimo quarto generalia solummodò nostri Ordinis Comitia adnotamus: quibus Venetijs Septembri mense de more habitis, defuncto Neapolitanæ procurationis munere Gregorio Marino, admotus illi Domui est vir præstantissimus, ac toties Paulinæ Præfecturæ impositus Ioannes Marinonius: Venetijs verò Tolentinatis eius Domus Præpositus renunciatus Bernardinus Schottus, qui & ipse in ea sæpe administratione eximiam prudentiam probauerat.

Capitulum gen. Venetijs an. 1554.

Iam ad annum quinquagesimum quintum supra sesquimillesimum gradum facimus, qui duorum Maximorum Pontificum funere, atque inauguratione insignis fuit. Nostro verò Ordini felix, faustusque ob collatam supremam dignitatem, atq; amplissimos Romanæ rei fasces Cardinali Theatino, qui inter quatuor Ordinis Conditores præcipuus cum Thienæo fuit. Iulio igitur Pontifice hoc anno, die tertia & vigesima mensis Martij elato, consalutatus sacrorum Princeps est Marcellus Cerulnus, Politianus, appellatusque eodem nomine Marcellus Secundus: dignus planè loco, & fastigio; vtpotè quem mores supra vulgarem Purpuram, exacta vitæ innocentia, consultissima vsu rerum mens, prudentia, æquitas, ac reliquæ principes virtutes Scriptorum omnium testificatione ad id culminis euexerant. Præclarè admodum cum Christiana Republica actum esset, si vt optimus, ita non adeò breuis æui Pontifex fuisset. Renunciatus quippè communi, ac prona Patrum suffragatione die nona Aprilis, Infulam, ac mortalitatem exuit eodem mense exeunte: vt nescias, vtrum maiorem Orbi lætitiam electio, an luctum præmatura mors attulerit. At non fuit abbreuiata manus Domini, successore Theatino, vt mox dicemus; qui &

Gemina Pontificū mors, & inauguratio.

Marcellus Ceruinus appellatur Pontifex.

Præstantissimæ eius animi partes.

insigne illud magni animi specimen in Pontificijs Comitijs dedit. Nam cùm cœptum iam agitari de Marcello, rumor attulisset; confestim ipse protinùs Purpuratorum Collegium conuenit, inter quos & Cardinalis Sanctæcrucis, ingentique animo hæc coram ijs Patribus pronunciasse, retulit postea Franciscus Carafa, Cardinalis Theatini consanguineus, ac familiaris. Meam equidem conscientiam, tùm Romanam potissimùm Ecclesiam, ac præclara Cardinalis Ceruini merita non minimùm læderem; nisi apertè, & ex animo testarer, non alium me supremo hoc munere, ac loco digniorem illo agnoscere; proindeque in tanto Viro honestando facem præferam Ego Cardinalis Ostiensis; statimque in genua prouolutus, auspicatus comitia ipse est: cùmque Marcellus, dum Theatinus procumberet, ipsi potiùs, qui inter publicas Christianæ rei curas consenuerat, eam Dignitatem deberi, profiteretur; respondit, se nihil optasse, ac nouisse impensiùs, quàm vt eo in loco optimum, flagrantemque zelo Pontificem intueri contingeret. Exauditum à Deo cumulatè, se gratulari; ac proindè nullam laudatissimæ suffragationi moram inijciendam; quare & adorauit ipse, & cohortatus alios exemplo, ac verbis est, vt pergerent. Idque ea quidem mentis alacritate, ac celsitudine, vt mirarentur profectò omnes, quòd præcideret vltro sibi vir egregius spem omnem ineundi Principatus: profunda siquidem ipse senectute, ac propè octogenarius erat, cùm annum ageret Marcellus non vltra tertium, & quinquagesimum. Ipse in primis Pontifex, postquàm inauguratus faustè fuit, magnam Theatini indolem dilaudauit: eiusque se ope, ac magnanimitate, qui agmen duxerat, consecutum maximum honorem deprædicauit. Quarè tùm hoc nomine, tùm quòd amplissimi viri sapientiam plurimi faceret, atque vti eius consilio in ea Christianæ Reipublicæ temperatione vellet; adornari illi in Vaticanis Ædibus domicilium iussit; ac summo loco habuit.

Primus procumbit adoraturus Cardin. Theat.

Marcelli ad Theatinum verba.

Quid ille responderit.

Cum omniũ admiratione, ac laude.

Habetur in pretio à Põtifice Theat.

Destinatur illi Vaticanũ domicilium.

Hæc porrò Pontificis lectio, quæ Vrbem, Orbemque vniuersum exhilarauit, Nostratibus præsertim accidit iucundissima. Enimuerò, vt bonis omnibus peramicus erat Marcellus, cùm in Purpura adhuc esset, ita nostrum præsertim Ordinem propensiore quadam beneuolentia prosequebatur, tùm quod à Cardinali Theatino, amicissimo institutus, tùm quòd reflorescere in nostra disciplina priscum Clericorum Regularium nomen, moresque cerneret. Igitur, quod iamdiù peroptauerant nostri homines, nempe domicilium Romæ figere, vt vbi cunabula olim contigerant, campus etiam industrijs, & curis suis aperiretur; posse id à beneuolentissimo Pontifice impetrare, vrgente rem Cardinali Theatino, qui auctoritate apud ipsum valebat maximè, persuasum habuere. Quarè allato Pontificis nuncio, in eam statim spem erecti, Ioannem Antonium Pratum Thienæo olim carissimum, Theatino de facie, ac virtute notum, compertæ quidem prudentiæ, famæque Virum, Romam legant, vt in ea temporum ac rerum opportunitate id negotij curaret. At Romam Pratus vix appulit, cùm decubuisse Pontificem, ac post paulò decessisse vehementer doluit: tulitque peracerbè cum publica ea Ecclesiæ iactura priuatum nostri Ordinis incommodum, erepta momentò pulcherrima communis desiderij potiundi spe; quam nihilominùs instauratam lætiùs mox vidit, appellato Pontifice Ioanne Petro Carafa, de cuius modo ad summum sacrorum Principatum euectione acturi sumus; & quidem non raptim, ac perfunctoriè narranda res est: verùm cum tàm propè tangat suum Ordinem ac Sobolem hoc Maximi Parentis decus, spectetque ad nostram historiam quicquid de Carafa scribimus; par est, vt de summæ huiusce dignitatis adeptione diligenter atque accuratè omnia adnotemus.

Marcellus Pontifex Nostratibus beneuolus.

Qui in spem Romani domicilij erigũtur.

Ac Pratum Romã mittunt.

Pontificis funere spe cadunt.

Sed electo mox Card. Theat. instaurant.

Principiò, amplissimæ Infulæ prædictiones ac præsagia præmittenda: constat nanque plurium Scriptorum testimonio, ac fide prenunciatos Carafæ publicę rei Christianæ fasces; idque non modò paulò antequam Pontifex renunciaretur; verùm cùm nondum lucem aspexisset, ac multis etiam retro seculis: vt liceat comprehendere quàm maturus terrarum, Cęlique Pręfecturę accesserit, quem tanto ante Maximum Antistitem tempora consignarunt, aut præoptarunt. Et quidem assolet diuinum Numen, quę maxima in terris sunt, priusquam eueniant, luce quadam præuia indicare, ac polliceri. Regna præsertim cum Rectores mutant, persæpè Cęli, aut hominum linguam prædixisse exploratum est. Pontificum verò historias euolúenti occurret

Pauli IV. Põtificatus prędictiones.

Prænuntiati longè antea Romani Põtifices.

occurret non semel præsignificata plerisque, haud dubijs quidem indicijs, summæ Potestatis insignia; ac prætermissis planè multis, de ª Gregorio quidem Septimo, Sanctissimo Pontifice, illud compertum habemus, cum puer adhuc ad Patris pedes, dolantis ligna, fuit nanque fabri lignarij filius, aliquandò luderet; ex ijs, quæ caderent, segmentis efformasse casu elementa litterarum, quas non,dum nouerat, quibus vna iunctis, redditum illud regij Psaltis: Dominabitur à mari vsque ad mare. Quo visus, sibimet ipse, dictante, siue ductante manum Numine, amplissimæ Dominationis, quam adeptus subindè est, vaticinium conscripsisse. Fuit hic Gregorius natione Tuscus, Cluniacensis primùm Monachus, Hildebrandus nomine, postea Pontifex, sua vir tempestate ingenio, famaque summus; celebrioris præsertim sanctitatis, quem diuino adflatum Numine futura etiam intueri solitum, narrat apud Baronium Guiglielmus Malmesbutiensis, eius seculi scriptor. Atque hunc quidem Hildebrandum, eximia virtute celebratissimum, quem sibi puer Romanum Principatum prædixit, præunciasse item Ioanni Petro Carafæ, ac marmori ad posteritatis documentum commendasse, habetur ex Iulij Antonij Sanctorij, amplissimi perindè & grauissimi Cardinalis Sanctæ Seuerinæ litteris, ad amicum datis; quem docet, repertum perantiquum marmor cum hac inscriptione.

ª Baron. ad ann. 1073. n. 6. Gregor. VII. ipsi, sius Vates. — Qui appellatus olim Hildebrandus. — Et prophetæ spiritu claruit. — Card. Theat. Pontificatu prædixit.

Inscriptio marmorea.

QVINQVAGESIMO QVINTO TERTIO A MARTIO
I. PETRVS POST CRVCEM SEDEBIT PONT. MAX.
PETRI DIES ATTINGENS, DE QVO QVIDEM CVM
SECVLI SVI PONTIFICVM GESTA SIT SVPERATVRVS,
HILDEBRANDVS DIVINO HOC AFFLATV PRÆSAGIENS,
HAC POSTEROS MEMORIA COMMONEFECIT.
AN. D. M. L.

Cuius quidem vaticinij ea videtur esse explicatio. Anno Domini supra sesquimillesimum quinquagesimo quinto, Maio mense, qui à Martio est tertius, Ioannes Petrus Carafa Romanus Pontifex inaugurabitur post Cardinalem Sanctæ Crucis; huius siquidem tituli appellatione Marcellus Secundus vocabatur. Annos Petri attinget, eius videlicet ætatis, quæ etsi minùs constet, scriptoresque variè adnotarint; colligitur nihilominùs intra annum octogesimum sextum excessisse: ac proindè proximè ad illam accessisse Pauli Quarti æuum, qui annum quartum supra octuagesimum vixit. Hunc verò Hildebrandum, eundem illum fuisse, quem paulò ante memorauimus, & prophetiæ spiritus, quo claruit; & qui notatur annus quinquagesimus supra millesimum, quo ille floruit, luculenter declarat. Non hìc porrò dissimulauerim, non ita certam apud ᵇ Antonium Caracciolum huiusce vaticinij fidem videri. Etenim, quòd maximè ad historiæ religionem facit; nec quo repertum loco marmor fuerit, nec quo tempore, aut ratione, explicatur. Præterea dictio illorum temporum stylo minùs accómodata; ac planior sanè sermo, quàm vt sub obscura, ac cæca plerumque istiusmodi prædictionum sensa postulent, lædere nonnihil scriptionis, ac veri fidem videntur. Nobis verò illam Sanctorij Cardinalis Sanctæ Seuerinæ, Viri & calamo, & lingua integerrimi, ac religiosissimi, manu exaratam, obsignatamque circumferri sat fuerit.

ᵇ in vit. Pauli IV. in S. lib. 4. Dubia eius Vaticinij fides. — Quam Sanctorij testimonium firmat.

Post Hildebrandum, Malachiam Episcopum Hibernensem addimus, qui seculo duodecimo egregia virtutum fama cum primis floruit, eiusque vitam, insigni sanctimonia exactam, Diuus Bernardus litteris consignauit. Is illustrata diuinitùs mente, annisque labentibus, ac posteritati præsens, futurorum Pontificum prædictiones conscripsit, quas in suis commentarijs, quos lignum Vitæ nuncupauit, recenset Arnoldus Vvion, è D. Benedicti familia Monachus. Inter illas verba hæc legimus: [Frumentum floccidum.] Quæ rectè quidem Marcello Secundo congruere videntur, cuius gentilitium stemma acclinatæ quædam frumenti spicæ sunt. Dicitur verè floccidum, quòd breui illo dierum interuallo functus vita, ac Pontificatu est. Post hæc statim addit: [De fide Petri.] Quæ sanè verba de Paulo Quarto perquàm aptè pronunciari, nemo non intelligit; tùm quòd Petrus ipse vocabatur, flagrauitque insigni

Pauli IV. fata prædixit Malachias.

insigni in Petrum Apostolum religione; tùm verò quòd tuendæ, amplificandæque orthodoxæ fidei zelo vehementer incensus, rei Christianæ nemo meliùs insudauit. Huc autem Malachiam collimasse, ab ijs etiam, quæ de consequentibus postmodum Pontificibus prænunciauit, satis constat. Nam de Pio Quarto, qui Paulo successit, scripsit: [Pharmacum Æsculapij.] Quo nihil illi accommodatius, qui, è Domo Medicea fuit. Mox propioribus lineis Pium Quintum adumbrauit, aitque: [Angelus numerosus.] Nomen quippè Michael illi fuit, Patria, Boscum, in agro Alexandrino.

Et Abbas Ioachimus. Celeberrimus in Pontificum serie delineanda Abbas Ioachimus fuit, ac de Cardinali Theatino hæc scripsit: [Extollet arbor fructus suos, erit mitis, & iustus, schismate laborabit, & vincet.] Enimuerò Capitiliæ natus est Theatinus, quod Oppidum arbores vndique, ac syluæ circumcingunt. Adeò mitis ingenij, vt effundi quoquo pacto mortalium sanguinem perhorruerit, vt habet [a] Antonius Cardinalis Carafa: adcò iustus, vt acerrimus scelerum vindex, atque insectator fuerit. Schismate verò etsi minùs laborauerit; schismatis nihilominùs quoddam genus, ac facies fuit, Initum quorundam in eius electionem fœdus. Et quòd Campano bello capta Oppida fidelitatis sacramentum futuro Pontifici dicere cogerentur; id omninò Pontificiæ authoritati dissentaneum videri potuit.

[a] Apol. ad Nauag.

Et D. Nicolaus Tolentinas. Propiùs verò ad Paulum Quartum D. Nicolai Tolentinatis, quod habetur in Bibliotheca Vaticana, præsagium accessit. Ait quippe: [Seuerus Iudex in senectute sua, gladio, & carcere disperdit impia.] Quid aptius? nam seueritatem quandam ore ipso, ac supercilio prætulit, in perditissimos Nouatores, scelestosque homines vehemens. Tùm prouecta admodùm ætate, ac propè octogenarius Orbis procurationi admotus, bellum pro tuenda Romanæ Sedis magnitudine gessit, quod ad gladium pertinet: Sacræ Inquisitionis Domum construxit, quod ad carceres.

Et ignotus quidã Eremita. Luculentiùs supremam hanc honoris appellationem Cardinali Theatino Eremitam quendam prædixisse, disertè affirmant [b] Panuinius, & [c] Cynus Campanus. Enimuerò quo maximè tempore Victoria Camponesca vtero Carafam gestabat, accidit, vt Montem, qui à Virgine nuncupatur, equo conscenderet, vt dicatum inibi celebratissimum Deiparæ Templum religionis causa inuiseret; cùmque difficili quidem, abruptoque itinere vteretur, vir quidam ætate, ac vultu grauis, & qui habitu, incessuque insignem præ se pietatem ferebat, Matronæ occurrit; monuitque, vt caueret sibi in ea Montis asperitate, ac vehi sensim pateretur: quem enim vtero gestabat, futurum aliquandò summæ virtutis virum, atque Orbis Christiani Parentem publicum, sciret: opportunè id quidem, nec sine diuinitatis instinctu, ne in vna Victoria communis salus periclitaretur.

[b] In Vit. Paul. 4. edit. [c] Orat. de laud. Paul. 4.

Et Marcellus Pontifex. Neque omittendum, Marcellum ipsum Secundum, Pontificem Maximum designasse vaticinio quodam successorem Cardinalem Theatinum, vt autor est in ea, quam in Pauli Quarti funere, orationem dixit, Ioannes Paulus Flauius. Iusserat quidem Pontifex, vti meminimus, Pontificijs Ædibus hærere illum; quippè quem adhibere in grauissimis Ecclesiæ negotijs secum ipse constituerat: cùmque non ita commodum contigisse illi domicilium, intellexisset; Cedemus nos, inquit, ex hoc loco, ne tanto viro locus desit. Quod quasi ita futurum diuinus ille sanè Pontificis animus præsagiret, paulò post euenisse compertum est. Siquidem intra bimestre & defuncto Marcello illachrymauit, & summa inauguratum Tiara Cardinalem Theatinum Roma consalutauit; cessitque Paulo Quarto Marcelli Secundi domicilium.

Et ipsemet sibi. Postremò, Pontificiæ dignitatis, atque Infulæ suæ Vates, ipsemet sibi visus est illam prænunciasse. Renunciato siquidem Marcello, æui non admodum maturo, cum mœrere suos cerneret, atque abiecisse spem omnem fore, vt ipse defecta iam ætate octogenarius Pontificatum consequeretur; ingenti quadam indole ad illos, Confidite, inquit, nondum venit hora mea. Quæ sanè citiùs, quàm reputare cuiusque animus posset, Theatino profundè seni, summam eam potestatem maturauit, quam nuper voce, diù ante digna celsiore quouis culmine virtute: sibi præsagiuerat.

At satis prædictionum. Nunc quo Numinis consilio, ac prouidentia, siue qua

ope

ope mortalium, quos esse diuini eiusdem Numinis in terris administros in hisce rerum momentis scimus, euectus ad Religionis, sacrorumque Principatum Cardinalis Theatinus fuerit, denarremus. Persolutis Marcello Pontifici exequiarum iustis, Comitium Purpurati Patres numero omninò quinque, & quadraginta, decima Maij mensis die iniere. Agmen duxit Theatinus, eius amplissimi Ordinis Decanus, ac Princeps. Qui quidem Consistorium ingressus, ea dignitate Decani personam, ac munus gessit; vt Antonio Cardinali Carafa teste, ceu Pontifex inter cæteros videretur. Monere ingenuè, ac summa animi magnitudine obiurgare acriter, si quæ exorbitauerint, non dubitabat. Neque verò Cardinalium in ea maximæ dignitatis velificatione aura, & fauor tanti apud Carafam erant, vt de sua quicquam authoritate, ac libertate detractum vellet. Dicere ad Patrum concionem, vt Ordinis Caput, contigit, eaque fuit in perorando dictionis libertas, vt magni nominis Cardinalem tacitè, ac vehementiùs carpserit, quòd nundinari illum turpiter supremos fasces, rumor percrebuerat: vsusque est, vt laudatus modò Cardinalis Carafa refert, ijs verbis: [Inaudiuisse nimirùm se, quòd inter fratres surrexerat quidam Simon Magus, cui ipse Dei iram denunciabat.] Admiranda prorsùs animi generositas, ac maiestas: tantum abest, vt Christiani Imperij candidatus, nundinari ipse obsequio, atque emendicare verbis, vt aiunt, byssinis, sodalium suffragia videretur. Ergò de Summo Pontifice eligendo vix cœptum, cum partiri inter sese visa Patrum studia. Qui Cæsari fauebant, in id omni ope incumbere, vt nonnisi pergratus Cæsari Pontifex appellaretur: ac plerisque in suffragium vocatis, apertamque passis repulsam; ad postremum Iacobum Puteum, iure quidem consultissimum, ac probum, & quamuis hominem Gallum, Cæsariano tamen nomini impensiùs addictum, euehere partium fauor cœpit. Peracta penè res erat. Cùm prouidentissimi Dei mens, qui aliò suffragia destinauerat, momentò mortalium consilia, ac spes lusit. Enimuerò, qui improbare electionem videbantur, vt æstus ille, studiumque in Puteum deferuesceret, alios subindè dignos eo munere deprædicare, atque offerre eligendos optimum factu existimarunt. Et Farnesius quidem, cui ingens authoritas, & clientela, imminere Cardinali Theatino studiosiùs, & commendare alijs cœpit. Viri merita, spectatamque rerum gestarum laude prudentiam, nemo non ingenti quidem plausu visus excepisse. Compellandum proindè, sistendumque illum, nulla mora, in Paulino Sacello decreuere. Planè Theatini nomen placere Cæsarianis minùs poterat: nam etsi visus illum in gratiam Cæsar recepisse, tamen non inter amicissimos habebatur; neque dùm iniuerat ille ab Administris beneuolentiam, quam à Principe longè humanissimo impetrauerat. Nihilò tamen minùs, quæ vis est magnæ virtutis, fauere, nec tralatitiè quidem, earum statim partium nonnulli visi sunt. Principes fuere Cardinales Carpius, & Toletanus, qui professi palàm sunt, in tanto viro cohonestando nullam Principis, aut gratiæ rationem habendam; nec potuisse, eo proposito, non stat im suffragari. Hos secutus Robertus Cardinalis de Nobilibus, eiusmodi confessione virtutis pronam in Theatinum voluntatem excusauit. Nam, eum Cæsarianæ partis Patres expostulare acriter cum ipso viderentur; quòd cum inter Cæsaris amicos censeretur, in Theatinum incumberet, hominem, videlicet, non omninò ad palatum; ijs præclarè quidem, ac planè sapienter respondit: Cedito Theatino similem, virtute, ac morum laude, qui in hac temporum inclinatione consulere rei Christianæ æquali prouidentia, atque egregiæ mentis præsidio possit; & suffragari libens, volensque abstinuerim. Præclarum sanè Roberti de Theatino testimonium, cui vices mox reddidit Paulus. Etenim cum is adoraturus accederet, non alijs illum verbis futurus tùm Pontifex Cardinalis Theatinus excepit, quàm, Ecce Angelus Domini. Et erat in Robertum singulari quodam studio propensus Carafa. Siquidem, cum anceps olim de eo in amplissimum Purpuratorum Collegium cooptando esset Iulius Pontifex Tertius; quòd dedecere existimaret, Ephebum honestari Purpura, qui annum decimum septimum non excesserat: Carafa, qui virtutem in præclaro adolescente, non æuum æstimabat, Pontifici suasit, vt adsciisceret, maturum iam indole; pollicitus, futurum se florentissimi Iuuenis moderatorem, ac pædadogum. Igitur hoc Patrum consensu, atque incremento, quòd adnue-

Pontificium Comitium ineunt Cardinales,

Præeunte Theat. Decano,

Eius in Conclaui authoritas.

Et in dicēdo libertas.

Comitij studia.

Card. Puteo fauent Cæsariani.

Farnesius in Theatinum incumbit.

Probantque pleriqueCæsariani.

Carpius, & Toletanus.

Et Robertus Card. de Nobilibus.

adnuere supremum Numen electioni videretur; intendere magis, ac magis in eam curam animum, neruosque Farnesius: factaque penè momentò ea votorum accessio, vt iam propè esset, vt res conficeretur. Eapropter ipsimet Cæsariani Patres, cùm dilabi sensim è suis plerosque animaduerterent, summa animorum conspiratione, concentuque vltrò sese in adorationem effudere; ipsomet Sfortia Cardinali Sanctæ Floræ, qui eius agminis Princeps erat, & Cardinali Puteo, Pontificatus candidato præeuntibus: qui tamen, antequàm accederent, cum trahi tantisper negotium cerneret Cardinalis Theatinus; deerant quippè adhuc pauci, qui numerum conficerent; resilire ab Sede Comitiali non semel voluit; non quidem moræ impatiens, verùm qui celsiorem quouis fastigio animum gestabat, esse infra dignitatem, atque existimationem suam putabat, si diutiùs perstaret: & planè indecoræ aliorum pro se prensationes, ac preces videbantur viro magno, ac probo, qui capessere summum honorem, nisi arbitrio, nutuque duntaxat Numinis dedignabatur. Quarè nonnihil Farnesio negotijs viri impetus, ac generositas exhibuit: compescuit nihilominùs, retinuitque in Sella reluctantem: donec quod scriptum adamante Cælo erat, communi Cardinalium suffragatione peractum faustè in terris est; inscriptusque Ecclesiæ fastis, atque in Pontificum censu Ioannes Petrus, Cardinalis Theatinus, dignus profectò eo fastigio; quando non ipse ascendit, sed eò rapi oportuerit, Sanctissimorum Pontificum imitamento. Quatuor, & quadraginta, qui aderant, Purpuratorum votis consalutatus Pontifex est, die tertia, & vigesima mensis Maij: quæ gemino quidem Ascensu solennis Ecclesiæ fuit, quando & ascendentem super sydera Saluatorem, & admonisse Cælo; & syderibus Infulatum Caput summum Sacerdotem gratulari illi contigit. Mutato de more nomine, Paulus vocari voluit; tùm vt Pauli Tertij Pontificis Maximi memoria, ac nomen reuiuiscerent, à quo honestatus Purpura fuerat; & gratificari Farnesijs videretur, quorum ope Catholicæ rei Principatum capessiuerat: tùm verò quòd singulari quadam Pauli Apostoli religione teneretur, vel à puero; vt in eo Diplomate, quo nostram Diui Pauli Ecclesiam Neapolitanam amplissimo indulgentiarum munere, singulis sextis ferijs mensis Maitij, locupletauit, testatur ipsemet; affirmatque, puerum se illud idem persæpè Templum inuisere solitum fuisse. Quòd verò breuem è sacra Scriptura sententiam, aut symbolum vsurpare Pontifices, vsu venerit, quo ideam, atque indolem mentis compendiò proponant; euulgauit statim animi sui tesseram Paulus Quartus, quam è psalmo centesimo, decimo septimo excerptam voluit: fuitque ea ipsa, quam magnus ille Turonensis Episcopus [a] Martinus, cùm interminatus illi est asperiora quæque infernus hostis, vsurpauit: nempe, [Dominus mihi adiutor est.] Quo sanè flagrantissimo Pontifici nihil accommodatiùs; quippe qui in Christiani Orbis procurationem ingressus, id planè mentis ceperat, vt emendata Aulæ disciplina, profligataque hæresi, quæ malis dæmonum, prauorumque ingeniorum artibus Catholicorum animos occupauerat; Ecclesiam repurgaret, moresque mortalium erudiret, refigeretque. In quo necessarium sibi vel maximè Numinis auxilium, tutelamque fore pro comperto habebat. Decere hoc porrò dictum virum magnanimum, ac munificum, cuiusmodi fuit Paulus Quartus, testatus in ea verba est [b] Paulus Apostolus: [Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus; ipse enim dixit, non te deseram, neque derelinquam: ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.] Meminit hoc Pauli Quarti symbolum Brochius in suis Commentarijs, vbi hæc ait: [Id symbolum, Dominus mihi adiutor, sibi adscripsit Paulus IV. Pontifex Max. vitæ innocentia, religione, morum grauitate, & doctrina præstantissimus.]

Iam verò, consequenti mox die Dominico inauguratus ante Vaticanam Basilicam est Pontificatus insignibus: neque eadem omnibus hilaritas in solenni ea luce fuit, immò ingens quædam, ac publica populorum mœstitia. Principem nanque, si disciplinæ studiosus fuerit, perraro plurimorum plausus excepit. Rara siquidem probitas, ac pauci admodum, qui fieri meliores velint censura morum. Et verò clementiæ laude mitem Principem extollunt, qui frenos iniici licentiæ, ac moribus suis timent: cum interim ea capitis facilitate, remissa legum obseruantia, neruisque

Ac demum prona in illū suffragia.

Qui tamen resilire è sella voluit.

Sed Farnesij vi retentus,

Summus Pōtif. dicitur,

Appellaturq; Paulus IV.

Eius symbolum,

[a] Sever. Sulp. in vit. c. 4.

Indoli accomodatur.

[b] Hebr. 13.

Inauguratur ante Vaticanā Basilicam.

Plerisq; mœrentibus, qui suæ licentiæ metuebant.

velut excisis, langueat Reipublicæ corpus, ac diffluat. Planè nihil in historiarum litteris occurrit frequentius, quàm subsedisse Regna Regum ignauia. Enimuerò, nisi præualida quidem manu grauiora Rerumpublicarum sceptra teneri contingat; & labi, & labefactari necesse est. Ergò recti, ac seueriores Pauli mores, quorum iam fama in omnes peruaserat, effecere, vt minùs læta acciderit eius inauguratio Romano Populo; qui assuetus iam plus nimio indulgere genio, acriorem Principis disciplinam, ac tenax restituendi publici moris propositum meritò pertimescebat. Id quod & antea Adriano Sexto, & postea Pio Quinto, Pontificibus, virtute, ac probitate summis, accidisse scimus; nam quòd in corrupta itidem tempora, quæ reformari oportebat, inciderint; eorum sanctitas, atque austeriores in vindicanda pietate secures, & fasces, præsertim initio Principatus, minùs grata Romanis fuere.

Quod Adriano VI. & Pio V. contigit.

At enimuerò, quòd sciret vir maximus, interesse plurimùm Principis, qua fama Regnum auspicetur; ac necessariam omninò populorum beneuolentiam, vt accipere subindè leges, ac fræna æquo animo possent; extingui seueritatis opinionem sub hoc Pontificatus initium voluit. Quocirca non ea statim, quæ ad commune bonum, morumque reformationem animo præceperat, sancire. Verùm in demerendis Quiritium affectibus magnificentiæ, humanitatisque argumentis totus fuit. Ac dedita quidem opera, vt in vulgus res manaret, dicere plerisque è Purpuratis solitus erat, non id consilij esse, vt noua in Vrbem induceret; erigebatque persæpe animos ea sententia: Vxores qui non habent, ij verberant. Et verò ea clementiæ, atque amplitudinis laude Romanorum animos cepit, obstrinxitque; vt obliti indolis austerioris, ac metus, ad grati animi monimentum statuam beneficentissimo Pontifici consecrare in Capitolij Arce decreuerint, vt in loco dicemus; ac Romanos proceres centum eius Aulæ addixerit, qui Equites à fide sunt appellati. Quod verò ad Pontificiam Domum, ac familiam attinet, earumque institutionem, & cultum; nitere, & exactam in moribus disciplinam, & regiam in domestico apparatu magnificentiam voluit. Enimuerò interrogatus statim Pontifex, quo se, ac Nepotes suos haberi cultu vellet: Magnificè, inquit, ac splendidè, vt Principes decet. Quo sanè loco non defuere eius tempestatis Scriptores, qui pompam, ceu nimiam carperent; abrepti, scilicet, tum obtrectandi licentia, æstuque; tùm aliorum auribus, qui infensi Pontifici erant, lenocinandi desiderio. Cùm alioquì inspecta propiùs Pauli mente, expensis religiosis, seuerisque planè moribus; persuadere sibi facilè possent, aliò quidem pompam, maiestatemque illam collimare. Equidem Ioannem Baptistam Adrianum, æui sui scriptorem, hæc, aliaque minùs decorè de Sanctissimo Pontifice scripsisse, non admodum miror; cùm ambitiosior profectò ipse fuerit sui Principis gratiæ, quàm ostentandæ magnificentiæ Paulus; qui sanè in eo Aulæ splendore, illustrique nobilium virorum famulitio, illud solummodò propositum habuit, vt Romanæ Sedis dignitatem, ac decus restitueret. Siquidem indignis planè modis cùm labefactari amplissimæ Infulæ maiestatem sub Clemente Septimo contigerit; ac nuper sub Iulio Tertio plurimum item detrimenti à nonnullis, humiliare supremum fastigium conantibus, acceperint; erigere profectò, atque ea specie, ac pompa excitare ad tantæ dignitatis contemplationem, venerationemque omnium animos oportuit. Mortalium mentes, quæ sensu, aspectuque ducuntur, nemo non vnquam intellexit, quantum fulgor, ac maiestas afficiat: hine præcipuum illud Romuli, principis terrarum Populi Regis consilium, vt Romanæ rei scriptor adnotauit, venerabilem sese Imperij insignibus statim reddere; & cùm cætero habitu, tùm maximè lictoribus duodecim sumptis, se augustiorem facere: hinc apud omnium item gentium Imperia, purpuræ, & paludamenta, & frequens lateri satellitium. Ornatus quippè, & cultus ille exterior etsi Principem non faciunt, Principis certè maiestatem, ac frontem veluti consecrant. Sacra verò, ac Pontificiam præsertim dignitatem magnoperè adaugeri cultu, argumento fuerint Cidaris illa tortilis, & aureum fronte redimiculum, & tot vestium nomina, ac gemmæ, summi olim Sacerdotis Aaron ornamenta, consilio, ac iussu Numinis concinnata. Et Romanum quidem, summumque Sacerdotium augustior sanè maiestas, ac splendor decet; quippè quod

Sed lusit communem opinionem,

Omni humanitatis genere in Populũ Rom.

Vnde & statuam promeruit.

Pontificiæ Domus cultus.

Immeritò carpitur.

Quo tinuerit in procurãdo nitore Aulæ.

Necessaria Principi veneratio.

a Liu. lib. 1.

Quæ ab externo apparatu cócilietur.

Pontificatus dignitas regia.

quod regia etiam dignitas commendat. Nam transcriptum, propagatumque fuit à
Christo sacerdote secundum ordinem Melchisedech, qui quidem ordo amplissimus,
a Exod 19.6. b Βασίλειον ἱεράτευμα. nempe regius. De cuius Sacerdotij amplitudine locutus olim a Moyses, illud, Re-
gnum sacerdotale, siue vt Septuaginta Interpretes habent, b Regale sacerdotium,
nuncupauit. Ea propter, cùm summum sacrorum Antistitem regia omninò appel-
Debenturq; illi regia insignia. latio, ac titulus cohonestent, non incongruè regius item apparatus, ac notæ Pon-
tificiis Infulis accedunt. Id quod Constantinus Cæsar, cui à rerum gestarum ma-
gnitudine cognomentum, probè nouit, docuitque, cùm erecta religione, maiestatem
Quæ Sylue-stro Pontifici Max. Constātinus detulit. Pontifici suam asseruit, concessitque Syluestro, summo Antistiti, phrygium diadema,
sceptrum, tunicam purpuream, illusam auro, ac gemmis chlamydem, omniaque, quæ
regium nomen tueri magnificè possent. Ergo quod alij suo quidem liuori velifican-
tes, vitio vertere inclyto, ac sanctissimo Pontifici Paulo Quarto non dubitarunt; id
esse omninò in eius incrementum laudis computandum, prudens quisque exi-
stimauerit. Quando monere superioris potestatis seculares Principes, inserere po-
pulorum animis diuinitatis opinionem, repræsentare quàm decentissimè peramplas
Numinis in terris vices, conciliari summo Patri Orbis venerationem, tueri Christia-
ni Imperij maiestatem, amplificare Dei gloriam; quæ sanè Pauli Quarti in eo Pon-
tificio apparatu, cultuque mens fuit, dignum profectò est insigni aliquo authoramen-
to laudis.

Porrò inchoare auspicatius Pontificatus sui Imperium non potuit Paulus, quàm
Britanniæ Oratores obsequium Pontifici deferūt. quo ipse die inauguratus Pontifex est, eodem Legatos tres Anglos conciliatam Ro-
mæ Britanniam, auitæque religioni restitutam, veluti in tanti Pontificis triumphum
attulisse. Soluerant nimirum Anglia, statim ac Cardinalis Polus nobilissimam In-
sulam, vti monuimus, in Romanæ Ecclesiæ fidem, sinumque accepit, Iulio Tertio Pō-
tifice, qui legauerat. Sed cùm interim excessisset Iulius, & mox Marcellus, sistere
ad hæc Pontificum funera interdum iter oportuit, donec sub ipsam noui Pontificis
electionem Romam inhærent, non sine instinctu Numinis; quippè debebatur hic Pau-
lo honor, qui fidei studio dilatandæ adeò semper flagrauit. Neque profectò vltra
nostram historiam erit, breuiter hic legationem denarrare, quæ tanto splendori Pō-
tifici fuit, totique Romanæ Aulæ, ac populo voluptati: quando viginti abhinc an-
nis nullus ab eo Regno Romam appulerat publicæ dignitatis ac nominis. Igitur, vt
quanta vnquam maxima nobilissimi Oratores pompa exciperentur, curauit Paulus,
vtque referre solitus erat Fabritius Sangrius, Dux Vitrij, Pontificis consanguineus,
Pontificiæque tunc Aulæ adscriptus, compellauit suos Paulus interrogatoque quo
se cultu celebritati apparauissent, cùm intellexisset, eodem planè, quo cæteros prin-
cipum Legatos excipi, ac deduci mos erat: Infra huiusce legationis decus id porrò
Excepti honorificentissime. est, inquit; excipi splendidiùs, ac magnificentiùs peruelim. Iussitque, vt supra com-
munem morem officium exhiberetur, quæsitissimo ornatu, ac lænis præsertim, attali-
co opere, auroque crispantibus. Nam cùm nunc primùm hi Romam adeant, inquit,
par est, vt in Pontificiæ maiestatis famam, ac venerationem ingens quidam fulgor,
ac pompa eorum animos impleat. Quo loco mulctandus iterum venit Adriani sty-
lus, qui sanctissimam Pontificis mentem in superbiam confidentissimè detorsit. Ad
Aulam, quam vocant, Regiam, vbi inter populorum æstum, plausumque Legati
peruenere; ad sanctissimi Pontificis pedes prouoluti, damnatæ olim, scissæque An-
gliæ veniam poscere. Secutos incesti Principis nutus, ac mores, à prisca Maiorum
Eorum in Aula Regia oratio. religione turpissimè aberasse: eierasse Sanctissimum Romanæ Ecclesiæ caput; ex-
cussisse refractarias ceruices Christi iugum: crimina, & numero plura, & mole in-
gentia percenseri minùs posse; atque hæc quidem reddi grauiora, cùm collata in
Anglicanam Ecclesiam maximorum Pontificum beneficia memorantur. Dignos
propterea, qui insigni animaduersione pœnas luant. Confugisse verò ad Sanctæ eius
Sedis benignitatem: à qua cùm impetrare se veniam, adoptarique in Catholicorum
censum, gremiumque Ecclesiæ, certò sperarent, pollicebantur vicissim ipsi Britanniæ
nomine, ad Orthodoxæ fidei leges conformatos, Romano ritu, nutuque posthac vi-
a lib. 13. cturos. Concepta hæc, inquit a Adrianus, eo animi sensu, affectuque, vt excusserit
statim lætitia, ac pietas ab adstantium oculis lacrymas. Pontifex ad singularem
quan-

quandam humanitatis, ac magnitudinis ſpeciem compoſitus, allocutus eos Latinè eſt, idque tàm aptè, ac facundè de more, vt extemporaneam, diſertamque orationem omnes mirarentur. Deceptæ diù Angliæ ignouit, diuiſamque fide, & terris Romano iterum Orbi coniunxit; vtque lætitiam, honoremque cumularet; Hiberniam Anglorum Regibus obnoxiam Inſulam, etiam inde ab Innocentij Pontificis Tertij temporibus Apoſtolicæ Sedi vectigalem, regijs Inſulis, ac titulis honeſtauit: Quod ideò factum, tum vt falsò Hiberniȩ Reges inſcripſiſſe ſe Henricum, ac Odoardum, declararet; tùm vt Philippo Auſtriaco, qui iam Mariæ Anglicanæ nupſerat, propenſiorem erga ipſum voluntatem ſignificaret. Quòd ſanè Philippi demerendi ſtudium in cauſa etiam fuit, cur ampliſſimè, atque auguſtiùs ſolitò exceptos Regni Legatos voluerit. Neque verò diſſimulandum, quod * Sanderus ſcripſit, Legatos illos ab eo cultu, ac maieſtate Romanæ Sedis, præſertim à Pontificis humanitate vſque adeò erga Orthodoxam fidem affectos deinceps fuiſſe, vt mutata non poſt multò, Mariæ funere minùs tempeſtiuo, ſcena, ac ſuccedente ad Anglicanæ rei cladem Eliſabetha, adduci ipſi nunquam potuerint, vt aliud præterquamquòd Romæ adoraſſent, Eccleſiæ caput venerarentur; luſiſque Reginæ inſidijs, ac minis, Catholicum nomen, ac decus ſtrenuè propugnaſſe.

Reſpondit facunde Pontifex.

Qui Hiberniam regio titulo poliuit.

* De ſchiſm. Angl. lib. 3.

Hi poſtea Oratores in Romana religione conſtantiſſimi.

Lȩta ne Maximi Parentis dignitas, ac ſuprema Chriſtiani Orbis Procuratio Noſtratibus acciderit, non eſt, cur hìc pluribus explicemus. Gratulari maximo quidem opere debuere, aſſumptum è noſtro Ordine, qui leges Chriſtianæ Reipublicæ daret. Neque enim non intimæ voluptatis cauſa eſſe poterat, eundem ipſum, & noſtri Sodalitij, & Orthodoxȩ Eccleſiæ publicum Parentem eſſe; & qui Theatinam olim diſciplinam fundauerat, Eccleſiaſticos nunc mores emendare; ac religionem ſummo iure; conſtabilire, ſacrorum Arbitrum, ac Principem. Ergò cùm è communi Eccleſiȩ, tùm è priuato Ordinis bono, gemino veluti è capite in noſtros homines manauit lȩtitia. Qui quidem, quod ad commodum priuatum ſpectat, ſenſere ſtatim magnificentiſſimi afflatum influxumque Syderis. Enimuerò, vt narrare ſupra cœpimus, quam viſi fuerant, elato Marcello ſecundo, ſpem abieciſſe Patres, Romanum domicilium adipiſcendi; ſuccedentis Pauli benignitate refloruit: ac breui factum ſatis eſt communi voto. Nam quando id ipſum cuperet vehementer, agitaſſetque aliàs Paulus; eùm primum eſt rerum potitus, eò ſtatim animum adiecit, vt ex tanto interuallo rediret in Patriam enata Romȩ Clericorum Regularium Sodalitas. Opportuna inſtituto, amplificandoque Dei cultui aptior Domus quærebatur; curamque Pontifex pleriſque demandauerat, vt diligentiùs explorarent. Cùm Guido Aſcanius Sfortia, Cardinalis Sanctæ Florȩ, atque Eccleſiȩ Camerarius, vti ea gratificandi Pontificis occaſione commodùm ſtatuit. Rector is Eccleſiȩ Sancti Syluestri in Cliuo Quirinali tunc erat; qui ſanè locus, & aeris benignitate, & ſitu opportuniſſimus, ſi ſpontanea liberalitate Theatinæ diſciplinȩ cederet, fore, non exiguam putauit Sfortia, initurum à Paulo gratiam; quem ſuboffenſum Sfortiano nomini, ac ſibi maximè, cùm perſuaſum haberet, propitiatum peruellet. Itaque illum conuenit, ac ſe, inquit inaudiuiſſe, peroptare Sanctitatem ſuam Clericis ſuis domicilium. Putare, nullum Sancti Sylueſtri Aedibus commodum magis Patribus, eorumque viuendi rationibus fore: ceſſurum ſe illis quàm libentiſſimè quicquid iuris, ac rei in eo ſacerdotio eſſet, ſi iuberet ipſe, placeretque loci opportunitas, ac facies. Viſus Pontifex, & Cardinalis munificentiam, & Quirinales eas Aedes ſtatim probaſſe; ratuſque, optimum factu, moram omnium abrumpere, tranſigendam eueſtigiò rem curauit. Quapropter abdicata ritè à Sfortia ſacerdotij poſſeſſione, Clericis Regularibus id loci attribuit, datis publicis litteris ad diem tertiam decimam menſis Nouembris. Inita mox à Noſtratibus poſſeſſio, nempè die decima ſeptima eiuſdem menſis, ampliſſimis planè auſpicijs: nobilitata nimirum eius Domus, ſacræque rudimenta Aedis fuere ſummorum Patrum virtute, quos immitti in poſſeſſionem contigit. Fuere hi Ioannes Marinonius, & Bernardinus Schottus, quos tùm quidem vocauerat Romam Pontifex, maximis Inſulis honeſtandos, vt dicemus; Paulus item Conſiliarius, Theatinæ Purpuræ, ac Pontificatus Comes, & vnus ex Ordinis Conditoribus; & Ioannes

Læta noſtrò ordini Pauli IV. Inſula.

Romana agitatur Domus

Card. Sfortia Aedem Sancti Sylueſtri Pontifici offert.

Acceptat Pontifex,

Atque inita ſtatim à Noſtris poſſeſſio

Qui primi Cœnobium iniere.

nes Antonius Pratus, quem significauimus, huic negocio petagendo Neapoli adlegatum. Porrò, quòd Parœciale templum id erat, sacrisque administrandis quosdam è Prædicatorum familia Patres aleret inibi Sfortia; vt libera prorsùs Theatinis institutis, curisque area relinqueretur, Dominicanis quidem ad Campum Martium traductos succedanea Sancti Nicolai Ecclesia excepit. Procuratio verò animorum proximo Sanctorum Apostolorum templo addita, sedulisque Franciscani Ordinis Patrum industrijs demandata. Atque ita addicta nostris sacris, pijsque exercitationibus ea Ecclesia Pauli Maximi Pontificis auspicijs, & Cardinalis Sanctæ Floræ beneficentia, nec sine anticipata diuini Numinis prouidentia. Videtur nanq; vel ab ipso sui exordio, tacita quadam Diuinitatis destinatione, substructus nostro Ordini locus; eodem siquidem anno quarto supra vigesimum voluentis sæculi sexti decimi, quo fundata Romæ nostra Sodalitas est, fundatum Quirinale hoc Templum fuit, vt est legere in eius inscriptione: quo licet profectò æternæ Sapientiæ consilium admirari, quæ nascenti Clericorum Regularium Instituto, vt coæuum adnasceretur Domicilium voluit; vt simul & authorari milites, & parari castra viderentur. Quòd verò loci situs oppidò placeret Paulo, vt quem religiosæ disciplinæ, diuinoq; cultui peropportunum putabat, proximorum etiam institutioni accommodaret; amplificandæ, ornandæque Ecclesiæ, ac Domui, & quidem Pontificia liberalitate, & cura animum adiecit. Nam quod ad sacram Aedem pertinet, Basilicam inibi peramplam moliri cogitauit, cuius in auersa quidem parte, quæ Sanctum Marcum, Pontificium olim Prætorium, respicit, faciem descripserat, descensumque longo, ac magnifico graduum ordine ad pulcherrimum Aræ Cœli exemplar, destinauerat. Cuius quidem præclari operis delineatio operosior profectò, ac sumptuosior, quàm instituta Congregationis moderatio, ac paupertas poscerent, Nostratibus visa: & qui intra modicas suæ vitæ rationes coerceri eius ædificij splendorem, ac celebritatem vellent, reuocare à magnificentiore ea mente munificentissimum Pontificem curarunt. Quarè, etsi obniti palàm non auderent; quòd scirent suæ illum amplitudinis, quàm paupertioris disciplinæ rationem haberi malle, differre nihilominus rem, ac ludificare præclarum impetum mora studuere. Valuitque adeò dilatio, vt intercepta mox bellicis curis, & consopita ea excitandi operis consilia fuerint. In quo sanè dilaudandi maximè Nostrates, quibus anxior cura erat, ne vel ipsa species templi augustior primæuam modestiam labefactaret. Ad hæc Pontifex Eucharisticum tabernaculum ex ære faciendum curauit, vt in eo, quod animo conceperat, Templo collocaretur: eximiæ quidem artis, raræque elegantiæ opus; quod quia anteà Paulus interceptus fato est, quàm absolueretur; Pius qui successit Pontifex Quartus Carolo Borromæo, sanctissimo nepoti, dono dedit; qui dignum amplissimo Templo munus existimauit, suaque in Mediolanensi Ecclesia statuit, vbi hodieque conspicitur, augetque loci maiestatem. Domui verò Patrum commodo laxandæ curas item suas admouit Paulus. Nam Ioannis Casæ, Archiepiscopi Beneuentani, viri ab studiorum, ingenijque amœnitate famæ celebrioris, qui à Pontificiis litteris, secretisque tunc erat, attiguas nostris Aedes coemit, non exiguo planè ære; in quas posteà captandi clementioris aeris causa, mordente potissimum æstatis sydere, concedere ipsemet Pontifex dignatus non semel est: celebrauitque in eius Domus aula bis Consistorium, vt sua nimirùm, sacrique Collegij maiestate commendatus loci genius posteritati foueret. Hortos etiam domesticos, & ampliandos, & exornandos curauit, extructo præsertim, ingenti sumptu, auroq; præalto ad deliciarum firmamentum muro, opere lateritio. Qui quidem horti exacti subindè ad omnem elegantiam, atque amœnitatē, aquarum copia, ac fontiū scatebris, vbique salientium, summorumq; Pontificum liberalitatem veluti admurmurantiū, adiuncta item nemoris longè pulcherrimi è vmbra ad arcēdos acerrimi Solis æstus; non priuatę duntaxat Nostrorum voluptati ancillantur, sed publicę veluti Romanę Aulę delicię videntur: vt pręter Purpuratos Patres, quorum inambulationibus assiduò celebrantur, ipsi etiam Pōtificies Max. non semel adierint, oblectati potissimùm subiectę vrbis prospectu; editiore quippe in iugo cùm assurgat locus pre-

Dominicani Patres aliò translati.

Et Parœcia

Excitata Quirinalis Aedes quo anno fundata est nostra Sodalitas

Illam amplificare cogitat Pontifex.

Magnificentiam minus probant Nostri, ac differunt.

Quoad bella eas curas intercederunt.

Tabernaculū item Eucharisticum faciendum curat.

Addictum postea Mediolanensi Ecclesiæ.

Aedes Quirinales laxantur.

Muniuntur, atque exornantur magnificè horti

Communes Vrbis delicię

premere quicquid Vrbanæ est magnitudinis, ac dominari latè obtutus videtur: totamque inde æstimare Romam licet.

Neque verò aliorum pietas, ac liberalitas, qui in hisce Sancti Syluestri Ædibus ad absolutissimam eam formam, quam nunc cernimus, exædificandis, opem contulere, silentio prætermittenda. Ac de Gregorio quidem XIII. Pontifice, supra omnem laudationem Optimo, nostrique Ordinis amantissimo, cui præcipuam planè Domus partem debemus, suus erit dicendi locus. Iuliam Columnam, Romani generis, ac spiritus fœminam nostris hisce litteris commendare, Theatinæ gratitudini consentaneum omninò est; quippè quæ singulari quodam animi affectu prosecuta nostros homines est, statim ac Romam iniere; ac visa profectò cum ipsa Pauli Quarti munificentia certasse, collato ad ædificij substructionem ære, assidua, ac magnifica planè manu. Columnam pietate quidem, ac in nostrum Ordinem beneuolentia æquauit, superauit certè beneficentia Camilla Lomellina, cui clarum genus, & cunabula Panormus dedit; sed Genuæ nupta, in gentem Lomelinam immigrauit. Nec satè intra priuatæ amplitudinis fines contineri ingentes animos vnquam passa, quamuis Genuensis nostri domicilij structuræ, ac domesticæ Patrum indigentiæ effusè adesset; ceu angusta exercendæ pietati area, ea Domus foret, in Quirinales etiam Ædes incumbere opibus suis cœpit. Nam absoluendæ peramplæ, celebrandis generalibus comitijs aulæ, laxandæque cœnationi sex aureorum millia, & eo ampliùs erogauit. Cùm interim insigni in dies liberalitate cùm domestica, tùm sacra ab ea manu supellex excresceret. Vtque vniuersim, ac strictim loquar, ea fuit erga vniuersum nostrum Ordinem laudatissimę Matronæ munificentia, vt altioris fortunæ, ac dignitatis fœminæ cum illa comparari non erubescerent; nisi quòd Pulcherijs, ac Mathildis exæquare opibus animum contigit; Camilla verò prætergressa censum animo longo interuallo est. At eius pietatem aliàs etiam stylus delibauerit. Perstringenda nunc est in sancti Syluestri Ædem religio Marci Antonij Florentij, honestissimi Viri, ac propensioris in nostratem disciplinam animi, qui in ea Carafæ gentis clade fidem probauit suam peregregiè; secutus nempè aduersam fortunam Alphonsi Cardinalis Carafæ, Archiepiscopi Neapolitani, cuius inter familiares censebatur: eiusque postea fidei merito percarus Pio Pontifici Quinto, admotusque secreto eius cubiculo fuit, auctus ingentibus planè opibus, ac censu. Is igitur Quirinalem Ecclesiam mirificè sibi exornandam suscepit, suspensis præsertim ære, suo laquearibus insignis cælaturæ ac artis, inductoque auro magnificentissimis. Quo quidem in opere quanuis eximia quædam magnificentia intuentium sese oculis offerat, pulchriùs tamen lucet animi modestia, qua in tanto auri splendore non quidem sua, sed Pij Pontificis insignia promicare ad æui memoriã, gratiq; animi specimen voluit.

Greg. XIII. easce Ædes amplificandas curauit.

Substructioni adest Iulia Columna.

Et Camilla Lomelina.

Quæ à singulari munificentia laudatur.

Marcus Antonius Florentius.

Quirinalem Ecclesia ornat splendidissimè.

Sed hæc non admodum supra nostram memoriam fuere; redeat nunc ad superiora ea tempora recordatio, vt in huiusce Domus fundationem ingressã semel narrationem absoluamus: & quando prosperiora memorauimus, aduersa narrare non pigeat. Et verò, quas Pauli Quarti auspicijs concessas nostro Ordini Ædes significauimus, suas non post multò tulere vices, ac turbines; vt nil propius fuerit, quàm vt ereptæ nostro instituto, semel pristino Rectori, iterum Monialium disciplinæ cederent. Expedienda paucis res est. Obtulerat illas quidem sua sponte Paulo Quarto, vti significatum est, Guido Ascanius, Cardinalis Sanctæ Floræ; verùm quia vnà cùm Alexandro Sfortia, germano fratre, qui Apostolicæ Cameræ Clericus tunc erat, subire posteà Pauli seueritatem, mulctamque contigit; odisse eius nomen, & facta omnia vterque cœpit; atque abdicati præsertim Quirinalis sacerdotij, concessique Nostratibus domicilij piguit. Quare elato deinde Pontifice, in illud statim incumbere, vt spontaneam rescinderent largitionem; fauente in primis temporum, ac fortunæ vice. Et Alexander quidem, qui donatus iam Purpura à Pio Quarto fuerat, impotentiùs visus negotium pertentasse; ac temperare sibi minus potuit, quin ingressus eam aliquando Domum, & quicquid munimenti, ornamentique Pontifex Paulus in ea accurauerat, intuitus; professus palàm, ac supercilio quodam Patribus fuerit, sui, suorumque iuris locum esse: adnisurumque omni ope se, vt.

Aliquid procellæ in Domum S. Syluestri.

Quam vendicare sibi Sfortię conatur.

Sed vicit æquis, ac rectiratio.

se, vt vendicaret. At enimuerò, quòd ritè, cautissimèque principiò gesta res esset; euincere, etsi nullum non lapidem mouisset Sfortia, non potuit. Ergò fauore Numinis fractus prior ille impetus. Sed suborta mox acrior procella Principis, fœminæ opera, ac nisu. Mulierum, præsertim quas effert nobilitas, quò facultas corporis imbecillior; eò incitatior animus, ac vis impetrandi robustior.

Alter mox turbo à Monialibus Sancti Sixti.

Sancti Sixti in Auentino Cœnobium est, à Diuo Dominico Sacrarum Virginum disciplinæ excitarum; noxio planè, grauique cælo; vbi quòd affecta semper, afflictaque valetudine vitam ducerent Moniales, consulere communi incolumitati purioris aeris loco decreuere.

Catharina Nobilia agente.

Id negotij Catharina Nobilia, Iulij Pontificis Tertij Neptis, Sanctæ Floræ Comes, ardentiore quidem studio suscepit, pulsata in primis consanguinearum precibus, quæ illam Auentini Monasterij inclementiam auersabantur. Ergò perlustratæ Vrbis Regiones; nullumque opportunius Virginibus repertum, quàm Sancti Syluestri Cœnobium, salubris cæli fama, prospectuque liberrimo nobilissimum. Amplitudo, situs, hortorum amœnitas statim placuit, accenditque acri adipiscendi desiderio; adeò verum est suas cuique opes, ac dotes fraudi esse. Persuasum autem habuit Catharina, non adeò difficilem prouinciam fore potiri loco; quòd paucorum Clericorum modestia non eam vim opponeret, quæ ludificare efficaciorem operam posset: sufficiebatque Sfortianæ Domus fœminæ animos, quòd repetere quod suorum olim fuerat, videretur. Postremò spem vehementiùs inflammauerat Pij IV. Pontificis studium, ac indoles; quem vt conuenit Catharina, precari anxiùs, vt quas Pauli IV. soboles incoleret Quirinales Domos, Sancti Sixti Monialibus attribueret. Paucos illos quidem Clericos esse, nec defutura illorum disciplinæ passim loca; & quæ virorum conditio est, inspicere ipsosmet, explorare, consulere rei suæ facilè posse: fœminarum verò longè aliam esse rationem; atque accurari illarum Virginum commoda præsertim debere, quæ præcipui sanguinis, ac stirpis erant; easque aer, ac valetudo acriùs diuexabat.

Quæ Quirinalem Domum à Pio IV. impetrat.

Exorari Pontifex passus est quæsitis Catharinæ precibus, dimisitque voti compotem, & gratulabundam. Quo sanè nescio, an quid acerbius accidere Nostratibus posset, coactis, mutata sede, recentis iterum domicilij subire incommoda; incertisque, an Domus, an ex animi sententia contingeret? auerso præsertim Pontifice.

Res pulsauit acerbè Nostros.

Verùm, quòd ipsum ius fasque sibimet patrocinaretur, leui quidem præsidio difflata lis, ac procella est; cùm maximè conclamata causa videretur, accedente iam Pontificis nutu.

Quibus patrocinatur Lælius Spagnius.

Enimuerò ablatum Theatinis Patribus Cœnobium, vbi Lælius Spagnius, vir insigniter probus, ac Sfortianæ domus, ipsiusque Alexandri Cardinalis, Catharinæ leuiri medicus, insudiuit, molestissimè rem tulit; peramicus quippè æqui, ac Nostratum erat, eorumque egregiæ virtuti cum primis addictus.

Agit cum Card. Sfortia

Ea propter compellare Cardinalem non dubitauit; ac pro ea, qua valebat apud illum authoritate, inculcare vehementer, Catharinam sine iniuria æqui, bonique, atque ingenti Patrum damno Sancti Syluestri Ædem à Pontifice non impetrasse; verendum propterea, vt Monialibus res benè vertat, ac ne inurat Sfortianæ existimationi notam: fieri nanque facilè potest, vt succedat subindè Pontifex, qui Theatinorum Patrum iacturam commiseratus, vindicare circumuentam iustitiam velit; expulsisque inde Virginibus, asserat postlimino Pauli Quarti familiam in suas Aedes: quòd sanè dedecori permagno illi foret, qui fauisset. Hęc, aliaque seriò Spagnius; quæ Alexander Cardinalis, infensus alioquì nostris, pronis auribus excepit, probauitque;

Ac difflatus mox turbo.

ac saniore planè consilio rem mora ita adgubernauit, vt languescerent paulatim Catharinæ, ac Monialium vota. Quibus non longè ab Quirinali nostro hoc Cœnobio contigit postea, Pio Quinto Pontifice Maximo, editissima planè sedes, quo lòco Pauli Aemilij balnea olim fuerant, quam Diuo Dominico nuncuparunt. Nostri verò homines soluti hoc metu, obstrictos sese Spagnio professi ex animo sunt.

Paulus Consiliarius.

Atque hæc de constituta Romæ Nostratibus statione, primo Pauli Pontificatus anno. Hac tamen sede concinnata, distrahi nihilominus à se Paulum Consiliarium, atque inibi cæteris cum sodalibus commorari, non tulit Pontifex, sed hærere adhuc Pontificijs Ædibus, ac suo lateri voluit. Assuetus quippe viri integerrimi atq; amicissimi

simi

simul contubernio, curasque omnes, vti aliàs commemorauimus, cum vnanimi capite communicare; indigere tùm maximè eius consilio, ac beneuolentia sibi videbatur, cùm auctus ea maiestate, ac Orbis pondere, raram in aulicis fidem, amoremque nouerat. Igitur, quò propior adesset curis Consiliarius, commodo fungi munere, hoc est, intimi cubiculi Præfectura voluit. In quo sanè illa etiam Pontificis mens fuit, vt dicemus; scilicet, vt ab eo non tàm cubiculi, quàm morum Præside, insignis cuiusdam modestiæ, ac probitatis leges disceret reliquus Aulicorum Cœtus: intelligeretque, qua viuere disciplina eos Paulus Pontifex vellet, quibus præclarum id virtutis exemplar obiecerat. Quanquam è Pontificia Domo descendere etiam in Vaticanam Ædem egregiam hominis virtutem mox voluerit. Nam vnà cum Antonio Carafa, illo nimirùm Antonio, quem postea Pius Quintus in Purpuratorum Collegium adlegit, amplissimo planè Ordini parem, Diui Petri Canonicum renunciauit; eo potissimùm consilio, vt quando Ecclesiastici ritus scientissimus esset Consiliarius, sacrarumque Ædium nitori impensè addictus; eaque etiam animi indole valeret, vt inducere quà verbo, quà exemplo sincerioris disciplinæ formam posset: priscum Vaticani Cleri, Templique splendorem, maiestatemque restitueret. Et quidem, vt memoria veterum constat, & ipsemet Consiliarius testatus sincerè Pontifici est; temporum cladem, quæ in augustæ eius Ædis septa, moresque petuasesat, instaurato in Ecclesiasticorum animis, atque aris cultu, egregiè profligauit: eo præsertim nomine dilaudandus, quòd intentiore ea cura interitum sibi festinauerit, vt in loco narrabimus. Pontifex verò dum has illi honorum appellationes confert, grandius quid de eo molitur, viamque ad Purpuram munit: vt qui insignis quidem prudentiæ, atque integritatis merito ad id fastigij propiùs accesserat; dignitatum quoque gradibus ascendisse, videretur. Hoc autem exornandi viri studium adaugendæ duntaxat modestiæ materiam dedit. Intellexit siquidem ille Pontificis destinationem; & cui animi demissio, quàm Purpura potior, obluctari omni ope dignitati, ac beneuolentiæ statuit: obtigitque illi opportuna deprecandæ Infulæ occasio. Enimuerò cum familiariter de more cum Pontifice ageret, ac destinatum se amplissimo Senatui sine vllo, aut fuco, aut dicti ambiguitate ab eo inaudiret, allocutus illum est in hæc verba, quæ excerpsisse ab Antonio Caracciolo voluimus, quibus & nauatam Vaticanæ Ædis cultui restituendo operam modestè insinuat. Ait igitur: [Ne me, Beatissime Pater, quæso te etiam, atque etiam, ad onus supra vires, ad honorem longè supra meritum attollas, in hac præsertim iam deuexa ætate, & quietis amante. Scis me, quicquid sim hominis, tuum fuisse semper, & fore. Quòd è cellula in palatium extuleris, nihil nostri indigus, tuæ prorsùs benignitatis id fuit. Quòd in Vaticanam Sacrosanctam Ædem honestissimo decoratum titulo intuleris; quanquàm nescio quid collapsi diuini cultus per me inibi reparari posse prætexebas; intelligo tamen celsissimum tuum istum animum nouam benefaciendi reperisse rationem. Nam ne gratias tibi agere debere videantur ij, quos benefactis cumulas; promeritos, & publico Ecclesiæ bono te enexisse asseris, qui nullum in seipsis, aut certè impar beneficio meritum cernunt. Equidem quod ad me attinet, quicquid Apostolicæ illi Basilicæ contuli, quòd impensè tibi gratum esse significas; facis tu quidem vti soles, ex abundantia quadam amoris; vt etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine culpa non possunt. Cæterùm vt nunc me præterea multò sublimiùs euehas; patere, Beatissime Pater, vt tibi vna hac re modò renitar. Si est tibi cordi, pro tua eximia liberalitate, atque humanitate, è nostra stirpe aliquem exornare Purpura; habes alterum me, quem extornes, Ioannem Baptistam videlicet, fratrem meum, qui me probitate, & eruditione longo interuallo superat, inque rebus gerendis insigni solertia; &, quod caput est, in Te, ac Sacrosanctam Romanam Ecclesiam constanti fide nulli mortalium concedit. Hac ratione, Beatissime Pater, & me lateri tuo, vt hactenus, semper affixum; & fratrem meum istius Sanctissimæ Sedis fidum, perpetuumque administrum habere vna poteris.] Hæc ferè ad Pontificem Consiliarius; cuius ille candorem animi, ac modestiam admiratus vehementer est, adauxitque erga singulatem, solidamque viri probitatem beneuolentiam. Purpuram verò, quam sincero, constantique neglectu respuit, Ioanni Baptistæ fratri detu-

Pontificis cubiculo Præfectus.

Et Canonicus Vaticanus.

Qua in Basilica priscos mores, cultumque instaurat.

Cogitat de illo Purpura honestando Pontifex.

At summum honorem Consiliarius auersatur.

Eius ad Pontificem hac super re verba.

Pontifex destinati Paulo Infulas Ioanni Baptistæ fratri transfudit.

detulit: visusque Pontifex, illibata Pauli Consiliarij humilitate, ipsum honestasse Infulis germani fratris. Porrò inter illa Orbis, rerumque publicarum momenta retinuisse erga Consiliarium, non modò vtcunque affectum, amoremque Pontificem, sed quendam etiam intimæ amicitiæ sensum, coniectari ex hoc libet: quòd statim ac mensæ accumbebat, vnicum, qui apponebatur, panem diuideret, mediumque Consiliario suo mitteret; velletque, vt de sua ipsius mensa eidem epulæ afferrentur. Quo sanè nescio, an quid honorificentius, aut blandius contingere illi poterat: incertusque animi sum, fuerit ne maius, partiri cum eo curas, an panem? Et Pontificem quidem illa in amantissimum caput comitas maximoperè commendabat; neque exiguæ profectò laudis est, tanta e maiestate ad eas amoris blanditias descendere, ac priscam adhuc necessitudinem alere quotidiana ea panis illecebra.

Partiebatur cū Consiliario Pontifex panem, ac epulas.

Bernardi item Tudertini, Laici Ordinis, ex Nostratibus, solida, ac rara quidem virtus Pontificis animum subijt, Romamque Venetijs euocauit. Hic ille est Bernardus, quem supra memorauimus, nouo planè instituto Italiam assidua magnæ Crucis gestatione peragrare solitum; ac postea eiusdem Pauli Pontificis monitis, qui tunc Venetijs inter Theatinæ disciplinæ Ascetas agebat, in nostrum Ordinem adoptatum. Hunc ætate grandiorem, & quadam morum seueritate incorruptum Pontificiam in Aulam admissum, secreto cubiculo admouit Paulus, suique curam demandauit. Qui sanè stationem quidem, atque officium, non animum mutauit: nec duratos iam, atque ad omnem disciplinam, austeritatemque conformatos mores, emollire scena illa Aulæ, ac species vnquàm potuit. Quæ muneris sui partes erant, quàm diligentissimè, ac summa fide obire: cæterùm quod ad sui commodum spectat, eadem in ea rerum affluentia paupertas fuit. Quæsita illi ad votum cellula angustior; nec pretiosior, aut amplior omninò supellex, quàm vti Theatini, ac Laici homines solent. Consanguineis nec multò, quàm sibi indulgentior. Nam cùm subleuandæ inopię spe illum sui inuiserent, quannis facta à Pontifice facultas fuerit, vt liberaliùs eos acciperet; parcè admodùm erogauit, potiùs vt naturæ, amorisque meminisse videretur, quàm vt iuuare cognatam necessitatem vellet.

Bernardus Tudertinus ad Aulam accersitur.

A secreto Pōtificis cubiculo.

Religionis paupertatem retinet.

Et fratris Laici cultum.

Eius cum cōsanguineis rigor.

Vocat modò stylum Ioannes Marinonius, cui primo hoc Pauli Pontificatus anno descendere cum eo, veluti in certamen, luctamque, egregiè contigit: qua quidem in palęstra visæ sunt modestia, ac lacrymæ triumphasse. De Neapolitanis Infulis agebatur, quas dum publica in luce Quiritium omni conatu detrectat Marinonius; plurium, qui acriter adfectabant, ambitionem insigni exemplo reprehendit. Verùm antequam propulsatam ab eo constantissimè Pontificis impressionem, ac vim denarremus; non prætermittendum quoddam eiusdem Pontificis de viri egregij prudentia, atque integritate testimonium. Administrauerat iam diù Cardinalis Theatini vices Neapolitana in Vrbe Scipio Rebiba, cum laude quidem, vt diximus, ac nauiter. Assumpto in Pontificem Theatino, accersitus illicò Romam est Rebiba; publicis Ecclesiæ curis imponendus, atque amplissimis honoribus destinatus. Eapropter Vicario illi muneri compertæ virum prudentiæ, ac probitatis sufficere oportebat, donec grauissimæ eius Vrbis procurationi par Antistes præficeretur. Quem ea super re consuleret Pontifex; opportuniorem existimauit neminem, quàm Ioannem Marinonium, quem in alienæ virtutis æstimatione acrem, & candidissimum nouerat. Ergò adiret ad Diui Pauli Cœnobium, rogaretque sapientissimi viri sententiam, Rebibæ iubet; vt antequàm Romam discederet, esset, qui Præfecturæ vices capesseret. Consultus Marinonius Maximi Pontificis nomine, vt qui modestiæ potissimùm, animique demissioni cauebat, visus eo honore, atque existimatione nonnihil pulsari. Obtemperandum nihilominùs cùm duceret, rem priùs cum Deo transegit; respondítque post preces, non alium se probitatis, ac prudentiæ laude spectabiliorem, magisque ingentibus ijs curis idoneum noscere, quàm Iulium Pauesium è Prædicatorum familia, qui Rectorem tunc Diui Sebastiani Cœnobij agebat. Virum non admodùm fama nominis celebrem, tùm religiosi professorem instituti, ac proindè non adeò rerum externarum vsu excultum, visus Rebiba minùs probare; rogauitque Marinonium, alium nominaret, quando constituisse Pontificem nouerat,

Ioannes Marinonius magno apud Pōtificem loco.

Iubetur Neapolitanæ Ecclesiæ Vicariū designare.

Iulium Pauesiū nominat.

rat,

rat, in illum omninò incumbere, quem ipse parem muneri iudicasset. At ille, cui explorata Pauesij virtus, quique ab egregia viri eruditione, atque integritate præclare Neapolitanæ rei consultum iri putabat; eundem ipsum appellauit, ceu publica, ac Vicaria ea procuratione longè dignissimum. Quod vbi significatum Pontifici est; moderandæ Ecclesiæ Neapolitanæ vices Pauesio statim demandantur, collatis primùm Vestanis Insulis. Et is quidem ea mentis indole, ac sedulitate curare officij sui partes cœpit; vt in præstantissimo viro designando non aberrasse Marinonij iudicium, mox deprædicauerint. Ac Pontifici quidem integritatem, ac fidem suam vsqueadeò probauit, vt Nuncium Apostolicum in eo Regno non post multò renunciauerit. Quo sanè in munere eo maximè tempore, quo Campanum bellum exarsit, tueri Pontificiam authoritatem, ac personam ea dexteritate, ac solertia visus est, vt quod sanè difficillimum erat, apud Regios Administros non offenderit. Dicta hæc breuiter voluimus, vt quanti Marinonij integritatem, ac prudentiam faceret Pontifex, explicaremus. De ipsius nunc modestia, ac recensata strenuè insigni Tiara, narrationem instituamus; qui quidem vt autor fuit, ne aliorum lateret virtus; ita nihil odisse profectò magis videbatur, quàm dari in theatrum, lucemque mortalium indolem suam.

Qui muneri præficitur,

Et mox Nuncius Apostolicus Neapolit.

Respondítq; officio peregregiè.

His igitur Pontifex de Vicaria Neapolitani Sacerdotij potestate accuratis; cogitare de ipso Antistite cœpit, qui amplissimam Vineam excoleret; & qui suarum partium esse intelligebat, egregium cum primis virum tantæ prouinciæ admouere; tùm id exposcere peculiari nomine videbatur & Patriæ ratio, & relictum à se Sacerdotium; ceu maius, ac celsius quid tunc esset illa Ecclesia, quòd ab ea Christi Vicarius in tantum rerum apicem euaserit. Qui digni ea Infula essent, plures animo occurrebant. Exactis verò ad calculum singulorum meritis, collataque maturiùs virtute, neminem aut præstantiorem moribus, aut recti, sanctique tenaciorem Ioanne Marinonio apud animum suum reputauit. Nouerat quippe omnibus, quæ Antistitem decent, virtutum ornamentis instructum: insitam præsertim viro mansuetudinem quandam, quæ suis aculeis, atque acriore vi non careret: tùm fidei zelo flagrantissimum, ac in Valdesiana ea labe, siue detegenda, siue accuratè detergenda nouerat, insigniter desudasse; atque ita prætereà affectum, vt si quæ eius vestigia extarent, aut noua suborirentur portenta religionis; & illa quidem impigrè eraderet; hæc verò maturiùs iugularet. Ad hæc persuasum habebat, Ordini, Populoque Neapolitano rem non mediocriter gratam factutum, si Antistitem illum initiaret, qui diuturna iam cultura animorum tantam sibi ab ea gente gratiam, existimationemque conciliauerat. Re constituta, Romam euocauit Marinonium, amplissimo Sacerdotio honestandum. Ac fama quidem euulgata, Neapolitanos perfudit intimè lætitia, incomparabilem Vrbi suæ virtutem gratulantes. Nostrates verò non potuit tanti Patris iactura non acerbè afficere; quibus, dum iter adornaret, collacrymantibus, hæc ille constanti; ac non dubia sanè fide: Temperate lacrymis, fratres, his ipsis, quas cernitis, vestibus, vestræ disciplinæ, paupertatique, ac vobis redibo. Ad Romanam Aulam rumor cùm permanasset, exceptus omnium plausu fuerat; laudatumque Pontificis consilium à plerisque magni nominis viris, quòd publicæ vtilitati, bonoque nobilissimæ Vrbis spectatum insigni probitate, ac religione hominem destinasset. Percarum id in primis fuit Nauagerio, Reipublicæ Venetæ Oratori; quòd sciret Patriæ ornamento fore viri non tàm Infulas, quàm expositam in communem vsum, atque eruditionem eius sapientiam. Aderat ea item tempestate Romæ Aloysius Lipomanus, de quo sæpè meminimus, qui Ioannis virtutem, quam maturam iam, solidamque admirabatur, pulcherrimum in florem sese olim induentem primo adhuc æuo suspexerat; erudiuerat siquidem vtrumque simul adolescentem Ioannis Bonij, viri laudatissimi disciplina, vt in loco diximus. Is non eius modò merita, electionemque probare insigni laude, ac publicè videbatur; verùm etiam insinuare Pontifici studuit, vt quando certarent in Marinonio humilitas, ac virtus, ac sui essent eius eloquentiæ nerui; vinci ab eius modestia, ac facundia minimè pateretur. Nouisse se à puero magnam indolem; tùm annis venientibus intima fuisse cum illo familiaritate coniunctum, ac sensa præstantissimi pectoris pro-

De Archiepiscopo Neap. cogitat Pôtif.

Destinat Infulę Marinon.

Ac Romam accersit.

Quid suis, cũ itineri se accingit, dixerit.

Probant viri in Aula præcipui Pontificis consilium.

Præsertim Nauagerius,

Et Lipomanus.

piùs

piùs explorasse: nihil illo probius, nil prudentius, nil sanctius: futuram propterea, & communi rei Christianæ, & Neapolitanæ potissimùm Vrbi rem perutilem, si præesset. Hac præstantissimorum virorum acclamatione appulit Romam Marinonius; & quanuis negotium illi Ordinum fauor, atque obfirmata præsertim Pontificis voluntas facesseret; bona tamen spe plenus, prædiuinare animo sibi videbatur, fore vt palmam ab ea pugna reportaret. Ad efficacissima, quæ tuendæ suæ causæ adornauerat, argumenta, quotidianas item preces adiungebat. Principum Apostolorum Petri, & Pauli, Diuorumque aliorum Templa, sacrosque cineres adire, eorumque implorare opem, ac fidem anxiè: ieiunijs præterea, cilicijs, cæterisque corporis afflictationibus communire se, ac præsidium Numinis exposcere.

Contra honores precibus se munit Ioannes;

Et corporis afflictationibus

Hisce nempè exemplis, raris quidem, sed præclarissimis, compensare Deus solet solicitas aliorum prensationes, atque in dignitatibus adfectandis crimina: vt si quando incusari Romam contingat, nimis auidè in ea honores peti; obijcere vicissim illa posit, esse qui nimis anxiè respuant; atque ita perbellè solicitudinem solicitudine redimi. Et verò prauis semper exemplis adnascuntur bona; vt nunquam desit, quod probi imitentur. Igitur accersiri Marinonium iussit Pontifex, cui cùm Neapolitanæ Ecclesiæ commoda, atque incrementa sibi magnoperè cordi esse, fusè, ac seriò significasset; ac proindè optare, vt exploratæ, ac maturæ iam prudentiæ vir eius administrationem susciperet: demum aperuit, decreuisse, vt id ipse oneris subiret; nec dubitare, non æquè pronum fore eius assensum Pontificis nutui, ac esset expedita curando maximo muneri facultas.

Consilium illi aperit Pontifex.

Molestiorem planè, quàm æstimare quis posset, eam sibi accidere Pontificis mentem, ostendit illicò Ioannes. Tùm causam tueri efficacissimè. Imparem se omninò esse magno oneri, nulloque rerum vsu instructum: quippè qui priuatas vsque dùm vitæ rationes, ac studia coluerat: deuexa insuper ad senium ætate elanguisse animi vires, neque tolerandis tàm magnis ijs curis, ac laboribus esse defectum corpus: si quid verò adhuc roboris, quod sciret perexiguum, animo superfuisset; sineret in eius disciplinæ cultu expendi, quam ipsemet Pontifex instituisset. Commune deindè carissimorum Sodalium votum, ac preces afferre, qui diuelli à se fratrem acerbè admodum ferre, testati lacrymis fuerant. Plura Ioannes intimo quodam animi sensu, ac vi dicendi planè ineluctabili, quæ repugnantem, vrgentemque Pontificem, tandem expugnarunt; ac præter omnium sententiam dimissus, eo solutus metu, bonus senex fuit, sui victor, omnique Infula maior.

Obnititur rationum momentis Ioannes.

Et vincit.

Huic disceptationi adfuit Fabritius Sangrius, Dux Vitrij, Pontificis consanguineus, atque ab intimo tunc eius cubiculo, qui rem accuratè postea adnotauit, obsignauitque ad veri fidem. Idque in primis testatum voluit, certamen illud, quod, vrgente rem Pontifice, Marinonius strenuè propulsauerat, ad horam perdurasse: eamque pauimenti partem, in qua ille de genu perorauerat, vberrimis posteà perfusam lacrymis, apparuisse. Quo planè constat, quàm non perfunctoriè deprecatus amplissimam dignitatem is esset, qui lacrymarum præsidio, ac vi rem agere voluerat.

Adfuit pugnæ Dux Vitrij.

Maduisse solum lacrymis terrà testatus.

Emulgatus is porrò sanctissimi viri mortalium contemptus, ingentem illi probitatis laudem, famamque vulgò peperit: nullum quippe certius magni, atque aurei verè pectoris siue argumentum, siue periculum, quàm oblata, ac recusata vltrò dignitas; quam si fugerit quis, tunc enimuerò in virtutis iter ingressum se, grassarique ad gloriam, luculenter ostendet.

Creuit à despecta Infula viri nomen.

Ioannes verò prosperiore exitu lætissimus, non post multò Neapolim reuertit. Patres, quos diù anxios res tenuerat, complexus, in ea primùm verba lætitiam effudit: [Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.] Tùm posita nondùm penula, rectà ad Ecclesiam: ibique immortales Numini accepti beneficij grates vt ritè exsolueret; recitatus alternatim, nec sine lacrymis, hymnus, [Te Deum laudamus.] Et iterare quidem ipse gratias Deo solitus erat, quoties animo reuolueret, quo defunctus periculo fuerat, & quibus se curis operosioribus expediuerat. Acciditque, vt ad principem Neapolitanam Basilicam adiret, gratias item persoluturus inclyto Martyri Ianuario, cuius sese fidei in eo potissimùm discrimine commendauerat: cumque non exquisito eo cultu nitere Aras, ac Templum conspexisset, testatus intimum animi sensum suspirio est: tum Socio: Quinam, inquit, potuissem ipse Sacrorum hunc neglectum ferre? proh quantis nunc curis obrue-

Quid suis, reuersus Neap. dixerit.

Quid Socio, persoluturus in principe Téplo gratias.

obruetis Procumbe in genua vnà mecum frater, gratesque Maximo Numini, ac laudes iterùm, ac sæpiùs agere ne pigeat.

Eadem in Bernardino Schotto, de quo sæpè meminimus, ornando, Pauli Pontificis mens ac voluntas fuit; at non eadem Schotto in dignitate propulsanda vis. Suspexerat iam olim Pontifex præclaros animi impetus, quibus institutæ recens Clericorum Regularium Sodalitati omnium primus se consecrauerat Bernardinus; & qui egregiam in primis indolem, virtutemque rerum maximarum capacissimam, tùm doctrinarum præsidia, exactamque linguarum peritiam intimè adamauerat; dignas planè sua luce, & scena eas laudatissimi Viri partes existimauit. Eapropter Venetijs, vbi Præpositum agebat, Romam in ipso Pontificatus initio euocauit; cùm vt eius prudentia, atque eruditione in ea rerum mole vteretur, tùm vt in amplissimum Senatum adlegeret; accederetque summæ probitati suus color, atque aureis moribus Purpura. Planè, quę religiosa erat Viri humilitas, priuatæque virtutis, ac disciplinæ amor, ne præclaram hanc Romano in Theatro personam ageret, obluctatus pro viribus est; admouitque expugnandæ Pontificis sententiæ preces. Afferri hic ad rei fidem Dominici Porcij, Lippomani, Veronensis Antistitis familiaris, viri probatissimi, litterarum particulam libet; in quibus, & commune Ecclesię emolumentum ab ea Insula ominatur, & ne obniti obstinatiùs velit, hortatur. Hæc igitur Porcius, postquam Schotti virtutem iam iam Purpura honestandam rumor attulit. [Memini persæpè audiuisse à te, flagrantissimum tibi votum esse, spiritum Romæ ponere; quòd imbuta, ac affusa martyrum sanguine ea tellus esset. Videtur mihi porrò Maximum Numen, cumulatè præstare id velle; ea nimirum dignitatis appellatione, quàm scio ego, omnesque, qui te sciunt, præstantissimæ virtuti tuæ deberi. Vicinam igitur Insulam tuam vehementer mihi gratulor, non quidem tui causa, quem scio à rebus mortalibus longè abhorrentem; sed publicæ rei orthodoxæ, cuius interest, tui similes honestari, atque aggregari à Pontifice in Christi vineam istiusmodi plantas è quarum fœcunditate felix quædam in Christianorum Vrbem autumnitas prouenit. Iam recusasse te permodestè honorem intelleximus; quod quidem permitti intra modum humilitati, animique demissioni debet; ne obluctari plus æquo diuinę voluntatis imperijs, ac legibus videaris.] Hæc ille de Schotti modestia: quam declarant etiam litteræ ab ipsomet Schotto ad Cardinalem Polum in Angliam datæ, quibus significasse Pontificem sibi domestico sermone, destinatum iam se Purpuræ, nunciauit: consuluitque seriò Virum amicissimum, æquè ac prudentissimum, quid in eo recusantis, abhorrentisque à fulgore seculi, animi æstu, mentis capesseret. Poli responsionem hìc dare non abs re fuerit, quam Marcus Romanus ex nostris, nune Episcopus Rubensis, ex codice manuscripto epistolarum Cardinalis Poli, qui penes Constantinum Caietanum, Abbatem Casinensem Romæ extabat, testatur exscripsisse: qui quidem codex, vt proximè retulit Carolus Palma, etiam ex nostris, nunc inter amplissimæ Barberinæ Bibliothecæ Manuscripta censetur. Sic verò Poli Epistola: [Litteras accepi tuas Roma scriptas: & vt quam prætefers animi modestiam vehementer admiror; ita sanè me eius causa non mediocriter oblectat. Consulis me porrò, quid hac in re deliberes? At non equidem aliud ipse consilium dederim, quàm quod olim ego, in eadem nimirum mentis fluctuatione cepi; nempe maximo Numini obtemperandi, certò sperans, fore vt adsit tibi diuina bonitas, faueatque tuis curis, ad sui, suæque Ecclesiæ gloriam, ac vtilitatem; quam proposuisse sibi Pontificem in hac, quam de te, summa cum iudicij, ac pietatis laude inijt deliberationem, compertum habeo.] Pergit Cardinalis Polus: nobis verò hæc adnotasse sufficiat; vt in amplissima Insula capessenda, incertam, detractantemque Schotti mentem intelligat lector.

Sed vicit Viri modestiam Pontifex, authoritate, ac singulari in præclara merita propensione. Nam primò Tranensi Ecclesię imposuit, pauloque post exeunte anno, die nimirum vigesima Decembris, solennibus Comitijs in Purpuratorum censum adnumerauit. Fuere cum eo sex alij eximiæ quidem eruditionis, famæque Viri inter eius Ordinis Patres adlecti. Nempè Ioannes Siliceus, Ciuilis, Sacrique iuris insigniter doctus, Antistes Toletanus, totiusque Hispaniæ Primas. Scipio Rebiba,

Bernardinus Schottus Pau lo IV. carus.

Ad Purpurã Romam euocatur.

Qui ab ijs honoribus abhorret.

Vt testantur Porcij litteræ.

Card. Polum in ea fluctuatione consuluit Schottus.

Quid responderit Polus.

Schotti humilitatem vicit Pontifex.

Mox Cardinalem renunciat.

Lecti cum eo sex alij magni nominis.

biba, de quo supra, prudentissimus iuxta, ac sapientissimus. Diomedes Carafa, Pontificis consanguineus, auita nobilitate, ac sua longè clarissimus, eoque vsu rerum spectatus, vt nihil omninò Romani moris, ac iuris mentem quàm eruditissimam lateret. Ioannes Suauius Reumanus, Vasco Gallus, inter Romanæ Rotæ subsellia maioris cuiusdam notæ, ac nominis Viri. Ioannes Antonius Capisuccus, Romanę stirpis, ac virtutis; ac iure præsertim consultissimus. Et Ioannes ille Groperius, homo Germanus, ingenij, ac facundiæ laude memoratissimus, totque Nouatorum trophæis, quos voce, scriptisque litterarum monumentis profligauit, illustris; acerrimusque Catholici nominis assertor, ac vindex. Decerpsisse enimuerò è Romana Aula hominum pręstantissimorum, virtutisque florem visus Pontifex insigni hac Purpuratorum lectione: quos inter non postremus sanè fuit Schottus noster, siue ingenij, siue prudentię commẽdatione; admotusque mox grauissimis Christianę Reipublicæ negotijs, ostendit, consopiri quidem, ac tegi humili toga, ingentes spiritus, non extingui. Et verò curandis præfecturis, publicisque mortalium opportunitatibus, vsu compertum est, valere plurimùm disciplinam morum, ac recti, bonique rationem, ad quam assidua virtutum exercitatione Religiosi Viri componuntur: nunquam enim non preclarè rem gessit probitas, cui si reliquæ subinde agendi artes, quas experientia, ac vsus docet, accesserint, nihil profectò istiusmodi temperatione concinnius.

Quàm apti administrandæ Ecclesiæ Religiosi Viri.

Iam verò Nostratibus, etsi minùs quidem grata Schotti Infula videri potuit, quòd abripi à suo contubernio, sinuque Sodalitatis præclaram virtutem cerneret: tamen, quòd Ordinis amantissimum Virum scirent, proindèque cùm ornamento, tùm patrocinio fore persuasum haberent; gratulati ex animo sunt: datisque communi nomine ad eum litteris, qui Congregationem tunc moderabantur Patres Veneti, & ingenti se lætitia perfusos, & erectos spe, fore vt Sodalitium efficaciore studio, affectuque tueretur, prolixè testati sunt in hæc potissimum verba. [Consolari quidem, gratularique vehementer decet nos Tibi amplissimum honorem; quod certa nos spes tenet, non minùs re, quin immò longè propensiore animo, ac ope profuturum Religioni tuæ in isto, quo nunc emines, gradu; quàm si in eius sinu esses. Quòd si in ea priùs iuuanda, esse quidem instar capitum decem videbaris, æquare nunc centum facilè poteris; erisque; vt cum maximè eius & filius, & Parens ac præcipua post Christum, Sanctissimumque eius Vicarium Tutela.] Qui verò euectum ad id fastigij Bernardinum visi magnoperè probasse, ij fuere Patricius Venetorum Ordo, Senatusque inclytus: quippe qui eximiam eius indolem propiùs inspexerant, fructusque ab ea eruditione, exemplisque virtutum diù decerpserant: affixus nanque ad plures annos Tolentinati Domicilio, diuturnis laboribus, omnisque officiorum genere gentis studia, atque Ordinum præcipuè sibi beneuolentiam conciliauerat: Quarè cum primùm aggregatum ad Augustos Patres Schottum Oratoris litteris rescivit eius Reipublicæ Princeps, Franciscus Venerius; officij duxit, humanissimis illum statim litteris appellare, collatamque meritis Purpuram totius Senatus nomine gratulari. Epistolam, quòd ab Augusto eo Venetorum Concilio conscripta, partamq; virtute, ac laudatissimis moribus eius Vrbis existimationem, famamque continet, libuit hic exscribere: quæ sic habet. { Audito ex litteris Oratoris isthic nostri, Te à Pontifice Maximo in amplissimum Cardinalium Ordinem cooptatum, magna sanè lætitia affecti sumus; cùm tui ratione, quem quidem ex quo Venetijs, deindè Pataūij commoratus es, summoperè amauimus, magnique ob vitæ tuæ integritatem, & innocentiam, doctrinam, morumque probitatem semper fecimus; tùm etiam propterea quòd tuam eximiam virtutem, præclarasque animi tui dotes non solùm sacro isti Collegio, verùm etiam vniuersæ rei Christianæ magno vsui fore prospicimus. Quamobrem sapientissimi Pontificis consilium summis laudibus efferimus, tibique ex animo gratulamur; sanctæque huic Sedi difficillimis hisce temporibus admodùm profuturum non dubitamus. De nobis autem tantùm tibi polliceri volumus, quantùm à sinceris, amantissimisque amicis, sicuti profectò sumus, exoptari potest. Id quod ex Legato isthic nostro pleniùs cognosces.] Hæc Venetorum Senatus. Cardinalis verò Polus, quem nutantem Schottum

Gratulantur Schotti Infulam nostri homines.

Et Senatus Venetus,

Datis ad illū litteris.

Et Card. Polus.

tum confirmasse litteris vidimus, cùm primùm adoptatum iam in Sacrum Collegium inaudiuit; intimo statim animi sensu congratulatus illi est: extantque in eodem codice, quem supra laudauimus, litteræ, quæ sic incipiunt: [Insignitum te Purpureo galero, non ita pridem intellexi: & eo quidem commiserationis erga te sensu, ea erga Ecclesiam, sanctamque Sedem lætitia affectus sum, quam non vna quidem, sed multiplex cùm publica, tùm priuata exigit ratio, &c.] Vbi sanè immixta dolori congratulatio inuitum ad id honoris raptum Bernardinum Schottum indicat. Quo autem pietatis studio, rerumque gestarum laude fulserit in Purpura Cardinalis Tranensis, (sic enim deinceps est appellatus, licet non post multò ad Placentinam Ecclesiam translatus,) dicemus in loco.

Sed ante amplissimam eius Infulam, Thomas Golduellus, qui tertio abhinc anno in Angliam, vnà cùm Cardinali Polo contenderat; cohonestatus Asaphensi Sacerdotio à Pontifice Paulo eodem hoc anno fuerat. Romæ tunc erat Golduellus: quando autem, & quanam ex causa reuersus ex Anglia fuerat, incertum habemus: vero tamen simile est, cùm ipsis Reginæ, Regnique Legatis Romam aduentasse; à Polo missum, vt quo plausu, animique reuerentia sanctæ Sedis indulgentia excepta ab ea gente fuerit; quàm faustè reflorere inibi iam cœperit res Christiana; quo tunc loco esset; quibus adaugeri adminiculis præclara initia possent; coram, ac prolixiùs Romanam Aulam, ac Pontificem edoceret. Quo quidem functus munere Golduellus restitui suis Anglis statim oportuit; vt quam in pietate redintegranda, instaurandisque popularium suorum moribus ponere operam cœperat, strenuè continuaret. Tanti autem Viri industriam, atque eruditionem etsi vtilem oppidò profligandis hæresum partibus per se esse, existimaret Pontifex Paulus; vtiliorem nihilominus fore, putauit, si eximiæ virtuti externa quædam veneratio, cultusque accederet à dignitate. Valere nanque in vulgus Infulæ maiestatem constat; nihilque occupandis animis esse efficacius, quàm coniunctam cum dignitate doctrinam, ac eloquentiam. Quapropter Asaphensi illum in Anglia Ecclesiæ Episcopum renunciauit, inauguratumque solenni ritu iuuandis popularibus suis euestigiò redire iussit. Geminum illi porrò ad Reginam diploma Pontifex dedit; ignoramusque quid rei continerent; nisi quòd Londinum Decembri mense eius anni cùm peruenisset Thomas, ea Reginæ reddidisse testatur ipsemet compositis ad Schottum litteris, quarum ea fuit summa: Incolumes videlicet ornatissimam Reginam, Legatumque, ac rei Catholicæ promouendæ intentissimos reperisse se Londini, memorat: coactumque tum quidem celebrandæ Synodo Clerum; vt quæ ad Angliæ institutionem, communemque salutem facerent, coniunctis vnà viribus, animisque ordinarent. Tùm, consalutasse à Pontificis nomine Reginam; eique, quę modò meminimus diplomata, gratissima ea quidem, sicuti & alia à Sanctitate sua beneuolentiæ argumenta, dedisse. Necti verò adhuc impedimenta, morasque religioni, ac pijssimis Reginæ curis; proindèque opportunum satis fore, si daret aliquando Pontifex ad illam litteras, arrigerentque eius animum adhortamenta, ac significata epistolis humanitas; vt quos ad sacrorum instaurationem, reuocandamque ad Romanæ fidei sensum, ac fœdus Anglicanam Ecclesiam, præclaros instituerat labores; strenuè prosequeretur. Addit & eius argumenti alia Golduellus. Ipse interim in communes religionis curas illicò ingressus, tùm publicis erroribus perpurgandis, tùm Asaphensis potissimùm Ecclesiæ incumbere commodis cœpit. Neque vna profectò causa vrgere Virum flagrantissimum videbatur: quando hinc Christi caritas, hinc Patrię amor vtrumque latus, gemina veluti face, perurerent. Ac suas quidem in eo Regno, quoad licuit, præclarè egisse partes, alibi aliorum testimonio commemorabimus.

Romam à Card. Polo missus Golduellus.

Auctus Asaphensi Sacerdotio.

Eius ad Schottum litteræ Londino.

Iam verò, quod ad communem Congregationis administrationem attinet, nulla fuere hoc anno, ac deinceps, quoad Paulus Quartus vixit, habita à Nostratibus Comitia: sed quando nostri Ordinis Parens, & Conditor in publicum euaserat Christiani Orbis Parentem; tantæ Potestatis reuerentia, non ab alio accipiendas esse leges duxere Patres, quàm ab eius imperio, nutuque: visumque profectò decorum, ac splendidum, ab eodem ipso temperari nostra, qui Christianæ Reipublicæ, Regnorumque

Ordinem administrat Paulus IV.

rumque

tumque omnium gubernacula, ac iura temperabat. Neque verò moderari institutam à se disciplinam in ea cura terrarum dedignatus est Pontifex; nam à grauissimis Ecclesiæ occupationibus nunquam visus ingens ille animus ita abripi, quin ad minima hæc nostra cogitationes suas persæpè deflecteret. Igitur Domorum primùm Præpositos Decembri mense huius anni renunciauit; ac Ioannem Marinonium, quem paulò ante Neapolitanum Sacerdotium strenuè deprecatum diximus, Neapolitano Cœnobio præesse iussit, Veneto verò Gregorium Marinum, vtrumque ad quinquennium: mutari siquidem, aut refici singulis annis non oportere existimauit. Quirinali verò Domui non tum quidem, sed paulò post, nempè ineunte statim anno, mense Ianuario præfecit Hieremiam Isachinum, quem à mentis solertia, à litterarum præsidijs, à vitæ integritate sibi commendatissimum, Romam accersiuerat Pontifex: quòd persuasum haberet, non minimo quidem Ecclesiæ, sibique vsui fore sapientissimi viri consilium, atque eruditionem. Demeruit autem ijs prudentię numeris, incorruptisque planè moribus vsque adeò Paulum Quartum Hieremias, vt in Pontificias Ædes mox eubcatus, admotusque intimo cubiculo, In arcanorum omnium, consiliorumque conscientiam adscitus æqua iudicij, ac fidei laude videretur. Excipere itidem Pontificis confessiones solitus erat, ne quid secreti pectoris lateret Isachinum; neque exiguum planè familiaritatis, affectusque argumentum id erat, quotidie legitimas ex breuiarij forma preces statis horis cum eo Paulum persoluere. Plura sanè hic essent de viro egregio commemoranda, quæ in opportuniorem locum reijcimus: cùm interim ijs admouere stylum oporteat, quæ Pontifex Paulus ad puriorem nostræ disciplinæ obseruantiam, cultumque tuendum statuit.

Domorū Præpositos ad quinquenniū renunciat.

Accersitus Romam Isachinus.

Innuimus supra, cùm de Nostratum, Patrumque Somascenorum nexu narrauimus, diuersa inter sese ingenia, moresque rarò coalescere; ac dissimilium, vti natura comparatum est, neque firmam, neque diuturnam societatem esse. Priuatam quidem indolem vni cuipiam Instituto accommodari, atque ad eam regulam mora, ac institutione exigi facilè posse, experientia satis constat in Religiosorum familijs, quas dispar hominum genus, ac genius implent, efformantque. At enimuerò Cœtus ipsos, ac gentium vniuersitates in vnum inter se corpus conuenire; in alterius statuta, ac leges, alteram, eamque integram Sodalitatem immigrare, atque vna quadam ratione agere, quæ diuersis diù institutionibus vixere; concipere quidem, ac delineare fortasse mente, ideaque quis poterit; re autem, vsuque comprobari, nunquam poterit. Nam, cùm sui cuique genti mores sint, & peculiaris disciplina, veluti collactanea; illam immutare, aut conuellere, naturam ipsam immutare profectò est: quod quia violentum, aut nunquam conficies, aut malè; aut certè redibit, recurretque statim in suam indolem, quod vi quadam ad alienas munerum functiones aggregaueras. Præterquàm quòd, cùm vnam alteri hærere disciplinam continget, vtraque de sui instituti puritate remittat, necesse est: quarè neque vna omninò esse societas potest, quæ ex duabus constat; neque sanè perfecta, quando ea mixtura morum à primæua sui perfectione vtraque recedit. Quid si vna, eademque Congregatio, si fortè nouos induci mores paucis placuerit, vnà secum esse non possit; ac scindi statim, atque in diuersas abire familias oporteat? Id quod in Religiosis Ordinibus frequenter vidimus: censenturque modò in Ecclesia plura Ascetarum instituta, ac nomina ab vno, videlidet, capite, per ea legum, morumque diuortia propagata. Adeò verum est, quod *ille dixit: [Quod dissimile est, non finit amicè conspirare in opere.] Compertum id nobis, nostroque Ordini est, vsuque planè didicimus, non perennare discrepantium morum contubernia. Sanè cùm aggregari Somascenam Congregationem ad Nostrates placuit; diuriùs, nec tralatitia quidem consultatione, agitata res fuit: & quanuis visa tunc ea coniunctio vtrisque perutilis; nihilò tamen minùs monuit tractu temporis magistra rerum experientia quod modò significauimus; nempè Societates, Cœtusque hominum, institutione, moribus, ac fine diuersos, nec quàm benè, nec quàm diù necti. Et verò, ab Orphanorum potissimùm educatione, instructioneque, quæ coæua instituto, atque ipsa instituti ratio est, diuelli minimè poterant, assueti iam ijs curis, Somasceni. Nostri verò homines,

Diuersorum Cœtuū communio rarò successum habuit.

Nunquam alterius alterius mores trāsiet.

* Liban. declam.17.

Id accidit inter Nostrates & Somascen.

Quibus cum diuersa essent exercitia,

mines, quibus alia Sodalitatis cunabula, ac viuendi ratio, cùm primùm periclitari rem cœpere, alienum omninò ab Theatinis institutis, ac multò sanè magis, quàm animo conceperant, illud etsi laudatissimum ex se opus, intellexere; ac proindè distractis vtrinque animis in suas quique munerum exercitationes, distrahi societatem oportere; ac vnum, non vnanimem Cœtum esse: quo sanè Religiosorum Ordinibus, qui ipsa animorum consensione, atque vno, eodemque legum, officiorumque vsu constant, nihil infensius. Igitur, cùm re quidem vera minus cohærerent ij Ordines; eaque studiorum, curarumque communicatione, quibus commodare nihilominùs operam, manusque necesse erat, lædi Theatinæ disciplinæ puritatem permolestum ducerent Nostri: optimum factu existimarunt, pristinam cuique libertatem, moremque restitui. Ad communem hunc Clericorum Regularium sensum, Pontificis consensus statim accessit. Nam, quippè cui institutæ à se Congregationis rerum status exploratus planè erat; nouerat iam coniunctionem illam non successisse: atque adeò consentaneum vtrique disciplinæ esse, vrgere singulas proprium institutum, ac sequi, vt vulgò dicitur, suam Spartham. Quapropter datis hoc anno ad diem tertiam, & vigesimam mensis Decembris Pontificijs litteris, quæ penes nos sunt, nostrum Ordinem ab ea puerorum cura, atque institutione, in puriorem, primæuamque Clericorum Regularium obseruantiam asseruit; & quam ipse olim molitus vnionem fuerat, Apostolica authoritate dissoluit. Quę verò caritas, ac mutua animorum beneuolentia lætissimis semper incrementis inter vtriusque Congregationis Patres floruerat, visa profectò nihil inde detrimenti cepisse: continuauitque transmissus à maioribus in posterorum animis sese vicissim iuuandi ardor. Argumento fuerit, quod in Vita Hieronymi Æmiliani narrat eius scriptor Augustinus Turtura. Scilicet, cum euocati postea ad Veneti Seminarij administrationem à Ioanne Triuisano, eius Vrbis Antistite Somasceni fuere; etsi peramplis ædibus excepti, nullus tamen illis publicæ Ecclesiæ, communisque sepulturæ vsus viginti circiter annos fuit: quo quidem interuallo, si quos ex ea familia abijsse è viuis contigisset; vna, eademque illis cum Nostratibus vrna erat: ducto siquidem Tolentinatem ad Ædem funere; celebratisque eo, quo nos ritu solemus, iustis exequiarum; nostri Cœmeterij communione, vsuraque donabantur. Id quod & Neapoli fieri solitum plerique è Nostratibus affirmant, qui id meminere. Nullum planè eximiæ caritatis monumentum, quàm perpetuo veluti Hospitio defunctos manes excepisse: efficietque curata piè mortalitas, vt nunquam excidat priscus amor. Cuius etiam in Somascenos Theatinæ beneuolentiæ argumentum Neapoli extat; cum Hieronymi Ferri, viri è Nostratibus laudatissimi, opera vocati, assertique in Lauretanam Orphanotrophiam (insigne id est, atque oppidò pium Neapoli opus) fuere; excepti Paulinæ primùm in Domo quàm humanissime, ceu nostri homines. Sed hæc fusiùs, atque opportuniùs in loco.

Diuidi Pontifex iussit.

Obsignatis Pontificijs litteris.

Durauitque mutua inter Ordines caritas.

Vt commune habuerint Venetijs Cœmeterium.

Accersiti Nostratum opera Neapolim Somasceni.

Cumulauit hoc itèm anno Paulus Quartus in suum Ordinem beneuolentiam, priuilegiorum, quæ firmamenta, ac robora disciplinarum sunt, amplitudine. Nam, præterquàm quòd, quæ nobis olim fuerant ab alijs Summis Pontificibus concessa, confirmauit; tum alia item munificè addidit. Præsertim cum Societatem Iesu, quippè quæ fusa iam latiùs in Christianum Orbem, tam frugiferam Christianæ rei operam nauabat, peramplis quidem priuilegijs, indultisque honestatam sciret; ijsdem nos potiri obsignato diplomate, iussit: sanciuitque, vt quicquid illa gratiarum, indulgentiarumque Maximorum Pontificum liberalitate, tùm proprio nomine, tùm aliorum Ordinum communicatione obtinuerit iam, aut deinceps obtinebit; ad nostram id etiam Sodalitatem deriuaret, perindè atque si Nostratibus præcipuè concessa ea fuerint. Cauitque prætereà, vt quoties isthęc Societatis Iesu, aliorumque Ordinum priuilegia labentibus annis instaurari, confirmatique contigerit; confirmata itidem, nostræque instaurata disciplinæ censeantur. Ad hæc, illud ijsdem litteris addidit, vt liceat Præpositis nostris, siue cuilibet è Confessarijs, qua die, aut pridie quàm nuncupaturus publica nostræ Congregationis vota quis est, à qualibet illum interdictione sacrorum, censurisque Ecclesiastica absoluere; modò non ex ijs sit, quæ legi in die Cœnæ Domini solent. Tùm irregularitatem omnem, si qua implicitus idem

Confirmatur augenturque priuilegia.

Addita communicatione priuilegiorũ Soc. Iesu.

fuerit, etiam per cædem voluntariam, quantumuis compertam, publicamque, inductam, abrogare. Non exigua hæc quidem, quę hactenùs commemorauimus, Pauli Quarti in nostrum Ordinem ipso Pontificatus initio beneuolentiæ argumenta. Et sanè, cùm pleraque contulisset; plura adhuc nauare in commune bonum, decusque Sodalitatis, animus erat. Præsertim publicæ rei Orthodoxæ commodo, instaurandisque mortalium moribus, quò spectare potissimùm eius mens videbatur; plures è Clericis Regularibus, honestatos Infulis, veluti aptissima muneri instrumenta, Ecclesiarum gubernaculis admouisset; nisi distractis Congregationis opibus, imminutaque ab externa ea administratione virtute, quæ paucorum capitum numero exigua adhuc erat, maximè vereretur, ne languesceret vis illa, qua adaugeri in dies Sodalitatis corpus videbatur. Ad alia nunc properamus, & quidem Maximi Pontificis virtuti, zeloque consentanea; quæ sequenti libro prosequemur.

LIBRI OCTAVI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM LIBER NONVS.



QVÆ, suscepta Christiani Orbis moderatione, præclarè gessit Paulus Quartus, ad Theatinam historiam minùs profectò pertinere videri poterunt. Inducta siquidem amplissimi muneris maiestate, Cæli, ac terrarum iura temperare illi contigit: ac proindè principatus, imperia, momenta bellorum, pacis, ac fœderum opportunitates, publica Ecclesiarum, ac populorum commoda sanè extra nostri Ordinis, religiosæque paupertatis, atque humilitatis fastos dixeris; & vt longè à nostro Instituto absunt, ita & abesse à Commentarijs debent. Verùm, cùm vti supra monuimus, Parentem Ordinis egerit Paulus, cùm maximè in communes Ecclesiæ curas ingressus, publicus humani generis Pater est appellatus; planè, si res eius gestas accuratè adnotabimus, non modò nemo iure nos carpserit, ceu nostræ historiæ fines prætergressos, aut externa, quæsitaque ambitionis pompa claros; verùm etiam reprehendere meritò quiuis poterit, si stylus dissimulauerit, quòd non omnia singillatim, ac fusè tanti Parentis dicta, factaque, nostrarum litterarum monumentis consignauimus. In quo sanè illud fecisse operæ pretium iuuabit, quòd cùm plerique, quod est scriptorum ingenium, inuidiæ obnoxium, Maximi, atque Optimi Pontificis famæ detraxerint; nos interim de insigni eius pietate, animique magnitudine candidissimè enarrantes, ab hac illum iniuria, styloque malignitate vindicabimus; ac redibit sanè virtuti suum nomen: quando non quidem morositatem, aut partium studium; sed tuendæ Pontificiæ maiestatis, fideique zelum ad acriora interdum consilia impulisse sanctissimum Senem, Lector intelliget. Neque verò euibrato vehementiùs in hunc, aut illum calamo, confidentiam, fidemque historiarum, atque historicorum mulctabimus nominatim: sed ipsamet simplex rerum gestarum narratio abundè, vt arbitror, inspersam liuore aliorum scriptionem confodiet. Vnum hìc nominare Onuphrium Panuinium non omiserim; qui cum alioqui historias cum laude tractet; historici famam, ac decus in conscribenda Pauli Quarti vita nihil pensi habuit. Principiò siquidem seruire tempori, ac regnatrici scenæ cùm vellet; aliorum studijs seruilem omninò stylum accommodauit: ac multa à Maximi, ac Sanctissimi Pontificis innocentia, integritate, ac maiestate longè dissentanea posteritati propinauit; quæ postea, quæ est veri vis, ac necessitas, mutata Aula, emendauit; fuitque Panuinij censor Panuinius. Igitur si illorum temporum cladem, ac vitium spectes, si superiorum Pontificum conniuentiam, si viuendi libertatem; datam profectò opportunissimè Romæ, atque Orbis bono egregiam Pauli Quarti indolem, erectamque ad omnem morum, sacrorumque repurgationem mentem dices. Planè, etsi, vti docuimus, vt Romanorum animos mulceret, qui asperiora de Pauli disciplina, ac seueritate conceperant; mitiùs, & quadam clementiæ fama Principatum inchoauerat: attamen quod ad reformationem Romanę Aulæ, ac morum, hæresumque proscriptionem pertinet, quædam statim rudimenta posuit; gradum mox facturus, ea veluti prolusione, ad magna quæ sibi proposuerat.

Paulus IV. dicta, factaque omnia ad nostram historiā pertinere.

Vindicanda ab aliorū stylo optimi Pontificis fama.

Qui datus Orbis bono visus.

Cœpta Romanæ rei reformatio.

Et primùm quidem exemplis agere, quàm legibus maluit; Vrbanamque disciplinam Pontificiæ Domus exemplo studuit promouere: inductis videlicet in Aulam frugi, famæque compertæ viris, religiosis præsertim; inter quos è Dominicana

familia, èque Diui Francisci disciplina, atque obseruantia fuere quidam moribus laudatissimi. Ex Nostratibus verò adsciti, quos supra nominauimus, Consiliarius, Cubiculi Præfectus; Hieremias Salodiensis, & Bernardus Tudertinus. Cardinales nonnisi insigni spectatos probitate exceptos Vaticanis Ædibus voluit, vt Alexandrinus; & statim ac insigniti Purpura fuere, Tranensis, & Reumanus, & postea Ioannes Baptista Consiliarius. Lectissimos item viros, Sirletum, Herculanum, ac nonnullos sanctioris notæ Diui Petri Canonicos intimæ familiaritati admouit. Reliqua id genus hominibus respondebat familia: quæ erudire interim obiecta vitę sanctitate, ac componere Romanorum mores videbatur, donec efficaciùs disciplinæ caueretur.

Obiecto Pontificiæ familię exemplo.

Hoc item rerum initio qui irrepserant in officium, quod aiunt, Pœnitentiariæ, nimia administrorum cupiditate, aurique fame, praui mores; conuellere statim cœpit: ac censura quidem pari in Datariam inuolauit, quà præscripta, quà proscripta facultatum, gratiarumque nundinatione, ac pretio. Omnis denique sacrorum vsus, ac publica negotia reformari, atque ordinari cœpta. Religionem verò, qua nihil Paulo antiquius, non modò Romæ, sed vbique gentium instaurare statim est aggressus. In Germaniam siquidem, Poloniam, Galliam, Angliam, Hispaniam eius illicò censura, ac ferrum excurrit; instituitque affectas in ijs partes sanare. Quæ simul omnia, ne distrahere materiam videamur, commemorabimus in loco: cùm restituta post bellorum turbamenta tranquillitati, pacique Romana Sede, commutatisque confestim armis in vitia, impietatemque implacabile bellum fuit adornatum.

Pœnitentiariā emendat, Et Datariam. Et quod Caput est, Religionem.

Quod autem initio sui Pontificatus Orbi Christiano emendando, fideique repurgandæ necessarium maximè duxit, ac moliri strennè cœpit; Concilium generale fuit, quod Romæ cogi, ac Lateranense appellare, consilium erat. Huc enimuerò curas, conatusque omnes aduertisse videbatur, veluti opportunissimum, & communissimum publico malo remedium; statimque cum Regibus, Christianissimo, & Catholico transigi per Legatos suos voluit, vt fauerent maximo operi; suorumque Regnorum Antistites conuenire, & conferre capita finerent. Romæ verò adornari œcumenicam Synodum peroptabat, quòd aliò conferre se deuexa nimiùm ętas non permitteret: reputaretque, cæteroquin sui præsentiam tantæ rei expediendæ apprimè necessariam; vt oborta in tanta capitum celebritate diffidia, morasque ipse præcideret: quæ sanè diffidia in causa fuere, cur Tridentina Congregatio elusa diutiùs fuerit, tanto cum Christianæ Reipublicæ incommodo, Romanæque Sedis iniuria, ac Præsulum, vndique terrarum confluentium, sumptu. Vberrimam porrò Romam esse, excipiendæque multitudini amplissimam; & quæ adiri terra, marique tutò, & commodè poterat. Ad hæc, ipsam Templorum maiestatem, ac sanctitatem, ipsa tot monumenta, ac palmaria martyrum pignora, nomen ipsum venerabile, ac sanctissimum Apostolicæ Sedis, Romæque, fore, vt præclaram, sanctamque Patribus mentem adflarent; arrigerentque eorum animos ad ea in Concilio peragenda, quæ religionis splendorem, morumque cultum respicerent. Hæc enixè meditari Paulus, vt laboranti rei Christianæ medicinam faceret præsentissimam: & qui profundo ab senio polliceri sibi æui diuturnitatem non poterat, maturare eo nomine, enraque intentiore vrgere præstantissimum opus videbatur; cùm humani generis communis, idemque acerbissimus hostis, nimiùm sibi salutaribus ab ijs consilijs metuens; interpellare præclaras cogitationes, aliòque diuertere, antequàm in frugem euaderent, omni ope studuerit; turbata nimirùm anno huius seculi, in quo stylo versamur, sexto, & quinquagesimo, publica re, excitatisque inter Philippum, & Catholicum Regem simultatibus, & mox bellis; quæ cùm miscere omnia, tùm ipsi potissimùm religioni detrimento esse, ac fraudi quàm maximæ consueuerunt: ceu id demum bellicus furor impressione armorum contendat, vt ante vrbes, ac arces; mores, ac præcipuè pietas ruant. Enata hæc propè ad Italiæ, atque Europæ incendium, cladem que dissidia stylo quidem pressiore ita nunc prosequemur; vt totam quidem historiam, sed compendiò, legentium animis subijciamus: ne fastidio sit, ea hic fusè legere, quæ tot scriptorum litteræ posteritati prolixiùs commendarunt.

Lateranense Concilium cogitat. Ac rem transigi cum Regibus Catholico, & Christianissimo iubet. Opportuna Concilij sedes Roma.

Sed has curas distulit bellum.

Prin-

Aliena à turbis Pauli IV. indoles,

Principiò statuendum, tanquàm rei caput, non eius fuisse præferuidæ indolis, animæque præliaris Paulum Pontificem, vt illum facile fax, & cupido belli accenderet. Nam qui adeò in Sacrorum cultum, Romanæque pietatis erectionem, emendationemque propensus erat, bellica nimirùm consilia, curasque fouere acriùs minimè poterat; gnarus his euerti, expugnarique religionem, quam pacata omninò tempora, ac rerum publicarum tranquillitas, adaugent. Et quidem pacificum eius fuisse in Pontificatum ingressum, neque in sanctissimam eam Sedem bellorum meditationes, ac impetus intulisse, autor est [a] Panuinius, vir non admodum Paulo beneuolus; & ipsæ testantur in Carolum Cæsarem, ac Philippum filium amicissimæ officiorum significationes. Ad hæc, vt abstersisse suspicionem semel omnem de Catholicorum Regum beneuolentia videretur, suamque in illos propensiorem voluntatem ostenderet; ab eorum nutu, ac munificentia pendere suos peroptabat: ac destinauerat iam animo, vt Ioannes, Montorij Comes, ex fratre Nepos, Austriacæ potentiæ, ac maiestati obnoxius, deuotusque, suam Domum, & commodà in Regno Neapolitano amplificaret; vt ait Antonius Cardinalis Carafa. Quinimmò lacessitus in ipso Regni initio, nec quidem obiter, vt mox dicemus, à Cæsarianis; cogitationes pacis, præclaramque componendi Orbis mentem minimè abiecit: id quod apertè declarat legatio in Belgium ad Philippum, simulque in Galliam ad Henricum missam, huc Carolo Cardinali Carafa, Nepote; illuc Cardinali Rebiba, amandatis: qui pacta iam inter eos Reges, incitatissimo Mariæ, Angliæ Reginæ studio, & Cardinalis Poli cura, ad quinquennium fœdera, extinctis discordiarum penitùs irritamentis, constante, ac pulchra pace continuarent: idque, vt sedatis populorum, armorumque æstibus, admitterent persacilè composita mortalium pectora viuendi reformationem. Scio, data Cardinali Carafæ monita in duplici quidem genere fuisse, vt quando priora non succederent, altera vrgeret, de quibus infra: attamen primo loco prolixè inculcatum, vt in pacem, atque in Concilium Lateranense Romæ celebrandum strenuè incumberet. In quam rem confirmandam opportunè satis veniunt Palliani Ducis litteræ ad Carolum Cardinalem Carafam Legatum, fratrem, quibus habenda profectò fides, quippè ab eo exaratæ, & ad illum datæ, qui sensa Pontificis omnia apprimè nouerant; ac turbarum, quàm otij, pacisque commoda præoptabant. Subijciam hic porrò Latinè redditam epistolam, [b] quæ penes nos est, vt signatis veluti tabulis agam; ac simul eos redarguam, qui oppidò ferocis ingenij Paulum effinxere; ac in ea potissimùm legatione longè alia agitasse, quàm quæ vulgò de componendis Regibus iactauerat, pronunciarunt. Sic verò Palliani Dux ad Cardinalem fratrem, dum Gallica Legatione fungeretur. [Vt nosse te probè scio, Illustrissime, & Reuerendissime Domine, is est Pontificis animus, vt vacuus omninò ab ijs curis, quæ perturbare priuatim homines solent, videatur; eique duntaxat vacare negotio, qua scilicet ratione Ecclesiam emendet, regatque; atque ab ijs afferat tempestatibus, quæ eius latus acriter pulsant: suntque omninò duæ, hæreses nempè, ac bella: quibus profligandis interdiu, noctuque aduigilat. Hinc ingens Sanctitati suæ lætitia ab humanissima Christianissimi Regis mente, quam tibi de Concilij, pacisque commodis procurandis aperuit: vt planè animaduerterim, non mediocriter spem, atque in Deum fiduciam adauxisse, fore, vt egregias cogitationes suas ad exitum perducat, vniatque Ecclesiam quidem oecumenica Synodo; Christianorum verò opes, ac vires, pace. Ac proindè benè precatus Christianissimo Regi est, regiamque, ac verè piam eius pectoris indolem fusè dilaudauit; ac persuasum habet, fore, vt cùm ipsi, tùm lectissimæ soboli, temporalium, æternorumque affusione tantæ voluntatis vices maximum Numen rependat. Porrò, quod sæpiùs tibi & voce, & postremò scripto commendauit ea quidem verborum grauitate, ac vi, quam nosti; iterum significauit mihi, iussitque tanto dicendi studio, cultuque, quanto neque ab eo vnquam, neque à quoquam alio audiuisse me, memini; vt scriberem ad te suo nomine, vt Lateranense potissimùm Concilium, pacemque vrgeas; quam ijs quidem conditionibus complecti Rex velit, quæ dari, atque accipi pro tempore poterunt. Partem interim sui iuris, vbi res poscere videbitur, Deo, ac Sanctitati suæ, vti pollicitus ipse tibi est, condonando. Addidit porrò sua Sanctitas, quæ in-

Quàm sacrorum cultu totus erat.

a Vit. Paul. 4.

Bius in Catholicos Reges propensio.

Lacessitusque ab Administris,

Legationem constabiliendæ paci instituit.

Quam inculcat Cardinali Carolo.

Ac de ea ad eundē Card. Palliani Ducis litteræ.

b Neap. in Tabul. D. Paul.

nos ipse, Domumq; nostram contulit, nunquam fore, vt compensari à nobis queant; nisi egregia rerum harum grauissimarum administratione, ac exitu. Proindè, quantum gratificari Pontifici cupis; tantundem operæ, studijque in his rebus peragendis ponas, necesse est. Plurimùm siquidem de te sibi pollicetur Sanctitas sua; cui vicissim nullam irrogari grauiorem iniuriam posse, persuasum habeas, quàm tantis Ecclesiæ opportunitatibus deesse. Vale.

Satis, opinor, hæc probant, longiùs à bellorum incommodis, turbisque abfuisse Pauli mentem; & cui ordinare sacra, ac mores vsque adeò curæ erat, fouere arcanam armorum flammam, hoc est, Christianæ rei, ac religionis excidium, minimè potuisse. Verùm enimuerò, cùm in id posteà discrimen, aleamque ma tis descendisset, ac fœderatam cum Gallis Romanam Sedem commisisse cum Hispano Rege Philippo bellum, Italia doluisset: videndum, quæ potissimùm causæ pacatum, addictissimumque instaurandæ Ecclesiasticæ disciplinæ Pauli animum, ad armorum consilium, atque experimentum impulerint. Pleraque siquidem, quæ modò non animo sedent; occasio mox, tempus, ac mutata rerum facies suadent: vt trahi interdum vi quadam, ac fato animus, non ire ipsemet in sententiam videatur.

Quæ deindè causæ Pontif. ad bellum propulerint.

Et verò, vt non vna quidem manu, impulsuque prægrandia moueri nauigia, necesse est; ita excitari eam belli molem, nisi multiplici ex causa non potuit. Principum administros, quippè qui admoti semper eorum auribus, animisque, momentum planè maximum in grauissimis consilijs moliendis esse constat: hi populos, ac iura plerumque regunt suo nutu. Nam cùm dedecere Principum maiestatem extra conclaue, ac velum gradum efferre, videatur; nec suis ipsi oculis inspiciant regnorum necessitates, & mala: coguntur ea credere, quæ ambitio, aut odium persæpè ingerit: curantque aulicorum fide, atque arbitrio negotia. Iam Pauli Quarti lateri Carolus Cardinalis Carafa hæsit; quem aliorum sanè precibus, impulsuque, non suo consilio, in Purpuram adlegerat: nouerat quippè illum armis, belloque diù innutritum, genioque ferociorem esse, quàm toga, ac Infula poscerent. Huic à natalibus quidem magna indoles, ac spirituum altitudo; sed, quæ his facilè adnascitur, ingens animi confidentia inerat, ac nimis ardens, superbumque ingenium: turbarum cupidior, quàm otij; impatiens iuxta, ac memor, vindexque iniuriarum. Cæsarianis cum primis infensus, à quibus lacessitum se non leuiter, cùm in Germania Cæsari militaret, profitebatur; vt secutus posteà Octauium Farnesium, Placentiæ Ducem, transire ad Gallorum stipendia, ac signa oportuerit. Quæ causa fuit, vt immitti in Neapolitani, quem vocant, Prioratus possessionem, quem, vt is, qui ex equestri Melitensis Ordinis militia erat, à Paulo Pontifice Tertio impetrauerat; nunquam potuerit. Hic planè conflandi eius belli non exigua fax, atque instrumentum fuit. Siquidem implere suspicionibus Pontificis animum; augere in maius aduersarum partium dicta; effingere pericula, ac propiores metus; læsam Pontificiam maiestatem inculcare apud sanctissimum Senem facilè poterat: qui authoritate apud illum valebat: zelumque imitatus, agi de Pontificis, sanctæque Sedis dignitate, atque incolumitate callidè repræsentabat. Philippi verò Catholici Regis Administri, hi quidem ob conceptum olim in Paulum odium; hi militari ingenio, atque asperiore quadam agendi ratione abrepti; hi denique ostentandæ fidei causa in Principem, maturare incendia, quàm mitioribus consilijs rem anteuertere, maluerunt.

Præcipua, vtriusque partis administri fuere.

Caroli Card. Carafæ ingenium.

Cæsarianis infensum.

Eiusque belli fax.

Philippi Regis Administri non mitioris ingenij.

At enimuerò, quod vehementiùs Pontificis animum in ipso statim Pontificatus initio pulsauit, potuitque acriùs eius irritare magnanimitatem, ac patientiam; coactus in Cardinalis Sanctæ Floræ Domo Cæsarianorum conuentus fuit: vbi de abroganda eius electione, nouoque Pontifice inaugurando agitatum. Assuetos nempè Romæ dominari, maximoperè pigebat, eius spiritus, animique Pontificem Romanæ rei impositum, qui continere eos in officio, ac intra suæ dignitatis terminos posset. Adfuit clandestinæ celebritati Cardinalis Burgensis, qui vt erat Pauli virtuti, gratiæque summè deuotus; ac piaculum planè duceret, quæ tanta cum Pontificiæ dignitatis iniuria, collatis votis, pertractata inibi fuerant, clam haberi; rem candidissimè

Conuentus in Pôtificem in Domo Sãctæ Floræ.

Quem Card. Burgensis euulganit.

dissimè aperuit. Perculit sanè ea capitum conspiratio Pontificem, eò vel maximè, quòd abesse tunc longiùs factionum, turbarumque causas putaret. Siquidem intentus conciliando Orbi communis Pater, vt inuidiæ, ac simultatum opinionem omnem præcideret, iaceretque fundamenta diuturnæ amicitiæ, ac pacis; demereri statim Carolum Cæsarem, & Philippum filium insigni beneuolentiæ testificatione, vti supra monuimus, occœperat: tùm ipsos horum Principum Administros, & Clientelam prosequi beneficijs instituerat. Quare altiùs foueri odia, quæ diffl isse iam humanitate existimabat, indoluit. Ad hæc addita statim alia offensionis, iræque occasio. Alexander nanque Sfortia, Cameræ Apostolicæ, vt aiunt, Clericus, Cardinalis Sanfloriani germanus frater, binas Gallorum Regis, quæ ad Centumcellas diuerterant, triremes intercepit, transtulitque ad oram maritimam propè Caietam. Qua quidem Sfortiæ confidentia nihil accidere Pontifici molestius potuit; visa nanque eius authoritas non mediocriter lædi, iniecta in Pontificios portus manu violenta; duxitque consentaneum, vt Gallicas triremes, suamque dignitatem vindicaret, Cardinalem S. Floræ in custodiam tradere: præsertim, quòd interpellato Hurtado Mendoza, qui rem tum Neapolitanam procurabat, vt triremes redderet; differre, aut recusare videbatur. Nec post multò vehementior suspicio Pontificis animum occupauit. Enimuerò, vt [a] Antonius Cardinalis Carafa memorat, concepto sub id tempus morbo, ac subitò morti proximus Montis Fisi Episcopus, Cardinali Sanfloriano perquàm familiaris, Paulum nostrum Consiliarium, Pontificij Cubiculi Præfectum, accersiri iussit, grauissima, & quæ è re Pontificis forent, narraturus. Vetuit principiò Pontifex, quominùs Consiliarius accederet; verùm iterum, atque anxiùs vocatum, adire permisit. Eò tamen seriùs peruenit, agentemque animam Episcopum reperit; vt quamuis concipere, conarique verba videretur, audiri nunquam potuit. Quo sanè in suspicionem adductus Pontifex est, grauiora moliri Sfortianos, eorumque factionem, quæ iniecta diuinitùs religione, euulgare Episcopus Monsfisanus vellet.

Sfortia Gallicas triremes intercepit.

Mancipatur carceri Cardinalis frater.

a Apol. ad Nauag.

Augetur de Sfortianis Pontificis suspicio.

Effecere hæc porrò, vt diffidere Philippi Regis Administris Pontifex cœperit: qui vicissim Regij Procuratores non eam adhibere malis medicinam curabant, quæ exasperatum, affectumque Pauli animum permulceret; sed noua interim iacere simultatum semina videbantur. Et Hurtadus quidem Mendoza, præterquàm quòd restituere Gallicas triremes noluit; vetuit etiam, quominùs Neapolitani Ordines Legatum Romam mitterent, qui euecto ad supremum rerum apicem Populari suo, eam dignitatem, fascesq; gratularentur. Id quod communi officiorum rationi visum omninò dissentaneum: atque altiùs quidem offensum iam Pontificis animum vlcerauit. Ij verò, qui infensi Hispanis, ac Cæsarianis erant, aperiri sibi aditum turbandæ rei, concitandique magis ac magis Pontificis gratulati; occasionem proni arripere; peruestigare diligenter omnia, ac secus accipere; tùm referre, atque exaggerare; ac materiam indignationi dare. Carolus in primis Cardinalis Carafa, qui accepisse in clientelam, fidemque Neapolitanos, ac Florentinos exules videbatur; iniurias apud Pontificem plùs nimio amplificare; ac monere sæpiùs, Romanæ Sedis authoritatem palàm contemni; excreuisse confidentiam, ac potentiam partium; tueri dignitatem suam neque Pontificem, neque Pontificios ampliùs Romæ posse: cauendum proindè publicæ, priuatæque securitati; externas amicorum opes, atque adiumenta accersenda. Ad hæc, pleraque atrocioris quidem consilij, ac vero similia studiosè euulgare; agitari nimirùm clandestinas cædes, ac plurimorum capita, fortunasque peti. Quibus profectò Pontifici, qui à communis salutis, conseruandæque maiestatis zelo proficisci isthæc omnia existimabat; imponi facilè potuit. Quapropter reuocare in memoriam priscas Cæsarianorum suspiciones, ac iniurias cœpit; illisque acriter succensere, quòd perturbatam publicam rem vellent: ac ne serò suæ suorumque incolumitati consuluisse videretur, augeri Prætorianos milites, copiasque contrahi iussit; quæstiones item in suspectæ fidei viros institui, mulctarique: tùm exteros, vrbanosque omnes arma deponere: visique statim Romani quidem in Capitolij Arcem, exteri verò in Adriam molem arma importare. Quo sanè fracti mirificè spiritus, quos armorum plerumque licentia, & fulgor accendit. Et

Mendoza Neapolitanã ad Pôtificem legationem vetat.

Ab his Card. Carolus Pontificem incendit.

Adiunctis rerum grauiorum indicijs

Quæ valuere apud Paulum

Qui cauere sibi suorumque incolumitati cœpit.

Romanis quidem Dynastis, quos instructa sicariorum manus confidentiores reddebat; excussa veluti claua, vis, atque animi ardor elanguit.

Mulctati Columnenses fuere belli pars.
a Neap. Tabul. D. Pauli.
Quàm iustè lata in illos sententia.

Iam, publicam Columnensium animaduersionem præcipuam turbarum causam fuisse, compertum habemus. Planè, vt ægrè, ita iure quidem Marcum Antonium Columnam, & Ascanium Patrem anathemate, ac ditionis, opumque proscriptione Paulum Quartum vindicasse ex Pontificio irrogatæ sententiæ diplomate, a quod penes nos extat, apertè constat. Videre inibi est exquisitam, accuratamque iudiciorum formam, contempta sui Principis mandata ac leges, læsam Romanæ Sedis maiestatem, ac probata in rem Ecclesiasticam machinamenta. Neque verò leuibus ex causis ad insignem illam, grauissimamque Principum virorum, tot clientelis, atque affinitatibus illustrium mulctam, incitatam sanctissimam Pauli mentem quisque sibi persuaserit: vt castiganda planè sit nuncupatoria, quam suis de bello Campano commentarijs epistolam præfixit Hieronymus Ruscellus, siue Alexander Andreas. Ait nanque, quisquis ille fuerit, iratum vehementer Marco Antonio Paulum Quartum, quòd cùm tradi nuptui eius filiam Nepoti suo percuperet, ille recusauerit: diuexasse proindè seueriorem in modum, vt cogeret. Commentum hoc porrò, neque cuiusquam adeò peregrinari aures putamus, qui Gentis Carafæ claritatem, splendoremque nesciat; cui addita Pontificiæ dignitatis luce, dedignari cognatam eam maiestatem Columnenses minùs poterant: exploratumque habemus, vti in loco narratum est; desponderi Mariam Carafam, Pauli ex fratre neptem, Duci Aurelianensi filio Henricum Secundum, Gallorum Regem petijsse; iamque amplissimis nuptijs lectissimam Virginem destinatam: licet commutato felicius thalamo, sponso nobiliori posteà nupserit, nempè Christo, in monastero Sapientiæ. Quarè incredibile dictu est, renuisse Columnenses eius Gentis affinitatem, quam Regum potentissimi expeterent. Hoc autem absurdum omninò esse, ex eo item euincitur; quòd longè antea Isabella Carafa, Pontificis patruelis, Thomæ Madaluni Comitis filia, Prospero Columnæ, magni nominis, fortissimoque Caroli Cæsaris exercitus Imperatori, Marsorum, ac Palliani Duci, nupsit; editusque in lucem ab eo nexu est Vespasianus Columna. Quòd igitur tàm acriter in Columnenses decreuerit Pontifex, grauior quidem causa fuit, quàm priuata quædam iniuria, ac spreta affinitas; nempè zelus, atque ardor continendi in officio subditos, quorum sanè indolem, ac licentiam superiorum etiam Pontificum animaduersione mulctatam scimus. Enimuerò Ascanium ipsum Columnam Paulus Tertius, & Iulius Tertius, Maximi Pontifices, eadem fortunarum, atque oppidorum publicatione affecerant; quòd, ceu par esset Principum, ac subditorum conditio; digladiari cum ipsis palàm, obluctarique summæ Pontificum potestati contenderint.

Notatur Ruscellus,

Qui priuatā causam commiscitur.

Pallianum Carafis additum plerisq; improbarant

Cur id fecerit Paulus IV.

Inuidiam porrò sibi, suisque non immodicam conflauit Pontifex, quòd ablatum Columnensibus Pallianum, ad Ioannem Montorij Comitem beneficij iure transtulerit. Factum plerisque minùs probatum; quòd videretur, feneritatem in principes eos viros ideò exercuisse, vt ingens commodum nepoti accederet; fulgeretque ab eo titulo, atque exuuijs sua Gens. At, non is omninò Pauli Quarti scopus fuit, cui, vt ex his, quæ narrabimus, planum fiet, non adeò in suæ Domus amplitudinem prona mens. Cur verò id consilij ceperit, ea potissimùm causa fuit: vt scilicet expoliati semel, ac summo iure suis oppidis Columnenses, spem omnem recuperandi abijcerent. Nam publicata Romanorum procerum bona, si quando fisco addicebantur, vsu venerat, vt suis plerumque Dominis à successoribus Pontificibus restituerentur: id quod & Ascanio Columnæ toties bonis mulctato, toties bonis iisdem restituto, contigerat: ac dum tenax propositi sui, ac iustitiæ constantissimus vindex Paulus hoc idem vereretur, ne Marco Antonio filio accideret; optimum factu duxit, si distractum Pallianum, alieni omninò iuris fieret, essetque qui censum tueretur. Ac post paulò idem etiam de Montebello, Comitum Bagni oppido statuit. Proscriptum nanque perduellionis titulo, Antonio Carafæ, Palliani Ducis fratri, dedit: eò profectò consilio, ne, si redirent isthæc dominis, lusus quidam videretur, vindicasse; ac proindè ipsimet, exemploque cæteri magis insolescerent, pompa illa punitionis, ac specie, minus eruditi, ac territi.

Idem de Montebello statuit, eademque ex causa.

Inflicta

Inflicta hæc verò Columnensibus pœna nimiùm quantùm maturandæ expeditioni, belloque momentum attulit. Principes nanque viros, Cæsarianarum partium antesignanos, insigniter Pontificem punijsse, læsisse Cæsarem eius Administri existimarunt, euulgaruntque; ac proindè tuendam sui Principis authoritatem, vlciscendamque amicorum iniuriam. Et Garsias quidem Toletanus, qui Neapoli tunc agebat, Columnensium consanguineus, vrgere facilè rem potuit: nec multis opus fuit, Albanum Ducem, apud quem summo ipse loco, atque existimatione erat, incitare, abundè quidem pronum præferoci sua indole ad arma. Planè, Pontifici, qui celsa quadam mente præditus, nullique mortalium obnoxius, supremo sibi iure imperandum intelligebat; molestissimum id erat: legesque sibi dari in suorum subditorum causis dignoscendis, omninò indignabatur. Irrogatis nanque pœnis quandò liberum erat reliquis Principum coercere, ac frangere suorum audaciam; cur non ipse in ijsdem refrænandis sua vi, ac potestate vteretur? At enim, quanuis facti conscientia niteretur; ac persuasum haberet, nulli supremam potestatem subijci, aut sui rationem reddere debere: attamen, quòd res aliter perscribi ad Carolum Cæsarem, ac Philippum filium poterat; ne occupari, atque onerari mendacijs illorum Principum animos contingeret, rem illis significare exactè, ac sincerè statuit; qui perhumaniter responderunt, par esse, ac probare se, vt de suis ipse subditis statueret, puniretque pro muneris, atque arbitrij ratione. Quo quidem optimorum Principum responso, vt Infortunius narrat, vsque adeò sedari Pauli animus visus est; vt quæ concepta iam acerbioris consilij mens fuerat, mitior cogitatio dissipauerit, ac redierit in Cæsarianum nomen beneuolentia: & meritò à [a] Panuinio, ac [b] Campana notentur Cæsaris ac Philippi Administri, qui quam tùm poterant Pontificis mentem in suorum Principum studio, affectuque constabilire; nouis subindè stimulis, fastuque suo irritauerint. Fauere siquidem studijs acrioribus perduellibus pergebant: ac si quæ postularent, aut componi vellent, id ijs quidem conditionibus exponere, ac petere conabantur, vt affectum Pontificem magis læderent. Neque in Italia duntaxat hæc erat agendi ratio; sed qui Catholicis Principibus propiores erant, admoti summæ rerum, saxum idem summa animi conspiratione perurgebant. Enimverò, Atrebatensis Episcopus, qui Cæsari erat à secretis, non tantùm verborum acerbitate Apostolicum apud Cæsarem Legatum monnit, increpauitque; verùm etiam interminatus grauiora illi est, quòd impeditus semel curis suis Pontifex Sariæ Marchionem, Cæsareum Romæ Oratorem à colloquio excluserit. Alia itidem Attrebatensis Antistitis, aliorumque Administrorum dicta in Pontificem, Romanæque authoritati minus consentanea, ferebantur; quibus id sibi proposuisse cum primis videbantur, vt Paulum etiam, atque etiam exasperarent: qui tamen, quippè cui nihil prius erat, quàm Sanctæ Sedis celsitudinem, ac dignitatem suam tueri; atque intrepida quædam generositas, dicendique libertas inerat; non hæc planè dissimulabat; sed irasci, loqui, conqueri vehementiùs, clàm palàm cœpit: quodque in Principes bonos suum studium recaluerat, refrigerari crebris istiusmodi occasionibus, molestè admodum ferebat. Contigit verò, vt hinc non modò quos supra significauimus, exules, & Carolus Cardinalis Carafa, turbarum cupidi, Pontificis animum opportunè subirent, accenderentque eius acriùs indignationem: verùm etiam Henricus Gallorum Rex discordiarum bellique occasionem tempestiuè arriperet. Quippe implacabili in Carolum, & Philippum odio inflammatus; in rem fore existimauit, si offenso Pauli animo suas ipse faces admoueret, iungerentque vnà consilia, ac vires. Ea propter nihil cunctatus, Cardinales Turnonium, ac Lotharingum Romam allegat, specie quidem deferendi publicum Pontifici obsequium, illumque fœderis, quod tunc inter Gallos, Hispanosque agitabatur arbitrum constituendi, re autem vera, vt amplissimis conditionibus bellum in Carolum Cæsarem suaderent. Qui quidem vnà cum Cardinali Arminiaco, & Auuanzonio, Regio Oratore in rem strenuè, tacitèque ingressi, exaggerare illatas Romanæ Sedi iniurias, imminutam Pontificiam libertatem asserere; Galli Regis fidem, opesque magnificè polliceri: ijs denique adhortamentis, promissisque adorti Pontificem sunt, vt cœperit is inflecti, auresque Viris ardentissimis præbere; tum maximè, quòd amandatus à Philippo Rege in Italiam

Dux

Festinauit bellum Columnensium mulcta.

Incitatque Albanū Ducem Garsias Toletanus.

Interturbari in subditos suos ius dolet Pontifex.

Id significatū Cæsari, & Philippo volunt; Qui mentem Pontificis probant.

a vit. Pauli 4. b vit. Philip. 2.

Sed regijs Propinatoribus haud sincerus in illū animus.

Qui Pontificem irritabant.

Henricus Gallorū Rex occasionem offensi Pontificis arripit. Ac Legatos Romam mittit prætextu gratulationis Reuera vt Gallorum studia, atque arma offerrent.

Valuere apud Pontificem Legatorum adhortationes.

Præsertim quod quædam notaret Albanus.

Dux Albanus, vt Vicarias eius vices administraret; plerasque is peditum, atque equitum copias ad ipsos Ecclesiasticæ ditionis fines miserat, ceu aggredi Pontificem, aut fræno quodam, metuque coercere voluisset. Id quod præcelsum, infractumque eius animum nimiùm quantùm inflammauit; vt & adornare ipse militem, & contrahere vndique copias, & communire arces occœperit; vrgentibus interim magis, magisque rem Gallis, & qui turbatam rem vellent.

Pactum inter Hispanos, & Gallos fœdus

Dum ita sese res habebant, maturatum, sancitumque inter Hispanos, Gallosque ad quinquennium fœdus, Regina Anglicana strenuè agente, vt innuimus: quod per Italiam euulgatum, Cæsarianis quidem animos, fastumque mirificè adauxit. Compositis nanque inter amplissimos Reges, quanuis ad tempus, dissidiis; abruptoque cum Henrico Pontificis fœdere, quod vehementer pertimescebant; destitutum illum Gallica ope, ac præsidio contemnere facilè posse, sibi videbantur; ac vel inuitum trahere, quò vellent.

Pontificem suboffendit.

Pontifici verò, quanuis ea inter dissidentes obstinatè, ac tanto cum Christianæ religionis damno Principes, animorum coniunctio, gratissima accidisse, videri potuit: nihilò tamen minùs ipso inconsulto, atque inscio, ac veluti ab eo fœdere excluso, sancitam esse, quidam Pontificiæ dignitatis neglectus fuit: proindèque lætari abundè de pactis inducijs minimè potuit; metuebatque ne sub temporaria ea pace acrius lateret bellum.

Quod non recta Administrorũ mens.

Intellexit nanque statim ipse, eò spectasse festinata ab Cæsaris Administris ea fœdera, vt excinderent Romanæ Sedi neruos; cogerentque, vti modo significatum est, sua ipsorum imperata facere, inermi Pontificis maiestate. Et iam pleraque ab ijs insigni confidentia peragi Romæ, forisque cernebantur, quibus formidare supremam maiestatem minimùm quidem præseferebant. Quocirca inire Pontifex rationem statuit, qua sibi, suæque dignitati consuleret; eluderetque Cæsarianorum simultates, ac odia; constabilita nimirùm inter Hispanos Gallosque certa pace, conciliataque sibi Caroli Cæsaris, ac Philippi beneuolentia.

Constabilire eam pacem statuit.

Missis ad Reges Legatis.

Itaque Cardinales duos allegat, vt supra innuimus, Motulensem quidem in Belgium ad Carolum, ac Philippum; Carafam verò in Galliam ad Henricum. Digna profectò sunt, quæ legantur monita, quibus Cardinalem Motulensem instruxit Pôtifex, eloquentiæ, ac zelo suo planè consentanea.

Quæ Motulensi monita dederit.

Prolixè primùm, atque amplissimis verbis Concilium œcumenicum vrget: tùm paci incumbens, quàm copiosè, ac disertè miserrimum Christiani Orbis statum, funesta bellorum incendia, haustum, datumque mutuò sanguinem, fœdata, ac discerpta cædibus Regna prosequatur; commendetque mortalium à pacatis Regibus commoda: procurandam postremò Catholicæ rei tranquillitatem, ac otia, qua dictione inculcet, credi vix potest: vt meritò palmaris cuiusdam mendacij sit arguendus Bernardus Nauagerius in ea, quã ad Senatum Venetum conscripsit epistolam, in qua missum in Galliam à Pontifice Carolum Cardinalem affirmare non dubitauit, vt pactum iam fœdus interpellaret, bellique cum Gallorum Rege consilia iniret, maturaretque: artemque Pontificis fuisse, Cardinalem Motulensem cum ijs conficiendæ pacis mandatis Carolo Cardinali adiunxisse.

Redarguitur Nauagerius

Illud quidem in hac legatione affirmandum, Paulum Pontificem, qui ab Cæsarianorum æmulatione, eorumque in rem Romanam studio, non eum sibi, quem peroptabat, exitum pollicebatur; cauere sibi, ac populorum securitati statuisse; proindeque destinatum negotio peragendo Cardinalem Carafam bifariàm instructum voluisse: primo loco, vt strenuam in concilianda inter eos Principes paceoperam poneret; tùm, quando dissidentes altiùs animos componere minùs posset, cerneretque imminentem Apostolicæ Sedi procellam; tunc Galli Regis fidem, opemque posceret.

Quæ Cardin. Carolus in mandatis habuerit.

Narrat hoc Panuinius disertè his verbis: [Cuius mandata, Caroli nempè Cardinalis, fuere, vt pacem inter Reges procuraret, cuius Pontifex honorifica, & maiestate Pontificia digna conditione particeps fieret: id nisi impetrare posset, si quæ Cæsarianorum arma ingruerent; auxilia à Rege, quemadmodum ex fœdere paulò ante inito pollicitus fuerat, postularet.] Hæc ille. Et quidem, quæ de mutua maximorum Principum caritate, ac pace impensè optabat, curabatque sedulò Pontifex, corrupisse Carolum Cardinalem compertum est.

Qui quidem pacis negotiũ præcidit.

Is enim suos quidem impetus, non Patrui sensus; ac monita audiens; nihil animo versabat minùs, quàm publicam Christiani Orbis tranquillitatem: traijciensque in Galliam, id statim Regi,

xx (i) regijs-

regijsque administris insinuare, eò loci rem Romanam, ac Pontificem esse: vt nisi armis, apertoque marte decerneretur, actum iam de Pontificia dignitate, ac libertate esset: ac se quidem eò amandatum, vt assuetam tuendæ Apostolicæ Sedi Christianissimorum Regum fidem, atque adiumenta impetraret. Cumque facto veluti periculo, exploratisque per ea tentamenta animis, pronam in ea belli consilia Aulam cerneret: vt pacem omninò abrumperet; prætextu adornato, Cardinalem Motulensem, antequàm in Belgium perueniret, Cæsaremque, ac Philippum alloqueretur, Mastricho Romam reuocauit. Planè, si conuenire semel eos Principes Motulensem contigisset; & quæ in Columnenses habitæ quæstiones Romæ fuerant, atque in eos acta, quæ secum asportauerat, legenda propinasset: nulli dubium, quin illi iustissimum Pontificem absoluissent; mutatoque consilio, Albano Duci, vt ab tuenda Columnensium causa abstineret, mandauissent.

Reuocato à legatione Motulensi. Qui rem egregiè confecisset cum Carolo, & Philippo.

Hæc igitur Cardinalis Carafa, non ex Pontificis sententia, dum in Gallia ageret; Albanus, cui suspectus eius animus, ac fides, quique pertractatum Romæ à Lotharingo, ac Turnonio fœdus nouerat; ac muniri insuper, incumbente operi Petro Strottia; Gallicarum partium Viro, ac bellicis artibus celebratissimo, Pallianum, pro comperto habebat: rem vt cominùs exploraret, Comitem Sanualentinianum misit, datis ad Palliani Ducem litteris, quocum acriter expostulabat; non omninò sincerum, amicumque Pontificis animum cerni: perturbasse in ipsa pulcherrimæ pacis opinione communem securitatem, armato, inductoque in Vrbem milite, diuexatis asperrimè Cæsarianis, receptisque Romæ Hispani nominis hostibus: aliaque in hanc sententiam, vehementior planè, quàm vt gliscentes vtrinque suspiciones extingueret, exarauit. Quibus diluendis amandatus à Palliani Duce Neapolim Dominicus Niger, è patricio Romanorum Ordine, Vir strenuus, qui hæc Albano singillatim, & quàm verissimè. Mancipatos carceri, mulctatosque fortunis suis Cæsaris amicos ob eorum crimina, læsamque Pontificis dignitatem; vt euulganda propè diem acta comprobassent. Receptos verò Neapolitanos, aliorumque Principum exules; non eo id animo factum, vt quemquam offenderet; sed vt peruetusto quidem iure pateret omnibus Roma, communis videlicet gentium omnium parens, ac patria. Neque armorum apparatu meditatum bella Pontificem; sed qui moliri alios res nouas, turbasque resciuerat, cauere tempestiuè perneccessarium duxerat, ne occurreret adultis iam malis sera ope; caperetque in arena consilium, ingenti cum publicæ rei damno. Quòd si exueret ipse arma, deterserque turbandæ rei suspicione, delectum, ac dispositum certis præsidijs militem dimitteret; inspiceret enimuerò, quod ad Pontificem attinet, pacatam Vrbem, ac metum illicò, motumque omnem facessiuisse.

Albanus Sanualentinianũ Comitem Romã mittit.

De Pontifice cum Palliani Duce conqueritur.

Quid Pallianus Albano per Dominicum Nigrũ.

His porrò sincerè quidem à Pontifice, ac per sedulos, prudentesque administros suos transactis; facilè componi, ac elidi, antequàm adolescerent, simultates potuissent: nisi nouis subindè ex causis interturbari omnia contigisset. Enimuerò interceptæ sub id tempus Garsiæ Lassi, hominis Hispani, qui tunc Romæ Cæsaris, ac Philippi nomine agebat, ad Albanum Ducem, arcanis quidem notis, conscriptæ litteræ: quibus explicatis, condocefieri ab eo Albanum compertum est, muniri sollicitè Pallianum, ac feruere opus: quarè antequàm absolueretur, promoueret maturè, ac pleno gradu in Latium, Romanamque ditionem signa, ac militem. Esse Romæ, qui fauerent, non vltimæ notæ viros. Hæc vbi Pontifex occulta consilia, ac machinamenta intellexit; accendi vehementiùs in regios Procuratores, quos expedire iam in Ecclesiæ finum arma, captiuamque Romam meditari, persuasum habebat. Eapropter attentiore quidem studio Vrbanæ securitati animum appellere; muros reficere, ac munire, firmare præsidijs clathrisque portas; simul Garsiam Lassum, ac plerosque alios, quos facti conscientia reos fecerat, in carcerem compingere. Neque hic profectò omittenda Pauli Quarti inter belli curas, ac metus pietas. Nam cùm ad Romæ munimentum pleraque ruere ædificia, ac tecta oporteret; Marianum, nuncupatum à Populo Templum, quod mœnijs adiacet, & ipsum disijci perneccessarium esse, peritissimi quique affirmabant. At vetuit Paulus, qui adflari securitatem, ac robur quoddam ingens pectori à magna Matre sentiebat. Spertasse, inquit, non eò rem progressuram, Tùm si hostis immineret, ipsam Deiparam bella-

Noua discordiarum incitamenta.

Interceptæ Garsiæ Lassi litteræ.

Qui carcerei cum alijs mãcipatur.

Deiparæ à Populo Templum dirui vetat Pontifex.

bellatricem, ac vindicem fore; nec dubitare se, quin euaderet cauendæ Vrbi firmissimum in propugnaculum eius Templum.

Iam verò, Albanus cum indignatum ab arcanis ijs Garsiæ monitis Pontificem inaudiuisset; atque haberi passim delectum, exterosq; expectari milites, arcesque ac oppida quàm diligentissimè communiri: maturare ipse expeditionem, atq; impetum statuit. Documento siquidem, exemploque priscorum Ducum id esse in primis perutile existimabat, vt non excipiatur domi vis hostium, sed vltrò arma inferantur, ardeantq; in alienis terris prælia. Quòd sanè, quanuis exploratum in re militari, exitusque persæpè probet; attamen vbi de impressione in Ecclesiasticam Ditionem, ac Maximum Pontificem agebatur; nescio, an cum pietatis laude, suique nominis dignitate id consilij ceperit Albanus. Certè è viris, qui probitate, ac prudentia valebant, pauci admodum dilaudarunt; veluti in ea se se pericula, ac bella iniecisse, neque è re sui Principis fuerit, neque vllum omninò pretium operæ fecerit: oblata præsertim Gallorum Regi occasione instaurandi in Italia bellum, tuendæ Pontificiæ libertatis prætextu, quod maximè optabat. Et Episcopum quidem Atrebatensem, acri virum ingenio, dicere constanter solitum accepimus, iniri cum Pontifice fœdus, quibusuis licet conditionibus, maiori cum laude, atque vtilitate tunc potuisse: maximè cùm nihil de Regis existimatione, ac dignitate detractum per ea diffidia fuerit. At detonare hæc in Latium procella arcano diuinitatis instinctu debuit: nulla siquidem mortalium mens, ac prouidentia declinauerit, quod semel Numen statuit.

Aggredi Ecclesiasticam Ditionem statuit Albanus.

Non admodum dilaudato à bonis consilio.

Neq; ab Episcopo Atrebatensi.

Igitur adornari Romæ arma certior Albanus; inferre ipse prior signa, pugnamque exordiri voluit. Sed antea Pyrrhum Loffredum, Virum genere, ac rerum vsu clarum, Romam allegat, vt de eo belli apparatu, ac strepitu cum Pontifice conquereretur, ac in speciem quidem pacem oraret: reuera autem eò legatio spectabat, vt ne non monuisse Pontificem videretur; amoneretque quam sibi ab improuiso eo armorum impetu creare apud prudentes viros inuidiam posset. Nam cùm adhuc Romæ ageret Loffredus, ac nauiter incumbere in negotium videretur; instructis Albanus Prorex copijs, peditum, equitumque virtute, ac numero florentissimis, muralibus item tormentis non paucis procuratis, expeditaque omni re bellica, inuolare in Ecclesiæ fines exercitum iubet; eòque bellum importari, permagno quidem terrori Pontifici, ac Pontificijs futurum. Quod vbi inauditum Romæ fuit, quòd nondum spem abiecerant, fore vt diffidia componerentur; inuenire fidem vix potuit; ac publicus quidem erat intempestiuæ eius impressionis per Aulam rumor, ac questus. Pontificem verò Ecclesiasticæ amplitudinis, ac reuerentiæ zelus acriter inflammauit; eò vel maximè, quòd lusisse Albanus videbatur, illato nimirum bello, re nondum cum Loffredo, quem miserat, confecta. Quarè, vt iniuriam vindicaret, mancipare carceri Loffredum ipsum oportuit; eiecitque e vestigiò Sariæ Marchionem, Regium Oratorem, qui non adeò ipsi gratus, nuper vt causa venationis, animique egrederetur; armata suorum manu, effracta Vrbis porta, eius & imperium læserat, & irritauerat non leuiter patientiam. Albanus interea non segniùs rem conficere. Irruptionem primùm in Pontem Curuum fecit; tùm Frusinonem cepit, aliaque nulla penè vi, conflictuque militum, oppida. Mox Anagniam, Marinum, Præneste, Tibur, Ostiam, Albam, Varonis Vicum, ac totum penè Latium victricibus signis peruasit. Ac ne asserere Catholico Regi Ecclesiasticum patrimonium videretur; obstringere captæ Vrbes, ac oppida fidem suam futuro Pontifici iubebantur; explicatis vbique Pontificij Interregni insignibus. Quod sanè & Paulo, qui legitimas Petri, ac Dei vices administrabat, & amplissimo Patrum Conscriptorum Collegio molestissimum accidit: vt Cardinalis Bellaius communi nomine, vtpotè Augusti Ordinis Decanus; & priuatim Cardinalis Burgensis, Albani Ducis Patruus: compositis ad illum litteris, eius acerbè confidentiam mulctauerint; quorum ille litteris non ea quidem facti excusatione respondit, vt inustam suo nomini, atque existimationi notam abraderet.

Allegatur Romam Pyrrhus Loffredus.

Qui dum cum Pontifice transigit.

Arma mouit Albanus.

Improuisus is impetus Aulam perculit. Pontifex indignatur.

Traditur in custodiam Loffredus.

Potitur Latio Albanus.

Iurata futuro Pontifici fides.

Card. Bellaij, & Burgensis ad Albanum litteræ.

At enim arma dum tanto successu circumfert Albanus, meminisse identidem pacem videri voluit, curauitque significari Pontifici, modò Palliarum Columnensibus re-

bus restitueret, fore eius vice amplissimo censu Carafas exaugendos. Quæ sanè irritare acriùs ingentem Pontificis animum videbantur; ceu potior nepotum amplitudo, & commodum, quàm Ecclesiæ dignitas sibi fuerit; eoque consilio bellum capessiuisset, vt suorum fortunas, opesque amplificaret, non vt Romani Pontificis, Sanctæque Sedis magnitudinem, authoritatemque assereret, ac tueretur. Illud prætereà Paulum in ea pacis commemoratione magnoperè commouebat, quòd pacta ab armato, fastuque quodam præscriberentur. Et quidem plerisque ex Augustis Patribus, qui quòd iam penè ad Vrbis mœnia hostium signa volitarent, terroremque populorum cernerent, pacem apud Pontificem perorabant, præcelsa quadam indole, propensum se paci, quam Albanus offerebat, respondit; verùm infra Pontificis maiestatem esse, quidquam in eo statu rerum transigi, præsentique metu extorqueri concordiæ temperamentum. Cederet proindè Latio, rediretque in fines suos suis cum Legionibus Albanus; atque indè ea animi demissione, qua Catholicum Virum decet, exponeret quod vellet: experturus enimuerò in communi Christiani Orbis Parente, Deique Vicario benignitatem. Cæterùm imminere Vrbi, ac populorum ceruicibus ferro, pacemque simul poscere; id demum esse, Romanam, nulli que obnoxiam potestatem aut cogere, aut contemnere. Acriùs profectò post paulò Patribus, hoc idem suadentibus, respondit, luculenta quidem, ac robusta oratione, quam * Campana scribit. Aliquanto nanque copiosiùs quid in ea temporum difficultate summum diuinarum, humanarumque rerum Arbitrum deceret; quid ipsum Purpuratorum Senatum; quæ Sedis Apostolicæ dignitas, eiusque conseruandæ obligatio; quid piaculi, cladisque admiserint eius belli administri, ac faces; quæ iam publicæ rei conditio, quæ diffidij componendi ratio, disertè est prosecutus: ac tandem confecit, non abhorrere se à pace; modò suum Ecclesiæ decus, atque integra constaret summo Patri authoritas. Iam, quòd cum infracta hac Pontificis constantia, animique magnitudine, erecta iam prosperioribus euentibus Albani mens minus conueniret, prosequi is victoriarum cursum, Latijque direptionem, quàm honestis conditionibus accommodare communi bono aures maluit.

A quo pacis conditiones persequebatur

Quæ Pontificem vehementiùs irritant.

Indignum putans ab armato leges accipere.

Quod luculentiùs Cardinalium Collegio inculcat.

* Vit Philipp. II. lib. 8. par. 2.

Iam verò, quo animi, totiusque oris habitu Albani progressiones, aggressionesque exciperet Paulus, commemorare hìc raptim, erudire profectò ad omnem insanientis fortunæ patientiam, contemptumque legentes poterit. Siquidem, vt nullum propriora ea rerum discrimina eius animo timorem impressserant; ita constans omninò illi vultus, ac frons erat: ac tùm maximè, cùm Ostiam tormentis euerberarent; quorum tonitru cùm non sine communi animorum motu Romam vsque pertingeret; accumbere ipse mensæ vnà cum amplissimis Patribus de more cernebatur, conformato ad omnem animi tranquillitatem, ac magnitudinem supercilio; sermonesque cum Cardinali Paceco serere de Hispaniæ rebus, quibus persæpè commemorandis immorari perlibenter consueuerat: totoque eo triduo, quo eius Vrbis arietatio perdurauit, ceu nullæ bellorum curæ premerent, distraherentque; describendo domestico Sacello, cellulisque alijs intimæ quieti delineandis operam dedit. Accidit porrò, vt quo maximè tempore Sacræ inquisitionis Congregationem haberet, expugnatam Ostiam nuntius perferret: quod vbi ipse inaudiuit, Romamque eius rei fama exterritam; interpellari Conuentum noluit; incumbensque in id operis attentiùs, graui, ac supra omnem metum ore, Pergamus, inquit; opus enim Dei est, quod abrumpi nefas. Atque hac quidem pectoris constantia prosecutus deindè luctuosam, totamque eam belli scenam est; donec mutata paulisper rerum facie, par modestiæ, ac fortitudinis documentum inter fortunæ arridentis blandimenta, Vir ad vtrumque tempus perindè compositus, dedit.

Eius ad Albani impressiones omnino animique constantia.

Ad vapesta Ostiæ nunciū Congregationem S. Inquisitionis minimè interpellat.

Intereà perlato ad Henricum Gallorum Regem armorum impetu, ac nil propius esse, quàm vt admotus Romam Hispanorum exercitus, Arcem illam sanctitatis, ac religionis Domicilium pupularentur; impellere ea Romanorum, atque Ecclesiæ calamitas illum potuit, vt auita religione, priscoque tot Regum Christianissimorum more, exemploque, laboranti rei Ecclesiasticæ adesset. Questus siquidem non semel cum Simone Regnardo, Philippi Hispaniarum Regis Oratore, quòd Ecclesiam, ac Pontificem regia arma diuexarent; monensque teneri se Maiorum in-

Fauet Pontifici Henricus Gallorum Rex.

ſtituto, niſi bellum ſiſterent, Latioque temperarent, Romanæ Sedi opem ferre: cùm trahi rem cerneret, vrgente rem Carolo Cardinali Carafa, inire cum Pontifice fœdus ſtatuit. Et quidem perfacilè Gallis fuit, occaſionem arripere inferendi trans Alpes arma; vt cuique pronum eſt, id complecti, quò propellit naturæ impetus. Præſertim quòd pactas iam quinquennales inducias, quarum planè conditiones non omninò probauerat ᵇ Philippus Rex, vnde exciderat gratia Regnardus, eius Adminiſtri violauerant: quarè non modò ſpecioſo ſublenandę rei Eccleſiaſticæ prætextu inſilire in Italiam refrænandæ Hiſpanorum impotentiæ poterant; verùm etiam, libaro, obruptoque fœderis ſacramento, inueteratas inſtaurare ſimultates, ac bella iurè ac licitè poſſe ſibi perſuadebant. Igitur ſimul habitus delectus, mileſque centuriatus, ſimul percuſſum aduerſus Philippum Regem fœdus, quod antequam Carolus Card. Carafa è Gallia diſcederet, conſignatum tabulis fuit, obſignatumque.

ᵇ Famian. Strad. de Bello Belg. lib. 2.

Sanciq; cum eo fœdus.

Fœderis capita Thuanus, & Campana, Scriptoreſque alij, paſſim memorant. Præcipua fuere. Pontifex, ac Rex perpetuò inter ſeſe arma, opeſque conſociarent, cùm ad inferendum, tùm ad ſuſcipiendum per Italiam, excepta ſubalpina Regione, bellum. A Regno Neapolitano, aut Etruria, vt Florentinos, Senenſeſque in priſtinam aſſererent libertatem, initium bell fieret. Regnum Neapolitanum ſi recuperari contigiſſet, vni ex liberis regijs, Delphino excepto, cederet, penderetque is Eccleſiæ, cenſu annuo, quadraginta aur orum nummûm millia. Pontificiæ Ditionis fines ad Germani fanum ab vna parte, ab altera verò ad Lirim vſque amplificarentur; trans verò Appeninum ad mare ſuperum, vſque ad Piſcariæ flumen porrigerentur, vt quæ intra eos fines loca in Samnio, & Campania eſſent, vnà cum Caieta Pontificij iuris cenſerentur. Tùm, quas quiſque copias, aliaque in belli vſum ſubmitteret, conſtitutum: pactumque ad militum ſtipendia, alendæque militiæ vtrinque aurum. His data, acceptaque fide ita confirmatis, Galli Regis exercitum, Imperatore Franciſco Duce Guiſæ, conuertit Carolus Cardinalis Carafa; Romamque validiſſima cum Heluetiorum, ac Vaſconum manu appulit: ac innctis cum Petro Strotia, Viro planè militari, turmis, ac viribus, certatum eo ſucceſſu eſt, vt recepta ſtatim Oſtia, totumque poſtliminiò Latium fuerit. Qua quidem in expeditione egregiam ſibi, & famam nominis, & Pontificis, Romanorumque beneuolentiam conciliauit Strottia, vt vulgò audiret Romæ Aſſertor. Et verò non impendentem modò Vrbi cladem amolitus ille eſt; verùm & Italicæ virtuti decus, & Carafis exiſtimationem reſtituit; vt meritò Pontifex præclaram eius virtutem, ac inſignia in Eccleſiam promerita, collata tùm quidem fratri Purpura, cohonſtauerit.

Que eius fœderis capita.

Gallici exercitus Imperator Guiſius.

Card. Carafa iunctis cum Strottia viribus, Latium recuperet.

Porrò Gallorum ſigna, & Guiſium nonniſi ineunte conſequenti anno eius ſeculi ſeptimo, & quinquageſimo, ſuperatis Alpibus, in Italiam ingredi, Romamq; erigere contigit. Et continenti quidem rerum ſerie, ac filo proſequetur, abſolueteque materiam ſtylus, quam interciſam noluimus, reuerſuri opportunè ad rerum noſtrarum lineam. Itaque conſcriptum, adornatumque in Gallia exercitum, vt ad fores Italiæ eſſe Albanus Dux cognouit, cùm maiorem profectò aquarum molem, quam ipſe, qui obicem rupit, cogitauerat, inundare Italiam, Regnumque Neapolitanum cerneret; oblata iterum Pontifici reconciliatione, ſiſtere armorum impetum curauit. Ac primò quidem Ioannam Carafam, Pontificis ſororem, ornatiſſimam fœminam ſuaſit, vt Romam veluti ſponte ſua concederet, ac de reſtituendo Columnenſibus Pallianno, bellaque certis, honeſtiſſimiſque conditionibus relinquendo, per ſe quidem cum germano fratre ageret. Quæ quidem in iter, ac rem ſtrennè ingreſſa, nihil planè induſtriæ, curæq; prætermiſit, quo eius animum flecteret. At enim, quòd plus nimio armorũ feſtinatione, acriq; bello irritatũ ſe ab Albano Paulus cõquereretur, & quòd animos facerent Guiſius, eiuſq; legiones, quæ adportare magnis itineribus adiumenta, ac ſpes ingentes videbantur; impetrare Ioanna à Pontifice concordiam minimè potuit: ac re infecta, cohoneſtata quidem inſigni maximi fratris beneuolentia, ac liberalitate, Neapolim reuertit. Neque proindè vrgere id negotij Albanus deſtitit. Nam Philippus Rex, vt cœptos eos tumultus haud ſatis probauerat; ita extingui maturè peroptabat: gnarus in Eccleſiam, Romanumque Pontificem bella nunquam fauſtis auſpicijs inſtitui, nec feliciore plerumque exitu abſolui.

Guiſius in Italia anno 1557. incumbit.

Pacem iterũ Pontifici offert Albanus

Ioanna Carafa, Pontificis ſoror, caduceatrix.

Sed nihil impetrat.

Quarè

Quarè monuerat persæpè Albanum, vt componi cum Paulo Quarto rem curaret. Atque is quidem, tùm quòd externus miles aliam adpromitteret rerum faciem, tùm quòd obsequi Principi pacis percupido pareat; incumbere impensiùs in ea consilia instituit; accedensque ad rem propiùs, agitate cum Carolo Cardinali Carafa pacificationem, ea præsertim conditione, vt quod erat præcipua disceptandi occasio, Pallianum Marco Antonio Columnæ restitueretur; concessis eius loco Senis Ioanni Carafæ, Ducis titulo. Id quod Franciscus Paciecus ex Hispania ab Philippo Rege, quem vti monuimus, in eam bellorum aleam ingressum pigebat, Romam attulerat, vt Pontifici significaret. Qui tamen, vt erat fastigio, cui insidebat, mente, animoque non inferior; & restitui Columnensibus, quod semel, ac iure proscripserat, oppidum, minimè probabat; ne triumphasse de Pontificis potentia, ac æquitate subditi viderentur: & offerri Senas, etsi splendidissimum quidem, ac perutile suis imperium, quàm maximè indignabatur; ne irritata malis, vulgi libertas, & confidentia, susceptum cum Hispanis bellum, atque exhausta in belli sumptus æraria, eò respexisse, iactaret, vt Gentis Carafæ magnitudo ruina Vrbis, ac populorum calamitate excitaretur. Igitur non quidem pacem, quam nimio planè opere optabat Paulus; sed pacis conditiones execratus, quibus tentari officij sui dignitas, animique celsitudo videbatur; exorari non est passus, vt sibi proponerentur: quin immò audire ea super re Paciecum noluit, qui monitus actum agere, Neapolim côcessit.

Philippi Regis ad Albanum mandata, vt rem componeret. Qui cum Cardinali Carolo agit.

Offertque Senas Palliani Duci.

Renuit splendidam Dicionem Pontifex.

Intereà effudere sese Gallorum in Italiam acies: & qui toti expeditioni præerat Guisius, egregiè quidem in Pontificis, Romanæque rei tutelam animatus; administrare impigrè belli curas cœpit. Quarè recruduere tanta armorum accessione, tantoque pugnacissimæ gentis ardore prælia: quæ quidem mutuis hinc inde cladibus Italiam circiter annum asperè exercuere; ac diutiùs profectò ea flamma, quam nouæ in dies dissidiorum causæ conflabellabant, alebantque, perdurauisset; nisi proniorem in pacem, Romanique Patris obsequium, mentem, Philippus, Hispaniarum Rex pijssimus, gestasset. Lapsa igitur in cineres est fax belli, cùm ardere acriùs videbatur: exhilarauitque is exitus Romanos ciues; quando diuturna iam calamitas animos ferendo defatigauerat. Neque verò ea vtrinque incommoda, cædesque desuere, quæ comitari ad funestam planè pompam, militares acies, acerrimosque bellorum conflictus solent. Vastatæ passim regiones, direpta oppida, illusum fœminarum pudori, expilata opibus templa: quodque Pontifex doluit maximè; proprijs præsidijs, hoc est externorum militum licentia, ac impietate, quàm ferro, metuque hostium laborauit magis populorum securitas; vt meritò id inptemum malorum censeretur; cogi eam gentem in Vrbe tolerare, ac alere, quæ Romam quidem propugnare manu videbatur, verùm in Romana facta, cultumque Cælitum impiè depugnabat.

Guisius strenuè bellum administrat.

Catholici Regis in componendis ijs motibus partes.

Iam verò quæ maximè causæ ad eam cum Hispanis reconciliationem impulerint, breui nunc expediendum. Sed adnotauerim ipse priùs, visam quidem rem adeò ex inopinato, ac præter omnium sententiam peractam; vt peculiari quadam Dei ope contigisse videri potuerit: fauente potissimùm Romæ Numine, ceu triumphare, grassarique diù mala non possint, vbi tot triumphales Diuorum exuuiæ, ac manes impetrant. Enimuerò eò tandem deducta res erat, vt mutata iterum alea, Albano fortuna belli faueret; adeò vt capto iterum direptoque Latio, iactauerit is vulgò, successurum Vrbi se prope diem, vt pacem cum Pontifice armatus constabiliret. Et quidem visæ semel in ipso noctis conticinio ad Vrbis mœnia Hispanæ legiones, Romanos ciues propiore metu consternarunt. Ac dilaudanda profectò Hispani, magnique Ducis religio, si vera suis litteris Scriptorum plerique consignarunt. Illatis nempè signis, intercipere tunc Romam Albanum potuisse; at magnæ, sacræque Vrbis reuerentia abstinuisse, ne in religionem ipsam, cuius Arcem cepisset, adornasse bellum, Christianus Dux diceretur; ac ne renouata clade Borbonica, sacrotum iterum pretium, ac opulentia, stipendia militum fierent. Cæterùm maior Historicorum pars sincerè narrat, conatum quidem Albanum Vrbem ab insidijs noctu inuadere; at glandium procella, testante se vigilem in excubijs milite, strenuè reiectum. Hi porrò ausus, vt minùs absterrere, aut aliqua ex par-

Visa diuinitùs pax affulsisse.

Cum minus speraretur.

Ad Vrbis mœnia Albanus,

Inire abstinuit.

Aut reiectus.

ex parte labefactare Pauli animum, ita sanè exacerbare magnoperè videbantur; atque auersabatur omninò Vir, dignitate, ac animo maximus, de pace cum eo agere, qui facto propiùs gradu, captiuitatem Vrbi, ac Pontifici minaretur, ac designaret. Ad hæc, Albanum ipsa hæc armorum incrementa, ac palmæ vsque adeò extulerant, vt efflagitare quædam à Pontifice non dubitarit, quæ dedecere priuatum quempiam videbantur: tantum abest, vt consentanea Pontificiæ maiestati, ac præcelsæ Pauli Quarti menti forent. Siquidem cùm iam prosperiore victoriarum cursu proximè Romam accessisset, ea sibi confidentissimè Pontifici proponenda per suos internuncios duxit. Nempè, si redire cum Philippo Rege in gratiam vellet, irrogatam Columnensibus iniuriam Palliani proscriptione priùs fateretur; atque id insuper peccasse, quod Cæsaris, ac Philippi subditos, clientesque carcere mulctauerit: tùm quòd aduocato in Italiam externo milite, percussoque cum Gallis fœdere, transcribendum nouo Principi Regnum Neapolitanum curauerit. Quæ vbi singillatim errata eierauerit, veniam posceret Pontifex. Planè ad irritandam tantæ indolis Pontificem, nescio, an admoueri acriores stimuli poterant. Magnos siquidem animos nunquam tam altè vulnerauerit, quàm si putes, obiecto fastu, metuue, indigna subituros. Et verò in tuenda Romanæ Sedis authoritate adeò obfirmatus animo erat Paulus, vt subire potiùs mortem statuerit, quemadmodum præfatus apertè in Augusto Senatu est; quàm ad eas pacis conditiones mentem demittere, quæ vel minimùm supremæ Infulæ dignitati detractum irent. Itaque dum ita sese res haberent, certareturque vtrinque animorum dissensione, quàm armis vehementiùs; nulla affulgere reconciliationis spes videbatur: quæ tamen non longè aberat, ac sancita faustè mox fuit; vt planè, sicuti modò significauimus, non quidem mortalium opus, sed propitiati, præsentisque Numinis munus videri potuerit.

Elatus Palmis Albanus, indigna postulat.

Quæ Pontificē irritabant.

Tamen cum desperata Pax videretur,

Ex insperato euulgata.

Iam quæ pacem potissimùm festinarunt, plura quidem fuere. Exulcerabat indies animum Pauli Sanctissimi Pontificis animum libata externi militis religio. qua Romæ non Templis, non aris parcebatur; oderatque tutelam Vrbis, quæ tanti pietati constabat. Deindè quæ nutare iam cœperat Romanorum fides, ac patientia, plurimùm iam negotij, curæque Pontifici iniecerat. Nam cùm noua sustentandis legionibus imperari tributa oporteret, & quidem grauiora, quibus non tonderi modò, verùm etiam ad viuum radi ciues videbantur: hi quidem istiusmodi pensionibus aut minùs assueti, aut impares, turbas excitauerant; conueneratque inter illos, vt si ad Vrbis mœnia rediret iterum Albanus, cum eo paciscerentur, aperirentque vltrò portas. Quod sanè nimiùm quantùm molestè Pontifex tulit, adeò vt centum illos, quos Romanus Populus Pontificiæ Aulæ ministerio, splendorique attribuerat, Equites, a fide nuncupatos; peracerbè sæpiùs increparet, ceu viles, venalesque animas, à prisca illa Romanorum indole, virilique constantia degeneres. Quando meminisse prisci æui debuerant, cùm circumsedentibus Vrbem Gothis, ingentium animarum generositas, ac magnitudo, barbarorum ferociam triumphauit: enecti siquidem fame pulchram mortem oppetere, quàm Gothorum seruitio ceruicem, animumque demittere maluerunt. Ad hæc, felicissimè ad Sanctum Quintinum contulisse Hispanos signa, præcipua planè causa fuit, cur bellorum incommodis finis imponeretur. Etenim cùm celeberrimo in eo prælio, Duce Philiberto Sabaudo, Gallici sanguinis, virtutisque florem decuti contigisset; trepidabat maximè Gallia, metuebatque, ne eo victoriæ æstu actæ Hispanæ acies, ad Lutetiam ipsam Parisiorum inoffenso, vt aiunt, pede excurrerent, caperentque. Quarè conflari illicò, quę victori obsisterent, nouas acies necesse fuit; ac iussus ab Italia redire Guisius; nempè Henrico Regi propior, ac potior sua Gallia erat; & maturare remedium malo oportebat, quod adrepere vitaliores in Regni sui partes videbatur. Eapropter cùm debilitari, ac distrahi magnoperè Ecclesiæ opes, ac vim bellicam cerneret Paulus; reputare apud animum suum cœpit, diuino id consilio factum, vt publica tandem Romana res componeretur. Id quod Guisius, ac Strottia Pontifici statim significarunt, cum ipsum de repetenda cum exercitu, Henrici iussu, Gallia, docuere. Nempè, quando destitui præsidijs Romam cerneret, neque satis virium superesset, quæ hostium

Quæ potissimùm causæ illam maturauerint.

Externi militis mores.

Romanorū fides.

Quibus priscam Romanorum virtutem obijcere solebat Pontifex.

Hispanorum ad S. Quintinum victoria.

Qua accisæ Gallorū opes.

Et reuocari Guisium in Galliā oportuit.

Destitutus Gallorū præsidio Pōtifex pacē cogitat.

hostium impetus, aut frangerent, aut retardarent; id planè opportunissimum, atque oppidò consultum esse, cum Philippo Rege pacificari. Et Philippus quidem insigni ea victoria potitus; quanuis regium florentissimi Iuuenis animum prima bellorum trophæa, gloriæque gustus capere immodicè, atque extollere potuissent: attamen quæ grandium animorum conditio est, successu minimè elatus, tum maximè de componendis Italiæ rebus summa cum animi moderatione cogitauit: datisque ad Rempublicam Venetam litteris, id impensiùs commendauit; vt quandoquam sciret ipse, afflictas iam, imminutasque, Gallici exercitus discessu, Ecclesiæ vires; curarent nihilominùs ipsi pacem, offerrentque honorificas Pontifici conditiones, quæ amplissimi Senatus, Patrumque arbitrio sederent. Cui & Philippus studet. Ac rem Venetæ Reip. fidei cómittit.

Neque verò exiguum pacificationi momentum attulit Cosmus Medices, Dux Etruriæ; qui quidem haud perindè Paulo Quarto, Carafisque beneuolus; tamen incumbere omni ope tranquillandæ rei, è suæ Domus, potentiæque iam tùm adolescentis, re potissimùm duxit. Idque non vna planè ex causa. Nam cùm adeò sese impotenter Albanus, successibus plus nimio elatus, cum Pontifice gereret: id consilij dederat Patruo Cardinalis Carafa, vt cederet Roma; ac in tutiorem se locum, nempè in Galliam assereret, munitis interea Gallorum præsidijs Ecclesiasticæ Ditionis oppidis. Id quod, etsi respuerit sapiens perindè, & magnanimus Pontifex, ne desperatis veluti rebus, despondisse animum videretur; ac ne externis ijs arcium munimentis tantum bellorum in Italia accenderet, quantum neque Ipse quidem, neque deindè alius restingueret: tamen Cosmus, cui eius gentis propinquitas, ac arma suspecta omninò erant, metuere vehementer cœperat, ne Carolus, qui authoritate non minimùm apud Paulum valebat, assiduis adhortamentis id tandem euinceret; ac proindè concordiam perurgebat. Et coquebat quidem alia Cosmum cura. Oblatæ siquidem persæpè Carafis Senæ fuerant Palliani loco: & recusauerat profectò Paulus, ijs potissimùm de causis, quas supra memorauimus. Verùm quòd optimus semper fortunarum custos metus fuit; timebat iure Cosmus, ne quam confirmari sibi Senarum Vrbem peroptabat, Carafis cederet: efficere siquidem mora poterat, vt annueret capessendæ amplissimæ Ditioni Pontifex. Eapropter, vt eo statim metu defungeretur, visus anxiè solicitare per Legatos suos pacificationem. Atque hæc planè sunt, quæ grauissimum negotium, ac penè desperatum, videntur confecisse, ac maturasse: vt adspirante primùm Numine, tùm adnitentibus Venetis, atque Etruriæ Duce, Cardinalibus insuper Sanctæ Floræ, ac Vitellio agentibus perducta ad vmbilicum res fuerit; ac sancita inter Paulum Quartum, & Philippum Secundum communi Italiæ plausu, ac bono pax, die Septembris quarta decima, Cruci sacra, ac nostro Ordini cum primis solenni, anno voluentis sæculi septimo, & quinquagesimo. Celebratus Caui Caroli Cardinalis Carafæ, & Albani Ducis conuentus; vbi hic Regia, ille Pontificia authoritate instructus, pactis conditionibus subscripsere; & ex his quidem quasdam per manus ferri, ac publici veluti iuris voluere; quasdam verò priuatim inter sese clam Pontifice consignarunt. Quæ autem ad omnes manarunt, probauitque Pontifex, fuere, quæ sequuntur. In quâ etiam incumbit Etruriæ Dux Cosmus. Non vna ex causa. Sancita Caui pax.

Primo. Exciperet Pontifex Albanum Ducem, Philippi nomine, ea quidem obsequij, demissique animi significatione, qua postulantem veniam accedere, par erat. Verùm certus deindè homo ab Catholico Rege Pontifici allegaretur, qui ipsum veluti obsequentissimum filium complectatur, Romanæque Ecclesiæ munificentiæ restituat. Secundo. Sancitum cum Gallorum Rege fœdus abijceret; dubiusque, ac medius inter vtrumque Regum pari ipsos beneuolentia prosequeretur. Tertio. Curaret Hispaniarum Rex, vt quæ capta ad eius belli exitum Ecclesiasticæ Regionis oppida fuerant, dirutis confestim munitionibus, restituerentur. Quarto. Tormenta item bellica vtrinque intercepta redderentur. Quinto. Ignoscerent Pontifex, ac Philippus publico cuique, priuatoque viro, qui & eorum maiestatem læsisset, & suam fidem; immitterentque in eosdem honorum gradus, opesque, quibus mulctatus ob admissa in eo bello crimina, fuisset: Marco Antonio Columna, & Ascanio Corneo, alijsque Romanæ Sedis perduellibus exceptis, qui obnoxij pœnis forent, quoad Pontifici libuerit. Sexto. Pallianum eo quidem modo, quo tunc Quæ eius côditiones.

 tempo-

temporis erat, fidei Bernardini Carbonis, Pontificis consanguinei committeretur: iisque cùm Pontifici, tùm Regi Sacramentum diceret, seruaretque pactas inter Carafam, & Albanum conditiones. Cæterùm octingentorum militum præsidium relinqueretur ad Oppidi munimentum, soluto illis Ecclesiastico, regioque ex ære stipendio.

Aliæ itē priuatim inter Card. Carafam, & Albanum.

Hæc publicè: priuatim verò Carafa, & Albanus alia sanxere. Nempè, liberum Philippo Regi esset, Pallianum vel apud compertæ fidei hominem deponere, vel demoliri. Diruta deindè arce, muniri à nullo posset, nisi offerri prius congruam Palliani Duci compensationem contigisset; in qua quidem designanda, si oborta controuersia esset, rem Venetorum Respublica explicaret. Præterea, accepta Palliani Dux compensatione, Oppidum, cui Rex imperauerit, confestim cederet; modò ne perduellionis reus is esset, quo tempore capessere possessionem deberet. Postremò, nisi intra sex menses compensatum Duci fuerit; is, penes quem Pallianum esset, demoliri, abire, ac Duci ipsi cedere Oppidum teneretur. Quas quidem inter Cardinalem Carafam, & Albanum conditiones, clam Pontifice fuisse subscriptas, etsi neget in suis Commentarijs[a] Angelus; [b] plerique tamen Scriptorum affirmant, ac traducta continenti successione fama constat: atque apertè tum retulere Matelicæ Comes, & Oliuerius Sessa, vterque Cardinalis Carafæ familiaris, atque arcanorum particeps, & ille etiam consanguineus. Præterquàm quòd data ad Cardinalem Carolum Palliani Ducis epistola, aliaque itidem eiusdem ad eundem monita, quæ [c] penes nos sunt, liquidò testantur, inconsulto, inscioque Pontifice ea omnia perac̄ta: ac præcipuam causam fuisse, cur ab Sanctissimo Patruo Roma Carafæ expellerentur, vt in tempore memorabimus.

a Hist. Parm. b Camp. Vit. Philip. 3. p. 2. lib. 9. Adrian.

c Tab. D. Pauli Neap.

Perhonorifica S. Sedi pacificatio.

d Guicciard.

e In l. Imper. de feudis in Praf.

Tum Philippi pietate.

Iam verò publica, quæ recensuimus, pacificationis capita, si quis expenderit; præclarè quidem, ac oppidò honorificè cum Apostolica Sede, ac Paulo Quarto actum dicet: vt pronunciauerit quàm verissimè [d] Scriptor non ignobilis, ea Pontificem, licet victum, obtinuisse, quæ si victor ipse fuisset, fore vt impetraret, persuadere sibi nullus posset. Et legendus [e] Camerarius, qui disertè prosequitur, quàm gloriosè, ac honorificè Paulus de Victoribus suis ipse victus triumphauerit. Quod quidem etsi egregiæ Philippi Secundi pietati tribuendum, qui promereri Catholici cognomentum reuerentia, ac religione in Romanum Antistitem; quàm tueri armorum contentione tot Regnorum titulos, Regisque maiestatem maluit: nihilò tamen minùs ea fuit vel in ipsa rerum inclinatione Pauli constantia, animique firmitas, ac magnitudo: vt nihil de Sanctæ Sedis authoritate decerpi passus fuerit; ac proindè in paciscendo cum amplissimo Rege, quod omninò consentaneum Ecclesiæ celsitudini, ac potestati erat, id euicerit. At enim, vt scissum plerumque vulgus; nullumque est præclarum opus, quod simul non & boni probent, & inumbret liuor; plerique vt exordium, ita & belli exitum, confidenter carpsere: quibus verò non obliqua Paulo, ac virtuti mens erat, quique prudentiæ momentis, ac lance æstimare rem soliti erant; in eo bello, quà suscipiendo, quà administrando, componendoque Pontificis consilium, infractamque mentis fiduciam præter modum deprædicarunt: Si quid verò peccatum, id aliorum siue inscitiæ, siue impotentiæ adscriptum voluere. Libet hic Latinè exscribere, quæ Philippi vitæ [f] Autor de Paulo Quarto habet, in hæc verba. [Nihil planè tàm vulgaris ingenij, quàm ab exitu institutum opus dimetiri. Enimuerò, quæ rectè consuli, atque ordinari paucorum iudicio contigit; sæpè exequare, ea perssæpè ex inopinato eueniunt, quæ nulla quidem authoris culpa, ingenti licet iactura, successum corrumpant. Pauli Quarti mentem nullus quidem in dubium reuocauerit, fuisse omninò egregiam, Romanæque Ecclesiæ dignitatis, quam opprimi ab Cæsarianis Administris minùs congruum erat, studiosissimam. Generosior illi indoles, & cura tuendæ suæ Sedis amplitudinis, frangendæque, quam sibi in alios Hispani, vsurpauerant, potestatis; præcidendæ præsertim, ac minuendæ in Regno Neapolitano licentiæ vltra suorum Principum mandata, ac nutus. Verùm, vt hi priuati quisque studij, & commodi gratia amplificare, atque etiam inuertere Cæsaris, ac Philippi mandata videbantur; ita sanè Carolus Cardinalis Carafa, clientesque in sua ipsorum compendia, affectusque proniores, detorquere

Tùm Pontificis animi magnitudine.

Sapientum de Capano bello sensus.

Quid Philippi vitæ Scriptor de Paulo IV. litteris consignauerit.

f Vit. Philip. 2. lib. 9.

bonum

bonum Pontificis animum in sua vota plus nimiò studuere, ac res illi pro libito venditare, atque obtrudere insigni quadam arte ad finem vsque visi sunt.] Hæc ille: nec aliter sanè scripserit, qui abrogare calamo suo fidem noluerit.

Consecuta porrò pacem Populi Romani, omniumque ordinum lætitia, cumulata post paulò est Albani Ducis aduentu; vt ad eius pedes procumberet, quem modò terrere suis armis frustra cogitauerat. Et Paulus quidem ea oris maiestate, cultuque ad Vicariæ Diuinitatis imaginem exacto, supplici sese Albano obtulit; vt is significauerit subindè per litteras vxori, neminem vnquam mortalium timuisse se, nisi sua tunc in Sede conspicuum, verendumque Paulum Quartum. Qui soluta postmodum in clementiam fronte, donari libertate eos omnes iussit, qui custodia detinebantur, inter quos præcipui Camillus Columna, & Antistes Tarentinus frater; trecentosque item viros, qui eius belli occasione affixi triremibus fuerant, solui imperauit. Albani Ducis Romam aduentus. Quem Pontificis & maiestas perculit. Et honestauit clementia.

Ad extremum non dissimulandum, præuisam ab Ioanne Marinonio, supernè adflato, prædictamque hanc fuisse Neapoli concordiam. Eadem siquidem prorsùs die, nempè quarta decima mensis Septembris, qua euulgata Romæ pax fuit, postquàm ad aram fecisset, cùm ad frequentem concionem diceret in Sapientiæ Monasterio, inclamare pleniore spiritu cœpit: Alleluia. Tum in ea verba erupit: Da pacem Domine in diebus nostris: postremò constantissimè, ceu suis oculis cominùs vsurparet, quæ procul agebantur, pronunciauit, pacem inter Paulum Quartum, & Philippum Secundum faustè iam initam. Admirati qui aderant, paucis post diebus, irradiatum diuina quadam luce Marinonium, vera prænunciasse, cognouere; ac precconem publicæ lætitiæ fructum Ioanni acceptum retulere, qui præmaturè, ac propheticè euulgauerat. Pacē & præuidit, & prædixit inter concionandum Marinonius.

Immorati fortassè nimiùm sumus in hisce bellorum, pacisque euentibus enarrandis: quos tamen in paruum veluti nodum contraximus, ne fastidio forent recensita fusiùs acta, ac ne diù versatus extra disciplinam, moresque Theatinos stylus diceretur. Nunc verò quo loco sit res nostra communis, quidue incrementi hoc anno acceperit, inspiciamus. Et quidem Paulus Quartus turbulentissimo licet rerum statu, aliò animum, curasque auocante; excidere nihilominùs memoria institutum à se Sodalitium, non est passus: fouitque præsertim munificentia. Hoc siquidem anno, cum sciret Neapolitanis Patribus malè adhuc esse, ac præter pauca quædam pro tempore, ac perfunctoriè concinnata domicilia, angustam prætereà domum; Apostolico Nuntio iussit, vt suo nomine non exiguam auri vim Paulino Cœnobio erogaret; cuius opportunitate subsidij excitari à fundamentis, atque ad Religiosorum morem illæ Domus cœpere, ab ea quidem parte, quæ ad Septentrionem est, vbi reliquiæ, ac pendentia adhuc veteris cuiusdam Templi rudera inspiciuntur: hinc nanque ductum Ædificij initium Pauli Quarti ære, ac liberalitate, qui anno superiore eiusdem D. Pauli Templum cælestium munerum affusione cumulauerat. Etenim celebrabatur Paulina hæc Ædes singulis sextis ferijs mensis Martij fidelium pietate, certatim confluentium; communisque persuasio, ac sensus erat, ingentes inibi statis ijs diebus indulgentiarum thesauros piè adeuntibus aperiri: qua de re cùm nulla Pontificum diplomata, aut litterarum monumenta loquerentur; rumor potiùs pronioris in pietatem vulgi, quàm constans fama, ac traditio dici poterat. Eapropter visum Nostratibus, accurrentium religionem certo gratiarum fructu adaugeri; ac Pontifici supplicarunt, vt quas sibi Neapolitani cælestes opes in ea Ecclesia persuaserant, nullisque constabant tabulis, ac fide, elargiri ipse, aut confirmare suo nutu dignaretur. Cui & rata habere quæ inerant, & indulgentias prorsùs omnes, quibus Romanam Diui Petri Basilicam Summorum Pontificum munificentia locupletauerat, impertire magnificè libuit, ijsdem nimirùm sextis ferijs, in quibus amplissimum illud Vaticani Templum insigni omnium frequentia Romæ teritur. Ad quas & plenariam item indulgentiam addidit: datisque Pontificijs litteris, certo iam gratiarum compendio, quæstuque excitata Gens Neapolitana, eo quidem studio, æstuque populorum frequentari Paulina Ecclesia cœpit; vt ante primam lucem adirent, ac post solem occasum adhuc religio perduraret. Verùm, cum non adeò certum, an ante- Inter bella Theatinæ rei memor Paulus IV. Extruendoq; Neapolitano Cœnobio adest præsenti pecunia. Cœpta hoc ære Domus. Auctum q; indulgentijs Templum singulis sextis ferijs Martij.

Quas extēdit Pius V.

antelucanis, vespertinisque ijs horis potiri indulgentiarum donarijs liceret adeuntibus; explicandum id Patres, vt tantæ pietati consulerent, tempusque extendendum curarunt, impetratumque à Pio Quinto Pontifice nouo diplomate fuit; vt tàm hi, qui auroram solicitè anteuerterent, quàm quibus post primas faces piè lucubrare in Ecclesia contigisset; easdem Pauli Quarti indulgentias lucrarentur. Ac cernitur quidem ad hanc vsque diem celebrior hic piorum conuentus, nulla ex parte, nec temporis diuturnitate, nec tanta aliarum indulgentiarum copia imminutus; addictis nempè ijs potissimùm, & constanter animis, quæ vetusta mortalium religione inoleuere, ac pietas diuturna posteritati transcripsit, commendauitque.

Paulus Consiliarius inter Vaticani curas moritur.

Romam nunc stylus redeat, quò nos Pauli Consiliarij, quarti nostri Ordinis Conditoris funus vocat. Quædam illum amplificandi sacrorum cultus contentio, ac studium confecit. Enimuerò inter Vaticanæ Ædis Canonicos, vti monuimus, adlectus, instaurandæque eius Cleri disciplinæ, Templique dignitati à Pontifice impositus; visus Vir flagrantissimus, in id laboris plus nimio incumbere: totusque in ijs curis cùm esset; ac Odeum præsertim primus ingredi, postremus egredi, vt exemplo maximè cogeret, conaretur; concipere peracrem quidem tussim, eius aeris, Templique inclementia oportuit: qua dum vehementiùs exercetur, ac quatitur pectus, rumpi venam contigit; excretusque affatim sanguis mortem illi festinauit; qua functus piè est die quarta decima mensis Aprilis. Inuisit non semel decumbentem Pontifex singulari beneuolentię significatione: illacrymauitque postmodùm funeri peracerbe; ac se quidem præclarum, ac fidum caput, exemplum Aulam præstantissimum amisisse, indoluit. Eius virtutes, prout sese dedit occasio, sparsim iam enumerauimus. Quanquam pauca quidem posteritati transmiserit, qui, quæ communis fuit priscorum Nostratum indoles, esse, quàm videri bonus maluit; nec lucem, aliorumque conscientiam virtutibus suis vellet. Neque verò fas est, credere, Virum prudentiæ numeris excultum, & cuius consilium Carafa, dum in Purpura fuit, & mox Pontifex Maximus, tanti faciebat, non multa præclarè gessisse: præsertim cùm Cardinali Romæ semper adhæserit, ijsdem grauissimis Ecclesiæ negotijs immistus, atque implicitus, quæ Carafa ipse administrabat; ac postremò ipsammet Summi Pontificatus, curarumque publicarum molem, arcanorum communione, subiuerit. Porrò, quanuis sibi, suarumque virtutum præstantiæ à mortalium oculis, veluti à fascino quodam cauerit Consiliarius; pulcherrimam nihilominùs animi, corporisque integritatem, quam ad vltimam vitæ lineam diligentissimè seruauerat, euulgare ipsemet ad Dei gloriam, aliarumque virtutum specimen, supremo ipso die voluit. Quippè, cùm morienti iam iam filio adstaret mater, atque effusè lamentatetur; collecto ipse quicquid virium, ac vocis potuit, sic illam, vt refert Antonius Caracciolus, est allocutus: [Tempera te, quæso, à lacrymis, mater, mortalem me genuisti, & lubens morior; qui beatam immortalitatem per Dei gratiam spero. Equidem, quod hactenùs nulli hominum dixi, tibi extrema hac hora celare non debeo: Deo tutante virginitatem illæsam seruaui ad hanc vsque diem. Itaque quemadmodum ex vtero tuo egressus sum, ita sepulcrum ingrediar. Confido Redemptori meo, cuius donum est quicquid nobis inest boni, suscepturum se hanc animam, quam ipse à carnis labe seruauit immunem; & condonaturum insuper, quæ alijs modis innumera commisi peccata.] Hæc Consiliarius, cui maturo iam æuo nulla decusserat florem illecebra voluptatis; nec aberrare à Cælo poterat, comite Virginitate, cui expeditum, notumque iter Patriæ. Nostro verò Ordini tanti Viri, atque optimi Institutoris obitus non potuit molestissimus non accidere. Nam quanuis extra Sodalium contubernium, ac Sodalitij instituta media in Aula degeret, Pontificij Cubiculi Præfectus; Congregationem nihilominùs insigni beneuolentia prosequebatur, ferebatque in oculis singulos è Nostratibus: &, quod caput est, disciplinam ipsam, legesque, ac morem omnem Theatinum inter publica ea muneris officia mirificè retinebat vt Clericus Regularis & esset, & videretur.

Decumbentem inuisit Paulus IV. indoluitque funeri.

Virtutis occultandæ in eo studium.

Eius ad extremam vsque vitam illibatus pudicitiæ flos.

Peracerba Nostris accidit Viri mors.

Iacturam igitur suam, nec planè exiguam doluit Clericorum Regularium disciplina;

plina; quam tamen compensasse abundè dicendum est hominum par absolutissimæ quidem virtutis, ac integritatis. Andreas nanque Auellinus, qui ad eam postea sanctitatis frugem, famamque enasit, vt Beati appellatione implere Ecclesiæ fastos promeruerit; & Paulus de Aretio, Purpura quidem Anellino maior, at virtutis laude par; adscripti inter Nostrates fuere. Paulus quidem hoc anno voluentis sæculi septimo, & quinquagesimo ineunte, qua die cadentis, erectique Pauli Apostoli memoria celebratur. Andreas verò Augusto mense superioris anni in ipso Assumptæ Virginis Deiparæ peruigilio; cuius in Ordinem ingressum commemorare huc ideò distulimus, ne disiungere videremur amicissima capita; & quos caritas, ac laudabilis quædam, vnanimisque virtutis æmulatio ab ipso tyrocinio iunxit, stylus distraheret. Iam hærere paulisper in hoc suscepti ab vtroque instituti vestibulo, par est. Decet nanque, vt Virorum longè præstantissimorum natales, indolem, studia, ac virtutis rudimenta statim noscat Lector; & cùm plura, antequàm Religionem inierint, præclarè gesserint; quæ dignissima scitu sunt, poscit omninò rerum ordo, ac locus, vt enarremus. De Andrea autem, qui Regulari sese priùs disciplina authorauit, priùs dicemus, nec fusè quidem; quippè cuius vitam conscriptam iam habeas diligenter à Ioanne Baptista Castaldo; ac in ea item Latinè conscribenda, opere tripartito, insigni cultu sermonis, ac peregregiè velificauerit Franciscus Boluitus, etiam ex nostris.

Quem cōpensauit par hominū præstantissimorum. B. Andreas Auellinus, & Paulus Aretius dant Cō greg. nomē.

Igitur labentis sæculi anno primo, & vigesimo, trienniò antequàm nostra Clericorum Regularium disciplina reflorescèret, Castri-Noui, quod in Lucania est Oppidum, natus Andreas est, honestis æquè, & pijs parentibus; sacroque fonte initiatus, Lancellottus est appellatus. Cunabulis peculiaris quędam religio adnata; nam cùm semel salutari se Crucis signo munire didicisset, id postea sponte sua inter fasces sæpiùs factitabat. Florem æui visi ingenui mores, & constans quædam pietas cohonestasse: ostenditque à prima statim ætate, non sibi tantummodò, sed alijs natum. Quippè quæ fidei documenta summa quidem facilitate discero in dies contingebat; instituta mox puerorum clienrela, grandior ipse eruditione, non annis, edocere illos adnitebatur. Verùm, cùm in ornatissimo adolescente virtutum omnium semina præclaram iam in frugem erumperent: tùm eximiæ potissimùm puritatis specimen dedit; auspicatus ab ea virtute inclarescere, quæ nostram mortalitatem consecrat, æternatque. Enimuerò, Sinisij, proximum Castro-Nouo Oppidum id est, humanioribus litteris exactam vixdum pueritiam dum format; capta eius forma, oculorum præcipuè venustate, ac luce fœmina est. Nec mora: monitum adolescentem per internuncium voluit, acri se telo intimè sauciam; potissimam verò amoris causam oculos esse, ac gemina ab ea face ardere vehementiùs. Expalluit Auellinus, & cui candor animi, quàm oculorum lux carior: Abi modò, inquit, ac per te fœminæ compertum esto, hos ipsos meos oculos, ne cui noceant sua luce, eruiturum me hisce meis manibus. Et planè is tunc fuit Virginitatis tuendæ ardor, vt si pergeret impudens mulier, inuolasset in oculorum perniciem castissimi adolescentis manus, inumbrata, corruptaque fronte. Nec se cum Lancellotto Anianus ille comparauerit, quem memoriæ proditum scimus, exsculpsisse sibi insigni ausu, exemploque oculum, quòd fœminam minùs pudicè aspexerat. Siquidem suo hic crimini vindicando sæuijt: ille pulchriùs cauendo alterius sceleri vtrumque oculorum lumen extinxisset. At periclirari semel pulcherrimam virtutem parum fuit. Alia illi, atque acrior quidem pugna domestica in arena. In Patriam siquidem adhuc intrà adolesce ntiam cùm redijsset; deperire eius quondam nutrix venustatem oris cœpit: & gliscente mox flamma, pudore tandem omni exhausto, aggressa illum noctu est. Interceptus familiari ea lue Auellinus, quando nullam aliam euadendi, fraudisque declinandæ spem, ac viam cerneret; ludificare fœminam ingenio, astuque voluit. Se quidem, inquit, in proximum conclaue nescio quid rei peragendæ subiturum, expectaret ipsa interim reditum. Tùm ab eius sese conspectu proripiens, adductoque cubiculi ostio, tutissimam veluti in arcem asseruit pudicitiam, altera quidem laurea cohonestatam. Et illam quidem, dum præstolatur, mora, lusique voti verecundia abundè mulctauit; castissimus verò adolescens stratus humi inter pias lacrymas,

Auellini Patria, Parētes, mores.

Rudimenta fidei pueris tradit puer.

Eius puritas tentatur.

Proculis tute la oculo non pepercisset.

Aniano comparatur.

Iterum pudicitię periculū

Iterū luditur

crymas, gratesque maximò Numini persolutas, triumphalem eam noctem transegit. Iam siue eius nimiùm alliceret formæ elegantia, siue in hac illum potissimùm laude excellere voluerit Deus, sępius in hoc genere præliorum strenuè pugnare, ac vincere visus fuit. Neapoli præsertim, quò se studiorum causa contulerat, mirùm quoties eluctari istiusmodi impetus, incestisque sese amplexibus expedire oportuit: vt neminem fortè in Sacrarum historiarum monumentis reperies, quem frequentiùs isthæc bella exercuere, & cui laurearum is cumulus contigit, quas numerat Auellinus. Et fuere quidem adeptis interdum exuuijs lætiores hæ victoriæ, ac fructuosiores. Accidit nanque non semel, vt nobiles fœminæ, & quæ honestissimæ videri vellent, flectere verborum illecebra Iuuenem tentauerint: quarum ille vim planè ineluctabilem non modò egregiè declinauit; verùm etiam acri quadam, insignique sermonis efficacia, posita ob oculos hinc piaculi grauitate, hinc honestatis longè pulcherrimæ imagine, ac pretio, suæ illas menti, ac frugi restituit. Cauit verò huic pudicitiæ eximia deinceps diligentia, studioque Auellinus; neque in ipsa ardentioris æui meridie visus tantummodò eius iacturam pertimescere; sed assiduo quodam metu trepidus, cùm maximè ætas deferbuerat, cùm nulli iam æstus, aut irritamenta voluptatis vrerent; diligenter excubabat, ne quid defecta iam caro, exhaustusque venis sanguis auderent. Ac fertur dixisse ferè nonagenarius, id semper, ac nimio planè opere veritum se, ne languesceret præcipuum hoc mortalitatis decus, & flos virtutum; ac in ea quidem fracta annis, ac macerationibus ætate id etiam formidare; quando delicatiorem hanc virtutem qualibet adflari aura posset, ac nullo non coniectu oculorum, aut attactu labefactari.

Tertiò, ac sæpius Neapoli impetitur, semper victor.

Nō siue quæstu animorū.

Cauitque pudicitiæ vel de uexa iam ætate.

Inter hęc magnæ indolis argumenta emensus Neapoli studiorum spacia, lauream iuris adeptus est Lancellottus, consecrauitque legum peritiam sacerdotio. Inerat porrò Iuueni, nondum ad seueriorum virtutum amussim expolito quædam gloriæ, atque ostentandi ingenij cupido: tùm amplificandæ suæ domus desiderium, honorum, opumque incrementis, illum non mediocriter vrgebat. Ob hanc caussam foro, dissidijs, Caussisque mortalium perorandis, vacare apud animum suum constituit: hac nimirum via, ve lificare famæ suæ, ac diuitiarum commodis posse sibi persuasit. At enim, quem studijs præstantioribus destinauerat Deus, non diù est passus ijs curis immorari; vsusque ipsomet foro est, vt ad meliora reuocaret. Enimverò, cùm amici cuiusdam caussam patrocinandam suscepisset, faueretque æquo ardentiùs clienti, lapsus in mendacium est, leue id quidem, sed quod eius mox animum vehementius pulsauit. Noctu siquidem antequàm cubitum discederet, sacri de more instrumenti librum aperuit, atque in hæc statim Sapientiæ verba incidit; [Os quod mentitur, occidit animam.] Quo veluti Cæli monitu euerberari acriùs conscientiam suam sensit; statimque non modò præcipitem illum ardorem, lapsumque linguæ, verùm forensem curam omnem, ac strepitum damnauit; statuitque commutare studia, ac sanctiorem vitam instituere. Planè domesticum quoddam fori vitium, ac lues est, mentiri; rarique admodùm sunt, quos aut vehementioris facundiæ, aut fauoris æstus à veri fide non abripiat. Neque enim metiri adeò verba quis potest, quin mentiri sæpiùs contingat. Id quod inculcare Auellinus posteà solebat sui exemplo, ac plerosque ab forensi, ac mercenaria ea eloquentia, siue mentiendi necessitate auocauit.

Donatur studiorum laurea.

Forensi eloquentiæ se addicit.

Sed lapsum in patrocinādo mendaciū

Ab eo illum munere reuocat.

Agebat tunc porrò annum septimum supra vigesimum, quem appellare suæ conuersionis annum solitus erat, quoties factum memorabat. Alius nanque, vt munere, atque exercitatione studiorum, ita & moribus iam tum fuit Lancellotus. Neque defuere Christianæ philosophiæ spatia ineunti præclari præceptores, qui ad vnguem expolirent. Ac primò quidem Petro Fuscareno, Viro, vt supra docuimus, scientiarum, virtutumque præsidijs planè eximio, dare operam cœpit; eoque mox elato, Ioannem Marinonium, sanctitatis fama in Neapolitano D. Pauli Cœnobio cum primis celebrem, coluit: quem conscientiæ expiandæ, formandisque moribus adhibuit; voluitque censorem, atque arbitrum sui. Et Marinonius quidem, vt erectam ad frugem virtutis mentem, facilem prætereà, & quantæcumque eruditionis capacem, introspexit; & adamare indolem cœpit, & polliceri sibi ab ijs rudimentis

Et cum officio mores mutat.

Petri Fuscareni clientelæ se committit.

Mox Marinonij.

non

non mediocra; ceu videret in appetentis diei initio adultam iam lucem, ac meridiem sanctitatis. Ergò eò virtutis breui prouectus est Lancellottus, vt formandæ, instaurandæque aliorum disciplinæ idoneum existimauerit Marinonius; egitque cum Rebiba, Neapolitanæ Ecclesiæ Vicario, vt cuidam Virginum Coenobio procurando illum admoueret. Laborabat tùm maximè, siue quadam moderatorum conniuentia, siue senio suo eius loci obseruantia, atque ind gere censore, ac fræno monialium mores videbantur. Quid præstandum sibi, quidue insumi laboris oporteret, & commendatione, monitisque Marinonij intelligebat abundè Auellinus, & ipsemet apud animum suum sedulò agitabatque: statuit strenuam in ea re operam ponere, ac totis viribus niti, vt rediret monasterio sanctitas, famæque existimatio. Et procedere quidem ab ea industria opus videbatur. Verùm, quemadmodum vetustissimum ædificium malè sarcias; siquidem, restituta vix vna labentis molis parte, ruere mox aliam vides: ita profectò senescentis disciplinæ in nonnullis quidem earum Virginum visus vigor iuuenescere; quibusdam verò ita inducti, inueteratique mores placebant, vt nulla reparandæ obseruantiæ sufficerent adhortamenta. Perurgebat nihilominùs præclarum opus Lancellottus: neque verò cum sanctimonialibus, earumque viuendi licentia res illi tantummodò erat; verùm & pugnandum acriùs foris fuit præferoci cum Iuuenis nescio cuius ingenio; qui cùm ex eo censu Virginem ad insaniam deperiret, furere in Auellinum cœpit, conantem insigni quadam sedulitate, animique contentione incestam eam consuetudinem, facemque cohibere. Enimuerò eò amantis, amentisque Iuuenis furor peruenit, vt iam litare amori suo Lancellotti sanguine, ac sanctiore ea victima in animum induxerit suum. Datum sicarijs negotium; qui semel cum pergerent, vt domi confoderent; ecce tibi Lancellottum, non antea ipsis notum, ostendunt. Ipsummet, vbi Lancellotus esset, interrogant; qui quòd truculenta, minacique in eorum fronte facilè legeret necem suam, Modò, inquit, ab eo ostio transiuit, suum nempè domicilium commonstrans. Qua dicti ambiguitate, Athanasium pulchrè imitatus, tenebrionum eò accurrentium, ac vestigantium manus, ferrumque euasit. Id quod Marinonio dum quadam cum animi solicitudine, metuque narrat; erectus, atque extimulatus ab eo est ijs Apostoli verbis: Nondum vsque ad sanguinem restitisti. Iterum in Diui Agrippini Templo iugulus Auellini petitur. At is, cui facinus demandatum, vt illum singulari oris modestia, ac sanctitate procumbentem humi, orantemque prospexit; fractus illicò, strictum, vibrantemque penè ensem condidit, re infecta; ratus haud minimè posse, aut certè grandius homine facinus esse; maius, ac sanctius homine caput peti. Vt vile iam Romani Oratoris exemplum sit: quando ille iuratos in necem gladios cohibere eloquentia, cuius potissima vis est, potuit. Lancellottus conspectus tantummodò compescuit. Nec sistit ebullientis nimiùm Iuuenis ira, & amor. Tertius ferocior quidem conficiendæ rei operam locat, qui dum maturare impetu consilium cupit, virum innocentissimum sauciat quidem; sed qui est festinati plerumque operis successus, libato modicè, ac leniter vultu. Quo sanè & Lancellottus, ceu stimulo quodam actus, incumbere ardentiùs in eam curam visus est, & incitatissimus Iuuenis tertiùm lusus, immane quantùm irarum, furorisque concepit. Par scelestissimorū hominum delegit: & vt quàm primùm, aut trucident, aut insigni dehonestamento eius vultus fœdent, iubet; addiditque luculentioris spe pretij facem. Conspirauit porrò ipsemet in suam iniuriam Lancellottus. Nam cum dato modico eo sanguine, patiendi pro Deo sitis vehementiùs æstuasset; rogauerat ipse Numen, vt altis vulneribus vberiùs venæ fluerent: id demùm gratissimum fore sibi, si exacti pro tuenda Cœnobij sanctitate laboris merces, ac pretium sanguis foret. Concepto eo voto vix egressus domo est, cùm impetrasse intellexit. Adfuit nanque statim geminus lanista; eductoque gladio, gemina impressit vulnera: quorum alterum quidem altius, ac fœdius honestissima eius ora dehonestauit; Confugere ad Diui Pauli in sinum Marinonij voluit, voti sui compos Lancellottus; quem ille manantem sanguine mirum qua commiseratione excepit: gratulatusque Viri fortitudinem, animique constantiam, sanari interim vulnera diligentissimè curauit. Et verò, quæ medicorum ars fuit, siue Numinis prouidentia; luculentæ

Quo magistro plurimū proficit.

Tum regēdis monialibus præficitur.

Defœdatque impigrè in disciplina morum inducenda.

Atque incōpescenda Iuuenis petulantia.

Qui dè Auellino ferunt flatur.

Lusitque semel periculū dicti ambiguitas;

Iterum oris dignitas ac modestia.

Tertiò Leuiter sancitur.

Tandem exorato ipso Numine, vt sanguinem vberiùs funderet.

Excepto graui vulnere fit voti compos.

Excipitur, curaturque in Paulina Domo.

adeò plagę visæ ita coiuisse, vt nulla postmodùm cicatrix dignitatem, honestatemque oris deturparit; ceu vulneris meritum quidem conferre Deus voluerit, expunxerit verò contumeliam; ne in procuranda animorum salute fraudi deinde forent Auellino in parte ea principe relicta iniuriæ vestigia. Quæ verò acciderit inde cùm truculentissimo Iuueni calamitas, tùm Sicarijs, tùm ipsi moniali, non est, cur litteris consignemus. Compertum omninò est, abundè mulctatos, Deo vindice.

Sensere Deum vindicem facinorosi.

Auellino verò largior inde diuinorum affusio: ac ceu per ea spiramenta vulnerum puriorem diem admitteret animus; cognoscere mortalium, æternorumque pretium, eorumque inter sese discrimen clariùs cæpit: sensitque tùm maximè illabi in animum acre quoddam desiderium, Deo se per solennia Religionis vota mancipandi. Hac nimirùm arte asserere in sua castra Lancellottum voluit diuinum Numen.

Religiosi instituti mentem concipit Auellinus.

Fœdè sauciari permisit, vt obuia quæque mundi pericula, rerumque humanarum aspera contemplari diligentiùs, ac propiùs contingeret: tùm vt ad Nostrates confugeret, fecit, curandisque vulneribus, diutiùs Paulino in Domicilio moraretur: vt scilicet obiecta eius disciplinæ ratione, ac Patrum studijs, ab sanctiore eo morum cultu, ab egregia inter ipsos consuetudine, & caritate, ab insigni opum contemptu, ab exacta in fundendis diuturnis, nocturnisque precibus religione, ab incitatissimo animorum zelo excitaretur ipse vehementiùs ad id instituti capessendum. Ergò Marinonio, qui Domum tum procurabat, & cuius ipse præcipuè exempla probitatis admiratus in eo contubernio fuerat, haustam Cælo mentem aperit, ac precibus quæsitissimis admitti in Sodalitatem petit: nec difficilem planè aditum apud illum reperit, qui tantum iam cœperat flagrantissimi spiritus, magnæque virtutis experimentum.

Et admitti postulat.

Et impetrat.

Exceptusque reliquorum Patrum plausu, qui præclaram indolem nouerant, die, vt diximus, quarta decima Augusti mensis, in eius nempè diei peruigilio, quo exceptam Cælo magnam Numinis Matrem, piè gratulamur, Lancellottus, mutato, vt moris est, nomine, in Andream euasit; statimque quam de se spem pulcherrimam excitauerat, abundè cumulauit.

Vocaturque Andreas.

Ad Magistri sese potissimùm nutum componere, humilitatis strenuè viam terere, nihil officij laboriosioris detrectare, asperiora subire adamare, vorare omnia. At enim, quòd expoliri quidem, excitarique magis, ac magis æmula virtute virtus solet; aggregato mox ad Religionem Paulo Aretio, Viro laudatissimo, nimiùm quantùm eo morum incitamento Andreas incaluit.

Rudimenta magnę virtutis ponit.

Accenditque magis Aretij æmulatio.

De Aretio verò, cùm plura in hoc historiarum cursu dicenda sint, nunc quæ ante initum Religionis consilium gessit, non quidem fusè, sed libanda pressiùs; quandò non desit ex Nostris, qui vitam, resque ab eo præclarè gestas integra, iustaque historia, propè diem euulganda, accuratè exceperit. Excerpta nimirùm ab actis, quæ comprobandæ eius sanctitati cùm Placentiæ, tùm Neapoli, ac Itrij, atque alibi locorum Apostolica authoritate confecta sunt.

Igitur, qui familiarum persæpè est casus, vt integræ è suis sedibus conuellantur, alióque immigrent, è Gallia in Italiam concessit Gens Aretia, hæsitque in plerisque eius Vrbibus, in quibus à Buro, Galliæ Vrbe, à qua digressa, Buralis vulgò dicta, Præcipua illi sedes Aretij in Tuscia, vndè Neapolim, Ladislao Rege, Burales venere, qui mutato item cognomento ab Tusca ea Vrbe, audiuere mox Aretij. Verùm Ladislao, cuius addicti Aulæ erant, Caietæ vt plurimùm commorante, facilè fuit Itrij, quod proximè Caietanum oppidum est, captos loci amœnitate, Aretios sedem figere.

Pauli Aretij genus.

Atque Itrij natus is, de quo loquimur, Paulus Aretius, anno vndecimo supra sesquimillesimum, Scipio primùm appellatus.

Patria.

Pater illi Paulus de Aretio, qui strenuè primùm sub Rege Catholico, ac Prospero Columna militauit; tùm elata vxore, inter Clericos adscriptus, militiam commutauit; admotusque Clementis Pontificis Septimi Aulę, eius à secreto cubiculo fuit, à quo etiam in Galliam ad Franciscum Primum, & ad Carolum Cæsarem allegatus, mirificam in rebus agendis vim ingenij ac solertiam maximis ijs Principibus, Orbique probauit.

Parentes.

Mater Victoria Oliueres fuit, è præcipua Barcinonensi nobilitate, quam singulari pietate, ac lectissimis moribus cumulauit. Intercepta immaturo quidem fato spectatissima fœmina; sed & vixisse diù, & satis superque operata dici potuit, quæ tantæ virtutis, ac nominis Virum Orbi dedit. Educatus liberaliter, ac piè Scipio, eiusque statim,

quæ

quæ togatum Virum, Religiosique mox instituti professorem, ac postea Infulatum, Purpuratumque honestauit, virtutis specimen dedit. Præcipua quædam animo, vultuque inerat modestia, & pudor. Commiseratio in pauperes supra id ætatis erat; vt & foueret ipse, & adhortaretur sæpiùs Patrem, vt adesset munificè inopiæ. Adolescenti, quod rarò accidit, rari domo egressus. Quædam nanque ad cor solitudo erat: obseruatumque à plerisque tunc fuit, dum domi Scipio moraretur, quæ ad viam erant fenestræ, nunquam patuisse. Indicium planè recollectæ, nec sparsæ ad externa mentis. Id quod in ebulliente, quæ stare loco nescit, ætate oppidò admirandum.

Pudor.

In pauperes pietas.

Solitudo.

Proludebat hac morum indole futuræ dignitati, ac sanctimoniæ Scipio, quas etiam in eo adolescentiæ flore prænunciatas insigni quodam vaticinio voluit Numen. Fortè in Patris villam, quæ propè aberat, vnà cum germano fratre ibat; sequebatur ponè famulus. Cùm ecce tibi Vir graui quadam, elegantique oris specie, habitu, ac genre exterus, qui facto propiùs gradu, famulum interrogat, quinam adolescentuli illi essent: auditoque genere, ac nomine: Est, inquit, ille, Scipionem indigitans, insigniter probus, amplissimas olim Infulas induet, eritque profectò maximarum virtutum laude Cælo, ac terris percelebris. Quæ vbi pronunciauit, breuì dilapsus, nusquam, nec ampliùs visus; neque sciri omninò potuit, quis fuerit. Persuasum habuere, aut prophetici spiritus virum, aut certè lapsum è Cælo Angelum fuisse, qui florescentis iam indolis felicem autumnitatem prænunciaret. Ingenium Scipioni par moribus fuit; ac post humaniores litteras, quas intra adolescentiam egregiè hausit, Salerni, quæ tunc Vrbs suorum Principum Sanseuerinatum munificentia litterarum Academijs apprimè celebrabatur, iuris prudentiæ tyrocinium posuit; cuius postea studia, Bononiam amandatus, in publico illo Italiæ, omniumque ingeniorum Athenæo absoluit: adeptusque inibi inter hominum longè eruditissimorum plausus eius scientiæ lauream, Neapolim redijt; cœpitque ijs litterarum præsidijs forum Neapolitanum terere, strenuumque ingenium, ac operam aliorum patrocinio commodare. Huic nimirùm sese studio mancipare statuit, quod quidem probitatis interdum esse scopulus solet: quando ea plerumque patronorum intentio, ac scopus, vt minùs clientum, plurimùm commodo suo studeant; ac videantur aliorum fortunas ideò tueri, vt vorent, commutato in Charybdim præsidio. Scipioni, institutum officium summa cum fidei, atque innocentiæ laude administrare primum fuit; ac ne præclara ab hac mente aberraret, prælucere pietatem voluit; suique statim monitorem, ac rectorem legit, qui conscientiam procuraret, rerumque diuinarum studio planè nobiliore erudiret. Is fuit cuius persæpè morum innocentiam meminimus, Ioannes Marinonius, qui cum sanctitatis opinione miram quandam in animorum tractatione solertiam coniungebat; atque in ijs potissimùm instruendis valebat, quos purioris vitæ ardor, studiumque corripuerat. Eximij huiusce moderatoris præceptionibus, vitæ rationes vsque adeò composuit Aretius, vt eripere mentis tranquillitatem ille fori æstus nunquam potuerit: virtutum siquidem exercitationi perindè operam nauabat, ac si nulla vrgeret clientum turba, ac solicitudo. Pupillorum, desertorumque quorumcumque hominum tutelam sibi proposuerat. Excipere illos quàm humanissimè videbatur, atque audire pronis auribus, tum obligare fidem, eruditionem, facundiam; præstabatque abundè re, quod verbis non admodùm magnificis pollicebatur. In aliorum verò causis suscipiendis id in more habuit, vt litem ad exacti cuiusdam iudicij lancem maturè prius expenderet; tum aut statim admitteret patrocinandam, si quam tueri posse, recta quadam vi mentis intelligebat; aut statim dimitteret, si nullo momento rationis, verique niteretur. Quo quidem certissimi iudicij examine, candoreque animi, breuì Veritatis Doctor audiuit; rara quidem inter subsellia appellatione: contigitque persæpè, vt qui componi inter sese aduersarij cuperent, antequàm in arenam tanta cum fortunarum iactura descenderent, hi Aretium appellarent; eaque erat communis illorum vox, Penes veritatis Doctorem iudicium hoc esto. In tanta verò judicij integritate, vigiliarumque

Adolescentis virtutes, ac Infulæ prænunciantur.

Ingenium, ac studia.

Bononiæ laurea honestatus.

Neapolitano in foro operã ponit.

Cum laude pietatis.

Duce Marinonio in virtutum cursu vtitur.

Pupillorũ, ac miserabiliũ tutela.

Quæ illi in suscipiendo patrocinio ratio.

Veritatis Doctor appellatur.

contentione tantùm abest, vt auarè statueret eruditioni, laborique suo pretium; vt religioni haberet Vir optimus id auri, aut muneris accipere, quod non probè intelligeret, suo iam studio promeruisse. Laudare hic testem libet Andream Auellinum, qui vt animo cum Aretio coniunctissimus, pleraque eius facta nouerat; transmisitque in posterorum memoriam, breui quidem Commentario, qui penes nos est. Scribit is porrò, Marium quendam è Marsico Vetere narrasse sibi, Scipionem Aretium patrocinatum olim suæ causæ, ac sub eius quidem initium pecuniarum summam nescio quam, nec quidem ingentem se ei elargitum; cùmque eius subindè studio, ac eloquentia causa strenuè propugnaretur, fauerentque illi Iudices; ali patrocinium, excitarique nouo præmio æquum duxisse: recusasse verò Scipionem, aurumque detrectasse; professum nempè, tantum adhuc industriæ, laborisque minimè insumpsisse, vt repræsentari largior merces deberet. Non hæc causidicis hodièque mensura, ac modus: quos enimuerò meminisse oporteret, Astræam libram potissimùm gestare manu, vt qui iura tuentur, perorantque lites doctrinarum, atque eloquentiæ præsidijs, appendere velint sua studia, ne propendere pretium contingat.

Eius studiorũ pretium labori par.

Exemplum ab Auellini cõmentario.

Rabdulis monitum.

Atque hæc virtutis, ac supra omnes opes, quæstumque moderationis documenta, conciliare Aretio famam potuere, dignusque haberi cœpit, cuius prudentia, ac probitas forensibus negotijs præessent, ac publica Ciuitatis commoda administrarent. Sed non hæc illi sine modestiæ laude contigere. Nouerat Vir egregius virtuti, animique tranquillitati quàm maximè aduersarios honores esse, plenamque aleæ togam, ac Neapolitana subsellia. Quamobrem ne in ea sese aliquando pericula, ac pretiosas compedes indueret; collato cum Ioanne Marinonio, cuius nutu sua omnia temperabat, factaque ab eo facultate, amicis quidem, & consanguineis inconsultis, receptui ex inopinato cecinit; relictoque foro, ac Neapoli, Itrium se recepit. Vbi vendicasse in libertatem se intimè gratulatus, in rerum cælestium commentatione, sacrorumque vsu, ac omnigenæ pietatis officijs totus erat. Abscessum ægrè in primis tulit Ioannes Franciscus Villanus, ex Laura Oliueres Scipionis consobrinus, Vir grauissimus, atque è supremo, vt aiunt, Collaterali Concilio. Qui tamen, quòd è communi re fore existimabat, insignem Aretij integritatem iudicia, forumque temperare; quam Petrus Toletanus, qui Neapolitanum tunc Regnum procurabat, de illo honestando mentem conceperat, vrgere magnopere instituit: brenique confecta in Cæsaris Aula res est, adoptatusque Scipio est inter Consiliarios, quos Sanctæ Claræ Neapoli vocant. Et agitari rem, & mox peractam rescivit statim ille; suspensæ siquidem aures, vbi mali aliquid formidatur; ac reuocari iterum ad fori strepitum, vehementer doluit: quique obluctari vi minimè poterat, secretiore vti recessu, ac fuga statuit; vt dum non inueniretur, respuere omninò se, deprecarique rogæ honestamentum, Prorex, ac Villanus intelligerent: mutarentque proindè consilium, aut certè languesceret mora vtriusque impetus, quoad eius tandem constantiæ cederent. Ergò re cum nemine mortalium communicata, digressus Irrio sepositam in Villam clàm recessit; mutatoque habitu tolerare vitam in ea soli, cælique amœnitate, ac recessu iucundissimam cœpit: nisi quòd pulsaret interdum metus, ne agnitus proderetur. Hæc licet resciuerit Toletanus, non modò ab eo non est consilio retardatus, verùm acriùs visus inflammari; gnarus, nonnisi cum laude munus capessere, atque administrare, qui inuiti ad subsellia raperentur: eos verò honoribus impares, qui ambitiosiùs peterent, prensarentque. Quocirca, vt quàm diligentissimè conquireretur, iussit; litterisque primùm efficacioribus agere instituit. Verum cùm satis lateret Scipio, nusquam repertus: indignatusque ludificari se Viri modestia, ac fuga Toletanus; id demum consilij cepit. Cataphractorum equitum turmam, suæ addictam custodiæ, concedete Itrium iubet: circumirent, scrutarentur studiosiùs loca; nec sisterent, donec inuentum Aretium, Neapolim perducerent. Inuolat extemplò quò imperatum est equitum Ala, cumque eo, quo solent milites impetu, turbarent Itrij, miscerentque omnia; ciues extemporanea ea clade, damnoque inter-

Forum abdicat Aretius.

Recessum ægrè tulit Villanus Regẽs.

Dat operam, vt inter Consiliarios cooptaretur.

Honorem secretiore loco ludit Aretius.

Frustrà quæsitus.

Tandem immissa equitũ Ala.

intercepti, vt citiùs molestia defungerentur, peruestigare ipsi pagos, villasque omnes accuratissimè cœpere, donec compertum tot exploratorum diligentia, quo ille moraretur, loco. Circumuentum confestim se ingenti satellitio vidit Scipio, cùm maximè gratissimo in eius solitudinis silentio recitandis psalmis vacaret. Principis iussa aperiunt, quæ neque liberum ipsi, neque fas erat detrectare: quarè etsi intimè perculit nuncius, quòd interpellari propositum sibi viuendi institutum, ac deuolui in abdicatum iam forum cerneret; attamen obsequendum sibi duxit, flexoque ad eximiam quandam constantiæ speciem vultu, Neapolim stipatus ea equitum turma venit, statimque Toletano sistitur; qui grauiter Scipionem allocutus: Te, inquit, Cæsar hoc in Regno Neapolitano à suis Consilijs esse iubet. Scio ego, te aliam mentem concepisse, ab rerum publicarum conscientia, vsque abhorrentem; at persuadeas tibi peruelim, id quidem diuinitùs imperari, ac non modò Cæsaris, aut communis rei interesse, capessere te delatum vltrò publicum munus; verùm etiam cum huiusce Vrbis, ac populorum commodo coniunctum Numinis obsequium esse. Igitur, vt religio planè est, subducere integritatem, atque eruditionem tuam oneri velle; ita subire præclarum: nec dubito, quin Principi imperanti statim adnuas, officijque possessionem statim ineas. Humanissimis ab his Proregis adhortamentis, eiusque obfirmato constanter animo, præclusum excusationi aditum intellexit Vir prudentissimus: cumque tot iam argumentis non obscurè cognosceret, id etiam Cælum velle; dedit manus; conceptisque priùs precibus, ac Deo sacris propitiato, auspice Marinonio, quocum rem omnem communicauit; immissus in grauissimi eius muneris possessionem est; cunctis planè præclaram eam virtutem, ac sublimiorem humanis rebus mentem effusè deprædicantibus; quòd tanta honores constantia ipse detrectaret, quanta alij ambitionis contentione sectarentur.

Deo vacatem in solitudine reperiunt.

Toletano Proregi sistitur.

Coactusque Prouinciam subire.

Iam qui fuerit in ea iudiciorum administratione Aretius, non est cur stylus prosequatur. Compertum nanque est, incorruptissimi iuxta, ac sapientissimi tum primum ideam iudicis, ad emendationem fori, eiusque togati Ordinis imitamentum fuisse propositam. Ius dicere mortalibus rem esse omninò lubricam, ac arduam, secum ipse reputabat: facillimè virorum principum fauore inclinari lancem: studia, affectusque animi venire sæpissimè in suffragia: inumbrari tenuissimis frequenter nebulis mentem: mendacia quodam fuco valere, ac decipere: suscepta ardentissimè patrocinia, ac vim facundiæ, commiserationemque arietare semper iudicum animos; vt nisi æs triplex communiat pectus, rarò duret constantia, ac robur. Monere se officij, exquisitæque cuiusdam diligentiæ hisce cogitationibus conabatur. Excubare potissimùm timorem quendam iussit, quo moderatore, studia, suffragia, dicta, nutus temperabat ad æqui, iustique normam. Ad hæc nullum ferre iudicium videbatur, inconsulto Numine; aut quem Numinis loco habebat, Rectore conscientiæ, Ioanne Marinonio: cuius consultatione explorare animi sui sensa, ac tranquillare monitis à curarum æstu pectus, solitus erat. Quæ agitabantur causæ, acri ipsemet studio recognoscebat, in libris peruolutandis assiduus: neque eius propterea aures negotijs expediendis desiderabantur: nunquàm enim, aut quàm rarissimè intra velum; cunctis obuius, ac publici iuris erat: inopes præsertim, ac viduas mirùm qua facilitate excipere, atque incumbere in eorum negotia, videbatur; fouebatque insuper stipe: tantum abest, vt aliorum ipse munera adsectaret, acciperetque. Sine manibus Iudicum simulacra efficta olim * Thebis fuere, quòd nec largitiones capere, neque ijs capi deberent. Aretius, cui nullæ quidem manus, vt acciperet; illas nihilominus supra iudicum indolem habere videbatur, vt elargiretur. Cuius rei, vt Viri planè integerrimi, atque insigniter pij probitatem, pietatem, munificentiam comprobemus; tria hoc in loco exempla consignabimus, quæ incorrupta sanè fide, ac iuratis testibus constant.

Eius in munere administrãdo ratio.

a Alciat. Emblem. 144. Auaritia Iudicibus vitãda. Aretio liberalitas inerat. Cuius exempla narrãtur.

Primum Andreas Auellinus in ea, quam modo laudauimus de Pauli Aretij vita, narratione, sic describit. Quo tempore Consiliarium Neapoli ageret, quam nobilis fœmina, at vidua, inopsque, litem de domo vindicanda intentauerat, deman-

data illi fuit. Ius quidem penes viduam erat; verùm causam, qui tuebantur, non vrgebant. Monuit eos Aretius, rogauitque, viduam meminissent. At illi, se quidem, suamque in promptu operam esse; deesse verò, qui deponi ritè deberent, bis centum aureos. Excludi domo pecuniarum defectu nobilem fœminam, permolestè Aretius tulit; tùm patronos iterum admonuit; causæ quidem insisterent: cæterùm depositum curæ Deo futurum. Igitur perorata mox controuersia est, atque adiudicata viduæ lis: valuitque apud omnes opinio, nummos Aretium clam deposuisse: ceu parum fuisset, curare omni ope iustitiam, eiusque cursum festinare; nisi collato etiam ære Viduæ domum redemisset.

Iterùm, sententiam in Viduam pronunciat soluto litispretio

Alterum egregium siue pietatis, siue iustitiæ documentum accipe ex Troiano Capycio Bozzuto, ex Oratorij Presbyteris Episcopo Capreensi, Viro quà stirpe generis, quà comperta probitate spectatissimo; qui in eius Canonizationis Actis hęc, concepto priùs sacramento, testatus sincerè est. Vidua, cuius paupertatem pleręque nubiles filiæ adaugebant, litem apud Aretium agitabat. Adire domum, ac pulsare frequenter precibus, fletuque eius animum videbatur, quem exulcerauerat iam commiseratio; eò vel maximè quòd cùm non staret pro Vidua ratio, in illam pronunciare sententiam cogeretur: metuebatque proinde filiarum pudicitiæ, cuius deciduus plerumque flos est, vbi formæ comes fuerit egestas. Tueri simul iustitiam, & viduæ paupertati, suarumque Virginum discrimini consulere, impossibile profectò videri poterat; nec vllus rem vnquam expediuerit, cui magnanima quædam pietatis indoles pectus non adflauerit. Ergò vocari Viduam iubet Aretius; tùm illi de suo tantum pecuniarum clam est elargitus, quanti æstimari causa poterat; quæ sanè auri vis non adeò modica erat, quin bis, aut ter centùm aureos, vel eò ampliùs excederet. Nec mora: vt qua die pietati tam magnificè litauerat, iustitiam coluisse videretur, caneretque cum Regio Vate: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine: ea ipsa luce sententiam in viduam dixit. Quo sanè nescio, an quid illustrius suis vnquam in fastis adnotauerit caritas. Additque insuper laudatus ipsemet testis, Viduam, vt iudicem flecteret, elegantioris formæ virginem illi obtulisse; quo quidem acriùs confossus Aretius, dicitur, non modò, quod narrauimus, aurum Matri persoluisse; verùm illi etiam Virgini Numini dedicandæ insignem munificentiam impendisse. Atque hæc ipsa, quæ testata Bozzutus in actis voluit, ceu supra vulgaris notæ probitatem, dum publicè Neapoli ad concionem diceret, deprædicauit; nullo quidem dictionis fuco, sed ingenti populorum admiratione, ac fructu.

Tertium eiusmodi munificentiæ arg.

Postremò quod ex Actis Placentiæ conflatis hausimus, libandum breuiùs, quòd penè simile. Pronunciaturus erat Aretius in hominem liberis, quà maribus, quà fœminis onustum, sententiam; quem monuerat perhumaniter sæpiùs, cederet lite, ne & actori, quem iustitia tuebatur, & sibi, fortunisque suis fraudi foret. Quæ cùm frustra essent; cecidit ille non modò causa; verùm, æstimata lite, supremam sibi egestatem creauit. Medicinam facturum, qui vulnus fecerat, constanter sibi persuasit Pater; ac protinùs liberis, hoc est, longo miseriarum suarum agmine circumseptus, ad Aretium conuolauit. Qui hominem subasperè primùm arguit, quòd monitus, consulere maturè malo debuerat; neque ita abripi disceptandi libidine, vt rem familiarem affligeret, exhauriretque. Se quidem suæ fortunæ artificem fuisse; ac proindè secum ipse conquereretur, posceretque à se dilapsi patrimonij pœnam. Tùm familiam vnicè commiseratus, eius egestati, pudorique singulari beneficentia consuluit. Nam maturas iam Viro filias, collara singulis dote, honestè collocandas curauit; docuitque prænobili exemplo, nullibi lucere pulchriùs aurum, quàm in sinu seruatæ pudicitiæ.

Integritatis suæ fama.

Hisce rerum gestarum documentis incorrupti, constantisque animi famam sibi conciliauerat Aretius; vt grauissima quæque negotia, quæ administrari, nisi eximia quadam integritate non poterant, eius maximè fidei committerentur: cuiusmodi planè fuit Salernitanum. Amplissimus is nanque Principatus cùm addicendus fisco esset defectu liberorum; addubitari vehementer cœpit, ne

vterum

vterum ea Princeps simularet, vt tralatitio subindè partu staret adhuc magna Domus; Regnum commodum, nec planè exiguum agebatur; quarè vt eiusmodi puerperio interesset, allegandus Vir integerrimus fuit: lectusque à Petro Toletano Aretius, quem vtpotè nullis largitionibus, aut opibus venalem animam gestabat, certò sibi persuasit, aduersus Pyrrhi aurum Neapolitanum Fabritium futurum. Id verò muneris vt obiuerit, consecutæ deindè constantiæ, inuictique pectoris laudes testatæ abundè sunt. Salernum exploràdo Principis puerperio mittitur.

Iam verò, qui mos est Neapolitana in Curia, vt inter capitalium causarum iudices duo semper è Consiliarijs Principis nutu, ac per vices adnumerentur; contigit Scipioni id officij capessere; administrauitque ea quidem æquitate, vt nulli omninò liceret, ipso Quæsitore, ac vindice impunè malum esse. Quanuis enim summa illi pietas, pronusque commiserationi genius; exemplo nihilominus magnorum, ac sanctissimorum hominum, vt publicæ rei, ac tranquillitati benè esset, vindicare acriùs crimina, ac nulli scelerum conniuere sibi proposuerat. Planè vt stare cum peccantium felicitate sospitatem ciuium minùs posse; ita litari communi commodo, pacique, quoties in facinorosorum capita detonaret iustitiæ fulmen, pro comperto habebat. Quarè si quod constare scelus nouerat, (dabat verò operam quàm accuratissimam, vt proderent in lucem crimina;) non fauor, non quæsitum acri facundia præsidium, non intempestiua quædam clementia mulcere infractum pectus poterant; quin authorem è medio tolleret, expiaretque ab eo crimine, ac lue Vrbem. Hoc autem munus, quod tanta cum scelestorum clade, reique publicæ bono administrauit, absoluere insigni etiam exemplo voluit. Enimuerò ab ea, qua tenentur Iudices lege, vt subire exacto magistratu publicam censuram debeant; cùm immunes sint Consiliarij, ceu maioris subsellij Patres; ipse nihilominùs exponere sese ritè aliorum iudicio, atque obiectionibus non dubitauit: quod quidem admirationi summæ fuit. Verùm cùm nullus non eius prudentiam; ac præferuidum in vindicanda iustitia zelum non extulisset; adaucta inde est eius probitatis existimatio. Causis capitalibus præest. Incredibili æquitate. Publicæque subijcitur censuræ, exacto munere.

Hoc porrò munere defunctus, subire aliam, eamque grauissimam prouinciam iussus Aretius est. Enatæ siquidem inter Pontificios, Regiosque Administros magni momenti de iurisdictione controuersiæ, cùm sapientissimum, compertæque eruditionis, ac fidei Virum poscerent, qui eum Pontifice, Sacroque Cardinalium Collegio coram ageret; lectus Aretius communi Regiorum consensu fuit, adnuente in primis Bernardino Mendoza, qui digresso, elatoque mox Petro Toletano, Regni Neapolitani vices moderabatur. Legationis exitus fuere diremptæ mox lites, quæ quidem componi sine eximia quadam in agendo dexteritate, ac solertia non poterant: præsertim cùm de Ecclesiastica potestate ageretur, cuius acerrimus assertor, ac vindex erat is, qui Orbi Christiano tùm præerat, Paulus Quartus; cùm cæteris virtutibus, tùm hac in primis Romanæ maiestatis, ac iuris tutela supra omnes retrò Pontifices Maximos laudatissimus, vt sæpè monuimus. Tanti autem Pontificis vsque adeò virtutis indole gratiam sibi, amoremque conciliauit; vt cùm reuerti maturiùs Neapolim iuberetur, vrgerentque Mendozæ litteræ, missionem tam citò non impetrauerit: quòd captus eius eruditione, morumque innocentia Pontifex, ægrè auelli honestissimum caput fineret; cogitauitque seriò de illo in Romana Aula retinendo; atque explorare eius etiam animum placuit, an inter Romanæ Rotæ, quos vocant, Auditores adnumeratus, in Vrbe consisteret? Cuius quidem propensioris in ipsum voluntatis, ac beneuolentiæ quæsitissimas habuit Pontifici gratias Aretius; cæterùm sibi Regium iam magistratum procuranti, haud integrum esse, respondit, ad eas Infulas immigrare; præsertim cum qui allegauerant, tum maximè monerent, vt suam in stationem rediret. Romanam hanc porrò legationem non sine animi sui fructu esse voluit, Vir supra suam togam probus, religiosique moris tenax. Quippè cum adflare sanctitatem non modò magnæ Vrbis templa, ac Diuorum monumenta, verùm & aerem ipsum cerneret, & fora, & saxa; mirùm qua religione obire illud mundi sacrarium, sanctisque ijs locis prouolui cernebatur. Vsus verò eo tempore, quo morari Romæ contigit, Nostratum potissimùm consuetudine: qui quem percarum Neapolitanis Patribus nouerant, complexi intimè; mirari Romam allegatus, vt Neapolitanas controuersias cũ Pontificijs componeret. Pauli IV. gratiã promeretur. Qui detinere illum studet inter Romanæ Rotæ subsellia. Pietati Romæ vacat. Nostratibus familiaris.

rari etiam, & agnoſcere in illo hauſtam à Marinonij fonte virtutem cœpere. Et ipſe quidem Quirinalis eius Domus, qua potiti tum primùm erant Patres, diſciplina, ac moribus inflammari vehementer quod geſtabat animo, fouebatque ſecretò ſuſcipiendi noſtri Inſtituti votum ſenſit; eoque exemplo Patrum, ac propiore vſu ſuam indolem regulari cuidam vitæ, ac receſſui, quàm aulicis, ac forenſibus negotijs aptiorem exiſtimabat.

Cſpano bello iuſtitiæ in caſtris adminiſtrandæ deſignatur.

Interim, re egregiè confecta reuerſus Neapolim eſt: ac non poſt multò conflata, ceu nimbo quodam, multiplici ſimultatum cauſa inter Pontificem, & Regem Hiſpaniarum, quæ diù tonuerant vtrinque minæ, tandem in apertum bellum erupere, vt fusè in loco enarrauimus. Moderando bello, Regnoque miſſus Ferdinandus Toletanus, Dux Albæ: qui adornata expeditione, cum virum conſultiſſimum, atque eximiè probum, qui militari in foro ius diceret, deſignari oporteret; Scipionem Aretium deſtinauit. Perculit Caſtrenſe hoc munus Virum, cui Templa, ac religioſi mores, quos iam meditabatur, cordi erant. Quarè quo loco perhonorificam Principis de ſe exiſtimationem, delatamque prouinciam haberet, magnificè primùm oſtendit: habuitque prolixè gratias; tùm omni ope, conatuque deprecatus honorem eſt; cauſatus non ea vti valetudine, quæ caſtris par eſſet: valuitque apud Albanum excuſatio; vt retulerit Numini gratias, tùm quòd ſummam illam poteſtatem, ac faſces effugerit; tùm quòd militares eæ curæ, ac ſtrepitus non illam penitùs animi tranquillitatem abſtulerint, qua frui inter mundi, forique tempeſtates precariò, ac per interualla videbatur.

Detrectat munus, quietis percupidus.

Et verò id Aretij pectus potiſſimùm, acriùſque confodiebat, interturbari frequenter mentis quietem; neque ex animi ſententia operari impenſiùs diuinis rebus, ac vacare ſibi poſſe. Conquerebatur ſecum ipſe ſæpiùs, ceu non eam rationem maturè iniret, qua ſuo bono conſuleret. Hoc item cum Ioanne Marinonio quàm ſæpiſſimè communicabat; dolebatque vitam ſibi inter forenſes occupationes ſine fructu, & compendio fluere: non togæ, non aliorum controuerſijs dirimendis natum ſe: religioſi inſtituti rationes placere, atque ad eas capeſſendas ſtimulis quotidiè acrioribus, inſtinctuque quodam Numinis propelli. Mirari Marinonius præclaros Viri impetus: monebatque interim rem quidem ex ſe perarduam eſſe, Religioni nomen dare: hominem verò publicis curis implicitum, atque id potiſſimùm ætatis, cum minui naturæ opes, vireſque incipiunt, ſtrictiori ſe diſciplinæ deuouere, ac ſubire Chriſti iugum, planè difficillimum. Vacaret nihilominùs precibus, remque cum Deo tranſigeret: nempè ſi ab eo arderent igniculi, ſciret, dubio procul in ingentem mox flammam erupturos. Id quod illi planè contigit. Siquidem non ità multò poſt non modò non conſopiri is ardor viſus; verùm ſordere omninò mortalia cœpere, incitarique vehementiſſimè votum; vt iam ferre deſiderium, ac impetum minimè poſſet. Quapropter Rectorem animæ Marinonium ſtatim conuenit, docuitque, decreuiſſe ſe tandem, quod diù agitauerat; remittere ſcilicet humanis rebus nuncium, ac Theatinam inire diſciplinam: nec dubitare ſe, à Deo mentem illam iniectam, quam ieiunijs, ac orationibus aſſiduò explorauerat: publica quidem negotia non ea eſſe, quin ijs defungi ſtatim poſſet: ætati ſuas adhuc vires conſtare; geſtare verò robuſtiorem annis animum, ac ſcire ſe præterea, obeundis religionis officijs nunquam deeſſe adflatum ſupernè vigorem. Tùm aliorum exempla animos erigere; noſtrorum præſertim Conditorum, quorum præcipui grandiores natu, abiectiſque Inſulis, aſperas eas viuendi rationes ſubiuere. Rogare proindè, vt admitteretur, dignareturque à tanto rerum æſtu aſſeri in ſinum optatiſſimæ tranquillitatis. Quod autem magis mirere; ea tunc fuit in tanto Viro humilitas, vt non quidem inter Clericos, ſed inter Laici Ordinis fratres adſcribi enixè efflagitauerit, vt nullo deinceps pulſari honorum guſtu, aut exiſtimationis, famæque ſtimulis poſſet; ſed addictum vilioribus domus miniſterijs, curiſque infimis, ſua ipſum modeſtia tutaretur. Admirationi, voluptatique planè fuit egregius is ardor animi tanta cum ſui deſpectione Patribus, præcipuè Marinonio, qui Præpoſitum tunc agebat; vt iniuſſæ manarent omnibus lacrymæ. Ergò adoptandam Ordini inſignem virtutem decreuere, ac data illi componendæ domeſticæ rei mora: quæ dum is exequitur, aduertit, ari alieno,

Capeſſendi Ordinis conſilium cum Marinonio communicat.

Iubetur id cũ Deo tranſigere.

Et inflammatur poſt preces acriùs.

Vt adſcribi in Sodalitatẽ poſtulauerit,

Et inter Laicos.

Admirãdum Virum ſtatuunt Patres.

alieno, quod tum iuuandis pauperibus, tum suis vsibus conflauerat, persoluendo non esse. Quarè aperto Albano Proregi capessendæ propè diem Religionis consilio, orataque facultate, id insuper precatus est, vt quò dissoluere nomina sua posset, pendi sibi nondum exacti eius anni stipendium integrum iuberet. Ille, cui Viri probitas notissima, etsi in communem populorum, ac iustitiæ iacturam integerrimi administri missionem computaret; perfacilè nihilominùs & susceptæ menti annuit, & postulatis: dixitque mox suis: Vtinam Regia pecunia tàm benè alijs pro eo scilicet tempore, quo publicam rem curant, penderetur; quàm benè Aretio soluitur, vel cùm officio suo non fungitur. Itaque cùm rem familiarem, ac publica negotia, quanta potuit celeritate, composuisset; erogato insuper in pauperes si quid domesticæ supellectilis superetat; ad Diui Pauli, solutus omni fœnore, curaque conuolauit, exceptusque à Marinonio, ac reliquis Patribus peramanter, eo ipso die, qui Diui Pauli Conuersioni, vti monuimus, sacer erat, anno ætatis sexto & quadragesimo: non quidem inter Laicos, vt peroptauerat, atque enixiùs flagitabat. Visum nanque Patribus præclaram eam virturem, doctrinamque, quæ summæ dignitati, ac fructui Religioni esse poterat, haud dignam quidem esse, quam curis abiectioribus manciparent. Laudatissimum hoc Aretij consilium vbi primùm spargi in vulgus cœpit, nimiùm quantùm admirationis, mœrorisque excitauit. Is nanque erat omnium ordinum passim sensus, malè cum re forensi actum, tanti Viri iactura: memorabatque Andreas Auellinus, non modò litigantium nationem, quorum sanè intererat, tantam integritatem in foro excubare; verùm & Viros principes plerosque ad Paulinas Ædes conuenisse, id potissimùm, ac sæpiùs inclamantes, amissam tùm quidem Neapolitana in Vrbe iustitiam. Tùm subirasci ipsimet Aretio videbantur. Nam quando sub toga cum aliorum commodo religiosam quandam vitæ rationem coniungeret ipse iam; quid se tuendæ iustitiæ tanto cum Reipublicæ damno subduxerit? Certè tantam doctrinæ celebritatem, ac tenacissimum æqui, rectique ingenium non adeò Theatinæ disciplinæ vsui fore; cùm interim fraudi quàm maximè esset, publicis negotijs, eo præsidio destitui. Hæc illi, cùm interim plerique ludificanti peregregiè mortalia plauderent.

Albani Prorogis de Aretio dictum.

Excipitur inter Clericos non Laicos.

Vt esse Congregationi fructui posset.

Communis omnium quæstus.

Veluti exulaeret iam à foro iustitia.

Non hìc porrò dissimulauerim, quod Tufus in nostris historijs adnotatum voluit; falsum nempè esse, quod de ineundæ Sodalitatis occasione narrat Alphonsus Ciacconius in Aretij vita. Habet nanque, damnasse ipsum capitis quendam criminis manifestum, qui quidem concepisse se tormentorum vi confessionem, ac proptereà nulla sceleris conscientia iniustè addictum supplicio conquerebatur. Manauit is innocentiæ rumor in vulgus; cùm interim Scipio persuadere sibi nullo modo poterat, adeò valere interdum cruciamenta, vt eorum doloribus mors, quæ supremum malorum est, posthaberetur. At enim pulsasse vsque adeò eius animum damnati questus, vt experimentum rei capere apud animum suum induxerit. Necasse proptereà ipsummet secretò mulam suam; tùm simulata vehementiore quadam ira, anquirere diligentissimè de crimine cœpisse: ac delatum à seruis quendam, carcerique mancipatum, mox quæstionibus exercuisse; quarum ille cùm vim ferre minùs potuisset, iugulasse se mulam, confessum esse. Re cognita ab Aretio, cùm id muneris administrare, quo mulctari quandoque innocentiam contingeret, oppidò periculosum esse animaduerteret; subducere sese maturè subsellijs, mundoque decreuisse. Hæc Ciacconius, quæ meritò quidem erroris redarguit Tufus; quando interrogatum à se Paulum ipsum Aretium, an vera essent? pernegasse, ait. Tùm quia haud simile vero est, Virum adeò frugi, atque insigniter probum, tentare innocentis viri constantiam exquisitis cruciatibus voluisse. Hausit ab hoc fonte commentum Ioannes Rho; suisque virtutum historijs inseruit; in quibus & illud peccat, quod à Paulo Quarto honestatum Purpura, ac Neapolitanis Infulis asserat Paulum Aretium: quando adoptatus inclyto Romanorum Patrum Senatui à Pio Quinto, & impositus Neapolitano Sacerdotio à Gregorio Tertio decimo fuerit.

Emendatur Ciacconius.

Et Ioannes Rho. a Var. virt. hist. lib. 4. c. 11

Ergò diuturni voti compos, aggregatus ad Theatinum institutum est Scipio; vtque cum habitu quicquid è mundo asportauerat, exueret, mutari etiam nomen voluit, appellatusque est Paulus; cœpitque inoffensos virtutum cursus alacriter

Tyrocinium cum Auellino Aretius ponit.

ter peragere; ac regularis disciplinæ stadium æqua fronte cum Andrea Auellino decurrere. Et erat quidem inter prouectæ iam ætatis tyrones mutua quædam animorum consensio: idem nanque vtrique mortalium contemptus; vna, eademque humilitas, cuius gratia persæpè inter ipsos certamen erat, vt anteuertere alter alterum in domesticis, vilibusque operis niteretur. Quibus planè virtutum incrementis, futuræque sanctimoniæ indicijs, præscriptum periclitandis ritè moribus, ac disciplinæ tempus emensi, consequenti anno quinquagesimo octauo supra sesquimillesimum vterque solennia vota Paulino in Templo nuncupauit. Andreas quidem die vigesima quinta mensis Ianuarij, Aretius verò die secunda Februarij.

Instituto virtutum certamine.

Bonifacius à Colle diem obijt suum an. 1558.

Quo anno parentatum Venetijs tertio nostri Ordinis Parenti, & Conditori. Excessit nanque è viuis die 28. mensis Augusti Bonifacius à Colle; Vir sanè quà prudentiæ laude, quà vitæ innocentia incomparabilis. Eius quidem funus superiore anno figit Tufus; & explorata fortasse accuratiùs temporum ratione, hoc omninò anno contigisse Antonius Caracciolus, & Ioannes Baptista Castaldus affirmant. Iam, de Viro innocentissimo plura in hoc historiarum cursu commemorauimus. Verùm, vt optimè eius vitæ scriptionem claudit Caracciolus: Maxima pars eorum, quæ de Bonifacio scimus, est minima pars eorum, quæ ignoramus. Virum nanque inuicto quodam animi robore præditum, & quem bis stricto, vibratoque in ipsum ense deuouisse neci caput, idque constantissimè, semel Romæ in Monte Pincio, iterum Venetijs, diximus; credi vix potest, non illum vniuersitatem virtutum exornasse; ac minimè conspicuam fuisse egregijs factis vitam: quæ quidem facta, vt nulla mortalium luce, famaque commendantur; ita plurimum profectò laudis ab ipsamet, qua tegebantur, animi modestia, promeruere. Et verò, nihil in Bonifacio suæ existimationis, honorumque omnium despicientia spectabilius; cuius planè insigne documentum edidit, cùm à Pontifice Maximo Paulo Quarto Romam prouocatus, constantissimè recusauit. Nouerat emendatissimos Viri mores, ac prudentiam Pontifex, quippè quem in excitando Ordine socium, ac Venetijs diù contubernalem habuit. Tantam igitur virtutis indolem in exemplum Romanæ Aulæ ponere, atque ornare eam morum probitatem statuit. Eapropter Michaeli à Turre, Cenetensi Episcopo, Romam propè diem discessuro, iussit, vt Bonifacium conueniret, significaretque suo nomine, teneri se desiderio amicissimi capitis; inuitaret proinde Romam, Vaticanis Ædibus perhumaniter excipiendum; redderetque certiorem, eo esse Pontificem animo, vt velit cum ipso vel vnicum partiri panem. Descendisse ab eo culmine tanta beneuolentia Christi Vicarium, erigere profectò, atque efferre cuiuspiam spes, animumque poterat: at Bonifacius, quem humilitas graui quodam pondere humi fixerat, moueri humanissimis pollicitationibus minimè potuit. Æstimare siquidem, qua intimè fruebatur, tranquillitatem cœpit; cuius comparatione Aula periculosiùs fluctuabat: proindeque tùm metu religiosæ modestiæ abrumpendæ, tùm horrore quodam Romani fastus, excusauit permodestè senium, atque indolem suam; obiectaque pectoris constantia, animique demissione, quicquid Romæ honoris, commodique, ac Pontificiæ beneuolentiæ adblandiri videbatur, egregiè cõtempsit. Quo verò tempore Tolentinatem Domum administrauit, nihil illo prudentius fuit. Et qui orationis studio propensior planè erat, non illum domesticæ rei solicitudo, ac prona in aliorum commoda sedulitas deijcere à suæ mentis altitudine potuere: vt efferri simul animus rerum cælestium commentatione, & curare subditorum opportunitates actuosiore diligentia videretur. Paupertatis cum paucis studiosissimus. Indumenta, vt quædam non admodùm quæsita mundicies, ita eximius paupertatis cultus commendabat. Cellulam præter paucos libellos, ac rude scabellum, nihil prætcrea exornabat. Scabello verò rarò vtebatur; moris nanque erat, positis ad lectuli spondam genibus interdiù commentari, aut legere. In procuranda animorum salute totus erat: mirifica quadam in explorandis, expiandisque conscientijs solertia, & caritate præditus, effundi sæpissimè in lacrymas videbatur; vt quæ excipiebat aure crimina, elueret ipse suo fletu. Immotum autem inter humanarum rerum vicissitudines, siue illecebras animum probabat vultus, quem vnum eundemque semper fuisse, compertum habemus

Insignis eius virtus minimè patuit ab humilitate.

Accersitur à Paulo IV. Romam.

Renuit Vir modestissimus.

Eius orationis studium.

Paupertas.

Charitas.

nempè serenum, placidumque; adeò vt intuentium animos liberalis, ac læta semper frons exhilararet. His igitur, cæterisque innumeris virtutibus instructus Bonifacius fuit, dum viueret; quarum veluti pompa, & familia deductus ad sepulcrum hoc anno est; ac procurare funus Venetos Patres contigit eo quidem mœroris sensu, quo efferri laudatissimi parentes solent; ea æternitatis spe, qua decedere Viri sanctissimi: neque vllum profectò elogium illustrius, ac luculentius tàm illi, quàm Ordo vniuersus inscribi benemerentissimo Conditori voluere; quàm præstantissimæ virtutis desiderium peracerbum.

Immutatus oris habitus.

Iam verò, quoniam ingressi in huius seculi annum octauum supra quinquagesimum sumus, amplissima profectò, ac pulcherrima datur stylo scribendi materia; rerum videlicet à Paulo Quarto præclarè hoc anno gestarum. Campanum bellum, de quo narrauimus, nulli planè displicuit magis, quàm Paulo ipsi, qui gessit. Siquidem interpellare illa egregiæ mentis consilia potuit; quæ moliri diù antea ad Christianæ disciplinæ, morumque emendationem cœperat. Quapropter necessarium, ac fatale quoddam malum id fuisse fatendum est; quando Pontifex, qui ad arma ægrè animum appulerat, quique auelli à præclarissimo expoliendæ Ecclesiæ instituto vel maximè dolebat; vt auspicandum, ita & continuandum existimauit. Sed enim, quanuis tanto rerum tumultu percelli, atque euerti sacra, & Christiana res omnis visa fuerit; aliquid nihilominùs contulisse eas turbas ad Romanam Rempublicam ordinandam, dicendum omninò est. Enimuerò inter alia Christianæ rei mala, illud potissimùm erat, vt alibi significatum est, vitio temporum, ac Principum non eo loco esse Romanam, ac Pontificiam maiestatem, vt sua illi constaret ex integro authoritas; ingentique cum Catholici nominis dedecore libatus, imminutusque summis Infulis honor, ac timor erat. Quo sanè faciebat, vt si quando monere, atque emendare Pontifex vellet, quæ peccarentur, destitutus ea reuerentia, ac potestate, quæ sacrorum Principem decet, aut nullo pacto, aut certè minùs efficaciter conficere rem posset. Planè, conscripsisse militem, atque arma capessiuisse Romanum Pontificem, conseruisse cum maximis Europæ Principibus manum; quid aliud profectò fuit, quàm asserere Apostolicæ Sedi dignitatem, atque existimationem suam; ac monere Orbem, adesse in Petri Sede, cui pareat; & Christi vices dum temperat, vti sciat Infula, ac fulmine. Id quod a Hieronymus Mutius Iustinopolitanus, Vir eximia in Pontifices ipsos libertate, reique Christianæ zelo præsignis, egregiè adnotauit, data ad ipsum Paulum Quartum epistola, cuius hic particulam debere noluimus. Sic verò habet: [Gratulor equidem non modò sancitam iam pacem; verùm etiam quòd ij armorum tumultus præcesserint; licet namque vel ab ipsis coniectari, probitati cuncta benè vertere. Cernere profectò erat aliorum vitio vsque adeò labefactatam, afflictamque Apostolicam dignitatem, vt penè iam omnis exciderit; cum angustiæ temporum, quæ Ecclesiam maximoperè versarunt, monuere te zeli; sicque magni pectoris tui generositas, adflato veluti spiritu, Pontificiam authoritatem animauit, erexitque; adeò vt pristinæ gloriæ, vigorique restituta metuere deinceps non possit, quin suis omnes legibus, consultisque modestè obtemperent: quod enimuerò, nisi probata hisce bellorum periculis magnanimitate, ac virtute tua, assequi minùs commodè potuisses.]

Emendandæ religionis consilium repetit Paulus IV.

Căpano bello restituta Sedi Apostolicæ authoritas.

a Epist. Cath.

Hęc ille. Id igitur à bello commodi, veluti ab degeneri quadam stirpe fructum suauissimum, eundemque opportunissimum decerpsit Paulus Quartus, vt vindicata Pontificis reuerentia, quæ mente agitabat consilia de communi Christianorum Principum fœdere, de Religionis, Sacrorumque cultu, de publica emendatione morum, de Romanæ Aulæ disciplina perfacilè, ac faustè perficeret. Breuì scilicet quodlibet persuaseris, vbi authoritas, & quidam timor præiuerit.

Et verò ea omnia statim à bello, & pace aggressus est Pontifex acri quidem studio, ac peralacriter. Versare Concilium Lateranense, quod Christiani moris, corruptæque pietatis frænum quoddam, ac præsentissimum remedium futurum existimabat, iterùm cœpit; atque à potentissimorum Regum pace, sine quorum adiumentis, atque auspicijs peragi grauissimum negotium non poterat, incipere pernecessarium duxit. Ergò nulla mora, geminam ad potentissimos Gallorum,

Concilium Lateranense cogitat Pontifex.

A Principum concordia auspicandum putat.

atque

atque Hispaniarum Reges legationem adornauit, vt quod geminum omninò est Catholicæ Ecclesiæ, fideique præsidium, ac fulcimentum, vnâ simul perenni fœdere nectérentur. Antonium Cardinalem Triuultium ad Henricum Secundum Galliæ Regem, Carolum Cardinalem Carafam ad Philippum Catholicum in Belgium amandauit. Visus planè rem satis arduam aggressus Pontifex: quando Hispanorum, Gallorumque animos tùm maximè feralis quædam Erinnys in prælia concitabat: Res ad Sanctum Quintinum paulò ante infeliciter gesta, memorabili ea clade, veluti cote quadam, Gallorum iram exacuerat. Quarè, reuocato ex Italia Duce Guisio, Henricus celerrima impressione Caletum cœperat: ex quo quidem portu, vt breuissimus in Angliam traiectus; ita Galliæ portam appellare illum Angli consueuerant; quem quamdiù ipsi obtinerent, tandiù iactabant, gestare Britannos Reges è cingulo claues Galliæ. Post Caletum quicquid non vno planè seculo ereptum Gallis in continenti ora Angli potiebantur, breui, felicissimoque armorum cursu Henricus recuperauerat: quo successu victoriarum Hispanorum, Anglorumque Rex Philippus vehementer pulsatus, moliebatur & ipse grauiora; ac proindè gliscentibus mutua bellorum fortuna, & clade Regum odijs, inter illas diffidiorum turbulentissimas tempestates affulgere spes nulla publicæ serenitatis videbatur. Non despondit tamen in difficillimis rebus animum inciratissimus Pontifex; eòque intentiùs in eas curas incubuit, quò frangi conatus suos bellis atrocioribus intelligebat; pollicitus Niciam se, vel quò opportuniùs putarent, profundo licet, exactoque iam senio transmissurum, vt Philippum, atque Henricum ipse conueniret, oraraque coràm diuulsi, afflictique Orbis causa, digladiantium Principum animos conciliaret. Interim, quos diximus, Legatos ad illos misit. Legationis monita, quæ Carolo Cardinali dedit, non aliena vsus eloquentia, ac stylo, ipsemet lucubrauit; & quidem ea paterni pectoris caritate, ac zelo, ea dicendi præstantia, neruosæque, ac solidæ orationis copia, vt adduci minimè possim, vt tanti Pontificis historiam eximia hac fraudem scriptione. Prolixior ea quidem est, sed moram voluptate proculdubiò pensabit lector: quæ quidem voluptas maior omninò esset, si qua Italica dictione fuit exarata, eadem exhibere hìc posset; ac sincera dialectus, ceu suus illam color, repræsentaret. Diceres profectò, citra Latinitatem, aut Tullium, aut aliquem Romanæ facundiæ Principem dictasse. Erit quidem, qui in hæc incidet, laudabitque scriptoris industriam, quòd præclarum hoc ingenij monimentum haud siuerit inter nostri Paulini Tabularij blattas consenescere, disertamque lucubrationem luci dederit. Vtinam & alias Pauli Quarti scriptiones non vltrà historiæ præceptiones esset, hìc dari; augeri profectò Maximi Pontificis doctrinarum, ac eloquentiæ famam non minimùm contingeret. Sic igitur habent Pauli monita ad Carolum Cardinalem Carafam.

Legatos ad Reges destinat.

Difficillimo licet rerum statu,

Legationis monita Carolo Card. data.

Eorum exemplar.

Plura quidem sunt, carissime fili, quæ Nos de publico hoc pacis negotio, cui te faustè, Deique nutu destinauimus, iubent benè sperare. Ac primùm, quòd nihil impetrari faciliùs à Deo potest, quàm munus hoc pacis. Neque verò aliam ob causam lectissimam sobolem suam addictam mortalitati voluit, quàm vt conciliaret ima summis. Quarè non modò conclamata inter Numinis cunabula ab Angelis pax fuit; verùm & corporatus ipse Deus suis concionibus initium facturus, auspicari à pacis commendatione voluit. Tùm Apostolos Orbis eruditioni destinatos, moriens, pacem euulgare vbique gentium iussit; quam ipse postremò in Cœlum reuersurus, suis impensiùs commendauit. Ad hæc, cùm nullus quidem certior sit impetrandi modus, quàm fusis ad Deum precibus, implere hanc partem pro virili conati sumus, priuatis, publicisque supplicationibus indictis; excitatisque persæpè fidelium studijs, indulgentiarum donarijs. Neque profectò aliud nobis ipsi polliceri par est, ab egregia Philippi, Hispaniarum Regis pietate, atque in sanctam hanc Sedem reuerentia, quam vt compertam semper habuimus, ita exhibuisse nunc maximè luculentiùs Religiosissimum Principem summa cum animi voluptate, sensuque intelleximus; speramusque ob eam rem, fore, vt non modò ijs annuet, quæ consentanea Numinis voluntati sciuerit, verùm etiam propensiore animi studio, atque alacritate complecti rem velit, nostra authoritate, ac nomine propositam. Iam quòd æterna Dei prouidentia regi cuncta compertum Christiana religione est, quę res maxime

Pacis decora.

Philippi Regis pietas iubet benè sperare,

ximè alios terret, animos nobis, ac spem sufficit non exiguam, nempè rei ipsius difficultas. *Tùm rei difficultas.*

Enimuerò altissimo factum consilio putamus, quòd hoc potissimùm tempore hanc nobis iniecerit mentem Deus; vt scilicet eius posteà clementiæ tribuatur, cùm id euenisse mortales viderint, quod accidere humana ope, ac industria posse nemo vnquam sibi persuaserit. Hanc igitur ob causam animos arrigimus bona spe, fore, vt prosperè consilium cadat, ad quod quæ nos diù, noctùque versat publicæ tranquillitatis cura, vehementer impellit. Si quod est autem inter humana adiumenta, quo niti maximè in difficillimo, grauissimoque hoc negotio possimus, tu ipse profectò es, qui pietate, ac prudentia instructus, nostræque mentis compos, scieris pro temporis, reique opportunitate sapienter, atque ex animi nostri sententia cum Philippo Rege agere. *Et Legati solertia.* Ex ijs porrò, quæ hac de re vnà sæpius, & copiosè disseruimus, quæque dici de amplissima materia possent, pauca hic duximus ad tui institutionem exaranda. Quæ stylus prætermiserit, tu ipse memoria, ac iudicio tuo supplebis. Ac prætermittenda primò existimamus, quæ luctuoso maximorum Regum dissidio emersere publicè mala, euersas Vrbes, diuulsos sedibus populos, exustas regiones, vastitates, cædes, humanarum, diuinarumque rerum, ac Numinis ipsius contemptum, innumeras denique plerasque calamitates, quas bella peperere, non modò ad earum exitium prouinciarum, quas Reges ipsi mutuæ cladis monumentis nobilitarunt; verùm suorum etiam Regnorum; quibus tuendis, amplificandisque visi profectò arma induisse ea mente, vt nunquam aut belli tædio, aut pacis desiderio deponerent. *E Regum dissidijs mala.* Quæ quidem omnia etsi Catholico nomini indecora, eorumque solummodò recordatio pudefacere autores debeat, prætermittere nihilominùs consilium est; tùm quòd nullum eius operæ pretium est, illa commemorare; tùm quia si vel raptim percurrere hæc ipsa velim, de ijs, quæ memoratu digniora profectò sunt, nullus erit dicendi locus. Illud modò innuerim, eiusmodi esse impressa Christianæ Reipublicæ inter has bellorum clades vulnera; vt sperare vterq; Rex, non dicam pristinæ incolumitati, ac formæ pulcherrimum corpus restituere; verùm ad cicatricem luculentas plagas perducere, neque temporis diuturnitate, neque impensiore cura, conatuque minimè possit. *Præcipuè Christianæ rei.* Quod si coire vtcumque isthæc vulnera Orbis cerneret, gratularetur profectò futuræ, atque integræ salutis spe, qua nunc destitutus, non modò precari Regibus fausta, pietatemque Numinis conciliare, sed vindicem eius manum, ac fulmen ad tantarum calamitatum vltionem videtur. Neque putandum omninò est, minùs de Philippo conqueri Christianum Orbem; quàm aut in Henricum Gallorum Regem, aut in Carolum Cæsarem inuehat: veluti adepta nuper Regnorum Insula, non illa inferre mala potuerit, quæ nunc communi luctu comploramus. Enimuerò cùm nullam ipse vsque dùm disceptandi occasionem non arripuerit; eius culpæ damnatur, quam etsi suis ipse auspicijs minimè perpetrauerit, imitatione comprobauit.

At ne in re tristi sim longior, accedamque ad rem propiùs, hæc planè sunt, vt assequi animo licuit, quæ incitare, aut ex parte, aut simul omnia Catholici Regis ad arma indolem possunt; vel ob acceptam iniuriam vlciscendi cupido; vel in Gallos, ob paternas simultates, odium; vel Imperij adipiscendi, atque amplificandi ardor; vel firmandæ potentiæ studium; vel denique stimulus quidam, & fax gloriæ. *Quæ incitare ad arma Philippum videntur.* Quæ singula dum exponimus, dabitur nobis, vt quoniam cum hominibus, humanisque de rebus sermo est, infirmemur aliquandò cum infirmis; atque attemperemus argumenta rei, de qua agimus, vt dictorum ratio magis constet. Igitur vltionem ob acceptas iniurias, quam primo loco censuimus, non equidem video, vt suscipere eam Philippus iure possit hoc breui interuallo temporis, quo sceptrum capessiuit, administrauitque. *Vltio iniuriarum.* Quod si hæreditario quodam iure succedere paternis, vt Regnis, ita & odijs debere sibi persuaserit; verendum maximè, ne rei potiùs, quàm actoris personam induat; quando ea Cæsaris fuit, tamque diuturna armorum felicitas, vt facilius ipsi fuerit læsisse multos, quàm à multis ipsum lædi. Fuerit verò hoc non ita exploratum; certè neque id perspectum omninò est, teneri Maiestatem suam in ea sese bella inducere, quæ tanti sibi, & Orbi constant. At violati, fractique fœderis Gallos arguet. *Fractum à Gallis fœdus.*

Plane

Planè percarum nobis esset id argumentum præteriri, nc ad ea animus recurrat, quæ obliteranda ab hominum memoria omninò essent. Attamen hanc obiectionis partem diluere pernecessarium: quarè reputet apud animum suum Philippus necesse est, an quam ipse illatam sibi iniuriam profitetur, Henricus irrogauerit? an verò illi, qui excitare auitam Gallorum religionem visi sunt, ob lacessitam, afflictamque Romanam hanc Sedem; cuius planè maiestatem, potestatemque cùm Principes, priuatique omnes iure, ac summa semper cum laude tueantur, tùm eius tutelam suscepisse Gallorum Regem longè laudabiliùs videri poterit: quando pro concepti sacramenti obseruantia Ecclesiam defenderit, & quidem contra illos, qui eodem sacramento tueri illam tenebantur. Quæ quidem nostris ingratijs, at necessariò profectò commemorauimus: ac persuasum habemus, æquo animo excepturum ea Regem, quemadmodùm, quæ eius fuit religio, ac reuerentia, huic Sanctæ Sedi cumulatè satisfactum voluit: qua in re suam ipse indolem planè Catholicam, & Christianam nobis adeò probauit, vt quanuis horrere animus videatur, præterita recognoscere, iuuat nihilominùs in ijs aliquando cogitatione immorari, vt egregia maximi Principis modestia, ac pietate frui mens possit; atque abundè exhilarari. Sed esto, læsisse grauiter Gallum. Suffecerit profectò Catholico Regi diuinæ præceptionis condocefieri, qua aboleri iniurias iubemur, cùm nostri causa, tùm eius potissimùm amore, qui ad mortalium exemplar adeò sese magnificè effudit. Atque hæc quidem eius roboris, momentique ratio est, vt quemadmodum magnoperè dolemus, non huic statim præcepto obtemperare homines; ità piget non minimùm, alijs vti nos argumentis debere, quàm quæ desumi ab æterna Dei lege par est. At enimuerò, vt medicus non ita professionis, artisque dignitati consulit, vt aliquandò non ijs vtatur remedijs, quæ licet ratio minùs probet, aduertit nihilominùs vulgari experientia iactari: nempè vt fastidientem diluta ad artis regulam pocula, ægrotum sanet: ita quò regia offensi, indignantisque Philippi mens curetur, medicinam malo facere non dubitabimus, vero quidem, ac rationi minus consentaneam, sed quam valere plurimùm vsus interdum, consensusque mortalium docuere. Itaque detur, non modò exæquandam, verùm etiam longè superandam ab vltione offensam esse; quàm porrò, aut parare ipsemet, aut complecti animo Philippus luculentiorem vindictam poterat, quàm quæ permissa à Numine ferè præter animi sententiam ad Sanctum Quintinum fuit? Poterant ne vni victoriæ plura trophæa respondere? aut pluribus planè modis hostis frangi, profligato semel bello? Certè si violatæ fidei vindex florentissimas copias in procinctu haberet Rex Hispanus, nulloque obsistente, iam in Galliam incumberet, ac intereà temporis de pace interpellaretur; haud quidem indecorum sedare tunc iram, atque impetum foret: sufficeret nanque nosse Orbem, vlcisci potuisse. Quòd si Impetrari non modò ab humanissimo Principe, verùm à ferociore quoquam ingenio hoc posset: quid præstare Catholicum Regem nunc decet, qui tàm luculenter armorum potentiam commonstrauit? Quippè non modò Galliarum Regnum inuasit, excurrit, terroremque populis incussit; verùm etiam pugnauit; libatoque vix suorum sanguine, validissimos exercitus profligauit, deleuitque, victo, captoque Memorantio Comestabili, vnà cum Gallicæ iuuentutis, ac nobilitatis flore. Ad hæc, Vrbem, arcemque fortissimam, veluti ad tantæ victoriæ monumentum, vi cœpit: substructis insuper intra penitiores, vitalioresque Regni partes munitionibus. Atque hæc quidem eo impetu, vt ceu cadente improuisò quodam fulmine, Rex ipse attonitus, consilio, sensuque omni destitutus videretur; torpuitque ad subitæ cladis ictum vsque adeò eius vis animæ, vt nullus vsquam per aliquot dies extiterint Gallicæ virtutis, armorumque motus. Afflixit memorabili planè vulnere Galliam Carolus Cæsar, Philippi Pater; capto, videlicet, Francisco Rege. At is quidem fuit rei euentus, vt eius felicitati, quàm virtuti tribui res potiùs debuerit. Siquidem vt iuuare absentis consilio, aut manu victoria minimè potuit; ita Cæsarei duntaxat nominis authoritas adfuit, cui cauere in primis visus est Borbonius, ea, quam in Gallia excitauit, perduellione; & Italorum Principum in Mediolani Ducem propensio. At verò cùm de victoria hac agimus, integra profectò tribuenda Philippo laus est, quippè qui eius expeditionis, apparatusque omnis, ac pugnæ autor, & auspex ipsemet fuerit; quæsitaque è

Remittenda ex Christianis præceptionibus offensa.

Vicit Gallos Philippus, parta ad Sanctum Quintinum victoria.

Comparatur cum Carolo Patre Philippus.

que è suis Regnis, tanto inter sese interuallo distractis ope, nullis praeterea exterorum adiumentis, palmam reportauerit; palmam, inquam, non modò Ticinensi vlla ex parte imparem, cùm delectus vtrobique florentissimus exercitus fuerit; verùm etiam longè illa illustriorem; quando Caesar quidem longè à Gallia, ingentique cum suarum copiarum iactura; Philippus verò intra ipsa hostium munimenta exiguo cum suorum damno pugnauit; vicitque: & Caesari seruatum ab eo bello Ticinum, aliaeque Cisalpinae Vrbes; Philippus sanctum Quintinum, certissimum totius Galliae propugnaculum intercepit; amplificauitque Belgij sui fines. Quod si defuit triumphis hisce ambitiosè honestandis, Rex captus; planè & conditione captorum, & numero Regia dignitas abundè compensatur. Neque verò optandum homini, iisdem videlicet casibus obnoxio, eò miseriarum regium decus deuenire, vt singulis quibusque aetatibus implere triumphantium pompam captiui Reges videantur. Quanquam & par omninò sit, vt huiusmodi etiam exempla doceant interdum Principes, parere supercilio, sceptroque Numinis. Igitur, si vltio Philippum solicitat; vltus iam quidem satis, superque est: quòd si perget poenas reposcere insigniores; id profectò assequetur, vt hanc ipsam etiam, quae excrescere minimè potest, vltionem minuat. Praeterquàm quòd ij sunt bellorum casus, vt nouis plerunque cladibus cumulari iniuriam contingat, quam propulsare conserta manu quis vult.

Verùm enimuerò, cùm obstinatam hanc bellandi cupidinem, quae olim Caesarem, atque Henricum Gallorum Regem exercuere discordiae, accendere vel maximè possint; enitendum diuina ope nobis est, vt radix haec, oppidò exitialis, è praenobili, generosoque Philippi pectore conuellatur. Planè si attentiore quodam studio mens fidelium volueret, vnius quidem corporis, cuius caput Christus, Dei beneficio membra nos esse; haud maiore sanè odio inuicem laederemur, quàm laedi mutuò membra corporis possint. Quinimmò vt membra, accepta pro captu singulorum vi, motuq; à capite, cui parent, mutua sese iuuant officiorum opportunitate; ita planè accideret fidelibus, si qui inter ipsos est nexus, seriò ob oculos ponerent; hausta siquidem à Christo, qui caput est, Diuinitatis, gratiaeque particula, quà pletate in Deum, quà in proximos caritate, pulcherrimus inde animorum concentus existeret. Quae si Rex ipse meminerit, persuasum habemus, fore, vt impetus suos frangat; & qui nobilissima corporis huiusce pars est, nempè dextera; sinistrae profectò non officiet: sed iunctis vnà viribus in eandem simul Dei gloriam amplificandam conspirabunt. Monuisse insuper Catholicum Regem voluimus, Carolum Patrem, cum temperandas illi tot Regnorum habenas dedit, nunquam sibi persuasisse, vt discordiarum haeredem haberet filium. Indecorum certè, indignumque id de sapientissimo Principe cogitare, qui pertaesus malorum, quae publica Christiana res pertulit, abdicato Imperio, Deo se, eiusque seruitio mancipauit. Neque enim caelestis vnquam Patris gratiam sibi conciliauerit, cui cum fratre priùs non conuenerit. Hoc igitur prudenti, pioque Caesar consilio id contendisse vnicè visus est, vt dissidiorum incendia pro virili sedaret; gnarus quippè alterutrius saltem hostis nece finiri odia, defunctus Regnorum curis, mori quodammodò statuit; vt componi faciliùs pulcherrima pace Reges, Catholicus, & Christianissimus possent. Id quod Philippus ipse visus probasse, cùm initio Principatus inire cum Henrico foedus, iniquis fortasse conditionibus voluit; ne fefellisse Caesarem suae spes viderentur, in re quidem Christianae Reipublicae perneccessaria: cuius quidem publicae vtilitatis gratia, vel ipsi Patris authoritati, si quando derogare communi bono videretur, obsisteret Rex, necesse esset: neque pertimescere vulgi opinionem, famamque deberet. Non hìc planè opportunitates, & commoda, quae sancita in Orbem pax deriuaret, percensere: licet nanque ab assiduis cladibus, quibus seculum hoc nostrum bella funestarunt, coniectari; quas quidem clades, vt neminem latere existimamus, ita nulli planiùs, quàm Philippo constant. Nam cùm moliri in Regem Christianissimum bellum, stimulatus intestino quodam odio profiteatur; exploratum omninò est, scire ipsum, nullum esse in rerum vniuersitate malorum genus, quod non inuehat in Orbem bellum; atque adeò non ignorare, decertantibus vnà potentissimis,

Membra Christi fideles.

Philippus Regnorum, non discordiarum haeres.

Pacis commoda.

tiſsimis hiſce Regibus, reliquum Chriſtianum Orbem maximè verberari, & concuti.

Altera belli cauſ. odium in Gallos.

Quid odium?

Iam & odij ſcopum, & eius, qui oderit, inſpicere conſilium, ſi libet; laborantem ab hac animi perturbatione Catholicum Regem in re quidem inutili, damnoſaque liquidò cognoſcemus. Odium eſt obfirmata quædam animi indignatio, quæ niſi in hoſtis exitio, non ſiſtit: eòque acriùs inflammatur, quò illum agere infeliciùs conſpicit, quoad aut miſerijs, fatoque ſuo ceſſerit, aut ita vitam toleret, vt paciſci mortem velit. Quòd ſi ita ſe res habet, excruciari vehementiùs, atque aſſiduò Philippum, neceſſe eſt; cùm id optet, quod eſt ex ſe impoſſibile. Siquidem potiſsimam Principatuum potentiam, ac robur in optimarum legum inſtitutione, in egregia Principis prudentia, in populorum ſtudio, in ſoli fertilitate, in armorum, quà virtute, quà copia, in diuitiarum, aurique vi, in Vrbium munimentis ponimus: in quibus ſimul omnibus exæquare profectò Gallicus Principatus aliorum Regna videtur: præſertim cùm adeò ſecum ipſe cohæreat, ac vniatur; vt nec ſcindant maria, nec ita peragrari totus poſſit, vt aut amici Principis facultas deſideretur, aut inimici ſuſpicio timorem incutiat. Atque hæc, quæ ratio fuſiùs perſuaſerit, exemplo confirmabimus, non quidem rerum longè antiquiſſimarum, neque diſſimilis à Philippi conditione Principis. Intulit perſæpè Carolus Cæſar Gallorum Regi arma, eaque omnia impigrè geſſit, quæ polliceri in Galliam aditum facilè poterant. Tùm alia ex alijs exorſus bella eſt; vt ſecundis expeditionibus primæ, ſi quæ peccauerint, corrigerentur: neque profectò ampliſsimo Principi virtus, conſiliumʼ, felicitas defuit: quippè qui in hac regiarum partium complexione, ac laude vſque adeò communem mortalium ſortem eſt prætervectus; vt nullum in omni rerum memoria Cæſarem reperies æqualem illi, aut ſupparem, magnanimitate, ſapientia, fortuna belli. Cuius inſuper, præter armorum apparatus, gnaros militiæ viros, Duceſque magni nominis; quorum ea fuit apud ipſum ſemper virtus, ac numerus, vt capeſſere difficillima quæque non dubitaret; tanta apud Catholici nominis Principes authoritas, atque exiſtimatio fuit; vt quos peculiari quodam aduerſus Gallos fœdere coniunctos, amicoſque non haberet, ij ne vel leui quidem ſimultatis ſuſpicione Cæſarem offenderent, quàm maximè cauebant. Vtque rem paucis conficiam, nulli vnquam Principum, aut ceſſere tàm feliciter impedimenta, aut acceſſere tàm abundè opes, vt finem ſuum aſſequeretur; aut tam apertus in Gallia aditus fuit, quàm Carolo Cæſari. Attamen tot annis eo copiarum flore, ac numero, tanta bellicæ rei peritia, fortunaque, tanta ſuarum externarumque virium conſpiratione, quid profectò rei, niſi ærarij diſpendia, populorum damna, cædeſque hominum penè innumerabilium euicit Carolus? vt intereà diſſimulem grauiora, quæ conſcium animum dilaniant, incommoda. Inſigni documento Philippo Regi hęc fuerint; & niſi erudiri Dei ipſius diſciplina, ac voce expectauerit, nullibi profectò, aut aptiùs, aut apertiùs cognoſcet, inutile ſe opus mouere, nec feliciùs ſibi, quàm Carolo Patri ceſſurum. At verò, inquiet Philippus, Carolo Anglia, eiuſque opes non acceſſerant. Ita: verùm quid florentiſſimo ab eo Regno maioris commodi, atque adiumēti Philippo nunc exiſtet, quàm perceperit olim Carolus cum immani ea bellua, perpetuo Gallici nominis hoſte, fœderatus? Immò, qui rem accuratiùs perpenderit, eò minus adeſſe Philippo, quàm Carolo hoc Regnum poſſe intelliget; quantò breuior nunc illi, & contractior authoritas, ac potentia eſt, quàm Britanno olim Regi fuerit, qui vires cum Cæſare iunxerat. Perſuaſerit itidem ſibi Philippus, haud quidem in eadem ſe cum Patre cauſa, nauique eſſe: nunquam enim Carolo contigit, ita præferuidam Gallorum indolem, ac potentiam frangere, vt luculentam illam ad Sanctum Quintinum plagam æquarit. Significauimus iam celebratiſsimū hoc quidem eſſe factum, atque inter illuſtriora numerandum. Nihilò tamen minùs non tantæ imbecillitatis cenſenda Gallia eſt, vt poſtquàm petita, atque exhauſta non vno vulnere fuerit, non adhuc vires ſuperſint, lacertique, quibus victori negotium faceſſat. Neque difficile factu eſt, vt quemadmodum valida, ac ſincera interdum corpora vno quidem morbo, non modò non omninò atteruntur, verùm etiam, reſtituta ſedulò incolumitate, longè vegetiora, ac ſaniora euadunt; ita Chriſtianiſsimus Rex peruestigata diligentiùs huiuſce euentus cauſa, ac ſeriò de remedio cogitans,

Gallici Principatus felicitas.

Caroli Quinti in Gallos expeditiones.

Exiguo cum operæ pretio.

Documento fuerint armis abſtinendū.

Neq; Angliæ acceſſione potētior Philippus.

Neque illata in Galliam clades, ita illam atterruit

arrigere

arrigere ardentiore sanè studio animos, viresque præsentiores possit. Ac proludere iam, minarique cuiusdam magni conatus initia videntur. Instauratis nanque Rex copijs, bellum redintegrare, ac pugnare strenuè, si res postulauerit, statuit. Eapropter quandò tam incerta sunt euenta præliorum, vt omnium ferè, quæ mortalium iudicio temperantur, nihil humanæ mentis prouidentiam tam sæpè ludificet; neque adeò oppignorata Philippo est fortunæ fides, vt semper vincat: cur non maximè verendum, ne improsperè cadat alea, deletoque exercitu, accipiat ipse cladem, quam intulit? An sicut vicinior fuit Christianissimo Regi sua Gallia, quæ profligatum excepit, texitque; ita propè absunt Philippi Regna, quæ victum excipiant? Proximum ne Belgium tuebitur? At exigua planè Hispani roboris, ac potentiæ pars Belgium est; vt non arma sufficere, non commeatus abundè queat. An ita facilis ex Italia, atque Hispania subsidiorum transmissio, vt intercipi, antequam in Belgium perueniant, nequaquam possint? Planè, cum niti præsidijs hisce nequeat Philippus; tum metuendum maximè illi est, ne Germania ipsa, arrepta occasione, odio, quo in Carolum Patrem ferebatur, litare tandem velit; atque adeò vbi cauere ab vno hoste operosa Philippo res esset, quid exercitus duos potentissimos eluctari?

Quia instaurare vires posset.

Incertus bellorum euentus.

At enimuerò, quantò in hoc bello maiores experiri difficultates, ac pericula continget; cum sibi aut falsò, aut verè semel Orbis persuaserit, non aliam illum ob causam, quàm Imperij gratia amplificandi, continuare tam constanter arma? Quæ natio, qui Principes non statim ad arma, & Galliæ præsidium conuolauerint? quando publicam suæ Ditionis salutem, aut exitium, pendere ab eius Regni aut incolumitate, aut casu viderint? Ita nanque natura comparatum est, vt dominandi, augendæque potentiæ cupido, si quando cuiuspiam animum occupauerit, excrescat in immensum oporteat; & quæ mortalium est conditio, etiam si nihil præterea in Orbe sit, quod mens concupiscat, nunquam acris ea sitis extinguatur. Caueat igitur Rex, ac reputet secum ipse, in quæ coniiciat pericula rem Hispanam. Siquidem ab communi hac Orbis persuasione euenire perfacilè potest, vt non modò aperti hostes in id maximè incumbant, vt eius consilia; ac progressiones frangant; verùm & occulti etiam latere ampliùs simultates suas noline; & medij in partes abeant, & amicorum fides nutet, & subiectæ Prouinciæ, ac populi rebellent. Quod quanuis difficilè acciderit in Regnis alijs, certè timeri ab Anglia hoc malum poterit; quæ cum ægrè vsque dum Regi obtemperauerit, haud æquo animo feret, vt in eam magnitudinem euadat, quę Anglicanam libertatem grauiore imperio, frænoque premat. Quæ etiam ratio Philippum persuaserit; hoc bellorum apparatu, ac impetu, neque ab externis, neque ab intestinis periculis cauere se opportunè Regnis suis. Nam si de exteris loquimur, cùm aut acquirere præliando, aut perdere necesse sit; vt parta quidem adipisci non eò aduersas vires debilitat, vt timere desinat; ita magnis potiri, sine aliorū Principum inuidia fieri nequit: vnde pericula, & metus. Quod verò ad intestina malas nulli dubium, quin ordinari publica res, ac repurgari pace, quàm bello meliùs possit. Comitatur siquidem arma quædam in munerū administratione confusio: ac sæpè accidit, vt tolerare pleraq; cogatur Princeps, ne excitatis ab acri emendatione turbis, simul & sedandis domesticis tumultibus, & profligando externo hosti non sufficiat.

Tertia bellorum causa, amplificandi Imperij cupido.

Quæ hanc cupidinem damna consequantur.

Igitur, cum probatum abundè sit, bellū, si vltionem spectes, superfluum; si odium, perenne; si augendæ potentiæ studium, plenum aleæ; si principatus conseruationem, inutile omninò esse: non illud Catholicus Rex pijssimus, ac religiosissimus Iesu Christo, eiusque sanctissimis pedibus offeret; ac donabit Nobis, qui eius nomine, totiusq; Christianæ Reipublicæ, vt communis Orbis Pastor, ac Maximi Numinis Vicarius efflagitamus, & ad diuinæ iustitiæ tribunal monemus, & tot malorum denuntiatione cogimus, & vt Pater potissimum consulendo, adhortamur, ingentique animi contentione, affectuq; caritatis comprecamur? Planè, persuasum nunquam mihi erit, fore; vt in quę sponte aliquando, nec sine incommodo consentiet Philippus, non ea nunc probet, tot præsertim nominibus, ijsque ductus emolumentis, de quibus iam diximus; inuitetque ea etiam vtilitas, quam & afferre festinata consilia, & auferre dilata solent. Cæterùm rationi omninò congruenter fecisse illum existimabimus,

qui siue læserit, siue læsus minimè fuerit; pacem amat, initque cum hoste, cuius aut pares, aut non tàm impares, quæ timeri non debeant, vires fuerint.

Postrema bellorum causa, cupido gloriæ. Iam verò, si vehemens quædam cupido gloriæ Catholici Regis indolem, pectusque solicitat, ac in aciem prouocat, quod vltimum proposuimus: inspiciat primùm ipse finem, ad quem collimat, eumque, ne exerret, studiosiùs perpendat, necesse est; tùm fine hoc excusso, peropportuna ad ipsum media destinet: tunc enim non modò non aliquem offendet, qui cursum remoretur; verùm nos etiam cùm nostra, tùm aliorum prece prolixè Numen orabimus, vt egregiam mentem ita adgubernet, vt auspicatissimè perueniat, quò tendit. *Quæ vera gloria?* Quapropter, cum nil aliud planè sit gloria, quàm illustris quædam eximiæ virtutis fama, omnium linguis, eorum præsertim, qui excellenti iudicio præstant, celebrata; constat sanè nihil illam commune habere cum vulgi opinione, quæ veri speciem, vmbramque sectatur, non verum: atque adeò ad ipsam, non nisi virtutis via eniti quempiam. *A bellis inter Christianos Principes nũquam existet.* Igitur cùm nonnisi cum bono coniuncta virtus sit; qui sibi persuadere vnquam Philippus poterit, instituisse iam se iter gloriæ, quando aduersus Christiani nominis viros arma sumpserit, continuetque? Quo quidem bello cum Dei contemptu extendi hæresum lues cernitur; vitijsque latè dominantibus, expelli virtus ipsa; eaque tandem effundi in Orbem mala, vt nimius iam dolor præcluserit Viris bonis verba, ac lacrymas, quibus pro rei magnitudine cladem lamententur. Quæ verò hominum iudicia, ac linguæ cruenta hæc bellorum consilia dilaudabunt? Neque enim truculenta adeò ingenia, tàmque humanitatis sensu expertes animos inueniri arbitramur; quos non tangat commiseratio huiusce ne seculi dicam, tot calamitatibus obnoxij? an Philippi ipsius vbi tantæ maiestatis, opumque splendor non commodo, non dignitati, sed damno potiùs, ac dehonestamento Christiani Orbis cesserit. Tot gentilium, à fide aberrantium agmina, tot hæreticorum, Christi, Romanæque Ecclesiæ perduellium capita *Conuertenda in Catholici nominis hostes arma.* amplissimam profectò obijciunt Philippo segetem gloriæ; vt horum quidem peruicaciam vindicando, illorum ferociam compescendo, immortalitati transcribat augustum nomen. In hunc Catholicus Rex campum, fide, ac religione instructus insiliat: in hæc monstra exacuat, vibretque metuendum ensem; atque ea quidem victoria potietur, qua non modò honestari mortalium trophæis, plausuque continget; verùm Cælo etiam Deus triumphalem excipiet, condecorandum immortali coronamento lucis, gloriæque.

Belgiũ ingreditur Card. Carolus. Hæc Pauli Quarti solertissimum ingenium, ac eloquentia Carolo Cardinali monita conscripsit; quibus ille apprimè instructus, in Belgium ea quidem comitatus celebritate, ac splendore, quem & Romanum Legatum, & Maximi Pontificis nepotem decebat, profectus est. Memorare hìc porrò omiserim, vt exceptus Bruxellis fuerit Carafa. Extant eius ad Palliani Ducem [a] litteræ, quibus accuratè narrat, qua humanitate consalutatus Philippi nomine à Philiberto Sabaudiæ Duce ad secundum ab Vrbe lapidem fuerit; qua Philippus ipse comitate extra portam Legato occurrerit, atque ad Templum maximum omnium ordinum frequentia deduxerit; qua denique instructæ domus, ac seruitij magnificentia acceptus. *Exceptus magnificè à Philippo.* Illud planè exploratum, quod publicis tunc sermonibus ferebatur, nullum scilicet ex Principum Legatis, neque Cæsares ipsos, Regesque inijsse vnquam nobiliore pompa, cultuque Bruxellas, neque tàm basilicè diuersatos; quàm Carolum Cardinalem, Pauli Quarti Nepotem, ac Legatum. Iussit hæc supra communem morem, ac munificentiam agi Philippus, cùm vt præclarum in Romanam Sedem, quam principe studio venerabatur, pietatis documentum, ac specimen daret, eo præsertim Regni initio; tùm maximè, vt eo in Pontificium Legatum eximio honore testaretur, illatas bello Neapolitano Sanctæ Sedi iniurias, quæque in rem Romanam ab ea expeditione damna deriuarunt, præter animi sui sententiam, seque inconsulto ab nimio Administrorum disceptandi, tuendique regij nominis studio profecta.

a Neap. Tab. D. Pauli.

Qui cum agit de pace ineũda. Cùm primùm adiri commodùm Rex potuit, illum, prosequente insigni pompa, cœtuque procerum, Legatus conuenit; redditisque Pontificis litteris, eius interim nomine consalutauit, ac benè precatus Regi est. Tum, instituto in rem præsentem sermone, legationis consilium aperire. Præterita quidem mala deprecari Pontificem,

eam, ac summoperè gratulari, filium sibi conciliasse, cuius plurimi dignitatem, virtutemque faciebat, amabatque impensiùs; & quo auspice in spem venerat, fore, vt indicta generali Synodo, ac restituta prisca Ecclesiæ sanctitate, suum decus assereret Christiano nomini, ac moribus. Nisi deuexum iam senium operoso itineri intercessisset, fore vt ipsemet susciperet id operis, curæque non dubitasset: egisset quo coram de publica pace ineunda, sine qua assurgere ad Christianæ Reipublicæ reformationem, absolutamque disciplinam posse nemo sibi persuaserit. Eapropter eonficiendæ rei allegasse Nepotem suum, qui præclaram eius mentem exponeret Catholicæ Maiestati; precareturque, vt quando auctus tùm maximè tot palmis, triumphisque à Deo fuerat; magnum, gratumque animum ad sanandam, amplificandamque Ecclesiam appelleret, ac suum etiam Imperium ab hæreticorum, atque infidelium cladibus dilataret. Vertere in perfidiæ perniciem arma, hoc vnicam esse Christiani, magnique Principis laudem, veramque gloriam. Cum eo etiam legationis munere profectum in Galliam Cardinalem Triuultium, ac significaturum illi se, quicquid Maiestas sua iusserit; cùm in eam rem vterque incumberent, vt amplissimos Reges stabili fœdere consociarent. Hæc generatim Carafa prima allocutione; qua satis illi fuit certiorem Philippum de eximia in ipsum Pontificis beneuolentia reddere, eiusque interim voluntatem explorare, ac demulcere animum; vt ardentioribus belli consilijs abdicatis, complecteretur postmodùm mitiora, atque vtiliora. Ad hæc Philippus quàm humanissimè, agere Pontifici gratias, quòd filium obsequentissimum ea beneuolentia prosequeretur. Solicitum semper se de communis Parentis gratia fuisse; adeptam iam maximo quidem opere sibi gratulari. Quòd verò ad publica negotia spectaret, eius de sedanda Europa, Regumque animis componendis consilium prolixè dilaudare; & quando honesta peterentur, nunquam defuturum se sanctissimis votis, ac publicæ populorum tranquillitati: scireque insuper Sanctitas sua æquè sibi religionis decus, atque incrementa cordi esse: proindèque in eius reformationem, dignitatemque vindicandam fore, vt ipse nauiter incumberet, viresque, ac opes suas omnes commodaret. Tùm Legatum ipsum insigni beneuolentiæ testificatione honestauit: propensiorem se erga ipsum, ac fratres gestare animum, nec passurum vnquam gratificandæ Domus occasionem labi. Coepta ab hac Regis humanitate, studioque in Romanam Sedem legatio, spem fecit securæ mox pacis. Cùm interim Romæ Pontifex, quò rem grauissimam iuuaret, propitiando Numini flagrantissimè vacaret; Publicas ad celebriora Vrbis templa supplicationes indixit, priuatisque ipse precibus, ac lacrymis diuinam opem implorabat. Prorogari satiscenti iam ætati annos optare ea solummodò causa, testatus Nauagerio, Venetorum Legato est, vt ordinare constanti Principum caritate, ac pace Orbem posset; atque dicere illud Turonensis Episcopi solitus erat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Neque gratius quid accidere illi poterat, quàm cæteros Principes solertem, accuratamque in eo negotio operam ponere. Venetam præsertim Rempublicam id commodi curare, ac vrgere, nimiùm quantùm gratulabatur: plurimi siquidem amplissimum Senatum cum faceret; momentum sanè maximum ab eius authoritate paci constabiliendæ afferri, existimabat; dicebatque sæpiùs eidem Nauagerio, pacis fœdera, ceu gladium, vtilitati perindè, ac damno esse; & vtilissima quidem, si in ea Principes omnes, quorum intereſt, conspirauerint: contrà, ijs inconsultis, nunquam, aut perquàm rarò successisse: nec longè posita istiusmodi fœderum exempla esse; testarique liquidò pacem Cameracensem, securasque proximè quinquennales inducias, quæ non exigua peperere Orbi mala, quòd non omnium res inibi acta. Eaque propter, si quæ modò inter amplissimos Reges pax agitabatur, Sanctæ Sedis authoritate, conscioque Senatu Veneto, sanciretur, stabilem omnino fore: ac compertum habere, Romanam potestatem, ac Venetorum Rempublicam, si conuenirent, futuras quidem inter Hispanos, Gallosque, eorumque dissidia sequestres, ac medias.

Pronam paci mentem aperit Rex Catholicus.

Ac in Legatū beneuolentiam.

Iuuat publicis supplicationibus negotium Pontifex.

Cui etiam & Resp. Veneta operā nauat.

Interea temporis apud Henricum non segniùs Triuultius, qui legationem quidem amplissimis verbis excipi, commendarique, ac laudari pacem; rem verò ipsam, non vno prætextu adornato, differri aduertebat. Quarè Philippus cum hinc vrgere

Triuultius strenue rem agit apud Henricum.

 vehe-

Quiescitatur. vehementer negotium Pontificem, ac eius nomine Carafam cerneret; hinc cunctari Gallum, & vt moras necteret, controuersiarum iudicium Pontifici permittere: obsignato scripto, suorum à secretis manu; nempè Atrebatum Antistitis Granuellani, & Roderici Gomij de Sylua; aperire mentem suam, ac transmittere Romam statuit.

Quare scripto sententiam suam explicat Philippus.

Fuit verò huiusmodi: Ad ea, quæ Cardinalis Legatus Pontificis nomine Regi pro communi pace exposuit rerum capita, ac pro Regum vnà cum Pontifice conuentu, cui offert sese Pontifex ipse, vt peragi præclarum, sanctumque opus possit, hæc paucis. Quod ad pacem attinet, scire omnes, in ipsam potissimùm Philippum incubuisse, vt sub ipsum Regni initium commonstrauit, percussis cum Henrico inducijs, quò mutuæ interim componi controuersiæ possent: fractaque mox à Gallis fide; neque id consilij abiecisse; quinimmò eo maximè nomine in pacem consensurum, quòd Pontificis studium, ac vota accederent. At non eadem Gallo Regi mens, cuius ea potissimùm intentio, ac finis, vt permisso Sanctitati suæ dissensionum arbitrio, comperendinet; impetratisque inducijs, in procinctu interim sint extera subsidia, ac arma. Nam cùm plura omninò sint quæstionum, quæ excutiendæ sunt, capita; & quàm longissimè absit Pontifex, qui dirimat: diuturnius profectò expediendæ rei teratur tempus, necesse est. Quapropter probat, acceptatque gratanter oppidò Rex, quod exactæ licet ætatis Pontifex pollicetur, eò nempè loci proficisci, quò Gallus, & ipse conuenirent Sanctitatem suam: eiusque prudentiæ, summæque authoritatis momento componi armorum, atque animorum impetus, pacarique Christianus Orbis possit. Fore id Regi iucundissimum: & quanuis res minimè successerit, pretium nihilominus operæ fecisse ingens putabit, si quod diù, ac summoperè peroptauit, Beatitudinis suæ pedes libauerit; cui planè, vt vt conuentus ille cesserit, debere se plurimùm sentiet pro immortali beneficio. Communicata isthæc cum Carafa, ac missa euestigiò Romam. Quid verò fuerit, cur hic Regum cum Pontifice Senatus haberi minimè potuerit, incompertum habemus.

Ac Romam mittit.

Legati, postquam diù in ea rerum difficillimarum tractatione apud Reges, rerumque publicarum Administros, missis inter se vltrò, citròque nuntijs, egregiè desudassent; Romam reuertuntur, non infecta quidem re, quanuis sancita pax nondum fuerit. Eò siquidem solertia, studioque suo negotium perduxerant, vt ad vernum subindè consequentis anni tempus, vnà cum aeris, cælique temperie & publica sese pax, ac tranquillitas mortalibus auspicatissimè explicauerit. At ne prætereuntis omninò rem dictu gratissimam præceps nimiùm stylus videatur, ita contigisse Scriptores narrant. Gallum, vti significatum est, vltra Gentis ingenium cunctari, cùm Hispaniarum, tùm incitatissimis Orbis votis, Romanoque in primis Pontifici, à quo præclara in dies adhortamenta, ac stimuli, molestum planè erat. Quarè id commune consilium, & conatus fuit, vt Henrici moræ præciderentur; nihil siquidem propius erat, quàm vt refrigerato pulcherrimo illo pacis impetu, acriùs iræ exarderent, sæuiretque vehementiùs procella bellorum, nisi quæ cudebant sinu fulmina, difflarentur maturè nubes. Igitur cùm ille cum Pontifice conuentus contingere minùs potuisset; institui alium oportuit, vbi consulti rerum publicarum, clarique vtrinque viri, rem expedirent, conficerentque. Destinatus inter Picardiam, & Artesiam, opportunus congressui locus, Sercampon vocant. Pro Philippo conuenere Dux Albanus, Episcopus Atrebatensis, Rodericus Gomius de Sylua, Princeps Orangij, & Vlricus Viglius, Regij Consilij Præses. Pro Henrico Cardinalis Lotharingus, Comestabilis Momorantius, Sancti Andreæ Marescallus, Episcopus Aurelianensis, & Lambespina, regijs à secretis: adauxitque præstantissimi Cœtus dignitatem, ac numerum Christierna, Lotharingiæ Dux, regij, marisque spiritus fœmina, inter vtrumque Regum media; quippè vtrique affinis. Disceptari inter partes diù oportuit, cùm alia semper, atque alia succederet cœptis consilijs difficultas, Lernæa lue numerosior. Siquidem, vt grauiores plerumque causæ bella accendunt; ita restingui nonnisi ingenti labore, cutisque diuturnioribus contingit: insitumque vniuersim grauioribus rebus est, difficilè peragi. In eo potissimùm quæstio, ac mora, quòd Maria Angliæ Regina restitui sibi Caletum vellet, idque mordicùs; vt à Philippo coniuge, qui populorum magis, quàm suo commodo imminebat, exorari nun-

Reuertuntur Legati Romã.

Sancita non post multò pax publica.

Cui pertractandæ destinatus opportunior locus.

Moræ negotio Angliæ Regina afferebat.

nunquam passa fuerit, vt tot Regnorum tranquillitatem Caleto redimeret. Obfirmata hæc Reginæ mens vsque adeò negotium distulit, donec acerbissimo ipsa fato intercepta, elara communi Angliæ, atque Orbis luctu fuerit; quam secutus non post multò Reginaldus Cardinalis Polus, alterum eius Regni firmamentum; quorum sanè funere contumulatæ in Anglia sunt religio, & fides: exorto præsertim maligno illo sydere, Elisabetha, quæ adolescentem, florentemque iam pulchrè restitutæ pietatis segetem statim adflauit, corrupitque. Immatura Mariæ mors, cæterùm bonis omnibus luctuosa, id enimuerò communi rei commodi attulit, quòd maturauerit, quæ hæserat iam diù pax, quæ sancita mox fuit in Pago Cambresaciensi, ineunte Aprili mense; ijs potissimum conditionibus, vt ad religionis toto Orbe emendationem faueret Concilio generali vterque Regum, Regnorum suorum Episcopis, negotio conficiendo, eò amandatis. Tùm quæ vicissim in Belgio, Galliaque occupauerant, Oppida, ac arces, suis dominis cederent. Dux Sabaudiæ, Emmanuel Philibertus in auitam Ditionem postliminiò rediret: omnesque item exules, qui proscripti patria, ac bonis fuerant, exceptis Neapolitanis, Mediolanensibus, ac Siculis; penatibus, opibusque restituerentur. Pleraque alia in ea pacificatione sancita, erunt historias legentibus obuia. Cessere autem ingenti commodo, honorique Philippi cuncta; quando, qui præcipuus bellorum est fructus, & tueri, atque amplificari sua; & respondere amicorum fidei, recuperaris eorum opibus, bonisque, contigit. Gallum verò Regem, ne deesse optatæ paci videretur, ea semel deserere necesse fuit, quæ sibi, & pugnacissimo parenti, Francisco, pugnata non vno decennio bella peperere. Porrò, vt solicitata gentium omnium votis, ita excepta ingenti plausu ea pax fuit; ceu longè quidem auspicatior, quàm quæ inter horum Regum Patres sancita olim in Cameracensi Vrbe triginta abhinc annis fuerat. Nam vt non omnium Principum disceptationes fœdus illud diremit; ita diffundi latiùs gaudium non potuit: at verò pacta hæc animorum concordia, cum Europæ Principes omnes comprehenderit; nullam profectò à sensu voluptatis nationem, gentemque exclusit: ac celebratis vbique festis lætitiæ imiramentis, veluti communi beneficio plausere vniuersim omnes; tùm maximè, quòd secutæ Regum nuptiæ, ac Principum affinitates spem perennioris amicitiæ fecerant. Nupta siquidem Philippo Regi Catholico Henrici filia, Soror verò Philiberto Sabaudo. Ita plerumque vsu venit, vt maxima dissidia maximi nexus finiant, nempè connubia. Bonum factum: si exhausta tot capitum millia, vacuasque popularibus suis, absumptis bello, Vrbes, reparare vnum, aut alterum coniugium posset. Iam Lutetiæ Pasiorum dum regiæ cognationes, ac firmata eo nexu pax, equestri ludo celebrantur; quòd non satis sibi galea cauerat Rex Henricus, qui ludi pompam bellicæ virtutis laude implebat, transfosso aduersæ hastæ impetu dextro oculo, theatrum immani vulnere, ac fato funestauit: abstulitque simulacrum, ac vmbra certaminis, quem inter cruenta tot prælia, ac volantia circum tela tutata sua virtus, ac maiestas fuerat: vt discas, hilaria adornare persæpè luctui scenam; ac raram auem esse, non dilutam lacrymis voluptatem.

Sed ea subleta, sancita pax fuit.

Pactis vtrinque conditionibus,

Philippo perhonorificis.

Pacem excepere Regum nuptiæ,

Quas funestat suo casu Henricus.

Romam præcipuè publicæ pacis lætitia peruasit: & qui eius autor, ac præferuidus Caduceator fuerat, Pontifex nimiùm quantùm gratulatus sibi, ac Orbi est; testatus ingens gaudium solennibus supplicationibus, quas in gratiarum actionem instituit: cùm interim non modò Romæ, sed vbique terrarum insigni eius zelo plauderetur; assererentque omnes pacti fœderis laudem Paulo Quarto, qui legationibus, opportunisque officijs peregregiè negotium accurauerat, ac festinauerat. Id quod Illescas, homo Hispanus in suis Commentarijs his omninò verbis testatur. [In eo cogitationes, curæque Pauli erant, vt vitijs, prauisque moribus abrasis, Orbem expoliret. Et verò si viuere diutiùs contigisset, nulli dubium, quin præclara vota re ipsa æquasset; neque enim par erat aliter sibi ab inculpati semper moris, æuique Pontifice polliceri: qui quidem longè felicissimus haberi tandem potuit, quòd non antea diem suum obiuerit; quàm sua opera Catholici nominis Principes, sancita communi, pulchraque pace, mutuò conciliarentur: quo sanè composita Christiana Respublica, ac suæ tranquillitati restituta, accipere morum leges poterat; ac facilè

Celebratur Romæ pax publicis gratulationibus.

Et adscribitur Pauli IV. curis.

omninò erat, ab ea armorum cessatione arrigere ad Concilium generale animum, & curas.] Hæc de Principum pace, pressè quidem, & quæ solummodò ad Pauli Quarti historiam pertinent; cætera, quasi extra locum, situmque stylus appinxisset.

Thomas Golduellus, dum laborat in Anglia;

Gradum nunc referamus ad annum, in quo scriptione versamur; occurritque ex Nostratibus Thomas Golduellus, sæpè memoratus, quem inauguratum Episcopum Asaphensem redijsse in Angliam diximus, vt Gentem suam, immani Principis casu, exemploque in perfidiam prolapsam, ad Romana sacra, fidemque reuocaret, iuuaretque pijssimę Reginæ Mariæ curas. Et iuuabat profectò strenuè, consilio, opera, studijs, scriptione. Cùm mutata rerum facie ab florentissimo tranquillitatis, ac religionis statu, repetito luctu Orbis recidit res Anglicana. Elatâ siquidem, vt modò innuimus, ornatissima Maria Nouembri mense, successit Elisabetha, Henrico patre, ac matre Bolenia, enata ad exitium pietatis, ac Regni. Ergò diuexare impia fœmina Catholicos: pias sanctiones, inuectosque Romanos ritus, ac mysteriorum vsum abrogare: florentes iam studiorum splendore, diuinisque litteris

Mutato iterũ religionis, ac rerum statu,

Academias proscribere: profligatam erigere, ac fouere hæresim; Templa, aras euertere: & veluti parum esset, Regiam Infulam vsurpasse, inuolare in Pontificiam dignitatem, atque appellare se Anglicanæ caput Ecclesiæ; nempè, vt insolens, ac truculentissimum inspectandum Orbi monstrum daret, sacrorum Principem, atque Antistitam, fœminam. Aderat luctuosæ calamitati Thomas Golduellus, inspexitque suis oculis, cùm atrox sese latè effudit tempestas, vertitque momentò, atque à fundo pelagus. Ac in oborta quidem tempestate valere plurimùm gubernatoris prouidentiam, immissumque in partes omnes consilium, compertum est; vt quà vela antennasque tempestiuiùs contrahendo; quà declinando præruptam aquarum vim; quà præsenti arte, flexuque ventos ludendo, ab ineluctabili persæpè discrimine sæuientis pelagi subduxerint nauigia rectores boni. Atqui æstuante Angliæ Oceano,

In magna rerum curarũque fluctuatione versatur.

flante hæresi, ac Regina, nullam aut artem, aut iudicij industriam satis esse, experientia didicit Golduellus. Insanienti nanque Elisabethæ obtemperare impium erat; obluctari, capitale; hærere in Regno, periculosum elabi impossibile, emanatis publicè edictis, ne quis extra Regnum è popularibus gradum ferret.

In Episcopos præcipuè sæuitum in Anglia.

Catholicos omnes is turbo inuoluit, præcipuè verò Episcopos; decussitq; hos Regina ceu suprema papauerum capita: gnara ab istis oppugnari acriùs Infulatam Antistitam; eorumque exempla, atque authoritatem quàm maximo incitamento esse populis; cum intrepidè stent, firmentque pro auita religione ad pugnam animos, & gradum. Iussi duodecim Episcopi, quà doctrinarum fama, quà sanctioris vitæ laude, virtutumque omnium celebritate spectatissimi, recentem in Anglia Pontificatum, ac Reginæ vicariam Numinis potestatem asserere consensione sua, ac venerari. Nullis non cum illis actum hæreticorum artibus: adhibuitque promissa, ac minas Elisabetha, vt annuerent. Quæ quidem omnia splendidiores constantiæ triumphos adlaborasse visa sunt summis Viris; quorum digna planè annalibus, fastisque Ecclesiæ nomina hoc ordine censet * Nicolaus Sanderus. [Nicolaus Eboracensis Archiepiscopus, paulò antè Angliæ Cancellarius, Edmundus, Londinensis Episcopus, Trastallus Dunelmensis, Ioannes Vintoniensis, Thomas Lincolniensis; Turlbeus Eliensis, Turbauilus Exomiensis, Bnruus Bathoniensis, Polus Petroburgensis, Baynus Litchfildensis, Cuthbertus Cestrensis, Ogletorpus Cadiolensis, Thomas Golduellus Asaphensis.] Quem quidem nominatum postremo loco voluit Sanderus, quòd cæteris superstes diù fuerit, eoque statim elogio ornat: [Qui plenus pietatis, & dierum viginti postea annos Romæ vixit, & non ita pridem felicissimè, & sanctissimè obijt.] Hæc ille de Golduello, quem ad præclarum nostræ Congregationis, eiusque disciplinæ exemplum, atque incrementum seruatum singulari quadam Dei ope, nutuque existimamus. Nam tentata omnibus modis, quod diximus, Antistitum constantia, ac fide; cùm frustra omnia Regina intelligeret, illos expoliatos Infulis, ac opibus, custodijs mancipauit: breuique squalore carcerum, ærumnisque confectos, è vinculis asseruit in libertatem pretiosa mors, affixitque Cælo; indigna, quæ tenebrionum impietatę vexarentur præclara Catholici

** lib. 3. Schis. Angliæ.*

De Golduello Sanderi Elogium.

Cõfectis ærumnis reliquis Episcopis; Golduellus incolumis euasit.

tholici

tholici nominis lumina. Tantùm Thomæ Golduello, cui eadem cum alijs causa, non idem exitus fuit. Intima Cardinalis Poli familiaritate, suaque virtute, atque acerrimo tuendæ fidei studio celebris iam in Anglia Præsul Asaphensis. Nouerat in primis Regina; & cuius valere maximè exemplum in vulgus putabat, pertrahere in partes summa ope studuit. Accersitum aggredi munificentia, ac dignitatis, opumque incremento Virum fortissimum cœpit; Sacerdotium opulentius, ac splendidius pollicita, modò iurare in nouum illud Anglicanæ Ecclesiæ Caput velit, ac supremam sacrorum in eo Regno moderatricem, Elisabetham profiteri. Nihil absurdius Viro Romanæ, ac Pontificiæ præsertim authoritatis studiosissimo. Et qui Arcem, quò à furentis Reginæ impressione confugeret, nempè suum Clericorum Regularium Ordinem habebat; cogitare Italiam cœpit: fauitque consilio diuinum Numen. Enimuerò, quanquàm nullus videretur fugæ locus, custodijs, videlicet, per amplissimum latè Regnum dispositis; cautumque capitali mulcta esset, ne cuiquam pateret ex Anglia exitus: attamen, rem feliciùs Deo adgubernante, mutato Asaphensis habitu, vultumque alium ementitus, dilapsus Regno est.

Qui tentatur opulentiore Sacerdotio,

Respuit generosius.

Italiam cogitat.

Euasitq; Anglia mutato habitu.

Neque verò carpenda hìc magni Antistitis, aut caritas, quòd Patriam, cùm maximè conflagraret, posceretque suis malis opem, reliquerit; aut constantia, quòd pulcherrimam mortem, palmamque fuga declinauerit. Etenim non is erat Golduellus, quem in communi Patriæ conflagratione prænobilis quidam mortis, fideique ardor non inflammaret; aut adeò sub præclara Infula vilem animam gestabat, vt carcerum squalor, ferrumque, ac vultus fœminæ terrerent. Certè cum Neapolim sese in Paulinæ Domus stationem, vnde in Angliam discesserat, recepisset; commiserari regni cladem, illacrymari animorum iacturæ, succensere hæreticorum sæuitiæ assiduò videbatur: veluti id solum reliquum bonorum pietati fuerit, zeloque Pontificum; inundantem nimirum, grassantemque nullo obice hæresim deplorare. Ac dicere solitus erat quòd nunquam eò adduci potuisset, vt cederet Regno, commendatasque sibi à Deo oues in eo rerum discrimine relinqueret; si aliquam iuuandæ religionis affulgere spem, vel exiguam, in eo truculentissimi imperij initio vidisset: substitisset enimuerò, vel exitij sui certus: neque tantùm Nouatorum natio, eorumque odium, ac furor, & irata mors valuissent; vt à ruendis Anglis suis, propugnandaq; Romana fide absterrerent. Neq; profectò ignorabat, quę eius erat insignis eruditio, quod de sancto Germano, Antisiodorensi Episcopo Constantinus Presbyter narrat: scilicet, non verberatum modò, sed multiplici sauciatum in somnis vulnere à D. Petro, Apostolorum Principe, fuisse; quòd hanc ipsam Angliam ad idola vergentem deserere meditaretur: proindèque nisi iustissima se causa extra conclamatæ iam spei Regnum propelli intellexisset Vir optimus; an non eodem se plectendum supplicio, maximoperè metuere potuisset? Eapropter cum præsentem rerum statum Vir prudentissimus perindè, ac sanctissimus circumspexisset; ac nullo operæ, moræque fructu stationem illam futuram intellexisset: subducere se certæ cladi statuit, vt succedere subindè, refrigerata Reginæ rabie, suo muneri opportuniùs posset iuxta illud Demosthenis apud [a] Tertullianum: Qui fugerit, iterum præliabitur. Et sanè semel ac iterum incitatus in salutem Patriæ, animorumque procurationem Golduellus, suscepto difficillimo itinere aditum in Angliam tentasse, in loco dicemus. Præclarè quidem hoc docuit Saluator ijs verbis: [Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.] Vt planè haud æquum sit cum [b] Tertulliano pronunciare, indecorum, atque illicitum esse Christiano homini fugere; quando id Saluator non suaserit modò, verùm, vt communis Patrum sententia est, præcepto etiam cauerit: obseruatumque postea ab Apostolis, Christianæ firmitatis, fideiq; Antesignanis, fuerit; ac secuta mox fidelium examina, & virtus ad hanc Præceptoris amussim, ideamque conformata, mutata sæpiùs sede, & clandestinæ fugæ præsidio, Romanorum Cæsarum, Regumque imperia, ac vim strenuè luserint. Neque hìc porrò celeberrima magni Athanasij, perpetuò fugientis consilia, tritumque vestigijs suis Orbem, aut Cypriani per biennium secessum laudauerim; quando si eorum, quos fuga illustrior commendauit, recensere nomina animus esset, catalogo non sufficeret stylus. Et suadet id etiam ratio; nam etsi generosum, altumque aliquid spirat, non

Laudabilis Golduelli fuga.

Quando nullus à mora operæ fructus.

Et redire opportuniùs, animus erat.

a De fug. in persq.

Præcipit id Saluator.

b De fug. in persq.

Et obseruarunt Apostoli.

Et sanctissimi Patres.

Et est rationi conforme.

omninò erat, ab ea armorum cessatione arrigere ad Concilium generale ani mum, & curas.] Hæc de Principum pace, presse quidem, & quæ solummodò ad Pauli Quarti historiam pertinent; cætera, quasi extra locum, situmque stylus appinxisset.

Thomas Golduellus, dum laborat in Anglia.

Gradum nunc referamus ad annum, in quo scriptione versamur; occurritque ex Nostratibus Thomas Golduellus, sæpè memoratus, quem inauguratum Episcopum Asaphensem redijsse in Angliam diximus, vt Gentem suam, immani Principis casu, exemploque in perfidiam prolapsam, ad Romana sacra, fidemque reuocaret, iuuaretque pijssimę Reginæ Mariæ curas. Et iuuabat profectò strenuè, consilio, opera, studijs, scriptione. Cùm mutata rerum facie ab florentissimo tranquillitatis, ac religionis statu, reperito luctu Orbis recidit res Anglicana. Elatâ siquidem, vt modò innuimus, ornatissima Maria Nouembri mense, successit Elisabetha, Henrico patre, ac matre Bolenia, enata ad exitium pietatis, ac Regni. Ergò diuexare impia fœmina Catholicos: pias sanctiones, inuectosque Romanos ritus, ac mysteriorum vsum abrogare: florentes iam studiorum splendore, diuinisque litteris Academias proscribere: profligatam erigere, ac fouere hæresim; Templa, aras euertere: & veluti parum esset, Regiam Infulam vsurpasse, inuolare in Pontificiam dignitatem, atque appellare se Anglicanæ caput Ecclesiæ: nempè, vt insolens, ac truculentissimum inspectandum Orbi monstrum daret, sacrorum Principem, atque Antistitam, fœminam. Aderat luctuosæ calamitati Thomas Golduellus, inspexitque suis oculis, cùm atrox sese latè effudit tempestas, vertitque momentò, atque à fundo pelagus. Ac in oborta quidem tempestate valere plurimùm gubernatoris prouidentiam, immissumque in partes omnes consilium, compertum est; vt quà vela antennasque tempestiuiùs contrahendo; quà declinando præruptam aquarum vim; quà præsenti arte, flexuque ventos ludendo, ab ineluctabili persæpè discrimine sæuientis pelagi subduxerint nauigia rectores boni. Atqui æstuante Angliæ Oceano, flante hæresi, ac Regina, nullam aut artem, aut iudicij industriam satis esse, experientia didicit Golduellus. Insanienti nanque Elisabethæ obtemperare impium erat; obluctari, capitale; hærere in Regno, periculosum elabi impossibile, emanatis publicè edictis, ne quis extra Regnum è popularibus gradum ferret.

Mutato iterũ religionis, ac rerum statu,

In magna rerum curarũque fluctuatione versatur.

In Episcopos præcipuè sæuitum in Anglia.

Catholicos omnes is turbo inuoluit, præcipuè verò Episcopos; decussitque hos Regina ceu suprema papauerum capita: gnara ab istis oppugnari acriùs Infulatam Antistitam; eorumque exempla, atque authoritatem quàm maximo incitamento esse populis; cum intrepidè stent, firmentque pro auita religione ad pugnam animos, & gradum. Iussi duodecim Episcopi, quâ doctrinarum fama, quâ sanctioris vitæ laude, virtutumque omnium celebritate spectatissimi, recentem in Anglia Pontificatum, ac Reginæ vicariam Numinis potestatem asserere consensione sua, ac venerari. Nullis non cum illis actum hæreticorum artibus: adhibuitque promissa, ac minas Elisabetha, vt annuerent. Quæ quidem omnia splendidiores constantiæ triumphos adlaborasse visa sunt summis Viris; quorum digna planè annalibus, fastisque Ecclesiæ nomina hoc ordine censet [a] Nicolaus Sanderus. [Nicolaus Eboracensis Archiepiscopus, paulò antè Angliæ Cancellarius, Edmundus, Londinensis Episcopus, Trastallus Dunelmensis, Ioannes Vintoniensis, Thomas Lincolniensis; Turlbeus Eliensis, Turbauilus Exomiensis, Buruus Bathoniensis, Polus Petroburgensis, Baynus Litchfildensis, Cuthbertus Cestrensis, Ogletorpus Carliolensis, Thomas Golduellus Asaphensis.] Quem quidem nominatum postremo loco voluit Sanderus, quòd cæteris superstes diù fuerit, eoque statim elogio ornat: [Qui plenus pietatis, & dierum viginti postea annos Romæ vixit, & non ita pridem felicissimè, & sanctissimè obijt.] Hæc ille de Golduello, quem ad præclarum nostræ Congregationis, eiusque disciplinæ exemplum, atque incrementum seruatum singulari quadam Dei ope, nutuque existimamus. Nam tentata omnibus modis, quod diximus, Antistitum constantia, ac fide; cùm frustra omnia Regina intelligeret, illos expoliatos Infulis, ac opibus, custodijs mancipauit: breuique squalore carceris, ærumnisque confectos, è vinculis asseruit in libertatem pretiosa mors, affixitque Cælo; indigna, quæ tenebrionum impietatę vexarentur præclara Catholici

a lib. 3. Schis. Angliæ.

De Golduello Sanderi Elogium.

Cõfectis ęrumnis reliquis Episcopis; Golduellus incolumis euasit.

tholici nominis lumina. Tantùm Thomæ Golduello, cui eadem cum alijs causa, non idem exitus fuit. Intima Cardinalis Poli familiaritate, suaque virtute, atque acerrimo tuendæ fidei studio celebris iam in Anglia Præsul Asaphensis. Nouerat in primis Regina; & cuius valere maximè exemplum in vulgus putabat, pertrahere in partes summa ope studuit. Accersitum aggredi munificentia, ac dignitatis, opumque incremento Virum fortissimum cœpit; Sacerdotium opulentius, ac splendidius pollicita, modò iurare in nouum illud Anglicanæ Ecclesiæ Caput velit, ac supremam sacrorum in eo Regno moderatricem, Elisabetham profiteri. Nihil absurdius Viro Romanæ, ac Pontificiæ præsertim authoritatis studiosissimo. Et qui Arcem, quò à furentis Reginæ impressione confugeret, nempè suum Clericorum Regularium Ordinem habebat; cogitare Italiam cœpit: fauitque consilio diuinum Numen. Enimuerò, quanquàm nullus videretur fugæ locus, custodijs, videlicet, per amplissimum latè Regnum dispositis; cautumque capitali mulcta esset, ne cuiquam pateret ex Anglia exitus: attamen, rem feliciùs Deo adgubernante, mutato Asaphensis habitu, vultumque alium ementitus, dilapsus Regno est.

Qui tentatur opulentiore Sacerdotio,

Respuit generosius.

Italiam cogitat.

Euasitq; Anglia mutato habitu.

Neque verò carpenda hìc magni Antistitis, aut caritas, quòd Patriam, cùm maximè conflagraret, posceretque suis malis opem, reliquerit; aut constantia, quòd pulcherrimam mortem, palmamque fuga declinauerit. Etenim non is erat Golduellus, quem in communi Patriæ conflagratione prænobilis quidam mortis, fideique ardor non inflammaret; aut adeò sub præclara Infula vilem animam gestabat, vt carcerum squalor, ferrumque, ac vultus fœminæ terrerent. Certè cum Neapolim sese in Paulinæ Domus stationem, vnde in Angliam discesserat, recepisset; commiserari regni cladem, illacrymari animorum iacturæ, succensere hæreticorum sæuitiæ assiduò videbatur: veluti id solum reliquum bonorum pietati fuerit, zeloque Pontificum; inundantem nimirum, grassantemque nullo obice hæresim deplorare. Ac dicere solitus erat quòd nunquam eò adduci potuisset, vt cederet Regno, commendatasque sibi à Deo oues in eo rerum discrimine relinqueret; si aliquam iuuandæ religionis affulgere spem, vel exiguam, in eo truculentissimi imperij initio vidisset: substitisset enimuerò, vel exitij sui certus: neque tantùm Nouatorum natio, eorumque odium, ac furor, & iurata mors valuissent; vt à tuendis Anglis suis, propugnandaq; Romana fide absterrerent. Neq; profectò ignorabat, quę eius erat insignis eruditio, quod de sancto Germano, Antisiodorensi Episcopo Constantinus Presbyter narrat: scilicet, non verberatum modò, sed multiplici sauciatum in somnis vulnere à D. Petro, Apostolorum Principe, fuisse; quòd hanc ipsam Angliam ad idola vergentem deserere meditaretur: proindèque nisi iustissima se causa extra conclamatæ iam spei Regnum propelli intellexisset Vir optimus; an non eodem se plectendum supplicio, maximoperè mereri potuisset? Eapropter cum præsentem rerum statum Vir prudentissimus perindè, ac sanctissimus circumspexisset; ac nullo operæ, moræque fructu stationem illam futuram intellexisset: subducere se certæ cladi statuit, vt succedere subindè, refrigerata Reginæ rabie, suo muneri opportuniùs posset iuxta illud Demosthenis apud [a] Tertullianum: Qui fugerit, iterum præliabitur. Et sanè semel ac iterum incitatus in salutem Patriæ, animorumque procurationem Golduellus, suscepto difficillimo itinere aditum in Angliam tentasse, in loco dicemus. Præclarè quidem hoc docuit Saluator ijs verbis: [Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.] Vt planè haud æquum sit cum [b] Tertulliano pronunciare, indecorum, atque illicitum esse Christiano homini fugere; quando id Saluator non suaserit modò, verùm, vt communis Patrum sententia est, præcepto etiam cauerit: obseruatumque postea ab Apostolis, Christianæ firmitatis, fideiq; Antesignanis, fuerit; ac secuta mox fidelium examina, & virtus ad hanc Præceptoris amussim, ideamque conformata, mutata sæpiùs sede, & clandestinæ fugæ præsidio, Romanorum Cæsarum, Regumque imperia, ac vim strenuè luserint. Neque hìc porrò celeberrima magni Athanasij, perpetuò fugientis consilia, tritumque vestigijs suis Orbem, aut Cypriani per biennium secessum laudauerim; quando si eorum, quos fuga illustrior commendauit, recensere nomina animus esset, catalogo non sufficeret stylus. Et suadet id etiam ratio; nam etsi generosum, altumque aliquid spirat, non dare

Laudabilis Golduelli fuga.

Quando nullus à mora operæ fructus.

Et redire opportuniùs, animus erat.

[a] De fug. in persecq.

Præcipit id Saluator.

[b] De fug. in persecq.

Et obseruarunt Apostoli.

Et sanctissimi Patres.

Et est rationi conforme.

dare terga hosti; & pulchrè stantium, aut occumbentium exemplo firmentur trepidantium pectora, & crescat irrorata sanguine Christi seges: nihilò tamen minùs, sunt quædam Christianæ prudentiæ leges, quibus seruare opportuniori vsui vitam iubemur. Erudiendis quippe per summam animi contentionem mortalibus, firmandæque fidei diù, multumque insudare, quis neget, operosius quid esse, ac maius, quàm statim mori, ac defungi grandioribus ijs curis. Quòd si mori fortiter fidem probat, adaugetque; certè qui fugit, cùm intentatæ mortis imaginem secum ipse circumferat, singulis momentis strenuè moritur. Præterea da persecutioni, Tyrannisque statim manus; vt adolescet Ecclesia, & fides, decussa in flore segete? At verò, qui modò consternati metu fugere videbantur, quòd postea in campum resiliant, religionemque intrepidè profiteantur, quantum id animorum Catholicis sufficit? Qui Tyrannis pudor, vel ab ipsis fugientibus triumphari? ceu prudenti ea fuga Parthos imitentur Viri sancti, quibus pedibus fugere, redire telo, mos erat. Igitur, & quòd probè consulitur Christianæ rei opportuna mortis declinatione; & quòd diuturniore certamine, gloriarum, siue martyriorum cumulus excrescit fidelibus: non modò fugere interdùm expedit, sed iubemur, si possumus. Ac proindè congruenter diuinis præceptionibus, rationique fecisse Golduellus noster dicendus est, quòd crudeles terras, sæuientemque impotenter fatis Reginam fugerit, mox reditutus, martyrij candidatus. Interim Neapolitano in Cœnobio, quò insequenti mox anno peruenit, assertus pristinæ tranquillitati, ita vitæ suæ rationes instituit, Asceta Infulatus, vt non Infulis, non dignitati habendam rationem putaret. Communes labores, curasque subire, communi mensa refici, nocturnæ, diurnæque psalmodiæ interesse, vt æquali quidem Theatini moris cultu vir priuatus, ac cæteris pars diligentiore verò obseruantia Præsul videretur: ac incitamento planè magno omnibus esset exacta ea virtus, cui & Paulinam illam Domum regere contigit, non ita multò post, vt dicemus.

Maius quid diutiùs insudare, quàm mori statim.

Fugere, Ecclesiæ fructuosus,

Et gloriosus.

Neapolim se recipit ab ea fuga Golduellus.

Religiosa eius viuendi ratio.

Finis verò huic libro imponatur; sed non antequàm perstrictum breuiter fuerit, quod adnotari è re ducimus. Habita hoc anno Societatis Iesu Comitia fuere [a], in quibus duo statui iussit Paulus Quartus. Alterum, vt quem vniuersim Religiosi Ordines recitandi in Odeo horas canonicas interdiu, noctuque morem teneret, Iesuitarum etiam Ordo vsurparet. Alterum, vt Generalis Societatis Præfectura triennij non ampliùs spatio definiretur. Quæ quidem, vt obtemperare statim Pontifici viderentur, sanciuere Capituli consulto Patres; eaq; suis Constitutionibus, quas imprimi consequenti mox anno Romanis Typis curarunt, inseruere: laudatoque prolixè consilio Pontifex, & Constitutiones illas, quas doctissimis antea Cardinalibus examinandas dederat, adprobauit & priuilegia quæ largita ab antecessoribus Pontificibus Societati fuerant, ad eximiæ in illam voluntatis argumentum vltrò confirmauit. Et psallendi quidem institutum, cęterorum Ordinum ritu susceptum retentumque, quoad Paulus vixit; eo verò extincto, quòd primæuę institutioni, suisq; viuendi rationibus minùs cōsentaneum dicerent, abrogatum. Quę quidem hìc ideò cōmemorauimus, vt à quadam Paulum IV. Sanctiss. Pontificem, nota absolueremus; Scimus nanq; hac pręcipuè dē causa, quòd inuehere in Iesuitas Odeum voluerit, insimulatum, ceu Societati minùs beneuolum, quippè qui immutare institutum, ac refigere eius leges pertentauerit. Neque verò deest ex eius Ordinis Scriptoribus, qui disposita magnificè tabula, sueque Societatis progressionibus per capita, ac veluti sub signis, non sine fastu, centuriatis, qua classe, aut loculamento incrementa Ordinis recenset; hæc habet: [Moritur Paulus Quartus.] Ita ne verò? Excessus beneuolentissimi Pontificis in incrementum communis rei computatur; atque id quidem, quòd psalmodiæ Clericos addixisset? Cum verò Pontifex idem Paulus antè annos quatuor consalutatur, nulla in eius Societatis fastis inaugurati in Sacrorum Principem Cardinalis Theatini mentio: Cum tamen Orlandini fide constet, & nos alibi adnotauimus, in ipso statim æstu gratulationum; excepto peramanter aduoluto suis pedibus Ignatio, amplificandæ Religionis spem non exiguam fecisse; statimque de fundando Romano Collegio, eumque fortunis multò opulentioribus, quàm Iulius Pontifex Tertius decreuerat, cumulando, cogitasse: tùm Olauium, & Laynium publicis

a Franciscus Sacchinus hist. Societ. par. lib. 2. ad ann. 1558.

Quid statui in Societatis Iesu Comitijs iusserit Paulus IV.

Odeum abrogant Iesuitæ.

Nostrùm Ioannes Rho. Interr. Apolog.

Pauli Quarti ornandæ Societatis Iesu voluntas.

blicis de re Romana consultationibus adhibuisse, ac Laynium quidem Purpuræ destinasse: &,ª vt Victorellus narrat, ipsemet Pontifex Salmeroni, & Laynio dixerat, Istam benedictam Societatem Ego semper iuui. Vt alia interim ad Ordinis dignitatem, & commodum singularis beneuolentiæ argumenta prætermittantur. Certè inter prospera numerari Pauli Quarti mortem, nescio an iure poterit: publicæ siquidem preces vt legitimis, statisque horis in Choro canerentur præcipere, quis vnquam dixerit, conuellere Iesuitarum instituta, hoc esse. Immò vt par est credere de Sanctissimo Pontifice, bonique religiosissimæ Societatis percupido, ad ipsius id decus, ornamentumque pertinere existimabat. Nouerat enimuerò, Clericorum potissimas partes esse, pensum hoc publicè persoluere: nouerat vetustissimum in Ecclesia morem, nascenti Christianæ religioni coæuum; hunc Apostolos tenuisse; manauisse in reliquam Ecclesiam, Orbemque vniuersum, ab eo fonte: nullum subindè siue ad orientem, siue ad accidentem Solem Religiosorum hominum Coetum ad Dauidicæ, communisque eius Cytharæ modos non cecinisse. Hinc accuratum Aristitum, ipsorumque Pontificum Maximorum studium, vt præcipuus hic colendi Numinis ritus concinnè, modulatè, ad numerum perageretur. Quapropter quod laudabile, sanctumque est Odei institutum; nonnisi maximæ dignitati, decorique esse cuipiam Ordini potest: proindèque quæ tot ornamenta, ac decora virtutum Societas Iesu enumerat; quę in tradendis egregiè litteris, colendisque ingenijs, in formandis pietate mortalibus, in profligandis strenuè vitiorum, ac hæresum monstris, in difficillimis ad remotissimas à nostro Orbe, ac fide gentes expeditionibus, in assidua animorum causa, quæstuque, tàm præclaram operam ponit; si commune id canendi studium, chorumque admisisset, fore, vt nihil ad absolutissimam Clericorum Regularium, religiosæque disciplinæ formam desiderari in ea posset, persuasum habuit Paulus Quartus. Hæc nimirùm candida Pontificis, Ecclesiasticorum rituum, diuinique cultus studiosissimi, mens fuit; quam secùs interpretari, nulli profectò sine tanti Viri, eiusque innocentiæ, morumque labe licuerit. Quod verò Diuus Ignatius, cæterique Ordinis Patres id consilij non probauerint; certè à præclara item, quam conceperant, magnorum operum idea profectum. Nam qui toti esse in animorum salute, ac disciplina, decreuerant; ardentissimum illud, atque actuosissimum vitæ genus minùs conuenire cum Odeo putauerunt; atque adeò imminutum iri ab diurno, nocturnoque illo diuini officij penso fructui, quem animo comprehenderant. Itaque vt tueri Iesuitas egregiam mentem, cœptamque Spartham, decorum; ita condecorare Societatem, hoc diuinarum laudum instituto Paulum voluisse, laudabile item fuit. Illi quidem seruandas sibi leges suas duxere, quas non infringi, aut immutari Pontifex putabat; cum adaucto Sodalium, ac operarum numero, & immitti in externas expeditiones manipuli, & contineri canendo Numini Clerici domi possent. Contraria persæpè inter sese consilia videntur, quæ in eundem omnino scopum collineant. Maiorem Dei gloriam Ignatius, hanc etiam propositam sibi habuit Pontifex: qui ab altiore quadam specula prospectans, id intueri, atque accurare maximè videbatur, vt sacrorum cultus, ac Dei gloria excresceret. Excurrit huc calamus, nec planè displicet. Scire nanque posteros decet, nunquam Societati Iesu, quam cumulare beneficijs studuit, infensum fuisse Paulum Quartum: ac proindè quando insignis in eo beneuolentia, & caritas in præstantissimam disciplinam semper fuit; debere nos, qui ab eo Capite fluximus, idem in eandem studium, affectumque profiteri. Refert nanque plurimùm ad membrorum nexum, si capita nunquam dissenserint.

ª Add. ad Ciacon.

Chorus præcipua Clericorum cura.

Quem ornamento Iesuitis futurum, putauit Paulus IV.

Cui in præcipiendis diuinis laudibus sincera, ac laudabilis mens fuit.

LIBRI NONI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DECIMVS.



ANNVM voluentis sęculi nonum supra quinquagesimum ingredimur, cuius quidem initio nihil Maximo Pontifici Paulo gloriosius; ac si æstimare ab humanitatis sensu rem velimus, nihil acerbius fuit. Siquidem animaduertisse acriter in Nepotes, ac propinquos suos, eorumque crimina vindicasse, vt famam magni nominis, infractique pectoris adauxit; ita exulcerari actiùs Patrui animum oportuit. Hæret intimè medullis, vi quadam naturæ impressus, affixusque amor, atque affectus in consanguineos; vt exui, ac diuelli, nisi violenter, non possit: ac proindè etsi intrepidè, nec sine constantiæ laude, interdum id fiat; fieri tamen sine sensu doloris, ipsiusque vulnere humanitatis nunquam poterit. Memorabile sanè seueritatis, ac iustitiæ exemplum id Pauli fuit; licetque hinc coniectari, quo zelo aliena crimina insectaretur, quando domestica, & quæ dissimulare affectus solet, tanti rigoris documento mulctauerit. Reuersum Romam diximus Carolum Cardinalem è Belgica legatione: in qua quod ad publicam rem pertinet, sancita hoc anno inter Principes, vti significauimus, pace, manifestum omninò est, negotium quàm diligentissimè accurasse; ac penè ad vmbilicum perduxisse. Qua verò parte priuatis commodis incumbebat; cùm plura suæ Domui, propriæque dignitati amplificandę pertentasset, adspirare votis suis regiam Aulam non contigit; cumulatæque duntaxat spes, ac pollicitationes fuere, ne abire infecta omninò re sua videretur. Argumenta isthæc, siue inclinantis iam fortunæ initia, videri potuerunt. Nam coniurata in suæ Purpuræ, fratrumque exitium, non ita multò postquàm Romam appulit, plurimorum studia inuenit: valuitque adeò impetus, vt ab illo Romanæ rei culmine deiecerint. Et verò tanti casus, ruinæque Domus regnatricis non vnam oportuit causam extitisse. Ferunt, Ducem Guisæ, cui in ea Campani belli expeditione minùs conuenerat cum Carafis, nonnihil eorum opinioni apud Pontificem detraxisse, ac primam in eos veluti impressionem fecisse. Improsperè scilicet pugnatum eorum causa; non pactas inter sese copias, non arma, non commeatus in procinctu habuisse. Quæ quidem etsi ad veri speciem exponerentur, haud ex facili tamen credenda existimauit sapientissimus Pontifex; gnarus, communem, ac mutuam inter bellorum administros eam criminationem esse: natura quippè comparauimus, vt fortunatum armorum euentum sibi quisque arroget; cùm verò infeliciter talus cecidit, reijcere in alterius ignauiam, pronum. Non latuere hæ Guisij criminationes Carafas; & qui in ea procuratione bellorum irrepsisse pleraque sciebant, quæ comperta Pontifici: eique inculcari nollent; cauendum opportunius putarunt; idque potissimùm curandum, ne cui pateret ad illum aditus, qui ea rerum commemoratione, aliorumque, quæ passim admittebantur, vulnerare eius aures, atque animum possent. Igitur dispositæ non modò ante Pontificis conclaue, ac extra velum; verùm etiam in ipso Vaticani aditu custodiæ, Virique solertissimi, quorum illæ erant partes, vt suspectos arcerent, aut luderent. Cùmque audire publicè singulis mensibus quoslibet, vel infimæ sortis homines Pontifex constituisset; ij nihilominùs tantummodò admittebantur, quos beneuolos, neque ingrata narraturos, scirent. Caritatem in Patruum prætexebant, ne confectæ ætatis Pontificem negotiorum moles obtueret. Quod sanè, vt ad negata magis inardescimus, exstimulare plurimo-

Pauli IV. seueritatis exēplum in Nepotũ mulctā.

Improsperè rem suā priuatam gessit Card. Carolus apud Phil. Reg.

Labentis iam fortunæ argumentum.

Carafarum expulsionis causæ.

Primum à Duce Guisio telum.

Præcluditur à Carafis ad Pontificem aditus.

Quod plurimorũ inuidiā exacuit.

cimiorum animos, conceptosque in Carafas impetus, fuit; accidit nanque sæpius, vt quibus caueri maximè nobis putamus, ea lentè cladem solicitent, maturentque.

Præcipuè Marchionissæ à Valle.

Quæ Hieremiæ opera vtitur in Carafas.

Quid consilij inuierint.

Res ab alijs aliter.

Medicei Orator exclusus à Pontificis aditu.

Et iniuria affectus.

Conqueritur cũ Pontifice Mediceus.

Perorante irẽ Cardinale Vitellio.

Inflammatur in Nepotes Pontifex.

Cuius indignationem Hieremiæ acius conflabellat.

Quæ præsertim indignè hæc ferre videbatur, Marchionissa à Valle fuit, Pauli Quarti Neptis; cui, quòd vehementer addubitabant, ne pleraque Pontifici aperiret, interclusus omninò ingressus. Inire igitur rationem cœpit optima fœmina, qua, ludificata Carafarum diligentia, insusurraret in Pontificis aures, quæ vellet. Hieremiam Salodiensem, Virum ex Nostratibus, vt aliàs memorauimus, innocentissimum, exactæque prudentiæ, Pontifici Paulo intimum, eique à secretiore cubiculo, in eius rei consilium adhibere secum ipsa reputauit: collatisque vnà votis, itum in eam sententiam, vt Hieremias schedulam in Pontificis breuiario reponeret: in ea summa quædam rerum capita, velut ad specimen, adnotaret; longè plura polliceretur, si id velle, obsignata Pontifex sua manu schedula, significaret. Occasionem visus Paulus gratanter arripuisse. Raro siquidem, ac nonnisi his artibus venire in Pontificum conclauia propinquorum mores, & facta, optimè nouerat: factumque id diuino planè nutu putauit, vt perspectæ sibi nepotum vitæ, agendique rationes forent, de quibus quædam iam prudentissimi senis animum suspicio occupauerat. Ergò subscripsit schedulæ Pontifex; ostenditque, gratum sibi fore, si dicerent. Eapropter Hieremias, Pontificis, eiusque existimationis studiosissimus, quem zeli ardor non mediocriter vrgebat; aperire pleraque, obsequij sui partes putauit: addiditque, Virgilium Cardinalem Rosarium, rerum, quæ in Aula gerebantur, apprimè gnarum, habere etiam non pauca, quæ palàm faceret. Hæc ex Campana, alijsque; quanquam quæ ad Hieremiam pertinent, non ea vsum schedulæ solertia, neque autorem fuisse operis, asserant Thuanus, & Adrianus; ac rem Bonfiliacio, Cosmi Medicei, Etruriæ Ducis Oratori adscribunt. Qui quidem Bonfiliacius, cùm pleraque rerum momenta, vt cum Pontifice transigeret Principis sui nomine, in mandatis haberet; eius conueniendi, alloquendique facultatem impetrare nunquam poterat, artibus nempè Cardinalis Carafæ, quem ferunt, & eaillum etiam contumelia irritasse: vt flagitantem ad se aditum, admiserit quidem ad velum vsque; sed obductis repentè foribus, mox exclusisse. Ergò Bonfiliacius, compositis ad Cosmum litteris, & moram, & conuicium narrat; qui data confestim Cardinali Vitellio ad Pontificem epistola, conqueri de Carafis quàm acerbissimè, quæ per Ditionem Ecclesiasticam, ac per omnem Italiam eorum imperio auarè statuebantur, fusè narrare; tùm alia, quæ vulgò iactabantur, aperire; ad quæ Vitellij authoritate, & facundia, qui & eorum fastum, & facta oderat, & gratia apud Pontificem valebat, non minimùm planè ponderis accessit. His commotus vehementer Pontifex, accersiri Oratorem iubet, accepitque perhumaniter, Carolo subiratus, quòd accessu interdixerit: qui quæ iam Pauli animum accenderat, iracundiam, mirificè concitauit, amplificata tùm Nepotum viuendi licentia, tùm maximè iniuria, qua ipsum affecerat Carolus. Sunt verò, qui scribunt, Bonfiliacium post acceptam à Carafa contumeliam, non expectatis Cosmi litteris, cùm primùm sese dedit occasio, ingressum vi quadam ad Pontificem, ac narrasse diserrè, ardenterque quæ diximus. Quæ quidem intimo quodam animi sensu Pontifex inaudiuit; vtque pleniore fide constarent, accersitum Hieremiam, vt quàm diligentissimè de ijs inquireret, referretque subindè, quæ resciuisset, iussit. Id quod & Pontificis imperio, & suomet zelo adactus, exactè, atque egregiè præstitit Vir probus; significauitque, quæ & scire Paulus vellet, & nollet facta.

Accessere in Carafas Cardinalium criminationes.

Contigere hæc ineunte hoc anno nono & quinquagesimo, ipso Ianuarij mensis initio: quo item tempore, quòd immineret iam Carafis, florentique eorum fortunæ arcana vi quadam casus, caluere nouis accusationibus Pontificis aures; & ex Augusto præsertim Ordine plerique, siue illos priuata quædam iniuria exerceret, siuè publicæ rei damnum, ac sensus tangeret, summa cum dicendi libertate, quæ sentirent, monuere: eò vel maximè, quòd soluta quadam de Sacræ Inquisitionis negotijs, quam Pontifex habuerat, Congregatione, conqueri cum ipsis non medio-

crlter contigerat, quod quæ Romæ, quæ foris, quæ à suis præcipuè agerentur, minimè ipsi aperirent; quorum eas esse partes scirent, vt quæ exorbitant, aut quoquo pacto peccant in Republica, moneant. Soliciravit verò non minimùm sub id tempus concitatum abundè iam Pontificis animum Cardinalis Pacechi dictum. Nam cùm ipse de Cardinalis Montani, quem aliàs memorauimus, morum licentia coràm Patribus ageret; atque exaggerata vehementiùs summæ dignitati dissentanea viuendi ratione, vindicandos eos mores, qui Purpuram dehonestabant, existimaret: qui Montano fauebat Pacechus, in hæc verba sententiam suam dixit. Dignum quidem reprehensione, ac mulcta esse Cardinalem de Monte, etsi excusare illum flos æui, atque ardor possent, non diffiteor: attamen si qui puniendi mores essent, incipere animaduersio, ac rigor à nobis deberet. Hæc altiùs in Pontificis animum descendere, ceu domesticorum, ac Nepotum facta notare voluerit Pacechus; eosque innuerit primùm increpandos, quos non melior causa absolueret. Adaugebant hæc in dies Pontificis indignationem; creuitque adeò zelus, vt nemo iam impunè Nepotum causæ faueret. Acciditque, vt Cardinalis Alexandrinus, qui postea Pius Quintus, cùm effusum in querelas Pontificem, suorumque mores acerbè execrantem; lenire excusatione, & quadam illecebra verborum vellet senserit illicò, quis ardor, zelusque iustitiæ ingens pectus corripuerit. Siquidem in ipsummet, qui patrocinari visus fuerat, excandescens: Vereor, inquit, ne de te Numen pœnas sumat, qui eo huc animo accessisti, vt excusares. Abi, & caueas, ne hanc iterum mentem, ac patrocinium huc afferas.

Cardinalis Pacechi dictum.

Tueri quemquam Nepotum causam, Pontifici molestum.

At enimuerò, etsi innocentissimum Pontificem, & qui suam Domum cuiusdam veluti sanctimoniæ specimen cæteris vellet, soluti Nepotum mores intimè affecerint, inflammarintque vehementiùs; præcipuam nihilominùs causam, cur illos proscripserit, inita illa cum Albano Duce de restituendo Palliano pacta fuisse, Scriptorum consensu, communique omnium sententia constat. Et verò in ea cum Hispanis pacificatione eò potissimùm spectauerat Pontifex, vt quæ semel in Columnenses statuerat, rata omninò haberentur; doceretque, in ea Virorum principum mulcta nihil præter ius, fasque à se factum. Eapropter cùm de pace ageretur, vrgerentque sæpius partes, vt Pallianum, quod non suo tantùm, sed amplissimi etiam Senatus arbitrio, nutuque Carafis cesserat, Columnensibus rediret; descendere quidem in reliquas fœderis conditiones facilè videbatur; verùm vt sancitam hanc semel proscriptionem abrogaret, exorari nunquam potuit. Hoc siquidem, vt aliàs monuimus, suam, Romanæque Sedis dignitatem, atque existimationem peti, ac lædi grauiter, aiebat. Iure in subditos animaduersum; ac ne metum, & reuerentiam exuerent passim alij, addendam decretis constantiam. Igitur, qui multorum ea super re Principum postulata tanta cum animi firmitate iam repulerat; statueratque secum ipse continuare potius bella, vitamque ipsam deuouere, quàm de Pontificia authoritate detractum quicquam velle: vt pactam secretis conditionibus à Carolo Cardinali cum Albano Duce Palliani compensationem resciuit: credi vix potest, quo id sensu exceperit; & cùm pleraque Pontificem ad extremum in Nepotes consilium capessendum impulerint, tùm has maximè Palliani conuentiones clàm subscriptas, id effecisse, ipsemet Palliani Dux ad Cardinalem fratrem non vna quidem epistola significauit. Et facile quidem tunc fuit, ea Pontificem rescire; cùm instituta acri morum quæstione, singula Nepotum dicta, factaque peruestigaret. Et quà bonorum zelo, quà plurimorum in Carafas odio, nihil profectò Paulum latuit, quod Nepotum potentiam proruerent, affligeretque: multiplices nanque Principi sunt aures, ac oculi, modò & audire, & inspicere haud pigeat.

Præcipua Pontificiæ offensionis causa pacta cũ Albano conditiones.

Iam, vt ab Aula, Romaque expulsi Carafæ fuerint, paucis exponamus. Agitabant, versabantque domestica hæc mala, curæque Pontificem; perturbatusque vehementer animus corpus vsque adeò affecit, vt tentatus morbo fuerit; quo tamen breui defunctus, meditari opportunè animaduersionem, ac pœnam cœpit: & casuri quidem mox fulminis prima quædam veluti fulguratio Carolum Cardinalem monuit. Enimuerò, dum inter hæc aditum ad Ponti-

Ab ea in Nepotes indignatione correptus morbo Pontifex.

Pontificem postulasset, expectatis horis non minùs quatuor extra velum, tandem iussus abire; addita insuper denuntiatione, ne illò ampliùs gradum ferret. Quod sanè vt generosum, elatumque suprema Aulæ dominatione, ac principe Purpura Virum perculit; ita cùm primùm effudit sese in mortalium aures eius rei rumor, commutari statim vulgi studia, fidemque contigit. Aula siquidem, an aura mobilior, incertum; illudque quàm verissimum, populorum vota fortunæ; non homini nuncupari. Id quod docuit momentò experientia Carolum; & qui modò temperare nutu omnia, Romanosque fasces, ac iura regere videbatur, gentium obsequio, honore Principum, Vrbis imperio magnus; vix ea Pontificis mouit indignatio, cùm destitutum se clientela, ac fauore Aulæ aduertit, consueto labentis potentiæ exemplo, ac ludo. His nihilominùs grauiora timuit Carolus; in lubrico namque dominantium status cùm sit; nutare si semel cœperit, præceps statim lapsus, ac ruina consequatur, necesse est. Neque ex vano illi metus: quippè non ita post multò, vt Vaticano facesseret, monitus fuit; tùm rerum summa, quæ penes ipsum erat, in alios translata; reddita chirographa, negotiorum monumenta; codicilli monitique administri, atque à secretis, ne quid cum Cardinali Carolo transigerent, aut eius iussu expedirent. Vaticanis item Ædibus expulit Palliani Ducem; cautumque, ne quis in eius sese conspectum daret ex nepotibus, præter Alphonsum Cardinalem Neapolitanum.

Quæ primò quidem Carolum suo cubiculo exclusit.

Tum cedere Vaticano iussit.

Vnà cum Palliani Duce.

Non mollior humanitatis sensus, naturæque in cognatos propensio, non amicorum studia, ac fauor frangere hunc Pontificis impetum potuere; sed qui non in propinquos, sed in eorum mores ferebatur, visus eundo, atque in dies vires acquireres; donec rupto tandem aggere, exundarit ea vis iracundiæ quàm latissimè. Sacram Diuo Chrysostomo diem, quæ septima supra vigesimam est mensis Ianuarij, quæque principe studio, ac religione ob sanctissimi, atque eloquentissimi Antistitis memoriam ab ipso colebatur, Nepotum causæ, mulctæque constituit. Ergò, instituto Purpuratorum Patrum Senatu, Consistorium vocant, primùm prolixè nepotes incusare, eorumque viuendi rationem, ac publicam rem malè gestam insigni, vehementique facundia, Latinè quidem semper, insertisque de more diuinæ Scripturæ verbis, factisque, non sine omnium admiratione, manante interim ex eius oculis lacryma, arguere; obtestarique Deum Maximum, non antea comperta sibi ea suorum facta: tum suspensis ad hæc Augustorum Patrum animis, arrectisque rei expectatione, accersiri in Consistorium iussit Episcopum Lipomanum, Prętorem Vrbanum, Datarium, à secretis duos, Foro liuiensem Antistitem, fisci Procuratorem, Vgonem Boncompagnum, & Camillum Vrsinum, quos adornare seueram, ac veram quandam iudicij faciem, formamque voluit, ne vindicasse in speciem, atque ad pompam suos videretur. Exaratum illicò eius iussu decretum, cui Pontifici ab epistolis subscripsere; denunciatumque publicè à Prætore Vrbis: sententia hæc erat: Excederent Roma Carolus Cardinalis Carafa, Palliani Dux, & Marchio Montisbelli; atque vnà coniuges, liberi, mater, domestici ad vnum omnes; idque intra dies omninò duodecim: & Cardinalis quidem Lauinium, Dux Gallesium, Marchio Montembellum grauissima perduellionis, & capitis interminatione concederent. Exauthorati Legationibus, Præfecturis, ac publicis officijs fuere; amotis ijs etiam, quos siue in Vrbe, siue per Ditionem administrationibus admouerat Carolus. Quas moderabatur Pallianus triremes, impositus Flaminius Vrsinus; summæ verò armorum procurationi Camillus Vrsinus, cui & Romanæ rei summa incubuit, adiunctis publicæ huic curæ temperandæ Cardinalibus, nempè Tranensi, Reumano, ac Spoletano. Hæc postquam peracta publicè fuere, qui seueriore quadam fronte terrere Pontifex videbatur, exuto, vt narrat Antonius Cardinalis Carafa, supercilio; vultus, animique serenitati statim redijt; eodemque oris habitu prosecutus Senatum, ac negotia est. Dimissoque Consistorio, composito item ad omnem constantiam, ac tranquillitatem aspectu, in Pontificium sese recepit Conclaue. Litteras subindè ad Europæ Principes dedit, eius in suos animaduersionis consilium, causasque exposuit; vt in comperto esset omnibus, pleraque siue è præteritis bellis mala, siue in præsenti pace incommoda nepotibus, non sibi imputanda.

Tandem Roma expulit.

Habito Cardinalium Senatu.

In quo instituta iudicij forma,

Ac pronunciata in Nepotes sent.

Põtificis post mulctam incussam oris tranquillitas.

Europę Principes eius rei monet.

Gratulatusque id suorum exilium, ac supplicium vsque adeò sibi est, vt in publica Cardinalium Congregatione, quemadmodum testatus postea est Cardinalis Alexandrinus, cùm in Carafas sub Pio Quarto anquireretur; disertè dixerit, velle se ab eo rerum articulo, vt & pronunciaretur, & inscriberetur, Pontificatus sui anno primo; veluti imperare, ac temperare Romana iura tunc primùm inciperet; proscriptis nempè illis, à quorum imperio, ac moribus non minimùm Respublica laborauerat.

Auspicari tũ primùm Pôtificatum reputat.

Hæc in Carafas; qui amplissimis deiecti magistratibus, fortunisque, cessere Roma constituta die: impetrauitque id tantummodò Cardinalis, vt exilij locum commutaret; substititque Marini vnà cum matre, Montorij Comitissa, prudentissima fœmina. Cæterùm cui census opulentissimi, ac summa opum affluentia, ac splendor; illum exercere quædam etiam rei familiaris difficultas cœpit; vt vna simul die, antequàm ex Vrbe digrederetur, dimittere ingentem quendam famulorum numerum oportuerit: qui deuoluti loco, ac spe sua, mœrore, sensuque animi peracerbo, parentare Domini fortunæ videbantur. Planè nihil in anlis frequentiùs, quàm huiusmodi, atque his etiam atrociora spectacula, ac documenta; vt nihil profectò magis proponere sibi ob oculos debeant, qui arridentis quadam vi syderis, aut Principum gratia, suprema ad rerum fastigia prouocantur; ne & ipsis contingat funestare præcipitio annales, ac theatra. Euehuntur hi quidem supra cæteros mortales, at non extra omnem teli iactum, vt non peti latus queat, quandocumque aut dominari ipsi impotenter velint, aut nolit liuor aulicus longius æuum, ac imperium felicioribus. Et verò, cùm nulla non scriptorum monumenta hæc doceant, commonstrentque nobiles tot naufragijs scopulos; tùm hac de re veriùs pronunciasse neminem puto, quam [a] Catharinam, Henrici, Anglorum Regis octaui coniugem, eximiæ pietatis Principem; quippe quæ vtrique fortunæ obnoxia, scire quidem ipsa poterat, vnde maius mortalibus periculum. Ergo dicere Anglorum Regina solita erat, se quidem moderatam fortunam, quàm secundam, aut aduersam malle: at verò si eligenda alterutra esset, peroptare se hanc potiùs, quàm illam. Asperæ siquidem fortunæ, quà aliorum commiseratione, quà propria virtute non desunt solatia, atque argumenta, quæ molliant: fortunatissimos verò iudicium, ac ratio destituit; adeò corrumpitur animus lætitia rerum secundarum. Hæc illa.

Excessere Roma condicta die Carafæ.

Non sine rei familiaris angustia.

Ad ludentis Aulæ documentum.

[a] Io. Cokier. Thesau. polit.

Catharinæ Angliæ Reginæ dictum.

Nunc ad Paulum Quartum, quem sanè piguit erudire Orbem domestica suorum clade. At cui recta mens, atque ad omnem iustitiæ normam exacta; flectere nulla sanguinis, aut cognationis iura potuere: doluitque enimuerò vehementiùs, quòd non antea rescíuerit Nepotum mores, vt maturiùs plecteret. Nimiùm verò, ac diutius propinquis suis credidisse; quod carpere quidem confidentissimè plerique historicorum non dubitarunt; præclaræ eius indoli adscribendum. Nam, vt Antonius Cardinalis Carafa adnotauit, qui natura ingenuus erat, ac summè probus; eadem secum agi ingenuitate, existimabat; putabatque suos sui concolores, ac similes; Carolum præsertim Cardinalem; qui solertia ingenij, promptoque in speciem obsequio vsque adeò Patrui gratiam, opinionemque sibi conciliauerat, vt illum nonnisi filij nomine compellaret. Porrò, vt rectè facta statim sua merces, atque authoramenta laudum consequuntur; commendatum communi bonorum consensione Pontificis consilium; ac non vno quidem elogio cum Romæ, tùm apud exteros elata eius integritas, constantia, ac iustitia Cælo tenus fuit; & qui tàm seuerè de Nepotibus statuerat, repræsentasse Romana in Sede Saleuci, ac Torquati virtutem deprædicabant. Scio, morosum Senem, cùm ob districtam morum censuram, cui incumbebat, tùm ob hanc potissimùm causam apud [b] scriptorem Gallum audiuisse Paulum Quartum. At non is est magnæ virtutis fulgor, vt quauis intendere in illum acies possit; præsertim cum oculos, mentemque corruperit liuor. Verùm nihil profectò est, vt meo stylo vapulet, quem abundè, vt arbitror, cùm in his, tùm in reliquis, quæ minùs beneuolè de optimo, ac sanctissimo Pontifice suis literis consignauit, excellentium scriptorum iudicium, ac fides redarguit. Et quando memorare eos contigit, qui insigne hoc factum improbare visi sunt; Antonium

Cur diutiùs Nepotibus crediderit Paul. IV.

A bonis summè laudatus in ea suorum vindicatione.

Mulctatur Thuani stylus.

[b] Thuan. l. 2.

Cardinalem Carafam non hìc dissimulauerim, qui cum cætera inculpati Pontificis tutelam susceperit, eiusque vitam ab aliorum criminationibus peregreg è in suá illa Apologia vindicauerit; cùm in id proscriptionis argumentum incidit, ita Cardinalis Caroli tueri causam videtur, vt illum, se iudice, absoluat. Quod quidem condonari viro magno ob studium, affectumque in Principes suæ gentis viros posset; nisi arguere præcipitis, ac præposteri consilij Pontificem hoc esset. Certè acrioris cuiusdam iudicij, ac seueritatis exemplum Paulus edidit: at nihil in ea re perturbatè, abruptèque, nihil temerè factum. Grauissimum Virum, amantissimum Patruum, Patremue, Sanctissimum Pontificem expendisse maturiùs ad libram negotium credendum omninò est. Et fecit planè. Enimuerò cùm oboriri in eius animo, & gliscere Nepotum suspiciones cœpere, & mox licentiam, solutosque eorum mores, ac obsignatas præcipuè cum Albano Duce de Palliano pactiones resciuit; visus quidem exarsisse: at sicuti non vltrà modum indignatio, ita non statim fidem præbuit; sed diligentissima peruestigatione anquirere, atque explorare cœpit omnia: tùm versare secum ipse diù rem, atque agitare animo, vt ab assidua, atque intentissima ea mentis cogitatione morbum, vti diximus, conceperit; ac demum, nonnisi discussa, ac cognita per mensem circiter causa, pœnam publico eo iudicio irrogauit. Et sicuti nunquam festinanda nimiùm sunt, quæ Romæ, ac in ea luce Quiritium fiunt, quippè quæ effugere mortalium omnium notitiam, ac notam minimè possunt; ita sibi maximè perquàm lentè ea in re procedendum putabat Pontifex, quando esset in Nepotes quæstio. Porrò quas ille habuerit potissimùm causas, cur tàm acri iustitiæ, rigorisque documento in suos animaduetteret; quæ Carafarum fuerit agendi ratio; quas animo spes vastissimas conceperint, aut vorauerint; vt bella, pacem, Romam, Romana administrauerint, prosequitur noster [a] Antonius Caracciolus accuratè; quæ neque locus hìc, neque otium anxiùs recensere. Raptim verò adnotare satis fuerit, Pium Quartum Pontificem tanta posteà eosdem mulctasse seueritate, vt prælusisse tantummodò insigni calamitati visus fuerit Paulus Quartus. Patrocinatum quidem eorum tùm causæ fuit peregregiè; ac tueri illam præcipuè, ac strenuè contigit Marco Antonio Burghesio, Viro integerrimo, Pauli Quinti laudatissimæ memoriæ Pontificis, parenti optimo: & cùm neque probari iure potuerint, quæ obijciebantur, neque fassi suo ipsi ore fuerint; damnati capitis extra omnem iuris formam, atque ordinem fuere Viri Principes; vt Pius Quintus Sanctissimus Pontifex subindè declarauit: extatque [b] penes nos luculentissima sententia, excusa olim typis [c] Lutetianis, qua capitalis sententiæ acta, ac decreta obliterantur; & Caroli Cardinalis, fratrumque memoriæ restitui Purpuram, appellationes, titulos iubetur: quibus enimuerò expiati defunctorum ij manes fuere; ac additis dignitatum Insignibus, ac pompâ Infularum tumulo, parentatum perhonorificè extinctis, instauratumque amplissimæ Genti decus fuit. Attamen non ideò absoluta à Scriptoribus, ac gentium fama Carafarum innocentia; vt non promeruisse supremam indignationem, ac præmaturum, violentumque funus communi suffragio iudicauerint. Legi Panuinius, Ciacconius, alijque poterunt; nam nos, quod ad Paulum Quartum pertinet, neminem humani sensus, ac rationis expertem adeò putamus, vt sibi persuadeat, Pontificem nisi grauissima ex causa, & intorquere ipsum in suos fulmen; & monere interim successores voluisse, quid postea facerent; ac verissimum id diuinæ Scripturæ Oraculum: Nemo carnem suam odio habuit. Hanc verò suorum calamitatem longè antea ipsummet Paulum quodammodò prædixisse, iubet hìc postremo loco innuere. Etenim cùm post Marcelli Secundi Pontificis comitia lusas spes suas, vt alibi diximus, Nepotes cum patruo familiariter commemorarent, dolerentque; his ille admonitos voluit: Quid si postea creatum vobis à meis Infulis periculum fuisset? At instantes, honorum, opumque cumulum adpromittere Pontificiam dignitatem, non iacturam; tacere iussos, ea Domini sententia increpauit: Nescitis quid petatis. Quo sanè visus innuisse, quinam eos casus maneret, si Vaticani culmen ipse conscenderet. Atque hæc ipse olim Montisbelli March.o [d] Tufo nostro retulit, qui litteris consignauit.

Discessum hunc Gentis Pontificiæ, excussamque non perindè gratam Domina-

Noraturque Ant. Card. Carafæ in suos affectus.

Quam lentus, ac prudens in Nepotum causa Paulus Quartus.

[a] Vit. Paul. 4. M.S. lib. 4. c. 5.

De qua seuerè statuit Pius IV. non seruato iuris ordine.

Vnde abrogata à Pio V. sententia.

[b] Neap. Tab. D. Paul. to. 2. farrag.

[c] Parisijs an. 1568.

Et restituta honoribus Carafarum memoria.

Prænunciata à Paulo IV. suorum clades.

[d] Hist. Cl. Regul. c. 17.

tionem

Post Nepotum abscessũ ordinandæ Ecclesiæ mẽtem admonet Paulus.

tionem visus gratulari Populus Romanus. Cumque accessisset mox communis illa Pax Cameracensis, de qua supra monuimus; fausta profectò omnia ab nouo eo rerum ordine, ac tranquillitate polliceri sibi cùm Roma, tùm Orbis Christianus cœpit. Et Pontifex quidem cùm pacatam iam Christianam Rempublicam, silentemque vndique armorum strepitum aduerteret: nec quicquam esse, quòd obniti communi animorum, fideique repurgationi posset: ingenti planè cum animi alacritate, ardoreque mentem, curasque ad expoliendam Ecclesiam applicuit. Et verò moliri iam magna, vt supra innuimus, ad præclaræ mentis suæ ideam, cùm in Populi Romani, tùm in Catholicæ Ecclesiæ commodum in ipso Pontificatus initio occœperat: vt felicioribus planè auspicijs dimidium facti haberet, plausumque sibi, suique imperij rationibus excitauerit. Verùm vt exarsere Campani motus, & capessere arma oportuit; omnes illas magnarum rerum curas, ac molitiones bella interpellarunt. Et quod ad morum instaurationem, nitoremque fidei attinet, non tam in temporum necessitatem, aut hominum consilia, quàm in mali Dæmonis artes, cuius eæ partes sunt, conatus bonos eludere, culpam refundit Pontifex ipse, datis ad Stanislaum Hosium, Varmiensem Antistitem, litteris; quas hìc recensere, non abs re fuerit. Sic nanque ad illum, cùm ad Concilium Lateranense inuitat: [Ad hoc grauissimum Sacerdotij munus sine vllis meritis nostris à Domino vocati, propositum hoc nobis iam inde ab initio habuimus, vt ægrè, & grauiter laboranti Ecclesiæ idonea, & maximè necessaria remedia adhiberemus. Quamobrem & filiorum mores corrigere; atque omnia, quæ prauis iam pridem exemplis in consuetudinem adducta fuere; & hæreses tàm longè, latèque disseminatas extirpare; & harum rerum causa Concilium celebrare, Deo adiuuante, statuimus. Cùm autem iam opportunum tempus sit, hæc consilia exequendi: sublatis scilicet belli impedimentis, quæ nobis antiquus hostis obiecerat, optimum esse duximus, priùs quàm Synodum congregemus, aliquot venerabilium Fratrum nostrorum accersere, quorum & consilium, & operam, ad eadem exequenda cum primis vtilia nobis fore arbitramur. &c.] Hæc ad Hosium Pontifex, ad quem alteris item litteris hoc idem monuit in hæc verba: [Simul ac à bellicis tumultibus, quos Inimicus ad impedienda nostra pia, salutariaque consilia nobis obiecerat, Dei fuimus auxilio liberati, animum, & curam nostram ad ea exequenda retulimus, &c.] Quam sanè mentem, atque egregias cogitationes, quas communis hostis, quassata discordiarum face, abrupit, ipse etiam Paulus Bernardo Nauagerio, Venetæ Reipublicæ Oratori, significauit, qui hæc ad Senatum: [Dixit mihi Pontifex: Magnifice Orator, pauca tibi significabimus, nondum enim certiores facti sumus, nostrum Legatum in Galliam appulisse: altera autem ex parte scripta ad nos fuere ea tantummodò, quæ ad primos nostri Cardinalis cum Philippo Rege Catholico congressus pertinent; & quàm honorificè Rex eum exceperit, quàmque multa demissi sui erga nos animi signa exhibuerit. Quarum rerum grauissima est nobis recordatio. Arbitramur autem dæmonis arte fuisse excitatas præteritas discordias, ac tumultus bellicos: ne scilicet coniunctis viribus, animisque cum eo Rege, vt cupiebamus, in profligandos hæreticos incumberemus.

Qui abstractum se ab ijs curis dæmonis artibus testatur, Datis ad Hosium litteris. a Habentur tom. 2. operũ Hosij ep. 18. & 19.

Conceptisq; verbis Nauagerio id ipsũ fassus.

Ergò affulgente communi pace, vt faustitas Orbi, Aulæque tranquillitas redijt, digressis præcipuè Roma Nepotibus, qui impedimento præstantissimis consilijs esse poterant; totus sese Pontifex in pristinum, ac laudabile institutum contulit. Fractum, fessumque belli incommodis Senatum, Populumque Romanum insigni beneuolentia, ac liberalitate subleuauit: & quà imminutis, aut abrogatis vectigalibus, quæ temporum iniquitas, & clades imperauerant; quà inuecta annona, ac rerum copia; quà superiorum Pontificum priuilegijs confirmatis, amplificatisque, vsque adeò sibi Vrbis studia, laudesque conciliauit; vt quam olim Paulinæ maiestati, ac munificentiæ statuam pario è marmore destinauerat Quiritium ardor, nunc demum Capitolina in Arce dedicauerit. Pulcherrimum sanè Pyrrhi Ligorij, eius æui artificis celebratissimi opus; cui tamen à tanti Pontificis dignitate, ac vultu, quàm ab artis præstantia, maius pretium fuit. Vetus hoc planè institutum, ac mos est, sistendi Principibus simulacra: at quia assentatione Ciuium contigere hæc persæpè

Populi Romani commodo studet Paulus.

Cuius gratia statuam promeruit.

ignauis;

ignauis; nisi bonorum iudicium, ac æstimatio accedat, monumentum quidem exquisiti cuiusdam operis, aut elegantiæ esse illa poterunt, virtutis nunquam. Vtque solidum quoddam, ac perenne in omnem æternitatem elogium statua est, si Principi bono ponatur; ita si malo, inertique contingat, publicum prostat in eo marmore, æternumque conuicium, ac nescio quid constantis facundiæ muta in saxo effigies; aut famæ tribuit, aut infamiæ. Paulo Quarto delatus hic in Capitolio est honor in ipso rerum præclarè gestarum cursu: simulque dilaudatus, & Populus Romanus, quòd facta egregiè exornaret; & Pontifex, qui faceret pulchrè exornanda. Hæc illa porrò statua est, quam hominum perditissimorum, atque hæreticorum colluuies indignis posteà modis dehonestauit, vt dicemus. Dubium profectò, quæ Maximo Pontifici luculentior fuerit gloria; positum ne honestissimorum Ciuium suffragatione simulacrum, an à nefarijs tenebrionibus fractum? Certè, stet, cadat suum marmor, erecta semper cernitur virtus generosior. Vetus consuetudo conserrandi Principibus simulacra.

Iam verò, ad ea propiùs accedamus, quæ tùm Romanorum, & Catholicorum omnium mores, tùm Christianæ rei, fideique decus, atque incrementum respiciunt. Quæ quidem ea sunt, vt credi vix possit, tam breui tot, ac tanta complexum animo, & confecisse Pontificem. Visa planè simul erupisse, atque in morem fluminis quàm latissimè exundasse, quæ diutiùs intra sui pectoris angustias amplissima æquè, ac vtilissima Romanæ Ecclesiæ consilia continuerat. Illudque in primis magnoperè mirandum, suffecisse longæuo, ac penè fatiscenti vires, ac robur ijs accurandis, agendisque; quæ integram sanè nunc, iustamque historiam conficerent. Eorum veluti synopsis, ac breuiarium habetur in epistola, quam nostri homines, qui tùm Romæ agebant, atque vsurpauere suis oculis, quæ à propinquorum abscessu Pontifex gessit, ad Neapolitanæ Domus Præpositum, ac Patres dedere, vt plauderent ipsi Maximo Parenti, qui tàm sancta, tàm sapienter Orbis bono faceret. Prolixiores hæ quidem litteræ sunt, si epistolæ rationem, modumque respicies; at quàm breuissimæ, si rerum gestarum narrationem, ac numerum: ac pretium omninò esset, illas hìc exscribere ex Antonio Caracciolo, qui Latinitate donatas, suis assuit Collectaneis historicis de Pauli Quarti vita: strictè siquidem, ac veluti breui quadam in tabula ob oculos ponunt, quæ statim ille est molitus ad pietatis incrementum, morumque reformationem. Perpurgatam sanctè Pontificiam Domum narrant; impositos communi rei, atque Ecclesiasticæ Ditioni sapientissimos Præfectos, ijs amotis, qui à Nepotibus creati, vsque tùm rexerant; abrogata ad populorum laxamentum vectigalia; emendata publica officiorum munera, præcipuè Datariam, & Pœnitentiariam, vt vocant; Venalitios Magistratus gratis, atque vltrò virtuti concessos; sancitas in impudicos, atque huiusmodi propudiosos leges quàm seuerissimas; Simoniam, vsuramque ablegatam; cautum peracerbè in Apostatas, ac Iudæos; Ecclesiasticorum moribus, ac doctrinæ opportunissimè consultum; punitam Aulicorum, atque Antistitum licentiam; positum ambitioni modum, ac frænum; rem Sacræ Inquisitionis strenuè procuratam; proscriptos libatæ fidei, suspectæque eruditionis libros, omnemque superstitionem eliminatam; inducta ieiunia, quæ obsoleuerant; inuectam templorum reuerentiam, ac nitorem; vindicata bona Ecclesiarum. Hæc omnia, quæ scriptis statim legibus, ac mulctis sanciuit, ac in morem induxit actuosissimus, ac in rem Christianam incitatissimus Pontifex, summo quidem, ac suspenso veluti calamo narrat, quam diximus, ad Neapolitanos Patres epistola. Nostræ verò historiæ partes cùm sint, vt integra fide, ita stylo vberiore magni Parentis nostri. Maximique Pontificis facta prosequi; illam hìc prætermittimus: dicturi mox eadem, ac multò plura aliquantò fusiùs, cùm de egregijs eius virtutibus memorabimus. Quæ ad rem Christianam spectantia gessit Paulus. Nostrorum epistola enarrantur.

Interim ad antiquiorem illam, ac principem suarum cogitationum, manum appellimus; nempè ad Generale Concilium, quod Romæ cogere, iam olim in animum induxerat suum. Enimuerò, etsi nulla præterire argumenta videretur, quibus sanctiores in Clerum mores, ac in cæteros mortales induceret; & iam publicis sanctionibus Ecclesiæ reformationem promoueret: nihilò tamen minùs præ Synodo, quam meditabatur, lenta isthæc remedia, neque adeò efficacia reputabat: sanandis nimirùm contumacibus, atque inueteratis longa consuetudine, vsuque malis communis Lateranense Concilium præcipua Pauli cura.

munis medicina inefficax.. Quapropter, quòd indictam Tridenti, ac Bononiæ à suis decessoribus œcumenicam Congregationem retardare multiplex causa poterat; & adesse ipsemet maximo negotio peruellet, futurus quidem, & incitamento Patribus, & authoritati Concilio, & expediendis negotijs summæ vtilitati: veluti opportunissimam Synodo sedem, Romam, ac Lateranensem stationem destinauit. Igitur nullam hoc anno versare animo ardentiùs curam, nihil frequentiùs vsurpare sermonibus cœpit; quàm Lateranense Concilium, eiusque in Orbem vtilitatem. Etenim cùm Ecclesiæ facies, prauiq; mores ob eius oculos assiduò versarentur; vrgere illum acriùs, eius celebrandi necessitas videbatur. Neque hìc dissimulanda quæ Nauagerio hac de re intimo quodam animi sensu dixit, dum Concilio maximè studeret: [Si nostra, inquit, ac populorum crimina non ea sunt, quæ vindicari ab vltore Numine igne, & ferro postulent; sed agere nobiscum perbenignè ea Pietas, quæ noxam omnem superat, velit: speramus profectò fore, vt Lateranensi Concilio rem Ecclesiasticam, Orbemque summa cum bonorum laude, plausuque componamus. Fuimus enimuerò, & nos Episcopi; scimusque Romanam cupiditatem auocasse in Vrbem omnia. Quo quidem abrogata vsque adeò Episcopis authoritas est, vt exemptæ Sodalitates, xenodochia, ac loca pia plerunque cum sint; si quis eorum ministeriò addictus Clericus, aut Sacerdos exerrauerit, mulctari à suo Antistite non possit: vnde pessum ire disciplinam omnem necesse est.] Hæc ille.

Cui ipsum interesse, è reputat.

Quid de eo Nauagerio dixerit.

Itaque cùm Ecclesiæ facies, corruptique passim mores ob oculos Pontificis assiduò versarentur; vrgere illum acrius Concilij celebrandi, ac maturandi necessitas videbatur: præsertim cùm triennium iam, ac eò ampliùs ea ipsum cogitatio, ac stimulus vellicasset; pulsaretque tum maximè, cùm Petrus Paulus Vergerius, Istrorum Episcopus, funestissima illa religionis fax, è Germania, ac Polonia adlatraret Concilio, ac Pōtifici; spargeretque inter eos populos, nihil de generali Synodo cogitare Paulum Quartum, amplificandæ suæ domus, ac propinquorum magnitudini intentum; proindèque cogerent ipsi conuentus suos, ac de fide, & moribus statuerent. Id quod exstimulare vehementiùs Pontificem potuit, vt iactatum in vulgus palmare mendacium quàm primùm confutari, atque inijci hæreticorum impudentiæ, ac superbiæ frænum contingeret. Nulla igitur mora, delectum in primis præstantissimorum hominum habendum duxit; vt sapientia, ac pietate floreret celebritas, vnde manare illibata cùm motum, tùm doctrinarum sanctitas deberet. Planè vbi de communi religione, corruptissimis maximè temporibus, repurganda agebatur; summa Theologorum nomina, ac fastigia accersiri oportuit; vt quæ sanciri, ac figi credendi leges, morumque decreta deberent, & proficiscerentur ea quidem à sapientissimis Viris; & ijs statim assentiretur Orbis, vbi nouerit, ab optimis discussa diù, ac proposita Christianæ Reipublicæ. Conciliat siquidem documentis fidem docentis opinio, ac fama; ac plerunque, quæ est mens mortalium, existimatione potiùs, quàm reipsa ducimur. Qua in re Paulus Quartus, vt erat præstantis Vir iudicij, ac iustissimus ingeniorum virtutumque æstimator, partes suas mirificè expleuit; conuocatis si quos celebrioris, sacræque eruditionis laude viros florere vsquam gentium sciret. Inter quos duo præcipuè fuere magni nominis Antistites; Guiglielmus Peitous, Anglus, è Franciscana familia, quam ab Obseruantia appellant, Episcopus Sarisburiensis; & Stanislaus Hosius, Polonus, Varmiensis Episcopus; ille doctrina, ac Infulis Illustris, Purpura etiam, ac Legatione Anglicana à Paulo Quarto honestatus; sed antequàm vtraque honoris appellatione potiretur, fato in Anglia concedens, neque Romam adire, neque Concilium potuit. Hosius verò geminis à Pontifice litteris, quarum supra particulas recitauimus, iussus maturare ad Vrbem accessum; instituto confestim itinere Romam se contulit. Pergratus Paulo Hosij aduentus; quippe quem nouerat insigni eruditione, acerrimoque in nouatores stylo clarissimum; ac facta statim conueniendi, alloquendique facultate, tres illum omninò horas detinuit: & vt ipsemet [a] Hosius ait, de pace Ecclesiæ, de hæreticis profligandis sermonem protraxit elegantissimè, ac sapientissimè. Et verò, vt in Pontifice vim, atque elegantiam dicendi, eruditionemque admi-

Et incitabant ad opus impia Vergerij dicta.

Auocandur Sapientissimi Viri celebrando conuentui.

Inter hos Peitous, & Hosius

Peitous Purpuram, & Concilium fato anteuertit.

Hosius exceptus humanissimè à Pōtifice.

[a] Apud Stanisl. Resc. in vit. Hos. lib. 1. c. 23.

admiratus est Hosius; ita doctrinarum ornamenta, atque egregiæ mentis facultatem admiratus vicissim in Hosio Pontifex [b]. Testatus id ipse est Aloysio Lipomano, qui nuper à Polona Legatione aduenerat, vsus ijs Reginæ Sabbæ verbis: [Verus est sermo, quem audiui in terra meâ super sermonibus eius, & super sapientia eius. Sit Dominus Deus benedictus, qui suscitat viros potentes opere, & sermone ad ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia.]

Ac magnopere dilaudatus

At enimuerò dolendum maximè, quòd summo, ac flagrantissimo Pontifici præstantissima hæc exequi consilia minimè licuerit. Planè, vt concipiendis, delineandisque præclaris rebus acri quidem iudicio, ac prudentia valebat Paulus; ineratque ingens item animus, ac mentis vigor, vt aggrederetur, ac pergeret: ita minùs adspirasse tempora, neque vitam operosioribus ijs curis suppetijsse, inter Ecclesiæ, ac sæculi ærumnas computandum. Ergò, vt initio Principatus, quominùs conficeret Paulus, quæ meditatus diù fuerat, bellum intercessit; ita ne medicinam modò Orbi faceret œcumenica Synodo, valetudo, ac mors fecit. Sciendum hîc porrò, quamuis re infecta decesserit Paulus; non inutiles tamen labores, atque egregias eius meditationes fuisse; verùm superstite quodammodo spiritu, ac prudentia Christianam Rempublicam, licet extinctum, ordinasse: Magnorum siquidem virtus non omnis moritur. Etenim instaurata mox à Pio Quarto, Pauli successore, Tridentina Synodo, quicquid sancti, ac pulchri in amplissima ea celebritate sancitum ad Catholici nominis, Christianæque religionis dignitatem, ad eximium sacrorum cultum, atque ad mortalium disciplinam fuit; id ipsum fuisse, quod molitus antea fuerat Paulus Quartus; atque ab ea mente, & consilio plurima deriuasse autor est [a] Panuinius in hæc verba: [Ex eius fonte cogitationum, rationumque multa sacri Concilij Tridentini decreta postmodùm confluxerunt.] Fuitque sub id tempus, quo absolutum Concilium Tridentinum fuit, qui rerum Ecclesiasticarum consultissimus, longam sanè lineam sanctionum, atque actionum Pauli Quarti concinnauit, conscripsitque; quibus vsos postea Tridentinos Patres, atque ad eam se normam, exemplumque conformasse, ac tulisse Orbi Christiano leges, demonstrabat. Quam lucubrationem Episcopus Aquinas Philonardus habere se in aduersarijs [b], Antonio nostro Caracciolo, qui narrat, testatus est. Eaque de re preclarum etiam extat Cardinalis Sirleti testimonium, qui, vt posteà Marincola, Theani Episcopus, ad Nostrates scripsit, extantque Neapoli in Paulino tabulario litteræ, dicere solitus erat, præscriptam in Concilio Tridentino religionis, morumque emendationem magnam quidem partem è Theatini, siue Pontificis monitis, ac præceptionibus ortam fuisse. Et verò qui inchoare propè diem Lateranensem Conuentum statuerat Paulus; cuncta iam de Episcoporum munere, de Clericorum institutione, de beneficijs conferendis, de morum instauratione, de prauarum consuetudinum extirpatione, quàm accuratissimè expenderat, præscripserat, adnotauerat: quare cùm de ijs agendum postmodùm in Tridentina Synodo fuit, iuere in tanti Pontificis decreta, ac sententiam Patres. Sicuti & de fidei etiam quæstionibus nihil profectò ijs suffragijs sancitum, quod non anteà Cardinalis Theatinus, quà scripto, quà voce mordicùs propugnasset: vt verissimum tandem sit quod scripsit his verbis Onuphrius: [Paulum IV. sanctis suis institutionibus, aut legibus, quas morte interceptus edere, aut certè in morem vsumque ducere non potuit; amplum successoribus aperuisse campum, rectam viuendi normam in posterùm ordinandi.] Hæc ille.

Preclaras Pauli curas mors præcidit.

An sancita in Tridētino Concilio ab eius mente plura.

Testatur Panuinius.

a vit. Pauli IV.

Et Philonardus.

b vit Pauli M S. & in Præfat. Vat. Latin. einsd.

Et Sirletus.

Suprema nunc Maximi Pontificis vitæ linea enarranda. fatumque ipsum, quo fuit interceptus, dum nauiter in hæc Catholicæ Ecclesiæ commoda incumbebat, vrgebatque anxiè Concilium Christianæ rei ordinandæ. Planè integra, ac firma semper Paulo valetudo fuerat, vt ipsam etiam extremam senectutem viridem, robustamque exegerit. In tanta vitæ longæuitate nunquam incisa illi vena: inexperta omnino ex medicorum præscripto pharmaca: si quid peccasset occasio, aut casus; diluta ipsemet leui potione, victuque circumscripto, aut proscripto emendabat, difflabatque. Vacaueratque huic quoque medicinæ arti quàm studiosissimè. Ad manum Scholæ, quam vocant, Salernitanæ, atque Auicennæ præceptiones; integrum sua in dialecto Galenum percurrerat, retinebatque: vnde & disceptare

Firma semper Paulo valetudo.

Medicæ artis peritissimus.

cum

cum medicis, illosque libenter audire, ac alloqui solitus erat; non quòd eorum consilio, vsuque indigeret, sed quia de naturalis philosophiæ difficultatibus, ac re medica sermones serere magnoperè oblectabatur. Quin festinè dictitabat, vt Antonius Cardinalis Carafa narrat, se quidem in medicis honorandis, æstimandisque nemini concedere: his argutè significans, se ijs non vti; vt videlicet fit de pretiosissimis gemmis, quæ quòd magni æstimentur, perpetuò arculis clausæ custodiuntur. At enim nulli tam incolumis vita, quam non deuexa ætas, atque anni terant. Paulo Quarto etsi robustum æuum, ac senium; attamen cùm dicta mortalibus publica lex moriendi, tùm quædam etiam externa creare valetudinem, ac lethale aquæ intercutis malum potuere. Fuitque in primis angor quidam animi non vnâ planè ex causa. Rarò siquidem affici interno mœrore hominem scimus, quin adflari etiam, noxia veluti ab vmbra, medullas contingat; ac naturali quadam inter eas hominis partes consensione, vbi animus marcet, corrumpi etiam corpus necesse est. Hinc admissa semel tristitia, alius statim vultu color, ac habitus; ac languent illicò ea naturæ vis, quâ valent, florentque membra. Primo igitur loco ea rescivisse, quæ ipsum ad seueriorem in Nepotes animaduersionem adegerunt, non mediocrem sanè tristitiam ingenerauit; eò vel maximè quòd pòst eorum ab Vrbe abscessum, Briannæ Diascarlonæ, nobilissimæ, atque honestissimæ fœminæ, Paliani Ducis coniugis mortem festinatam inaudiuerat; quo vulnere cumulata Pontificis mœstitia dum defecti senis animum intimè corrodit, afficere vehementiùs corpus cœpit. Alterum, quod illum perculit, Mariæ, laudatissimi moris, pietatisque Angliæ Reginæ præmatura mors fuit, qua amplissimum Regnum, quod euadere eius auspicijs in pristinum fidei splendorem, ac reflorescere pulchrè cœperat, distrahi, scindique iterum à Romana religione, & cultu videbat. Molestissimum omninò accidisse putandum est Viro, Ecclesiasticæ magnitudinis studiosissimo, falli operam tanta cum laude in fundanda, siue redintegranda Anglicana pietate positam; ac pulcherrimas eas spes momentò ludificari, quas pijssima Regina excitauerat. Et planè peculiari quodam animi sensu in eius Regni incrementa ferebatur Paulus; cui quo die Pontificatum inijt, excipere Britannicam legationem, delatumque ab ijs populis Romanæ Sedi obsequium faustè contigerat; amabatque iam Gentem, veluti sui Principatus primitias, ac lætum omen. Ad hæc, Henricus Secundus, Rex Gallorum, elatus, vti memorauimus, violento, tristique inter equestres ludos funere, non minimùm quidem, vt testatur [a] Panuinius, Pontifici doloris attulit. Profligandos, delendosque hæreticos susceperat sibi Rex Christianissimus; æquabatque armorum virtus fidei zelum; cuius consilio manuque destitutam Galliam præuidebat Paulus, fore, vt Caluini partes discerperent: præsertim cum nullum sibi à Rege, qui successerat, ac matre polliceri præsidium Regnum posset: quippè tantum abest, vt refrænandæ perduellium, atque hæreticorum multitudini par sit fœmina, aut puer; vt ab horum contemptu crescat illis confidentia; nec firmantur planè Regna ea ætate, ac sexu, quibus nihil infirmius.

Atque hæc quidem fuere, quæ affectis animæ facultatibus, corpus etiam, aqua sub cute fusa, Maximo Pontifici labefactarunt. Quod morbi genus vbi ille in summa, exactaque senectute aduertit; prænuncium, causamque fati adesse existimauit: vnde constanter affirmare, ac prædicere breui se moriturum solitus erat. Fertur, cùm die Dominico, in quem septuagesima recurrebat, ad Aram fecisset, legissetque in Missæ introitu ea psalmi verba; Circumdederunt me dolores mortis, expletis sacris allocutus statim suos in ea ipsa verba esse; Circumdederunt me dolores mortis: & mox illa etiam Iacob adidisse; Dies mei pauci, & mali. Ac sub id fermè tempus, cùm Neapoli Romam appulisset Cardinalis Cueua, qui eius Regni vices administrauerat, ad Pontificem adijt, qui ea illum prædictione excepit: nempè opportunissimè aduentasse, quando non longè Pontificia abessent Comitia. Certè aut superiore quodam monitu, ac lumine supremus illi dies indicabatur; aut ipsemet ab ijs morbi rudimentis ineluctabilem tunc fore vitæ exitum prædiuinabat. Igitur qui mortem suam præuidit Paulus, prouidere etiam conatus est, ne impræparatum deprehenderet; institutaque procul negotijs tacita quadam, an sanctiore vitæ

Quid ipse de Medicis sentiret.

Conceptus ex angore animi morbus.

Quæ eius tristitiæ causæ.

Animaduertendi in Nepotes necessitas.

Deinde Angliæ Reginæ fatum.

Et Henrici Galliarum Regis casus.

[a] Vit. Pauli IV.

Præuidet, ac prænunciat sibi Paulus mortem.

ratione, anteuertere supremum hunc vitæ actum, atque ad illum Religiosè, ac seriò comparare se studuit. Nunquam ex improuiso, ac veluti ab insidijs mors accidit sapientibus: atque hoc quidem vtilissimum prudentis viri consilium, Christianæque philosophiæ caput est; ad insuperabile vitæ fatum ita sese componere, vt quando impossibile omninò est illud declinare; ab assidua saltem cogitatione, à pietatis studio, ab intentiore virtutum exercitio, ab exorato impensiùs Numinis, Diuorumque præsidio mitescat. Non ea planè mors est, vt benè, pièque morientis personam ac partes agere mortalis possit; nisi, vt in scenis, theatrisque accidit, priuata sese primùm, ac diutiùs exerceat actione. Quædam à publicis curis ante communem exitum vacatio, secessusque id efficit, vt assueti diù huiusce lucis vsuræ, viuere dediscamus. Quod cùm cæteris mortalibus, tùm magnis Viris difficillimum; quippè quòd dignitatum, opumque illecebra, vsuque magis sibi deuinxit vita: ac impliciti fascibus, curisque populorum, exsoluere sese statim à suorum munerum occupationibus nequaquam possunt. Neque verò insolens ea est inter principes viros, qua de loquimur, à functionibus, officijsque rerum publicarum ante mortem abalienatio. Legentibus annales historiarum plures eius rei vel ab ipso Cæsarum, Regumque censu occurrent exempla. Celebrata omnium litteris Caroli Quinti Cæsaris solitudo est, quem sub hoc tempus extimulatum, erectumque ad id maximè consilij Centurionis cuiusdam sui dicto [a] memorant. Is nanque & multis ipse stipendijs emeritus, cùm vt fatum praeciperet suum, missionem à Cæsare postularet; & illum ad præclarum opus excitauit, & se militia exoluit ijs verbis: [Inter vitæ negotia, & mortis diem oportere spatium intercedere.] Laudabile planè, neque à castris, aut ab ingenio militari dictum. Sed isthæc nos documenta, aliaque prætermittimus; ac libuit instar omnium esse sanctissimos Antistites duos, Augustinum videlicet Hipponensem, ac Fulgentium Ruspensem, Episcopos: quorum sanè industriam, laboremque, etsi grauissimum Ecclesiarum munus, animorumque procuratio posceret: ipsi nihilominus, quòd subire non lento, aut tacito pede mortem præsentirent, recolligere sese, atque à rerum administratione, curisque feriari, vt mori aliquantisper discerent, voluere. Et Augustinus quidem, cùm Eradio tempe-randas vices suas, atque Hipponenses Insulas tradidisset; sanctiore quodam recessu, & contemplatione diuinorum relinquere ipse potiùs vitam, quàm ab ipsa relinqui voluit. Fulgentius verò non ante mortalitatem exuit, quàm ab hominum conspectu, atque ab ipsa se Ecclesiæ procuratione proripuisset: delegitque Circinam Insulam, atque in ea scopulum, vbi assidua mortis meditatione, eiusque præmatura quadam anticipatione præciperet naufragium vitæ. Ad hæc se exempla conformare Paulus voluit; ne qui vitam optimè composuerat, morti, quæ suprema actio est, & in qua summa rerum, minimè cauisse videretur. Excitauerat anno superiore domesticum, ac sepositum in Vaticano Sacellum, quod, vti in loco diximus, inter illos Campani belli motus delineauerat. Percommodum id Pontifici, non longè à suomet conclaui, descensu per retortos in cochleam gradus; cui & parum adnecti Odeum curauerat. Hanc sibi domi solitudinem, recessumque ædificauit Pontifex, vt qui omnium antehac fuerat, sui tandem iuris, secumque esset, ac viueret, ante supremum diem; vacaretque Deo, remotis velut arbitris, ablegatisque externis occupationibus, præter illas, quæ publicam religionem, reformationemque Ecclesiæ spectabant: quam sanè curam, vt quæ animo intimè hærebat, cum vita exuit; neque extendi mortalitatis suæ spatium voluit, vltra fidei instaurandæ votum. Quapropter, vt Aulæ negotia aliò diuerteret, Purpuratorum Triumuiratum instituit. Fuere Hi Cardinales Tranensis, Consiliarius, & Rosarius; quo sublato, Romanus successit. Hos vnà cum Camillo Vrsino rei Romanæ imposuit: regebantque summo iure omnia. Et quòd rerum ea moles maior profectò erat, quàm vt expediri totius Ecclesiasticæ Ditionis negotia ab eo paucorum capitum cœtu possent: alium subindè sex Cardinalium Conuentum excitauit, quibus in res Ecclesiasticas ius esset, Vicaria Pontificis potestate.

His itaque constitutis, curisque exoneratus; componere extremam vitam attentiore quodam studio potuit, cœpitque. In sacellum recipere sese, veluti in sinum tran-

Cui se comparat recessu quodam.

Quod solent sapientes, ac magni Viri.

[a] Strad. de Bello Belg. lib. I.

Centurionis ad Carolum Quintum dictum.

Augustinus, & Fulgentius secretiorem vitam ante mortem instituunt.

Hos imitatus Paulus IV.

Occupationes proscribit,

Præter illas, quæ ad Ecclesiæ reformationem spectant.

Regendæ rei Romanæ præcipuos viros admouet.

Domesticum odeum frequentat,

tranquillitatis, ibique diuinorum commentationibus, sacrisque impensiùs operari. Chorum persoluendis horis Canonicis adire; canebatque alternatim cum domesticis; inter quos frequentiores Alphonsus Cardinalis Carafa, Hieremias noster Salodiensis, Guiglielmus Sirletus, Leo Carpanus.

Rari ad illũ aditus. Nullusque deinceps è Vaticano exitus.

Perrarò deinceps ad illum aditus, vel ipsis Principum Oratoribus; nullas obire publicas functiones; nunquam extra Vaticani septa, ac sua potissimùm conclauia ferre gradum cernebatur; vt percuperet iam ardentissimè Gens Romana sui Pontificis aspectu frui. Et audiuisse se a Matino Rainaldo, viro honestissimo, qui Romæ tunc aderat, narrat Antonius Caracciolus, cùm euulgatum per Vrbem aliquando esset, fore, vt ad patentiorem quandam Vaticani porticum Pontifex deambularet, vnde aspici facilè poterat; tantum quidem hominum momentò eò conuolasse, quantum credi vix potest.

Nulla ad mẽsam pompa; Sermone in ea de diuinis rebus.

Mensam, quam tuendæ Pontificiæ maiestati celebratam antea famulitij splendore, ac pompa voluit, mox priuatam instituit. Pauci, ijque perquàm necessarij admittebantur. Ad illam non de Reipublicæ administratione, negotijsque peragendis de more serebantur; sed condiendis fructuosiùs epulis, de diuinis rebus, sacrisque litteris vtilissimæ dissertationes in medium afferebantur à Guiglielmo Sirleto, qui egregius erat eiusmodi edūliorum condus, & promus; & ab Episcopo Cauensi, è Dominicanorum Ordine, viro doctissimo: quos adesse Pontifex iusserat, veluti structores, geniosque, non vmbras Conuiuij.

Morti propior Paulus.

Hisce arctioris, tacitæque vitæ institutionibus perdurauit ad menses aliquot Paulus; cùm inualescere morbus cœpit, ac timeri propiùs ab aqua intercute periculum. Nec post multò conclamata medicorum iudicio salus fuit: vt moneri illum instantis fati oportuerit. Sirletus, ac Hieremias id officij obiuere; qui quam admirati in eo constantiam semper fuerant, tùm maximè insigni documento enituisse affirmarunt.

Supremam horam nunciantibus quàm copiosè, & grauiter respondit.

Enimuerò non modò nulla ex parte mutatus illi vultus, timorisque præ se specimen tulit, cùm rei nuncium accepit; verùm ad hilaritatem grauitatemque compositus, habere primùm viris gratias; tùm sermone satis luculento, paratum, inquit, diù se exequendæ Numinis voluntati. Mortem haud quidem terrori esse posse viro, qui inter priuatæ, publicæque, ac magnæ fortunæ vices exilio persimilem, ac nullibi non asperam, curisque molestissimam vitam expertus fuerat. In summis Insulis supra homines, potestate quidem, non naturæ conditione agnouisse se; proindèque mortalem: Ecquid esset, quod pereant peritura? Maturum insuper æuo esse, vt videretur summum ætatis gradum attigisse profundissima senectute. Diuturniorem vitam accendisse ea mora vehementiùs æternitatis desiderium; idque optare tandem summis votis, instituere ad cognata sydera, Cœlumque velificationem. Hæc ille occasu suo maior, mortisque nec metuens, nec contemptor. Interea dùm festinare se ad interitum intelligeret, acciri amplissimos Patres iussit, nouissimis eos verbis, ac monitis allocuturus. Duo supra viginti conuenere,

Nouissima ad amplissimos Patres verba. a Vit. Paul. IV

quos ingredi iussos, grauissima oratione, quam dictasse singularis quædam prudentia, ac zelus videbatur, idque Latinè, compellauit. Exorsus, vt narrat a Panuinius, ijs verbis: [Ingredimur viam vniuersæ carnis, & diutiùs viximus, quàm sperare potuissemus.] Tùm, si non tàm frequentes, vt poscere munus videbatur, Senatus habuisset; vt senium, ac valetudinem excusarent, rogauit.

Pontificia Comitia intimè commendat.

Ad Pontificium mox Comitiorum momenta descendit. Ea esse vniuersalis Ecclesiæ gubernacula, quæ nisi magnæ menti, expertissimæque committi non debent; indigere tùm maximè rem Catholicam insigni prudentia, quæ moderari, tueri, emendare communem religionem, ac Orbem sciat. Quapropter id supremo eo spiritu prolixiùs commendare, vt egregium caput pulcherrimo corpori contingat; ac renunciato optimo Pontifice, regnet in Petri Sede, qui Romanam fidem, moresque, ac publicam felicitatem consilio, virtuteque instauret, ac moderetur.

Et Sacram Inquisitionẽ.

Postremò institutam sacræ Inquisitionis censuram, quam sanctissimam meritò appellabat, vt sartam, ac tectam omni ope vellent, etiam, atque etiam obsecrauit. Hac potissimùm Apostolicæ sedis authoritatem, ac decus niti; nullumque aut firmius religionis fulcimentum, aut certiorem hæresum scopulum esse: vt nisi seueritas illa iudiciorum opportunè caueret, neque tutam in ipsa Vaticani Arce fidem fore. Plura ad hæc cùm grauiter, ac di-

ac disertè addidisset, alacri, ac tranquillo quodam vultu cœtum dimisit. Aderat Cardinalis Cueua, Vir pijssimus, qui priuati aliquid officij optimo Pontifici impendere, suarum esse partium duxit: factoque propiùs gradu, hæc ad illum Hispanicè: Dolendum quidem vehementer, id temporis destitui optimo Parente, ac Principe rem Christianam; cùm compositis discordiarum turbis, pacatoque Orbe, desiderari maximè præclarum eius consilium, ac virtus formandæ, exornandæque Ecclesiæ videbatur. Poneret verò ipse in laudem, ac partem solatij duceret; tanto cum bonorum desiderio, atque Aulæ opinione abire ad meliores. Cui eodem statim Hispano sermone Pontifex: Subire se, inquit, communem moriendi necessitatem haud quidem illibenter, quando vel ab ipsis ineuntis æui rudimentis ordinare vitæ suæ rationes perindè studuerit; vt si quando temporum moderator, atque arbiter Deus imperauisset, mori nec pigeret, nec metueret. Aduentasse iam supremam vitæ lineam, quam descripserat Numen; ac proindè magnoperè exhilarari se, quòd æternæ iam voluntati obtemperaret. Illud porrò ingenti voluptati esse, quòd potiretur rerum Philippus regijs omnibus virtutibus, eximio præsertim in Romanam Ecclesiam studio laudatissimus; cuius auspicijs zeloque persuasum habebat, fore, vt Catholici nominis dignitas, ac fidei cultus reflorescerent. Hæc in eo rerum articulo ad Cueuam: & mox viro item Principi, qui eodem fermè argumento conquerebatur, quòd alieno maximè tempore eius zeli, ardorisque in rem Christianam Pontifex abiret, respondisse in ea Saluatoris verba fertur: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare semen Abrahæ. Quod quidem eo spiritu, atque oris maiestate pronunciauit, vt miratus quidam ex augustis Patribus fuerit, tantum adhuc seni, ac morienti vigorem animi, ac veluti supercilium superesse. Externis hisce officijs persolutis, vacare animæ cœpit. Opem Numinis, pietatemque per summam animi demissionem, ac prolixè implorauit: expiatusque mox externis sacris; cùm Vespasianus Cæsar animo subijsset, qui fungi vita erecto corpore voluit, illud subindè monens; Principem stantem mori oportere: excitatus hoc exemplo, sagulum petijt, ceu surrecturus, ne decumbendo moreretur: at morbi vi pressus inter piorum hominum adhortamenta, Schotti præsertim Cardinalis, ac Hieremiæ Salodiensis è Nostratibus; vbi ea verba pronunciauit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus; sanctissimam animam efflauit, eius anni quinquagesimi noni supra sesquimillesimum die Augusti mensis decima octaua, die Veneris, hora circiter vigesima prima, Ætatis suæ ineunte anno quarto, & octuagesimo, Pontificatus verò quarto, mensibus duobus, diebus septem, & viginti. Vir quidem citra summam Tiaram Maximus, qui ad id fastigij non vnius Infulæ gradu peruenerat; Episcopus nempè Theatinus, Brundusinus, Albanensis, Sabinensis, mox Neapolitanus, tùm Sacri Collegij Decanus, & Antistes Ostiensis, ac Veliternus.

Card. Cueua Pontificem alloquitur.

Grauissima eius ad Cueuam responsio.

Conatus surgere, vt stando excedere.

Moritur Paulus IV.

Maximi Pontificis obitum, vt magnorum funera præcone Cælo nunciantur, commonstrasse non vnum planè prodigium videri potuit. Visus quippe sub id tempus promisso, feralique crine in Hispania Cometes; sublimis item in aere Crux in Anglia; atque alibi alia: quæ licet ad aliorum Principum parentalia, quibus funestatum hunc annum mox dicemus, plerique retulerint; communis nihilominùs Ecclesiæ Parentis, ac præstantissimi Sacrorum Præsidis iacturam prænunciasse, nemo est, qui dubitet. Quanquàm maiora profectò Romæ portenta, ac monstra habeamus, quæ admiremur. Hominum videlicet impiorum confidentissimam impudentiam in venerabilem Pauli Quarti memoriam, ac famam. Enimuerò vbi laborantem supremo iam anhelitu Pontificem gens Romana inaudiuit; expectato vix obitu, nescio quonam impetu, maloque genio acta, frequenti, ac tumultuario Senatu, Capitolinam in Curiam confluxere. Agitari inibi acrioribus suffragijs exacti belli incommoda: quippè difficilè animo excidunt inflicta in patrimonium damna, ac vulnera. Tùm qui Carafas, eorumque imperium, fastumque oderant, in ipsos vehementer inuehi; tandem Sanctissimi Pontificis nomen, ac facta acerbè proscindere. Eius Consultationis finis, excitati à deterrimis tumultus, ac turbæ fuere: correptisque armis, vt compertum statim esset, qui, cui bellum struerent; vtque in Paulo odissent

Honestati Cæli prodigijs mors.

Dehonestata impiorum contumelijs,

Excitatæ Romæ turbæ

In Sacræ Inquisitionis Aedem incurritur.

censuram fidei, ac morum: rectà ad Sacræ Inquisitionis Ædes cursum intendunt. Effringunt, irrumpunt. Non loci, eiusque Sancti Officij nomen, ac veneratio religioni, ac fræno semel incitatis fuit. Diripiunt, incenduntque: atque vnà discerpti, qui proscripti hæreticorum libri fuerant, nec non & in ipsos acta. Sanctissimi eius Tribunalis, quem vocant, Commissarium fœdè conuulnerant: nec mitiùs Thomam Schottum, eius socium accipiunt.

Extrahuntur inde hæretici

Hæreticæ prauitatis reos, qui ijs custodijs detinebantur, ad duos, & septuaginta in libertatem asseruere: inter quos ferunt, duos supra quadraginta hæresiarchas, ac scelerum magistros fuisse, & in his Postellum, ac Palæologum, celebrioris infamiæ viros. Certè grassari in Vrbe Lutherianus furor, aut gladius haud immaniùs poterat.

Idem in Marianum à Minerua Templum impetus.

Neque verò à tanto statim facinore elanguit cæca, ac præceps vis illa impietatis; cumulare scelus audent. Nam in Dominicanorum Patrum Cœnobium, quod à Minerua nuncupatur, quòd inaudiuerant, detineri & inibi hæreticos; impressione quàm turbulentissima inuadunt; ac nil propiùs fuit, quàm vt eas Ædes incenderent, vexarentque atrociùs Patres. Intercessere qua valebant authoritate, ac blandiloquentia, Viri proceres, Iulianus Cæsarinus, Ioannes Baptista Saluiatus, Bernardus Torres, & Ioannes Antonius Bernardus.

Vnde & hæretici in libertatem asseruntur.

Hi quidem inconditum vulgus, & quod intentabant ferrum, facemque procul Cœnobio habuere; solutis nempè, emissisque è carcere, quos reposcebant, hæreticis suis; ac plerisque è Romana nobilitate adolescentibus, qui Prædicatorum habitum induerant, excucullatis. His egregiè peractis, vt triumpharet in loco improbitas, iterùm in Capitolium: coactaque concione, qui ardebat adhuc furor, in Sanctissimi Pontificis statuam effusus. Assueta nempè canum rabies, mordere lapides.

Mox in Pontificis statuã fruiunt.

Statuerant non ita pridem, vt diximus, publico Senatus consulto sapientissimo Principi pulcherrimi operis simulacrum, eorum, quæ in communem rem Romanam contulerat, beneficiorum testem, ac indicem; tùm vt eiectis consanguineis, redijsse in Vrbem tanti Pontificis virtute iustitiam, religionem, copiam, felicitatem eo signo posteritatem docerent. Horum sanè memoriam subitaria quædam Erinnys, atque inconsultus animorum motus deleuit; effractoque, ac detruncato insigni marmore, sæuire in Pauli vmbram libuit. Indignum planè Romana pietate facinus; vt horruisse omninò bonos, ac saxa ipsa Vrbis purandum sit, tantum piaculi in sanctissimo ipso Mundi Sacrario ausam vulgi fæcem.

Effracto, raptatoque per Vrbem marmore.

Ac refugit quidem mens, ac stylus ea minutim dehonestamenta commemorare; raptatumque per compita, ac fora honestissimum, atque Infulatum Caput; quod ne diutiùs nebulonum ludus esset, iactari in Tyberim piorum manibus, & commiseratione oportuit. Commodùm id quidem, vt tantum hominum scelus elueret flumen; exceptoque suo sinu detruncato à reliquo marmore eo capite, Capitolij infamiam vindicaret Tybris. Adnotare verò in hisce commentarijs è re fuerit, quod Antonius noster Caracciolus, quem nihil sacrarum historiarum latuit, opportunè adnotauit: nempè ea ipsa die, qua Capitolina Pontificis statua effracta indignè fuit, ac per summam iniuriam, ac ludibrium tenebrionum manibus raptata; per eandem olim Vrbem pertracta Sanctissimorum martyrum Hermæ, Seraplonis, & Polyæni corpora fuisse.

Quo die raptata olim Romæ insignũ martyrum corpora.

Scilicet, vt qui assecutus illorum martyrum fidem, & constantiam fuerat, dum viueret; eorundem etiam lauream, quadam martyrij similitudine, repræsentaret, cùm vixit. Et verò, id potissimùm in votis magnæ illi Animæ fuit, pacisci capite, ac morte Cœlum: & vitæ quidem discrimini non semel obiecit sese Vir supra omnem metum, ac laudem; non modò clade illa Vrbis memoranda, cùm stricti Germanorum enses, eius, ac sociorum ceruicibus imminerent: verùm etiam in plerisque Christianæ fidei causis, vt ipsemet suis litteris, quas in loco retulimus, testatur, improborum odium ita aliquando subijt, vt non longè à martyrio fuerit. Ergò quæ viuenti contingere laurea, ac sanguinis purpura minùs potuit, collata extincto est; distracto, videlicet, percussoque marmore, in quo ipse, eiusque spirabat maiestas, ac vltus; atque adeò accessit Paulo ab decumana ea iniuria ingens decus; tantum abest, vt fœdare, antinumbrare magnum nomen, famamque facinorosi homines potuerint: qui quidem vbi in bonos, inuehuntur; id euincere conuicijs, ac maledictis suis videntur; vt crescat, niteatque illustriùs illorum existimatio: quando id continuò apud

Nullum ab ea iniuria optimo Pontifici dedecus.

apud animum suum quisque reputat, haud posse à flagitiosissimis, nisi optimos divexari. Certè Constantinum Magnum, ac Theodosium, quæ Cæsarum capita, ac nomina; in eandem etiam incurrisse populorum inuidiam, & contumeliam scimus: fractis nempè, ac decurtatis turpissimè eorum simulacris. At corruperint signa, ac statuas improbi; nullam profectò inspergere laudatissimis Imperatoribus labem audacia, ac liuor potuere; quos vt inclyta facta, ac virtus vnicè commendabant, ita illustriores illata ea probra reddidere: cùm nullum præstantius virtutum documentum sit, quàm malis displicuisse. Atque hoc quidem tantorum Cæsarum exemplo, proscissum, ac dehonestatum Paulum Quartum quid gloriosius? Illud autem ad eius nominis dignitatem, ac decus planè splendidum; quòd ab ijs ipsis, qui ardere magis odio videbantur, deprædicata luculento quidem testimonio fuerit eius virtus. Fuere hi Senatus, Populique Romani Principes, qui & vulgus, turbasque excitauerant; & manare sine autore edictum curauerant, quo exculpi, delerique vndique Carafarum insignia, ac stemmata cauebatur. Enimuerò, cùm excitatas furenti à populo tragœdias Purpurati Patres grauiter dolerent; expostulandum peracerbè ea de re cum Senatu Romano duxere: quibus Magistratus nomine adlegatus è Conseruatorum ordine Pyrrhus Tarus; qui postquam quæsito verborum ambitu plura in facinorum excusationem disertè attulisset, his tandem perorauit: [Aduertere hic quidem est, Amplissimi Patres, nihil se, nihil Romanum Populum de Paulo Quarto conqueri posse, cuius virtutem, mentemque optimam toties fuissent experti. Propinquos eius potiùs culpandos, quorum odio à furenti, ac promiscua plebe ea clades patrata fuisset.] Quo sanè, refusa in domesticos culpa, immerentem Pauli memoriam egregiè absoluit; ac vulgi confidentiam, ac detestabiles omninò ausus visus est eò acriùs incusasse. Nam quæ demum ratio est, vt tàm indignè Pontifex lueret, quod sui peccassent? Quanuis, etsi ingenti laborarent inuidia nepotes, re tamen vera non minùs vindicem Pauli zelum, atque ardentissimum emendandi moris studium, conatusque oderat Populus Romanus: atque adeò qui inuestigare serió illorum in Pontificem conuiciorum, atque iniuriarum causas voluerit; illud statim audiet, quod disertissimus [a] ille copiosè, ac perquàm verè pro tanti Pontificis causa tunc temporis declamauit. Romanorum nempè odium, ac tot indigna memoratu meruisse Paulum; [quia Dei honorem zelatus est ad Christi formam; quia de medio substulit impios; quia flagris cęcidit blasphemos; quia à prædonibus tutatus est negotiantium merces; quia flammis dedidit hæreticos, & pædicones; quia in ergastula coniecit apostatas; quia neminem permiserit impunè mœchari; quia Iudæos conspicuo signo distinxit à Christianis; quia quosdam immeritos, indignosque noluit in Senatum Purpuratorum Patrum adlegere; quia Aulæ mores à recto tramite deuios corrigere studuit; quia Orbem legibus salutaribus coercuit; quia fratris sui filios ipsemet eiecit, è qua vel vnica re recognosci potest, caro ne, an spiritus in eo vim habuerit; denique, vt finiam, quia sanctis prorsùs moribus, quoad vixit, enituit.] Hæc in sua ille declamatione, quam M. S. extasse olim apud Decium Cardinalem Carafam memorat Antonius noster Caracciolus.

Id etiam optimis Imperatoribus contigit.

Romani Senatus testimonio indignæ ea clade Pauli sanctitas.

Quid insignis declamator ea super re Romæ dixerit.

a Interius declamat. apud Ant. Carac. vit. Pauli. Lat.

Iam verò, Paulini nominis dignitatem, splendoremque magnificè adauxit, quòd acciuere Romanis turbis reliqui per Italiam hæretici occœpere, statim ac decidisse Maximum Pontificem fama euulgauit. Correpti Sacræ Inquisitionis metu, ac veluti cælo hyemante torpebant, latebantque hi veneuati impietatis angues; cùm ad extincti Pontificis nuncium, ceu repente quodam vere experrecti, visi ad ingenium, ac venena redijsse; vt moliri se, atque emicare ardentiùs cœperint, scriptis in acerrimum suorum scelerum vltorem Paulum famosis carminibus, iambisque ad Caluinianæ eloquentiæ incudem procusis; quibus sanè nescio, an honorificentiora vnquam illi contigerint elogia. Neque scribere isthæc, aut obloqui satis Nouatoribus; verùm & dicere pro concione ausi, corruptam religionem publicè, ac passim per Italiam venditare. Romam item confluere cateruatim, neque gregarios tantùm, aut minorum gentium hæreticos, sed quosdam etiam partium Antesignanos, ac Duces conuolasse, mutato vultu, eo Interregno in Vrbem, autor est is, qui Pij IV.

Turbant reliqui per Italiam hæretici.

Scribunt, eloquuntur.

Romã adeunt.

 Co-

Comitia descripsit; qui & addit, grassatos inibi impunè, ac nullo metu, contumulato videlicet, qui fulmina euibrabat; & quà priuatis, quà publicis declamationibus propinasse pestilentissimos errores, inquinauisse plurimorum animos, miscuisse omnia: vt exhorrescerent Viri boni tantam in ipsa Vrbe improborum colluuiem, tantam edere animorum stragem. Diuino id quidem nutu permissum putarunt, vt intelligeret statim Roma, tanti fuisse excubare in Vaticani Arce Paulum Quartum, hoc est, perpetuum, acerbissimumque facinorosorum hostem, ac vindicem; proindèque profiteri palàm cogeretur, ingenti suo malo eius supercilio, ac telo caruisse.

Impudentissime declamant.

Porrò dum effusè adeo lætantur, triumphantque scelestissimi quique; alius profectò erat bonorum sensus. Cui religio, & fides, & mores boni cordi erant, illacrymari tanto funeri, communique iacturæ oportuit. Philippus Secundus, Rex religiosissimus, vbi Pontificis mortem accepit, ea sapientissimè protulisse, narrabat olim Nostratibus Cardinalis Taurusius. Doleo excessisse Paulum: extinctus nanque est, cùm maximè viuendum illi erat. Quo planè docuit, pernecessariam tunc illi vitam perficiendæ Orbis reformationi, quam sanctè instituerat; atque eam tunc esse temporum iniquitatem, vt edomandis, conficiendisque ijs monstris requireretur hic Hercules. Cui sanè optimi Regis sententiæ adstipulati præstantissimi quique viri sunt, commiserati eo potissimùm nomine Ecclesiam in tanti Pontificis obitu. Quo loco illud postremò non dissimulandum; extinctum nempè Paulum Quartum quo tempore defungi vita plerosque in Europa magni nominis Principes contigit: vt visi planè fuerint, magnifico veluti agmine instructo pompam, ac funus Maximo Pontifici adornasse. Acerbior profectò, ac ferocior hac tempestate mors; quando intra vnius circiter anni spatium frequentiori Magnorum casu tot Principes extinctos voluit, quot per plura antea decennia non funerauerat. Idque eò admiratione dignius fuit, quòd rariora tunc visa è popularibus, atque è priuato hominum censu funera: vt optimè quidem, argutèque [a] ille dixerit, præaltis hisce exequijs ad ingenium sese, moremque Tarquinij hoc anno mortem accommodasse, summa olim papauerum capita demetentis. Agmen siquidem duxit Carolus Quintus, ob Imperium abdicatum & Cæsar, & nihil. Secuti Reges, Henricus Secundus Galliarum, Christianus Daniæ, & Christiernus item Rex Daniæ, viginti quatuor non ampliùs diebus post Christianum. Obiere Reginæ omninò quatuor. Maria Angliæ, Philippo Secundo, Hispaniarum Regi nupta; Bona Sfortia, Sigismundi Augusti, Poloniæ Regis Mater; & Caroli Cæsaris sorores duæ, Heleonora, & Maria; illa Emanuelis primùm Lusitaniæ, mox Francisci Primi Galliæ Regum vxor; hæc Ludouico, Vngarorum Regi nupta, fratrem non totum post mensem insecuta. Excessere ex Septem-Viris Augustalibus duo, Coloniensis, & Palatinus. Hercules item Estensis, Ferrariæ Dux; ac Venetorum Princeps; Antonius Priulus. Postremò Paulus Quartus occidit, decem Cardinalium funeribus comitatus, ceu syderum satellitio; nam, vt ille, [Solemque suum sua sydera norunt.]

Bonorum de Pontificis obitu sensus. Philippi Secundi dictum.

Eodem hoc anno Magnorum Principum per Europam funera.

[a] Strad. de Bel. Belg. li. 1.

Defuncto Pontifici persoluta de more exequiarum iusta ab amplissimis Patribus fuere, atque habita à Ioanne Paulo Flauio funebris laudatio; luculenta illa quidem, quippè à Viro eloquentissimo; sed quam pro tempore, locoque decurtare egregios, ac multiplices Pauli actus oportuit. Corpus lateritio primùm tumulo, ingentibus quidem prometitis longè impari, Vaticano in Templo sepultum. Septimo verò post anno sanctissimæ memoriæ Pius Quintus in Templum Deiparæ, à Minerua nuncupatum, transferendum magnificè curauit. Prosequebatur enimuerò singulari quodam studio, tùm magnarum virtutum merito, atque æstimatione, tùm maximè vi quadam memoris, gratique animi Pauli memoriam Pius. Quapropter, cùm primùm inauguratus Pontifex fuit, nihil habuisse antiquius visus est, quàm eius honestare augustum nomen, ac vindicare ab interitu, ac probris famam, quam fœdari maledictis suis, ac penitùs extingui flagitiosissimi nebulones omni ope contenderant. Ergò in eius Templi Sacello, quod olim populari suo Diuo Thomæ Aquinati sacrauerat, atque exornauerat Oliuerius Carafa, excitari è marmore monumentum iussit, ac prægrandem in eo statuam, quæ optimum Pontificem, Pyrrhi Ligorij, quem me-

Ductû de more funus.

Tumulatusq; Vaticano in Templo corpus.

Quod inde in Templum à Minerua translatum.

Auctoinibi illustri monumento.

mora-

moratiimus, opera ad viuum effictum, repræsentaret: additumque hinc indè eximij eiusdem operis, eodemque ex marmore par virtutum nobilissimarum, nempe Religio, & fides, quas ille principe studio coluerat. Exactum verò sepulcrum hoc Senatus, P. Q. Romani ære fuit, vt emendarent sumptu præteritam delirantium insaniam; atque animato denuo insigni arte vultu, insolentissimam vulgi impietatem reprehenderet ipsemet Pontifex rediuiuus. Ad ornatissimam hanc tumuli molem transferendas Pauli Quarti exuuias decreuit Pius. Dicta pompæ dies; excultumque vsque adeò est Marianum illud Templum, vt nulla eius pars inclytum extincti Pontificis nomen, facta, laudes, inscriptis carminibus, elogijs, emblematis non loqueretur. Tùm è Vaticano inuectum magnum Cinerem prosecutus insigni celebritate est flos Quiritium, ac circumfusa omnium Ordinum frequentia. Quibus verò efferre suis illum humeris contigit, Nostrates fuere. Placuit nanque Pio Pontifici, vt in præstantissimi Parentis funere id oneris, honorisque Theatinis Patribus tribueretur; quòd sciret pergratum magnæ Animæ fore, ab ea, quam ipse condiderat, Sodalitate, suprema hæc sibi obsequij, amorisque exhiberi argumenta; cùm interim digna ti tantæ sarcinæ vectatione, gratularentur sibi, ac suo Ordini Clerici Regulares; commodaretque ij parentalibus lacrymas suas voluptas. Porrò in eo veluti Paulinæ virtutis triumpho ingens bonorum excitata lætitia est, ceu tùm maximè liuor, & inuidia contumularentur; rediretque Vaticano Cælo, ac Orbi illa Sanctissimi Pontificis maiestas, ac Sol ille virtutum omnium fulgentissimus, qui coactus pridem fuerat impio nefariorum oppositu quoddam deliquium pati. Planè, quę nescit premi diù virtus, eluctata strenuè calumnias, expedijt tandem augustum caput; restituitque Paulo Quarto dignitatem, ac splendorem famæ hac potissimùm die, cùm inter Vrbis plausus, secundasque populorum admurmurationes illatus quàm honorificentissimè tumulo est: præsertim cùm neque breui ea pompa circumscripta tantorum fuit meritorum commemoratio. Siquidem, quod ad immortale Pontificis decus facit, ne nulla magnam eam indolem, diuinasque laudes ignoraret posteritas, aut secula obliterarent; extare in sepulcro peregrinum marmor Pius voluit, insigni Pauli elogio inscriptum, ad æternum videlicet, & suæ gratitudinis, & eius magnitudinis monumentum. Illud autem hìc exscribere, è re, puto, legentium erit. Sic verò se habet.

Eius translationis pópa, & cultus.

Magno Cineri humeros commodant Theatini Patres.

Incisum in marmore epitaphium.

IESV CHRISTO SPEI, ET VITÆ FIDELIVM
PAVLO QVARTO CARAFÆ PONTIFICI MAXIMO
ELOQVENTIA, DOCTRINA, SAPIENTIA, SINGVLARI
INNOCENTIA, LIBERALITATE, ANIMI MAGNITVDINE PRÆSTANTI
SCELERVM VINDICI INTEGERRIMO
CATHOLICÆ FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI
PIVS QVINTVS PONT. MAX.
GRATI, ET PII ANIMI MONVMENTVM
POSVIT.
VIXIT ANN. LXXXIII. MENS. I. DIES XXVII.
OBIIT M.DLIX. XV. KAL. SEPTEMB.
PONTIFICATVS SVI ANNO QVINTO.

Atque hæc quidem Paulino cineri; cùm interim Animæ, quæ nobilior, ac potior hominis pars est, haud oblitus Pius Quintus, statuerit, vt quotannis in eodem Sacello Sacræ Inquisitionis Cardinales illam solenni sacro expiarent. Pium id quidem, ac restinguendæ lustrali flammæ opportunissimum: etsi perenni ea pietatis significatione illud etiam testatum voluerit Pontifex; nempè deberi ab ijs Sancti Officij Patribus anniuersarias illas exequias Paulo; quòd excitatum Romæ, forisque, ac suis legibus instructum sanctissimum violatæ fidei tribunal fuerit; quod & aliàs commemorauimus.

Anniuersariũ illi sacrum in eodẽ Templo

Ob fundatũ S. Inquis. tribunal.

At enim, quando in hoc argumento versatur stylus, prosequi reliquum Pij Quinti in Paulum Quartum affectum libet. Et verò, tanta illius erat in hunc veneratio, isque de vitæ sanctimonia sensus, vt non alio appellaret nomine, quotiescunque memorare Paulum contingeret, quàm sanctum Patrem. Vnde illa frequentiùs: Sanctus Pater id faciebat: Sanctus Pater id nobis dixerat; Sanctus Pater id constituere meditabatur. Quid, quòd profiteri candidè solitus erat, nihil ferè à se aut actum, aut peragendum, quod non antea, aut instituisset Paulus, aut cogitasset? Et quidem non aliam sibi ideam mentis, factorumque regulam, ad quam se conformaret, visus proposuisse, vt vnà cum Pontificia dignitate quodam successionis iure accepisse etiam Pauli Quarti magnanimitatem, sapientiam, zelum, præclarosque animi impetus illum diceres; ac in tanto actionum consensu, ac similitudine solo nomine vtrumque Pontificem discrepare. Quanquàm ne id etiam deesset, vtq; ipsa appellatione exprimeret, quem moribus, vitæq; ratione referebat, Pauli nomine nuncupari, in animum induxisse, eius narrant Comitia. Verùm Borromæi, & Columnæ Cardinalium preces impetrasse, vt Pij nomenclatio in successore continuaretur. Illud verò ingentis erga Paulum, eiusque contestatas virtutes venerationis, atque existimationis non minimum argumentum fuit: quòd Hierarchicum exomium, stolamque, ac eiusmodi Romani Pontificis insignia, atque indumenta, non quidem noua conficienda sibi curauerit Pius; sed quæ triuerat iam Paulus Quartus, efflagitauerit, vsusque in posterum fuerit: statimque ac fuit Pontifex consalutatus, pileolum è raso holoserico, pelle pontica prætextum, afferri non alium sibi iussit, quàm quem Sanctus Pater gestauerat; exosculatusque cum lacrymis, capiti induxit suo. Certè egregiam quandam, ac generosiorem adflari sibi mentem putabat Pius ab sacro eo capitis integumento, cæterarumque vestium vsu; commonstrauitque quo studio in Pauli memoriam ferebatur, quando is honor exuuijs haberetur. Hæc Pius in Paulum Quartum; à quo honestatus Infulis, ac Purpura, ac sacræ Inquisitionis Præfectura, magnifico sanè virtutis testimonio, vti in loco narrabimus, fuerat: vt rependerit quidem gratissimus Pontifex vices. Quanuis ea sciret Pauli promerita, vt nullo licet beneficio adstrictus, hunc nihilominus, ceu debitum magnæ virtuti, honorem, cultumque persoluisset.

Pij V. in Paulum IV. studium.

Pauli virtutis hæres Pius.

Eodemq; appellari nomine cogitauit.

Vti eius indumentis voluit.

Intereà, quandò vsurpata quadam veneratione hæc Pauli indumenta commemorauimus; poscit locus, ac rei similitudo, vt alterum hìc Maximum Pontificem sistamus: nempè Gregorium Tertiumdecimum, Virum quidem ab concentu virtutum, magnificentia præsertim Incomparabili, vitæque innocentia communem gentium omnium commendationem promeritum. Is igitur, quippè qui intimus Paulo Quarto fuerat, eiusque animi magnitudinem, moresque inculpatos, ac præclaras præstantissimæ mentis curas introspexerat; ita affici erga illa summi Præsulis ornamenta virtutum contigit, vt insigni quodam animi cultu veneratus posteà fuerit Pauli memoriam, & quæcumque illum exuuiæ, aut monumenta repræsentarent. Quapropter cùm quædam eius caligæ, vsu illæ quidem detritæ, ad ipsum peruenissent, tanti eas fecisse visus est magnus Pontifex; vt cùm reliquis anni diebus decentissimè seruatas vellet, ijs vti nonnisi præcipuis Domini, Diuorumque celebritatibus in more haberet; ratus non minùs ijs caligis, quibus pretium Paulus fecerat; quàm attalica quauis chlamyde, intextoque auro coli dies maximè festos; imitatus præterea magni Antonij exemplum, ac morem, qui Pauli, Eremitarum principis tunicam, rudi illam palma intextam, sed tyrio quouis vellere longè pretiosiorem, gestare diebus solennibus Paschæ, & Pentecostes gaudebat. Atque hæc quidem narrasse olim accepimus Antonio Pestio, Archiepiscopo Surrentino, Franciscum Cardinalem Boncompagnum, Archiepiscopum Neapolitanum, Gregorij eiusdem Tertijdecimi Nepotem: cui ab inculpatæ vitæ laude, ab incomparabili in pauperes beneficentia, atque omnigena complexione virtutum, quàm à Purpura, & Pontificum cognatione nomen illustrius; nullumque illi à mendacio pretium: atque addidisse insuper compertum habemus, legasse postea suis Maximum Pontificem hæc, quæ diximus, tibialia: non vulgare quidem patrimonij corollarium: vt scilicet perennarent successionis iure in Domo Boncompagnacum

Gregorij XIII. eximius in Paulum cultus.

Eius caligis nonnisi diebus festis vtitur.

Legauitq; ex testamento suæ Domui.

cum Pauli Quarti exuuijs eius meritorum decora, ac memoria magni nominis.

Iam verò, multa licet de Paulo Quarto pro temporum ratione in hoc opere dixerimus, atque hactenùs totam ferè nostram historiam eius facta confecerint; plura nihilominùs adhuc supersunt enarranda, quæ huc consultò, tanquam in opportuniorem locum coniecimus, suo ordine, ac suis veluti sub signis collocanda. Enimuerò cùm perpetuo quodam narrationis filo ducenda per vestigia temporum scriptio fuerit; prætermitti pleraque à stylo oportuit, quæ ad continentem rerum seriem pertinere minùs videbantur. Atque hæc quidem modò, cùm explicandæ Pauli virtutes sunt, incolumi historiarum ordine, ac sine legentium fastidio suam inuenient stationem. Ergò ingredimur nunc Maximi Pontificis veluti in virtutum syluam; de quibus ita in præsenti memorabimus, vt quæ semel iam scripsimus, aut non ea reponere, aut perquàm leuiter, raptimque perstringere, animus sit: cùm noua quidem, ac multiplex actionum seges suppetat abundè calamo, quibus condecorari singulæ virtutes possint, ornarique sua pompa. Pauli IV. virtutes.

Initium huic narrationi dabunt, quæ principem inter virtutes sibi vendicant locum, & quas præcipuo coluit studio Paulus, nempè religio, & fides. Has quippe insculpi solido è marmore, vt diximus, in eius sepulcro iussit Pius Quintus, qui nulli virtutum acriori contentione studuisse illum nouerat. Planè perindè ac si Pauli Quarti nomen, non tàm Pontificis, quàm assertæ religionis, vindicatæque fidei nomen sit; non aliter illum appellatum frequentiùs inuenies, quàm Christianæ pietatis vindicem, Catholicæ fidei propugnatorem, Religionis assertorem, alijsque illustribus id genus elogijs. Enimuerò, qui eius facta, curasque omnes, ac studia diligentiùs inspexerit; id insigni quodam ardore animi semper, atque vnicè contendisse animaduertet, vt Romanæ fidei, & Catholico nomini benè esset: ac niteret, glisceret, amplificaretur longè, lateque per omnem mundi plagam religio. Vt iure omni Marianus Perbenedictus, Cardinalis Camerinensis dixerit aliquando in nostro Sancti Siluestri Cœnobio, plerisque Nostratium audientibus, asserendum meritò fore Diuorum fastis Pauli Quarti nomen, colendamque vnicè eius memoriam, quòd superstes tunc esset, floreretque vbique eius opera, zeloque Romana fides. Quod sanè publicæ pietatis studium, vel cùm olim Venetijs secum, & cum Deo esset, procul Infulis, ac Aula Clericus Regularis, non ita coercere intra susceptæ vitæ rationes potuit; quin & faceret in rem Christianam magna, & pateretur proea afferenda, non parua: & vt narrauimus fusè aliàs, monere compositis litteris Pontificem ipsum non dubitabat; eaque persæpè vrgebat, quæ instaurandæ fidei opportuniora sibi videbantur. Inter quæ militaris Ordo fuit, quem ceu Christianæ Reipublicæ vtilissimum suadere Clementi Pontifici Septimo instituit. Hæreticos optimè coerceri metu, ac vi quadam frangendæ illorum contumaciæ opus esse, probè nouerat Theatinus: qui & sacrarum historiarum apprimè sciens, plerasque exactis ætatibus excitatas huiusmodi nobilium virorum Sodalitates, fræno fuisse nouatoribus, ac præsidio fidei, pro comperto habebat. His præcipuè præliaribus copijs vsum Diuum Dominicum [a], narrant eius acta, vt laboranti Romanæ rei occurreret; cùm turbo ille religionis, Fridericus Secundus Cæsar conuellere Christi Ecclesiam, fidemque nitebatur; & compendio quidem fuisse, euentus subindè docuit: quemadmodum & iuuit magnoperè militaris item moris, atque instituti Societas, quam centuriatam sub id tempus in Italia, narrat [b] Sigonius. Ad hoc nimirum exemplar institui certis legibus, ac votorum religione fortium, piorumque virorum agmen, oppidò fore putabat Carafa; vt quam alij scriptis, ac declamationibus hæresim eruditè insectarentur, terrerent ipsi, conficerentque manu, ac ferro strenuè; indicto in impietatis monstra perenni, atque implacabili bello. Hæc, quæ à Clemente, siue curis alijs distracto, siue in accurrandis Ecclesiæ rebus lentæ cuiusdam indolis Pontifice, impetrare non potuit; confecisset ipsemet postea, Pontificio eidem muneri admotus, nisi arma, ac bella aliò animum auocassent; nec intempestiuè defunctus vita, atque Officio fuisset; cùm grauissima quæque, ac præstantissima in Ecclesiæ vtilitatem moliri negotia occœperat. Quam deindè mentem assecutus egregiè est ingens ille magnarum Pauli Quarti cogitationum hæres, Pius Quintus;

Religio, & fides.

Quibus semper impensius studuit.

Militarem Ordinem de bellandis hæreticis proponit Clementi VII.

[a] Chron. Domin. to. 1. lib. 1. c. 49.

Exempli præsens.

[b] De Regn. Ital. lib. 17. & 19.

Quem nec Clemēti, neq. ipsi excitare per tempus licuit.

qui

Instituitque Pius V.

qui vt implere eius vestigia, & quæ ille adumbrauerat, suis veluti coloribus delineare, conabatur; ita hunc potissimùm militarem Ordinem, quem concepisse illum nouerat, faustè excitauit.

Sacræ Inquisitionis Autor, & conditor.

Atenimuerò, pro eo, quo flagrabat in fidem zelo, non vnam profectò eius repurgandæ viam, rationemque inire Carafæ satis fuit; verùm quò tot hæresum portenta ac nomina profligaret, demereretque strenuè religionem, nulla non expedire arma, atque adhibere tentamenta visus est; donec seuera illa, eademque sanctissima fidei censura, hoc est, sacræ Inquisitionis Tribunal, vt Romæ constitueretur, autor fuit apud Maximum Pontificem Paulum Tertium. Quod sanè detinuisse, iniecta veluti manu, labentem pietatem fuit: ita vt quòd stet hodieque diuinorum cultus, ac niteat purior in Vaticano Christi fides; diuino huic consilio acceptum referri debeat; & Cardinali in primis Theatino, qui excogitauit, atque ad absolutam quandam, grauissimamque iudicij formam exegit. Id quod in loco, nec quidem parcè explicauimus:addendumque solummodò hìc est,mirari nos iurè meritò,

Notantur nuper scriptores.

a Ribadener. in vit. S. Ignatij aliique.

repertos hac tempestate a Scriptores, qui nulla historiarum fide, alteri, quàm Cardinali Theatino præclari operis inuentum tribuerint. Profectò, nisi testata omnium litterarum consensione, ac monumentis, communisque famæ suffragio res esset; agitare seriò causam, ac vendicare autori suo laudem, par esset. Sat proindè fuit, implorasse in loco Scriptorum fidem; illosque indicasse, qui rem compertam suis lucubrationibus consignarunt. Quo nempè fiet, vt abrogent, quicumque illi sint, multiplici eo testimonio errorem suum; & caueant alij, ne præterquàm quòd probatissimi, ac prisci Auctores scripsere, hac ipsi de re sentiant. Præsertim cùm præter laudatos modò Scriptores,abundè etiam sint amplissima summorum Pontificum testimona, Pauli Tertij, qui in publica ea censura administranda Principem Cardinalem Theatinum constituit; & Pij Quinti, qui anniuersaria illi iusta decreuit, tanquam Sacræ Inquisitionis fundatori, ac promotori. Illud autem, postquàm

Eius in S. Inquisitione procuranda zelus.

Pontifex Carafa est appellatus, omni ope contendit, vt quam ipse Sacræ Inquisitionis Censuram sapienter excogitauerat, eiusdem Princeps, ac summus Quæsitor strennè procurauerat; summa postea integritate, ac seueritate administraretur. Ac primò quidem, vt excresceret ab externa quadam maiestate reuerentia, ac metus illam ad augustiorem quandam formam, adauctis Purpuratorum Patrum suffragijs, reduxit: addiditque insuper non minimum dignitatis, ac ponderis assidua sui præsentia. Etenim, cùm Romanæ Aulæ, atque Ecclesiasticæ Ditionis negotia alia aliis peragenda facilè permitteret; his, quæ ad Sancti Officij munus, sacrorumque emendationem respicerent, adesse ipse, audire, pertractare cuncta vigore quodam animi incredibili videbatur: iusseratque statim ab inito Pontificatu, vt in adeundo negotiorum causa Pontifice, principem locum Sacræ Inquisitionis Cardinales, eiusque, vt vocant, Commissarius, obtinerent: vt scilicet vacuas,nec dum curis alijs occupatas, distractasque aures, ac animi facultates potioribus Catholicæ religionis causis præberet. Nec sanè exiguo argumento est, quanti sanctissimum hoc Tribunal, studiumque tuendæ, sanandæque rei Christianæ, dum vixit, faceret Paulus: quòd

Quam supremo spiritu Cardinalibus cõmendauit.

duo solummodò supremo spiritu, vt diximus, amplissimo Senatui etiam, atque etiam commendauerit, Optimi Pontificis delectum, & Sacram Inquisitionem: vt qui optimè sciret, illo quidem regi sacra; hac verò emendari, ac vindicari.

Incorruptè administrari fidei iudicia, nihil illi carius.

Et quidem, vt nihil tàm illi ad cor, quàm hæc fidei, & morum censura; ita nil accidere illi iucundius poterat, quàm in eius Officij administratione strenuè, atque incorruptè gessisse se quenquam. Æstimare maximoperè huiuscemodi virtutis, ac zeli viros, ac nullis non illos officijs, ac beneuolentiæ argumentis complecti videbatur. Hinc prona in Michaelem Ghislerium, posteà Pium Quintum, voluntas, atque eximium eius honestandi studium. Enimuerò, cùm exhaustos ab eo pro re Ca-

Michaelem Ghislerium intimè complectitur eo nomine.

tholica ingentes Nouocomi, ac Bergomi labores inaudiuisset; ipsumque non in vulgaria modò hæreticorum nomina, verùm & in prænobiles etiam viros, magnis vtiq; clientelis subnixos, ac in Antistitem quendam, Infulis, ac genere clarissimum, violatæ fidei reos, infracta quadam vi pectoris, minarum iuxta, ac vitæ contemptu anquisiuisse: dilaudato prolixiùs diligenti, acrique zelo, affici mirificè erga illum

coepit:

cœpit: vt cùm post paulò renunciandus Romæ esset Sancti Officij Commissarius, quamuis è Dominicana familia obijcerent sese plerique vsu rerum, doctrinaque spectatissimi; non alium ipse, qui supremum tunc Quæsitorem agebat, legerit, quàm Ghislerium; Romamque aduentantem excepit perhumaniter domi; testatus omni officiorum genere, quo loco habendi sint fidei propugnatores. Cumque in grauissimis nobilium Virorum iudicijs plura, Bergomi potissimùm, incommoda, ac pericula subiuerit: ea sibi narrari, ac repeti magnoperè oblectabatur. Illum verò eo sibi nomine commendatissimum, cùm vsu posteà perquàm accuratam, ac seueriorem in eiusmodi negotijs operam probasset suam, appellatus ipse Pontifex, in Purpuratorum Patrum Collegium cooptauit; ac mox supremum fidei Quæsitorem dixit; summa quidem, ac perpetua muneris procuratione, vt vacante etiam Pontificis Sede ius illi esset in fidei perduelles, ac transfugas. Eodem hoc ipso assertæ fidei titulo, singulari in Stanislaum Hosium studio ferebatur. Egregius ille quidem morum censor, ac Paulo Quarto omninò similis; expressitque in Epistola ad Othonem Cardinalem Truchsensem egregiam, ardentemque suam indolem his verbis: [Qui negotia religionis frigidè agit, minimè ex animo agere videtur. Adscribitur mihi zelus inconsideratus; sed video aliorum zelum nimis consideratum eò rem perduxisse, vt iam vix decima pars Catholicorum in suis terris supersit.] Hæc ille de se, cuius feruentioris studij gratia iam de illo inter amplissimos Patres adsciscendo cogitauerat Paulus; quemadmodum, & Dominicum Bollanum Brixiensibus Infulis honestauit, quòd Sacræ Inquisitioni impensiùs fauerit, insectatusque hæreticos pro virili fuerit. Neque aliam omninò ob causam Ioannem Gropperium, omni doctrinarum laude ornatissimum, Purpura insigniuit, nisi quòd in Germania quà calamo, quà voce in hæreticos pugnacissimè decertauerit; afflixeritque eorum rem, ac partes non minimùm. Laurentium item Strottium, quanuis Petri Strottij, germani fratris, fortissimi Ducis merito, qui in Campana expeditione facessere Latio insigni vi bellica hostem coegerat, euectum ad amplissimum honorem Purpuræ, fama, ac vulgus iactauerint: collatas illi nihilominùs à Paulo Romanas Infulas scimus, eius potissimùm gratia, quòd, cùm Henrici Secundi arma Narbonensi in Gallia supremo iure tractaret, Nouatorum agmina igne, ferroque profligauerit; atque ad Orthodoxam fidem, frugemque, vnde desciuerant, reduxerit. Atque hunc ipsum, quem memorauimus, Henricum, Francorum Regem, propensiore quodam affectu prosequebatur, quòd auita pietate accurare impigre in Gallia rem Christianam videbatur. Indicto siquidem perpetuo in hereticos bello, delere funditùs portenta illa hominum nitebatur: petieratque, vt extra ordinem iudices aliquot in causis fidei à Paulo Pontifice designarentur: qui tres ex Augusto Senatu Patres ea super re constituit; nempè Borbonium, Lotharingium, & Castillionæum. Tùm illud flagrantissimi in Catholicam fidem animi specimen dederat Henricus, quòd primis quidem sanctionibus blasphemos, ac periuros petijt; ac altera ab solenni inauguratione die cremari insignem hæresiarcham iussit: gnarus, haud auspicatiùs iniri imperium posse, quàm immolatis eiuscemodi victimis. Philippum itidem, Hispaniarum Regem ab hoc fidei zelo cumprimis dilaudabat. Perspecta nanque tanti Principis pietatis indoles, cùm reuersus è Belgio, quos Hispalensis Antistes pro Summi Quæsitoris munere, religionis manifestos damnauerat; inter quos & nobiles plerique viri censebantur; mulctari publicè, ac, se præsente, voluit: dignum Rege spectaculum putans, homines longè corruptissimos intueri, flamma vindice, pœnas dantes. Quod vbi intellexit Paulus, & gratulatus generosiorem Philippi zelum est; & conquestus vehementer, intercessisse olim cum religiosissimo Principe simultates, quæ in causa vtrique fuerant, quominùs coniunctis vnà viribus in hæresum exitium conspirassent. Scilicet & erat ipse in rem Christianam egregiè animatus; & eadem ardere flamma aliorum, præsertim Principum pectora, nimio quidem opere lætabatur.

S. Officij Cõmissarium renunciat.

Mox Cardinalem, ac summũ Quæsitorem.

Idem eodem nomine in Hosium studium.

Et in Dominicũ Bollanum.

Et Gropperium.

Et Strottium.

Eodemq; titule Henrici Regis percupidus.

Et Philippi Catholici.

Contrà verò, vbi lenta quidem manu, ac mitiùs cum hereticis agi comperisset, mirum quo sensu insurgere in facilitatem illam, & conniuentiam videbatur: quam quidem, & affectis ipsis partibus, & reliqui corporis incolumitati officere plurimùm

intel-

intelligebat: noueratque eam esse hæreticorum indolem, ac ferociam, vt nullo officio mitescant; eòque tandem indulgentiam tendere, vt contumaces eorum spiritus, præfractosque animos augeat. Certè Caroli Quinti Cæsaris, ac Ferdinandi, Romanorum Regis, præclaras res gestas, regiasque animi dotes, nescio, an alius prosecutus beneuolentiore animo fuerit, quàm Paulus Quartus. At enim, quam imminuere beneuolentiam, ac studium nihil vnquam potuisset, visa profectò, refrigerasse intempestiuior quædam in Romanæ Ecclesiæ transfugas remissio, ac tolerantia. Coacti in Germania Conuentus, Spirensis, Augustanus, Ratisponensis, Patauiensis: agitatæ in ijs inconsulto Pontifice de Catholica religione quæstiones; permissa hæreticorum postulatis pleraque, affecere profectò vehementer Paulum: qui licet ab Administris, studio partium corruptis, regnandique artes potiùs, quàm religionis iura in consilium adhibere assuetis, id peragi, non ignoraret: attamen in Catholicorum Principum animis seueriorem quandam agendi rationem, constantiamque imperterritam, ac par Austriacæ pietati supercilium desiderasset. Enimuerò intueri perfacilè ipsi poterant, ideò postulari publica illa ab Lutherianis colloquia, vt in tumultuarijs, ac promiscuis ijs Comitijs, in quibus & dignitate, & numero valebant ipsi maximè, aliquid semper, quod de Christiana religione detraherent, suæ sectæ accederet: sicque gliscerct passim hæresis, ac rerum tandem potiretur. Atque id potissimùm causæ fuit, cur obniti Paulus visus fuerit Comitijs, in quibus abdicatos à Carolo fratre Imperij fasces, Ferdinando Augustales Septem-Viri detulere. Contendebat sanè Pontifex, deuolutum ad Apostolicam Sedem legendi Romani Cæsaris ius esse; quòd Gregorius Quintus, qui Germanorum Principum Ordinem, Senatumque constituerat, potestatem quidem illis fecerat, si quando defungi vita Imperatorem contigisset, alium eligendi; secùs verò, si vacasset alia quauis ratione Imperium. Et adstipulari profectò causæ veteris æui exempla, ac doctissimorum virorum suffragia, videbantur: quæ quidem, etsi abundè essent, vt Romanæ Sedis authoritatem, ac iura tueretur Pontifex: attamen ne eam statim inaugurationem probaret, mitius Ferdinandi ingenium fecit, ac remissior in continendis in officio, refrænandisque Catholicæ fidei perduellibus cura. Hac nimirum hæsitatione, veluti acriore quodam monito, sperabat, fore Paulus, vt reliquis principalium virtutum numeris laudatissimus Ferdinandus, austeriorem hanc etiam in hæreticos mentem indueret; disceretque, quanta cum communis fidei fraude, ac detrimento illis morem gereret, quibus cùm Religionis, tùm Imperij ruina, & clades proposita erat. Quo sanè visus conniuentiam suam, suorumque Administrorum recognoscere Ferdinandus; & hæresum incrementis cauit egregiè Paulus. Præterquàm quòd, non minimùm Apostolicæ Sedi authoritatis accessit ab illo Augustalium Comitiorum examine; suis nanque momentis res dum expenditur; compertum liquidò est, patere latiùs Romanorum Pontificum potestatem.

Maioremq; in Carolo, & Ferdinando, Cæsaribus, in cōpescendis hæreticis contētionem desiderasset.

Ferdinandi electioni haud pronior.

Vt moneret acrioris zeli Principem.

Hæc ipsa etiam Germanorum quorundam Antistitum cum Nouatoribus facilitas grauiter offendit Pontificem: quem nihil altiùs vulnerabat, quàm quidam in ijs compescendis timor, ac eneruis animi vis; eorum præsertim, qui intentare manum, sicamque deberent. Eapropter, cùm blandiùs planè cùm illis actum in Augustano Conuentu à nonnullis Episcopis, rescinisset; nec non fuisse permissum, agitati in Ratisponensibus Comitijs negotia fidei: continuò compositis ad seueriorem quandam dictionis formam litteris ad Archiepiscopum Salisburgensem, ac reliquos Episcopos, his inter alia sensum animi peracrem explicauit: [Sed si nos destituent cæteri, non proptereà gregem nobis commissum vllo vnquam tempore simus deserturi: quinimò contrà tantò audentiùs ituri, quantò in vno solum Deo certiùs sperare debemus, quàm mundum vniuersum, ne dum istos perhorrescere.] Hæc Paulus eo tempore, quo Senatum Coloniensem summis laudibus honestauit, quod strenuè hæreticorum conatus fregerit, faueritque præclaris Adulphi Archiepiscopi cœptis.

Germanorū etiā Antistitū in hæreticos facilitatem reprehendit.

Quo tēpore Senatum Coloniensem à zelo fidei laudat.

Iam verò Reginaldum Cardinalem Polum, eiusque & ingenuos planè mores, ac singularem eruditionem vt adamauerit Paulus, diximus in loco superiùs. At quantum veteri amicitiæ fidei studium, ac zelus præponderauerint, exploratum satis super-

Pauli in Cardin. Polum studium.

ſuperque eſt. Fungebatur ampliſſima legatione in Anglia Polus; iuſſus etiam à Paulo id muneris proſequi, à quo & lectus in Archiepiſcopum Cantuarienſem, atque Angliæ Primatem fuit: & renunciandus cùm eſſet in Purpuratorum Senatu ad nouas eas Infulas; ipſemet Pontifex luculenta, ac prolixa meritorum, virtutumque commemoratione commendare apud Patres Virum voluit. Planè, quidam non integræ famæ, ac religionis homines intra domeſticos lares à Polo admiſſi, quibus & familiariter vtebatur, Cardinalis olim Theatini ſtudium in illum imminuerant; vt qui non modò à crimine, verùm à ſuſpicione etiam criminis vacare Eccleſiaſtici Principis Domum debere exiſtimabat: & profeſſus aliquando ipſimet ingenuè, & coram fuerat, amare ſe Polum, ac prænobiles ipſius animi partes; at non clientelam, & aſſeclas. Verùm ſuſpicionem hanc ſui præclara rerum geſtarum laude extinxiſſe videri potuit Polus; vt redierit ſubindè in Paulo Quarto priſcus erga ampliſſimum Virum amor, ac virtutis æſtimatio. At enimuerò, cùm Anglicana poſteà legatione fungi contigiſſet, non modò non ea conſtantia, ac præferuida vi pectoris, vt poſcere Nouatorum mores videbantur, adminiſtrauit; verùm & lenitè admodum in auertenda ab florentiſſimo Regno lue, elidendiſque hæreſum neruis egit. Quam quidem hominis facilitatem diſertè adnotauit [a] Sanderus in hæc verba: [In eo paulò indulgentior, vt à multis obſeruatum fuit, quòd in Sacerdotes, & Religioſos vxoratos non animaduerterit ſatis.] Id quod tulit quàm moleſtiſſimè Paulus; & qui certò etiam ſciuerat, præter hanc pluſculam in hæreticos indulgentiam, haud ſincero virorum contubernio in Anglia vti; vt conſuleret maturè religioni, illum intrepidè legatione exauthorauit; iuſſitque, vt Romam ſe quamprimùm conferret. Amouendum ſcilicet ſtatim putauit mite ingenium, & cui quædam cùm Achatolicis familiaritas, ab eo Regno; in quo, vt Surius, Poli ſtudioſſimus, adnotauit, duriore quodam fræno ſubigendæ impietati agi tunc oportebat. Conciliare ſibi hominum ſtudia debuerat Paulus, quòd præſenti, præſtantiſſimoque eo conſilio Anglicanæ incolumitati cauerit; nihil moratus, aut Aulam, pronam in ea ſtatim obloqui, quorum cauſas clàm habet; aut Reginæ ſenſum, quam ſciebat, laturam acerbè rem, vtpote Polo & cognationis, & virtutis merito beneuolentiſſimam; aut ſuam etiam in eximias tanti Viri laudes propenſionem: fuere nihilominùs, qui hanc eius mentem, veluti ab offenſo animo, ſtylo confidenter carpſerint; ac vindicare Poli famam integerrimi cum Pontificis criminatione ſtuduerint. At hæc ab hæreticorum officina: vt minimè laborandum nobis ſit in iis refellendis; cuius nanque notæ fuerint, Thuanus, & [b] Duditius, qui Pauli nomen indignis planè modis diſcerpſere, corrupta eorum fides declarat: cùm cæteroquin abundè conſtet, non antea illum id mentis capeſſiuiſſe, quàm allegato etiam in Angliam viro probo, qui cominùs exploraret, compertam rem habuerit, expenderitque maturiùs; ac priùs cùm Philippum Regem, tùm Reginam Anglicanam ea de re monuerit. Sic nanque par erat illum agere, cui ab zelitgne volucris quidam in agendo ardor, & ab inſigni prudentia pondus inerat. Proſequitur verò hoc argumentum accuratè, & candidè noſter [c] Antonius Caracciolus, qui plura ſcitu digna addit; ſed quæ hic denarrare longiùs profectò eſſet. Cæterùm non poſt multò exceſſit è vita Polus; profeſſus cumulatè orthodoxum nomen, ac fidem. Princeps quidem ab excellentium virtutum clientela maximè dilaudandus, vitæ, fideique Romanæ integer; niſi quòd ſuſpecta contubernalium fama præclarum eius nomen afflauit. Atque hæc Paulus Quartus; ſi quando in tuenda fide orthodoxa non eximium quendam ardorem animi in adminiſtris aduerteret; nec ſanè poterat non eorum clementiam odiſſe, Vir in hæreſum monſtra pugnaciſſimus, cuius illa frequentiora erant verba, vt alibi diximus; In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.

Quàm verò is Pauli perpurgandæ religionis zelus ſeſe latè explicuerit, ſi percurrere Chriſtiani Orbis Prouincias, terraſque libuerit, liquidò conſtabit. Nam in Anglia quidem, vnde modò diſceſſit ſtylus, incitare flagrantiſſimæ Reginæ ſtudium mirificè contendit; ſubmiſſis ad hæreſum cladem ſubſidiariis legionibus: vtque ſua Eccleſiis, atque Eccleſiaſticis ſtaret authoritas, ac dignitas; reſtitui cenſus, proſcriptaſque olim opes enixè curauit. Tum eius iuſſu capite in hæreticos animaduerſum;

Remiſſum à remiſſiore Poli in hæreticos zelo.

[a] De ſchiſm. Angl. lib. 2.

Anglicana legatione exutus Polus.

[a] Hiſt. tom. 1
[b] Vit. Card. Poli
Quàm maturè, ac prudenter.

[c] Vit. Paul. IV M.S.

Quàm latè pertinuit Pauli zelus.

In Angliam.

ſum: inter quos fuere famoſioris contumaciæ Ridlæus, Latimerus, & Crammerus ille, euerſor Angliæ, quem ab infima hominum ſorte ad Cantuarienſis Eccleſiæ, Regnique faſces euexere malæ artes, vt altiùs, & contumelioſiùs caderet, ſeculi ſui flagitium. Afflictam item in Scotia, quæ propior Angliæ Regio eſt, rem Chriſtianam, eiuſque Regni opes hæreticorum potentia, ac vi diſtractas, acciſaſque inſtaurare opportuniùs ſtatuerat, deſtinatis Eccleſiaſticis prouentibus; vt ijs profligandis, firmandæque religioni, Mariæ Stuarthæ, piiſſimæ Reginæ vires erigerentur. At præclarum opus intercidit fatum. In Gallia, quæ Regia, prophanaque authoritate expediri negotia conſueuerant, vt ab Eccleſiaſtico poſtmodum iudice conficerentur, impetrauit; ſummoſque inibi fidei Quæſitores conſtituit. Tùm Regis beneuolentiam vſque adeò ſibi conciliauerat; vt, eo auſpice, nullum non Romanæ Sedi ab Gallorum gente obſequium ſperaret, ac Antiſtitum præſertim operam, & ſtudium, in celebrando propè diem Lateranenſi Concilio, ſibi polliceretur. Hiſpanicæ Religioni haud ſegniùs conſuluit: ac primùm in ſuſpectæ fidei homines haberi ſolitam, ſeueramque in Hiſpania quæſtionem, nimiùm quantùm probabat; iuuitque munificentia, immiſſo nimirum poſt Campanum bellum non modico ære ad eius Sancti Officij ſubſidium. Qui in Bartholomæum Mirandam, Archiepiſcopum Toletanum primus anquiri iuſſerit, Paulus fuit: Romamque acceſſiuit, vt iudicium ipſe inſtitueret; quod abſoluere conſequentibus ſubindè Pontificibus, Pio Quinto, & Gregorio Tertio Decimo contigit. Iuſſus nempe Antiſtes longa quidem cuſtodia, ac iactura Inſularum pœnas luere: qua animaduerſione correctus in frugem, Romæ paulò poſt diem obijt ſuum, mente ſinceriore, atque orthodoxa.

In Scotiam, *In Galliam,* *In Hiſpania.*

In Belgio verò inſigne profectò opus Catholicæ religioni amplificandæ molitus eſt Paulus Pontifex; adaucto ſcilicet Antiſtitum in ijs Prouincijs numero. Id quod & Philippus Rex pro ſua in populorum ſalutem propenſione ab eo efflagitauit; & ipſe in fidem exaugendam pronior, ardentiſſimè, & cum laude confecit. Narrat exactè rem [a] Panuinius ab Commentarijs, vt aiunt, Conſiſtorialibus, quibus vſis etiam [b] Tufus noſter, qui ordinatam, accuratamque nouis hiſce Præfecturis à Paulo Belgicam religionem diligenter adnotauit. Conceperat id primùm mentis Burgundiæ Dux, ac Belgarum Princeps Philippus, cognomento Bonus; ſed communi is fato interceptus, ſuccedenteſque alij mox Principes, quà bellis, quà Regnorum curis impliciti, cùm incumbere in id operis minus potuerint; dilata ad annum huius ſeculi nonum ſupra quinquageſimum Sedium deſignatio. Et verò quamuis terrarum tractu non perindè amplum Belgium ſit; diuiſumque in Prouincias omninò ſeptemdecim, vix tamen quintam Italiæ partem excedat; nihilominùs frequentiſſimum inter Europæ Regiones, & Vrbium, & capitum numero eſt; quippè quod ſupra trecentas, & quinquaginta Vrbes numeret; maiora oppida vltrà ſex millia, ac tercentum; minorum verò arcium, pagorumque iniri numerus minimè poſſit. Atque hæc quidem oppidorum, hominumque in Belgio celebritas non ea tunc erat, cùm inſtitutæ Epiſcoporum Sedes, ac Inſulæ principiò fuere: vt ſufficerent tunc erudiendis, regendiſque ijs populis pauciores Antiſtites: qui ſanè poſteà, amplificata affluxu gentium, fœcundoque nimis Cælo natione, vſque adeò impares fuere muneri, vt dici Euangelicum illud potuerit: Meſſis quidem multa, operarij verò pauci. Quarè cùm ingens Belgij corpus, quod animari grandiore quodam ſpiritu oportebat, exiguus is Epiſcoporum numerus formare iam, atque inſtituere non valeret; languere inibi pietas, ac ſacrorum diſciplina videbatur: præſertim cùm longè diſſitæ inter ſeſe gentes diſpari etiam cultu, ac lingua vterentur; ac pleræque eo gauderent priuilegiorum iure, vt Epiſcopis minimè ſubijcerentur; ac proindè neque erudiri ſacris, neque reuocari ad frugem opportunè poterant, vbi exorraſſent. Ad hæc, qui recognoſcere Epiſcopos ipſos, atque in officio continere, ſi res poſtulauerit, poſſet, nullus in celeberrima ea Regione ſupra cæteros Antiſtites Hierarcha. Nam qui præerant Archiepiſcopi, ijs extra Belgicæ fines, ac iura Metropolis erat; vt cùm vacare temperandis curis ſuis propioribus deberent, haud facilè adire ſubditas, ac longè poſitas Eccleſias poterant; aliorum commoda, neceſſitateſque inſpecturi. Quod verò poſcere auxiliatem manum, curamque inijcere maximè videba-

Adaucta in Belgio Sedes Epiſcopales, Philippo Catholico adnitente.

a Vit. Paul. IV.
b Hiſt. Cler. Reg. cap. 17.

Populoſi Belgiæ.

Regi exiguo Epiſcoporum numero minime poterat

Difficilis erat hæreticis adi tus.

debatur; proximum quidem periculum, ac malum erat. Siquidem cùm ab hæreticis, ac laborantibus schismate populis cingerentur vndique Belgæ; non minimùm ab finitima eâ lue timendum Catholicæ religioni erat. Et planè ab ea vicinarum nationum communione, nexuque, vt facilè malum serpit; grassari in ijs prouincijs impietas occœperat, ac minabatur progressuram, nisi tempestiuiùs fœcundæ hæresi caueretur. Igitur Paulus Quartus, cui instaurandus Christianus Orbis propositus, incumbere in eas curas; ac publico Belgij bono, salutique animorum admonere cogitationes suas cœpit; quibus accessere Hispaniarum Regis Philippi preces, cui præter indolis suæ stimulum, facemque, insonare in auribus, atque animo videbantur suprema Caroli Cæsaris, optimi Parentis, ea super re monita. Nam vt ipsemet a testatus, scriptis ad Margaritam Austriacam sororem litteris, est, iusserat Pater, vt Pontificum accessione, quod opportunissimum, ac maximè salutare ijs populis putabat, rem Christianam in Belgio procuraret. Ergo grauissimo negotio Franciscum Sonnium, Virum ex Louaniensi Academia longè doctissimum, Rex destinat, Romamque allegat, vt cum Francisco Varga, Regio Oratore, rem cum Pontifice transigat. Complexus insigni studio Sonnium est Paulus, & qui eo Infularum incremento non tam fauere postulatis, votisque Regis, quàm insistere suo se muneri, conceptæque menti, putabat; nulla mora, Conscriptorum Patrum Senatui rem aperit. Agitatum diu negotium; sancitumque, pernecessariam esse in Belgio Ecclesiarum institutionem; distractis, quæ amplissimè paterent, Diœcesibus; inductisque Episcopis, qui assiderent, aduigilarentque proximè gregi: fore nanque, vt pertimescerent lupi Pastorum præsentiam; eorumque eruditione, exemploque morum ali oues, ac instrui contingeret; ac tandem floreret Belgico in agro plurimorum manibus, operisque exculta religio. Ad hanc Patrum sententiam pro Apostolici muneris, quo fungebatur, authoritate, concepit Pontificium Diploma Paulus, hac nimirum Sedium designatione. Quatuor Episcoporum Præfecturis, quæ in toto Belgio antiquitùs numerabantur, quatuordecim accessere: quarum tres, quæ Episcopales olim erant, à sua quæque Metropoli diuulsæ, in Archiepiscopatus appellationem, dignitatemque euasere, nempè Cameracensis, Traiectensis, Mechliniensis. Distributæ verò sub tergemina hac Sede principe recentes Episcoporum Infulæ hoc planè ordine: Cameracensi Archiepiscopo attributum Tornacum, Atrebatum, Andomarum, Namurcum. Traiectensi Harlemensis Sedes cessit, Dauentriensis, Leonardiensis, Grumingensis, Mildeburgensis. Mechliniam Metropolim agnouere Antuerpia, Gandauum, Brugæ, Ipræ, Buscoducum, Ruremunda. Hisce porrò Ecclesijs administrandis facultatem Philippo, ac successoribus, perpetuo, vt vocant, Iure patronatus Pontifex fecit; vt quem vellent, præficerent. Ac Philippus quidem accepto statim diplomate, quod Nuntio suo Saluatori, Episcopo Clusino, & Franc. Sonnio in Belgium proficiscentibus Pontifex dederat; Viros omni doctrinarum, ac virtutum laude præsignes ad eas Præfecturas nominauit; institique, vt munus capesserent; nihil moratus excitatas ob adauctas eas Infulas in Belgio turbas. Multiplicatos nanque Censores morum ægrè tulere, quos adflauerat iam impietas, adstrictioremque viuendi rationem respuebant.

Quare augēdū Antistitum numerū curat Pontifex. Et vrget Philippus, a Strad. de Bel. Belg. l. I.

Misso Romā Legato.

Quo agente confecta res est.

Ac tres Archiepiscopales sedes excitatæ. Ac sub ipsis Episcopatus omninò quindecim.

At enim excitasse nouas Ecclesias, sacrasque Episcoporum Præfecturas Paulum, ad incrementa sacrorum, faciliоremque fidelium, fideique disciplinam, non contigit modò in Belgio: verùm in remotissimas etiam terrarum plagas, vbi Antistitum vigiliæ, curæque desiderari maximè videbantur, eius solicitudo peruasit. Apud Indos quippe Orientales, Lusitano Regi obnoxios, cùm diuisa ab Romano Orbe, ac subsidio Regio, propiore ope, manuque indigeret, quæ nascentem in dies, crescentemque religionem alerent: binas inibi Pontificum Cathedras instituit, Malacensem, quæ Vrbs prænobile est in aurea Chersoneso Emporium, & Cocinensem. Quæ verò vnica instruendis ijs populis erat Episcopalis Sedes, nempè Goanensis, appendix Lusitani Archiepiscopatus, abstractam ab eius ditione voluit; euexitque in Archiepiscopale nomen, ac dignitatem, constitutis nouis insuper Infulis, quibus præesset. Planè inducendæ pietati, extirpandisque vnà cum hæresi prauis moribus visa plerunque opportunissima Infularum multiplicatio, docentque exempla superioris qui-

Sedes item Episcopales in India adauctæ Pauli cura. Instituto Archiepiscopatu Goanensi.

Mos augendarum sedium apud antiquos.

Et Bonifacius quidem, Germanorum Apostolus, Romanæque Sedis in Germania Legatus, Episcopus Moguntinus, vt lapsam in ijs Regionibus disciplinam, fidemque restitueret; nil esse vtilius existimauit, quàm nouos Episcopos ad alios aggregare; vt Gregorij Tertij, & Zachariæ Pontificum authoritate, efflagitante id etiam Carolomanno Principe, fecisse [a] Baronius narrat; cessitque faustè res, adauctis inspectoribus, ac magistris, qui erudirent. Vtilissimum hoc etiam consilium cepit [b] Ioannes Vigesimus Secundus, Pontifex, in diuidenda Ecclesia Tolosana, quæ populorum multitudine cùm abundaret, nec satis vnus esset Præsul consulendæ tot animorum saluti; in quinque Episcopos distribuit, magno cum fidei Christianæ bono, ac Nouatorum damno; cùm iam non longè abessent à scelere, atque ab hęresi vindices, qui plecterent, & à plurimorum studijs, zeloque pietati benè esset. Hanc ipsam igitur sapientissimè firmandæ veteri religioni, excidendisque erroribus rationem inijt Paulus IV. apud Orientales Indos, atque in Belgio; vbi & aliud non minoris quidem compendij, momentique pro fide orthodoxa negotium antea accurauerat. Egerat nanque cum Philippo Rege, vt Sacræ Inquisitionis Tribunal Romano quidem more, ac ritu, non Hispanico, quo bona proscribuntur, in Belgio figeretur; & impetrauerat: vt sanè vbi tot iam Antistitum, ac Quæsitorum canes adlatrabant, haud facilis ad ouilia aditus patere posse videretur. Inter eos verò, qui lecti Belgicæ fidei censores tunc fuere, idem Franciscus Sonnius fuit, Antuerpiensi posteà Sacerdotio, ac Infulis conspicuus, scriptisque in hæreticos voluminibus longè clarissimus.

a An.738. & 741.
b Extrauag. Saluator. de præben. & dig.

Inuecta in Belgium S. Inquis. Paulo agente.

Verùm enimuerò, quæ hæreticorum impressione, doctrinisque perniciosissimis tentari, pulsarique Europæ pars maximè videbatur, Polonia erat. Initio siquidem Paulini Pontificatus conflatus quidam nebulonum turbo, visus in eas Prouincias grauiter incumbere; exitu quidem eo feliciore, quòd qui frangere authoritate, metuque cœpta poterat, Poloniæ Rex, acerrimo in Moschum bello longè distinebatur. Vnde percurrere inoffenso veluti pede amplissimam aream, ac dominari Lutheranæ impietati impunè, ac diù licuit; proculcatis nempè sacris, Diuorum imaginibus effractis, Templisque, ac aris quà dirutis, quà fœdè commaculatis. Pulsauit hæc Paulum religionis in Regno orthodoxo, florentique calamitas; ac ne valescerent mora, quæ impetu suo abundè mala grassabantur; delectu statim habito, insignes litterarum laude Viros, inter quos Alphonsus Salmeron, celebrioris doctrinæ Vir, è Soc. Iesu, in Poloniam allegauit. Quos secutus mox est Aloysius Lipomanus, Pontificis Legatus, vt adornatam in hæreticos expeditionem, quo valebat fidei zelo, administraret. Et quidem eò breuì perducta res est Christiana, vt afflictæ, profligatęque magnam partem hostium phalanges, ac vires fuerint; fauitque Polonię pietati, sanctisque Pauli consilijs Numen, insigni planè miraculo; quod narrarę hic ex [c] Surio, ac [d] Rouero Pontano non pigebit. Contigit porrò, dum in Polonia Nuntium agebat Lipomanus, vt quędam Christiani quidem nominis, sed corruptæ indolis fœmina persuaderi sibi, pacto auro, à Iudæo quodam, cui inseruiebat, passa fuerit, vt qui in sacra Paschatis Synaxi panis sibi Eucharisticus contigisset, domum ferret. Acceptam Iudæus Eucharistiam in Synagogam detulit: ibique, vt Christianis sacris per summam iniuriam improba gens illuderet, confodere repetitis ictibus certatim illam occœpere. Nec mora: qui latebat Deus, adesse testatus est luculenter. Enimuerò manare continuò, atque affatim è vulneribus cruor, ac ceu ruptis venis perpluere: vt collectus craterem mox impleuerit: percussa repentino eo miraculo Synagoga, quę celare admissum diù piaculum non potuit. Permanauit siquidem extemplò rumor: captiq; serua, ac dominus, alijque execrandi facinoris conscientia sacrilegi, pœnas publico igne dedere omnes. Quod autem ab scelerata fœmina tormenta insuper expressere, non hic dissimulandum. Confessa nanque sub ipsa quęstione est, dū sacram eam escam domum reportaret, plerosque è Georgij cuiusdam domo eo impetu, rictuque canes exilijsse, vt discerpturi iam iam violati Numinis reā viderentur: aç sanè confecisset, vindicassetq; facinus vltrix canū rabies; nisi quidam ex eiusdē Georgij seruis pręsenti ope adfuisset. Documento plurimorū miraculum id fuit, ac fidei confirmandæ momentum attulit planè magnū. Regis præsertim, atque Administrorum vellicarę aures visum est, qui tum maximè, vt hæreticis morem gererent, communionem sub vtraq; specie flagitabant.

Polonia Pauli IV. opera repurgatur.

Laborabat ab Lutherana impietate Regnum.

Eò præstãtes Viri amandãtur.

Insigne inibi miraculum.
c Comm. an. 1556.
d Rer. memor. lib. 5.

Fidei confirmandę opportunissimum.

bant. Ea nanq; sanguinis affusione patuit liquidò, Domini non modò corpus, verùm & sanguinem etiam sub Hostia salutari contineri, totumque in qualibet fracti panis particula Christum esse. Diuina hac ope rem Christianam in Polonia erigebat Maximum Numen; cùm intereà magna etiam moliretur cum suis Lipomanus, in debellanda portenta hæresum intentißimus. Qui tametsi Pauli Pontificis consilium, acre illud quidem, at Genti, religionique oppidò salutare, Sigismundo Regi probasset; vtique profligata in eo Regno hæresis foret. Nouerat Pontifex, deciduum ex se absque autore, tutelaque mendacium: & hæresim quidem, vt sola illicò languescit; ità si nacta semel splendidum aliquod, ac prænobile patrocinium fuerit, mirum in modum ea gratia, ac præsidio sobolescere. Id quod in Germania luctuosè admodum, ac infeliciter accidit; vbi restincta fax Lutheriana in cineres confestim abijsset, nisi Principum Virorum fauor adflasset. Propagari siquidem ingens malum potuit, vbi Dux Saxon, Hessus, Hermannus Coloniensis, præclara ea nomina, accipere in sui clientelam perditissima hæreticorum capita, eorumque sententias visi sunt. Idcircò discessuro in Poloniam Lipomano id inter secreta monita Paulus inculcauit. Persuaderet nempè etiam, atque etiam Polonorum Regi, si sartam, tectam religionem, pacemque in Regno vellet; recideret octo, decemque è præcipua nobilitate capita, eorum scilicet, qui sectæ, ac turbis fauerent: ijs nimirum ceruicibus obtruncatis, pestilentißimam illicò hydram casuram. Hoc ipso vius consilio est post Paulum Quartum Pius Quintus, antea verò Paulus Tertius; [a] qui quidem eam potißimùm mentem inijcere Carolo Cæsari curauit, vt quos captiuos iam, carcerique mancipatos haberet, Ioannem Federicum Saxoniæ, ac Philippum Hessum, necaret: nil Germaniæ salubrius, nil gliscenti, florentique hæresi capitalius; quàm eos minui capite, qui propugnabant. [b] Pius verò id ipsum Sanfloriano Comiti, Pontificij exercitus Imperatori commendauit abeunti in Galliam, vbi nonnullorum subindè animaduersione, qui partes tuebantur, nimiùm quantùm hæreses decreuere: agnouitque statim Gallia factiosis, ac impijs nihil confidentius, si animos faciant Magnates; nihil meticulosius, aut infirmius, si eorum ope destituantur. Porrò monitum hoc Pauli Quarti successu caruit, quòd Nicolaus Raduillius, Vir Regia in Aula magni nominis, ac princeps partium tutela, eius consilij gnarus, interminatus grauiter Lipomano est, ni ab incœpto desisteret; ac paulò post reuerti Romam coegit; vt eiusdem Lipomani Antistitis ad Petrum Contarenum litteris constat. Nec proindè Pauli in Poloniam studium refrixit; alijs nanque, atque alijs in eam messem operis allegatis, Regnum fermè totum Romanæ Sedis obsequio, mentique orthodoxæ restituir. Sola in ijs Prouincijs Liuonia contumacior fuit, quàm vt Apostolicis Legatis, ac veritati manum daret. At non sera profectò, nec segnior vindex Numinis manus vlta perfidiam est. Sub hoc nanque tempus, anno scilicet voluentis seculi quinquagesimo octauo Dux Moschus, Basilius in illam sese Regionem potentissimo exercitu infudit, vastauitque penè totam: ac scriptis ad Ferdinandum Cæsarem litteris, testatus illicò est, ideò acri se in Liuoniam bello insurrexisse, ac vindicasse igne, ferroque populos; quòd in Christiana Sacra impij, superos, Deiparam, ac Deum ipsum, profanato eorum cultu, templisque, ac imaginibus deturparis, contumelijs affecissent. Quo planè ostendit, non tam hominum indignationem; ac arma, quàm diuinam ipsam Nemesim irrogasse præsenti clade conscelerate nationi supplicium. Cum hoc verò in Poloniam studio reliquas ad Septemtrionem Prouincias, alta quadam superstitionum caligine obrutas, suoque malo indormientes, coniunxit; studuitque, lucem illis, ac medicinam facere. Reges nanque Daniæ, & Gothiæ non modò amicitia, verùm vt connubijs etiam cum Poloniæ Rege innecterentur, impensiùs curauit. Eo commercio, & cognatione patere facilè posse Christianæ pietati ad barbaras gentes aditum, sibi persuasit: accidit siquidem, vt dum orthodoxis fœminis imbuti noua religione Principes nubunt; fit Catholica interdum fides nuptiarum pronuba, aut certè sincerioris sobolis obstetrix. Sed quæ minùs successere; ardentiùs tentasse, laudi quidem non exiguæ Paulo fuit. Quemadmodum non sine magna nominis, zelique commendatione & in Turcas expedi-

Perutile Pauli consiliū Polonæ hæresi profligandæ.

Idem dederat consiliū Paulus III. Carolo V.

a Habetur in Ep. Lipom. ad Contar. in Neap. D. Pauli tabul.

b Carcen. Vit. Pij V.

Et posteà Pius V. Gallor. Regi.

Liuonia contumacior.

Sensit vlrices Dei manus.

Septemtrionalium aliarum Prouinciarum pietati incumbit Paulus.

peditionem concitauit, Tripolis præsertim, quæ Vrbs est frequentissima in Africa; quam Equestris Melitensium Ordo strenuè conceperat, vrgebatque expugnationem, promouit: vt quando peti vehementiùs ab hac Barbarorum natione Christianos cerneret; refrænaret eorum impetus, Romanamque religionem, ac fidem dilataret.

Et Syrorum institutioni.

Et Aethiopũ.

Complexus & Regiones alias nostro ab Orbe, Cæloque disiunctissimas, religionis, animique ardore est Paulus; consuluitque rectæ earum fidei. Quòd prodesse plurimùm Syrorum institutioni, pietatique intelligeret, si nouum Instrumentum Syra dialecto excuderetur; Romanis illud typis imprimi iussit; efflagitante id maximè Patriarcha Antiocheno. Abassynos item, hoc est, superiores sub Ægypto Æthiopas egregiè demeruit; quorum Legatos, qui Iulio Tertio Pontifici, Principis, suæque Gentis nomine obsequium detulerant, perhumaniter habuit, ac beneuolentissimè dimisit: additis Apostolicis ad Regem litteris, quibus & illibatum ad Romanæ fidei normam diuinorum sensum, & constans cum Petri sede fœdus etiam, atque etiam commendauit.

Iudæos item frangit.

Inter hæc gentium nomina haud prætermittendi quidem Iudæi, quorum vt bonam frugem, salutemque peroptare intimè videbatur; Paulus ita cauendum ab ijs maximè censuit: quippè qui opibus, atque apud Principum plerosque gratia florentes, tùm commercij opportunitate, vsuque amicitiæ Catholicis immixti, creare viciniore perfidia, ac præfractæ indolis contagione periculum religioni, ac moribus poterant. Planè, non admodum vetus repetenda memoria est, vt improbæ gentis flagitia, atque in Christianum nomen odium, ac damna exponamus. Paulò ante Paulum Quartum cùm per Europam omnem, tùm Romæ præsertim, atque in Ecclesiastica Ditione excreuerat superiorum Pontificum indulgentiâ Hebræorum superbia, ac impudentia. Nihil non sibi, ac diuitijs suis arrogabant; profiteri etiam artes, ac studia litterarum videbantur; ita vt forensibus negotijs adhiberentur, exercerentque medicam artem, & chirurgiam. Quæ sanè medendi peritia plerisque Christianorum exitio erat; quando seruandorum corporum specie propinarent præsentissima venena, & luem animis flagitiosissimi, acerbioresque intestino quouis hoste medici. Aggressus cominùs malum est Paulus, ac genus hominum longè perniciosissimum atterere pro virili statuit. Expulisset profectò Roma, Romanisque finibus; nisi cùm Cæsarum, tùm Pontificum, Magni præsertim Gregorij exemplo edoctus, par esse didicisset, vt in ea Sacræ Vrbis celebritate & agnoscerent impij ruinam suam; & Catholicæ Ecclesiæ maiestatem viderent, & contabescerent. Ergò publicis legibus, edictisque seuerioribus actum. Impositus auaritiæ modus, quod solenne gentis est vitium; cautumque, ne enormi censu, vsuraque patrimonia corroderent: tum ne Christianorum opera vterentur; ne vllam cum illis negotiationem exercerent; ne bona immobilia possiderent; Synagogas ne plures vno in loco suis ritibus exercendis excitarent. Ad hæc, tributa pendi ab ipsis solita, adauxit: Summorum Pontificum priuilegia, quorum vsu ingentes sibi opes quæsiuerant, abrogauit; ac ne sparsis, diductisque per Vrbem familijs, ceu diffusum per venas venenum, incautos opportuniùs læderet gentis perfidia; in vnum omnes angulum conclusit. Quod autem acerbissimum illis accidit, lex fuit, qua viri quidem, vt croceo vterentur pileo, fœminæ verò eiusdem coloris velum gestarent, sanciuit. Promiscuè quidem nulla distinctos nota versati inter Christi fideles Iudæos, quotidiana experientia docuerat, ingentia persæpè damna peperisse pietati, & moribus. Quarè internosci hostes ea tessera sapienter voluit Paulus, vt illo statim documento, ac signo moneretur quis, quo cum hominum genere res illi esset, caueretque ab indole. Id quod & prisca etiam Patrum Consulta sciuerant; cùm non desint a Concilia generalia, quæ cùm Hebræorum mores notent, ac mulctent, tùm de hoc maximè pileo statuant; quas posteà sanctiones tempus, vsusque antiquauit. Itaque quod molestissimum genti fuit, amoliri omni ope curarunt; lectosque duodecim omnino viros rogatum Pontificem miserunt, vt mitiùs cum ipsis ageret, mutato præsertim galeri consilio, quod in ingens nationis dedecus, probrumque computabant. Euincere

Sancitis ordinationibus quàm opportunissimis.

Hebræorum tessera, croceus galerus.

Vel ab antiquis temporibus fuit.

a Conc. Later. Innoc. c. 68. Concil. Viennens. to. 1. Hist. vet. Consil. fol. 620.

Qui ægrè legem tulerint Iudæi.

rere ab constantissimo Pontifice nihil omninò ea potuit legatio; ac secuta mox publica in prædiuitem Hebræum animaduersio, quantum ille à mente resigendi suas leges abesset, declarauit. Narrabo rem paucis. Carpere confidentiùs Iudæus quidam præcipuæ notæ sincerum Pontificis animum instituit: Ea scilicet legum seueritate sui ipsorum opes peti; fore, vt mollesceret rigor, si guttam aspersissent. Hominis licentiam, ac linguam vindicare insigni exemplo voluit Paulus. Accersiri illum iussit: premi se maximè difficultate rei nummariæ simulauit, ceu inuari percuperet. Ille opportunam se nactum occasionem putans, totius gentis nomine centena offerre aureorum millia, modò croceum pileum, latasque in ipsos austeriores leges alias abrogaret. Ad hæc Pontifex, vt in vestram, inquit, pecuniam nunquam collineasse me quisque vestrum intelligat, oblata vos auri pensione grauatos nolo. Interim abundè fuerit, te modò, inconsultò oblocutum, læsæ Pontificiæ dignitatis pœnas luere. Statimque abreptum, virgis publicè cædi mandauit.

Quid eorum vni procacioris linguæ acciderit.

Neque verò Iudæis molestiæ minùs attulit, pestilentissimum illum Codicem, festinamque errorum proscripsisse: nempè Thalmudem Babylonicum, quem ante annos mille, ac bis centum Hebræorum præcipui, a Rabbi Asse, & Rabbi Ammai quæsitissimis commentis Orbis malo farserant; nec verentur Iudæi, illum scriptam sanctitatis appellare. Planè nihil eo perniciosius, vtpotè qui sacrarum Scripturarum mysteria, candorem, fidem, inducto mendaciorum, ac fabellarum fuco fœdè corrumperet; scateretque potissimùm execrandis in Christum Dominum, ac Deiparam Virginem, Diuosque omnes maledictis; ac ipsas naturæ, rectæque rationis leges, ac iura antiquaret. Permitti sine ingenti animorum clade librum non posse, existimarunt Pontifices Maximi, Leo Nonus, & Innocentius Quartus; qui ne inter manus versaretur, edictis, ac pœnis cauerunt. Quod ipsum sanctissimus Francorum Rex Ludouicus statuit, non sine insigni miraculo, quod memoratu planè dignum Thomas Cantipratensis narrat: Corruptum nempè Iudæo auro Antistitem quendam intercessisse apud Ludouicum, ne destinatum flammis volumen concremaretur: Vertente verò anno, eodem omninò die, locoque, quo patrocinatus Iudæis fuerat, vltore Numine, correptum intestinis, acerbissimisque doloribus, animam efflauisse. Ergò execratus librum Pontifex Paulus, è re fidei, morumque maximè esse existimauit, si flamma absumeret; mulctaretque ignis inquinatissimum, ac detestandum prorsùs volumen, Christianæ pietatis, ac tot animorum reum. Et quidem insectari hanc mendaciorum colluuiem iam antea Cardinalis, ac summus Quæsitor cœperat, Iulio Tertio Pontifice: vt plerosque tunc eiusmodi codices cùm Romæ, tùm per reliquam Italiam publico igni addixerit. Pontifex verò, acriore quadam contentione renouari edicta imperauit, excitatis vbique incendijs, ac pyris, veluti ad funus, ac busta impietatis. Porrò, quæ malorum conditio, ac fœcunditas est; credi vix potest, vt impiorum studio excreuerat Thalmud, ac propagatus nouis subindè typis fuerat. Id est discere ab vna Cremona, in qua, vt Sixtus Senensis, qui aderat, scribit, concremata ad duodecim voluminum millia fuere. Profectò si reliquas Italiæ Vrbes computes, iniri eorum numerus haud facilè poterit: vt præclaræ quidem Pauli Pontificis laudi vertat, præsentissimam perniciem, & quæ communis iam videri poterat, conflagrasse.

Thalmud Babylonicus à Paulo proscriptus.

a Baron. apud Spond. an. 466 Sixt. Sen. li. 2. Bibl. San. Serrar. opusc. fol. 199. Pinus. Regel. Iudæor. lib 9.

Olim etiam vetitus.

Gallus Præsul acerbè punitus.

Quantũ excreuerat horum codicum numerus.

Ab vnius modò voluminis proscriptione ad generalem librorum censuram stylum conuertamus. Quam enimuerò inter laudatissimas Pauli curas haud quidem postremam fuisse fatendum est, Christianæ potissimùm religioni oppidò salutarem; quæ nullum vnquam sibi atrocius bellum, exitiumque conflari, quàm à scriptione, ac libris sensit. Quæ voce à disertissimis viris effunduntur in vulgus, euerberant quidem auditorum animos, expugnantque interdum eloquentia, admota veluti machina: at enimuerò quæ litteris consignantur, etsi ea vi latentis energiæ, dicentisque ardore destituta, minùs valere videantur; nihilò tamen minùs cùm non statim aures præteruolent, hæreantque firmiùs scriptis voluminibus; cùmque non suo tantùm seculo viuant, ac in omnes denique latè Regiones, Prouinciasque transmittantur; constantiùs, profectò, ac latiùs, ac longè diuturnius malum creant: ita vt cùm

Accurata librorum censura.

Præsentissimũ ab ijs malum

Nocentque grauiùs scripta, quàm dicta.

paucis, atque exiguo noceat tempore declamatoris eloquentia; quem & latera, & vox tandem deficere necesse est: quæ scribuntur, nullo quidem, aut tempore, aut loco definita, neque defatigato vnquam spiritu ad gentes omnes, omnemque ætatem omni æuo declamant, perorantque, æterno quodam legentium periculo, ac damno. Ad hæc, quæ libris propinantur, præterquàm quòd sub manu ea sunt, vt vti pro libito, sæpiùsque euoluere, ac veluti regustare perniciem possimus; tùm attentiùs quidem illa, ac studiosiùs legimus; proindèque affixa scriptioni mens altiùs affici, eaque mora descendere sensim in pectus lues cernitur. Recensere illatas ab istiusmodi voluminibus publicæ rei Christianæ plagas, prolixum omninò fuerit. Qui maximè nostra, ac Patrum memoria Ecclesiam afflixere, Lutherus fuit, & Ioannes Huss: hic Boemiam, ille Germaniam, vterque Europam omnem corrupere. Sauciati ipsi quidem non alio planè telo, quàm inquinatissimis [a] Ioannis Vvichleffi lucubrationibus; quas per otium vsurpasse, exuisse Catholicam fidem, pudoremque omnem fuit: vt senserit demùm Orbis viuere, ac spirare Vvichleffum, quandiù prostarent eius libri; qui tot licet seculis consenescentes, eniti adhuc geminum, idemque teterrimum monstrum, execrando puerperio, potuere. His præcipuè rationibus edoctus Paulus Quartus, cùm sciret insuper in plerisque Academijs, ac pro concione in templis venditari passim, ac magnifice acatholicas opiniones, haustas nimirum ab hæreticorum libris fæces; & quòd dolebat intimè, cùm Melanchthonis grammaticen, ac nihilò saniora Erasmi colloquia versari inter puerorum manus, imprimique tabulis ijs rasis elementa impietatis cerneret: pernecessariam repurgandæ, tuendæque religioni librorum censuram, mulctamque existimauit. Incumbere in id quidem consilij cœperat, Iulio Tertio Pontifice: iunctisque grauissimorum quorundam Antistitum studijs, conficere generalem quendam, qui proscribi, damnarique deberent, librorum Indicem instituit; manauitque eius opera Iulij edictum in eos Codices. At enim conceptum tanto cum fidei compendio opus haud perindè feliciter successit; quod posteà, adeptus supremam ipse potestatem, faustè instaurauit, perfecitque; ac omnium princeps inter Pontifices fuit, vt Panuinius, scriptoresque alij testantur, qui librorum hunc syllabum & collegerit, & in morem induxerit; sancita generali in eos lege. Et verò eiusmodi aduersùs profanos Codices communes sanctiones nullis vnquam retrò seculis, neque à Summis Pontificibus, neque ab œcumenicis Concilijs, neque à Cæsaribus manasse compertum est. Interdixere quidem superioribus ætatibus alij alia hæreticorum monumenta; vt Leo Primus Priscillianistarum, Gelasius Manichæorum, Constantinus Magnus Arianorum, septima Synodus Iconoclastarum, Constantiensis Vvichleffi, & quo versamur seculo Paulus Tertius Lutherianas lucubrationes publicè deuouit, quod Carolus Quintus Cęsar Vormatiensi in Conuentu fecerat. Attamen, qui generali edicto ea super re cauerit, ac in vniuersum libros prohibuerit, nullus ante Iulium Tertium Pontificem, fuit; qui vrgente id Cardinali Theatino, penes quem summa Sacræ Inquisitionis tunc erat, de pernicioso librorum vsu communem sanctionem edidit. Atque hanc quidem sanctionem ipsemet Cardinalis Theatinus, Vaticanis posteà curis impositus, ac Pontifex dictus, nouis legibus, pœnisque amplificauit; absoluto, editoque, quem loquimur, Indice; quo visus omninò à piorum manibus telum excussisse, quo se confoderent. Quo quidem in Indice hunc seruari ordinem voluit, vt primo loco Commentarios, notasque Nouatorum omnes in diuinos Codices interdiceret; eorum præsertim versiones, quas lingua vernacula excusas, non minimùm planè mortalibus detrimenti attulisse compertum est: tùm, hæreticorum volumina, ac lucubrationes: ad hæc, incertæ fidei, atque apocryphos libros, qui fabellis, nugisque intertextis, fœdare sacras historias, fidemque illis abrogare videbantur; inter quos Autor Operis imperfecti in Matthæum fuit, quem Ioanni Chrysostomo falsò adscriptum, primus fuit Paulus Quartus, qui deprehenderit; alienas odoratus à præclara ea Chrysostomi dictione, ac mente vigilias. Demùm prætextatos omnes, obscænosque, ac maledicos notauit, quorum plerique ad morum inquinamenta in manibus erant: eliminatique nullo præstantium autorum, ac Bibliopolarum respectu, quos iactura aut famæ, aut lucri vehementer pulsauit. Quò verò in posterùm caueret,

Enati ab Vvichleffi libris Lutherus, & Huss.

[a] Aeneas Syluius de orig. Boemor. c. 35. Alph. Cast. pag. 197.

Iulio Tertio Pont. aggressus librorum censuram Paulus.

Primusq; librorũ Indicẽ confecit.

Nulla ante Iulium Tertiũ generalis in prauos libros constitutio.

Quam Paulus IV. innouauit, adauxitque.

Seruato in Indice ordine.

ret; ne praua isthæc librorum seges sobolesceret; statuit, ne posthac typis mandentur libri, Romæ quidem, antequàm à Sacri Palatij Magistro; foris verò à Sacris Quęsitoribus, aut Episcopis accuratè recognoscerentur; censerenturque Christianis pręlis, ac studijs digni.

Illud etiam in hac librorum censura notatu dignum. Plerique ea tempestate erant, qui præter affectum peregrinis, prauisque opinionibus animum; delicatiori quidem elegantia, cultuque Tullianæ dictionis nimiùm quantùm elati; deridere Ecclesiasticæ elocutionis characterem, vocesque ad æui melioris limam minimè expolitas, non dubitabant. A diuina præsertim Scriptura, quam vulgatam dicimus, abhorrere venustuli videbantur; vt dum corrigere, atque ad exactæ latinitatis normam conformare illam stylo, curisque suis studerent; perniciosè planè corrumperent, fœdarentque. Fuere hi Melancthon, Erasmus, Osiander, aliaque eiusmodi farinæ ingenia, autoresque puriſſimę impuritatis; quibus modò inesset verbis nitor; nihil curæ erat, an præaltæ subsiderent in moribus fæces, ac fordes. Horum nomina, atque anxiam nimis, religiosamque in Latinè scribendo curam, ac impietatem mulctauit prohibitorum librorum Index. Et Paulus quidem quanquàm ijs litteris non mediocriter excultus; putidam nihilominus istorum diligentiam, ac mundiciem, ad quam emendari Ecclesiasticos Codices cuperent, auersabatur: narrabatque olim Antonio Caracciolo Ludouicus Cardinalis Torres, vt hoc etiam obiter de Paulo dicam, nihil in eius aures incidere absurdius potuisse, quàm elegantiæ specie Seruatoris vocabulum, pro Saluatore; & Paracleti, pro Paraclito. Et quidem quod ad Paraclitum attinet, vsurpata vox ab antiquissimis Patribus fuit, Ambrosio, Hilario, Gregorio, Victore Vticensi, Ruperto Abbate; horumque exemplo, recepta vsu, atque inuecta in Ecclesiam est. De Saluatore verò disceptant eruditè Baronius a, alijque recentiores; qui vt Seruatoris nomenclationem, ceu nouam, insuetamque Sanctis Patribus omninò improbant, ita retinendam mordicùs more maiorum Saluatoris vocem censent; vt lædere iam Latinas aures minùs debeat, quod reparatæ saluti explicandæ, ac priscæ locutioni, vsuique Ecclesiæ est accommodatius; vsurpantque grauissimi scriptores, & probant.

Inuectus etiã in Grãmaticos.

Seruatoris, ac Paracleti vocabula infectatus.

a Notat. ad Martyrol. 9. Nouemb.

Euersis hisce librorum machinis, siue armamentarijs, vnde sumi ad Christianæ rei exitium armorum genus omne videbatur; aggressus malum aliud est Paulus, quod officere plurimum incautis ingenijs vsus probabat. Publicis videlicet, priuatisque in colloquijs, atque Academijs disceptationes agitabantur; quibus causa excitandi, exercendique ingenij, cùm Platonis, Aristotelis, aliorumque philosophorum placita excuterentur, absonæ a Catholicorum sensu opiniones clàm fouebantur. Valebatque inęscandis animis studiorum, acriorisque ingenij fama, ac dulcedo gloriæ; qua abreptus quis, periculosioribus persæpè opinionibus velificabat, impingebatq; ad impietatis scopulos; atq; id demum cōsequebatur, vt malus omninò esset, & philosophus, & Christianus. Cauere id olim laudatissimi Augusti Cæsares b, Valentinianus, & Martinianus, qui cùm hæreticorum impudentiam, Eutychetis præcipuè, ac Apollinaris egregiè refrænassent; tum in primis sanciuere, ne discendi studio de eorum erroribus concertationes instituerentur. Et Nazianzenus, vt eius vitæ scriptor c Gregorius Presbyter narrat, offensus maximè fuit Iuliani Apostatæ disputationibus, impietate plenis; etsi exercitationis prętextu tegerentur. Ergò Paulus, cui nihil potiùs, quàm fidei nitor, atque incolumitas; vt quæ ab his ingeniorum prælijs imponebantur Ecclesiæ vulnera, amoueret: abrogare hunc morem, oppidò perniciosum statuit; editisque Pontificijs sanctionibus, philosophici istiusmodi argumenti, suspectæque doctrinæ disceptationes, librosque proscripsit. Quam sanè diutiùs mentem gestauerat; quippè in ea, quam vti aliàs memorauimus, de emendanda Ecclesia, Paulo Tertio Pontifice, lucubrationem conscripserat, hoc etiam adnotatum voluerat.

Philosophicas disceptationes prohibet.

Quæ periculum ingenijs creabant.

Exemplo veterum.

b L. quicunque C. de hæreticis.

c Vit. Nazianz.

Opportuna hæc quidem componendę religioni. Verùm Ecclesiarum disciplinam, ac fidem, moresque Christianos illud lædere quàm maximè nouerat Paulus; abesse nimirùm à sua sede, ac munere Episcopos. Nemo iurè indoluerit Vrbium direptioni, si abesse excubias, ac præsidia patiatur: neque sanè constabit, aut suus

Episcoporum residentiam iubet.

gregi

gregi numerus, aut sua vineis autumnitas, ac vindemia; si custodes abstuleris. Planè, eò tunc res peruenerat, vt rari iam in sua statione agerent Episcopi: vtque cursim nostri homines in Epistola ad Neapolitanos Patres narrant, feriari Romæ, vacare suo quisque genio, terere Principum, ac Purpuratorum aulas, adsectare clientelas, honoresque per summum sæpe suatum Infularum dedecus videbantur. Cùm interim nullo obnitente grassarentur in ouium exitium praui mores; ac ipsa, quæ supremum malorum est, hæresis religionem corrumperet, misceretque omnia. Itaque nihil potiùs Paulo, vbi Pontificatum iniit, quàm officij Antistites monere, atque ad suum quemque munus amandare. Et quod illicò exequi pro voto minùs potuit, exorto nimitùm bellorum turbine; id statim à composita pace aggressus strenuè est. Die siquidem sexta Martij mensis, anni eius seculi quinquagesimo nono sanctionem euulgauit, qua procurandis suis ouibus excedere Roma Episcopos iussit. Quanti verò id esset Christianæ rei fructus, momentique, docere luculenta ipse oratione voluit. Quocirca Antistitum, quotquot Romæ agerent, in magna Constantini Aula Conuentum indixit. Adfuit ipse in tempore, dixitque ad confertissimam concionem, vt Vincentius Bellus refert, ad sesqui horam, eloquentissimè, ac Latinè quidem semper. Sermonis summa ea fuit. Iussisse se, quod diù conceperat; neque sine ingenti religionis, morumque discrimine differri vlteriùs ordinationem potuisse. Teneri diuino iure Episcopos suis Ecclesijs adesse, eorumque rebus coram prospicere. Id sacræ Scripturæ testimonia, id Patrum sententias monere. Et quoniam scirent hoc probè Antistites; ac nihilominùs hærere Romæ desides, tanto cum suarum ouium damno, ac fraude viderentur: putasse proindè se, suarum esse partium, cauere eo decreto, ac pœnis quàm seuerissimè; vt quandò diuinum id Numem præcipetet, & suæ ipsorum saluti consulerent Episcopi, & in commendatarum sibi Ecclesiarum procurationem sedulò, ac coram incumberent. Tum, quæ damna ab eorum absentia, quæ contra à præsenti eorum cura commoda prouenirent, incredibili quadam vi dicendi, exemplisque maiorum, ac sanctorum Patrum dictis explicauit. Demum adhortari, comminari, vrgere disertè visus est; pollicitus promptis, quidem, strenuisque in suo munere præstò futurum: qui verò aut obtemperare legi detrectassent, aut ignaui in muneris, animorumque administratione fuissent; ijs offensum se; eorumque contumaciæ, ac inertiæ seuerum vindicem fore. Hæc vbi perorauit, comprobata silentio Pontificis mens fuit; ac intra constitutum tempus discessere ad vnum omnes Roma Episcopi; arcendis nimirùm à suis gregibus lupis, iuuandæque Catholicæ disciplinæ; cui malorum, hæreticorum præsertim artibus, studijsque malè iam vbique erat: hac potissimùm de causa, quòd abessent sacrorum Præsules, canesque adlatrantes.

Peroratque disertissimè de eis necessitate.

Iam, quæ ad fidei Christianæ præsidium, ac decus pro singulari, acrique in illam studio cauit Paulus, complecti singilatim singula longiùs profectò esset; eòque commemoranda hîc raptim multa. Publicam fidei professionem, quam hodieque Episcopi concipiunt, Pauli Quarti opus fuit; illamque disertè laudant eius vitæ Scriptores: ac sancire item secum ipse constituerat, vt verbi Dei præcones, & confessarij eandem illam emitterent; quod & Clementi Pontifici Septimo suaserat ipse priùs, & posteà Pius Quartus statuit. Contra hæreticorum fautores, Principes illi fuerint, Regesue, aut Cęsares præclarâ constitutione insurrexit. Tum, ne qui de hæresi suspectus, aut postulatus læsæ religionis aliquando fuerit; summus renunciari Pontifex posset, sanciuit. Vtramque posteà ordinationem Pius Quintus sapienter amplificauit, veluti rei Christianæ perneceslarias. In blasphemias, quæ apud Catholicos praua quidem consuetudine inoleuerant, acriter inuexit; ac visus pœna, legumque metu vitium magnam partem emendasse. In eos, qui Sanctissimam Trinitatem, aut Christum Deum esse, ac Deiparæ virginitatem pernegassent, legem dixit quàm seuerissimam; vt vel prima vice cum ipsis, ceu cum relapsis, flammis vltricibus ageretur. Qui sacerdotio non initiati ad altare facerent, puniendos suspendio, tanquam hæreticos decreuit. Simoniacam labem sancti Officij censuræ subiecit; quam edito Pontificio diplomate, imitatus magnum Gregorium, hæresim vocat. Apostatas, quos longa quidem experientia didicerat, in hæresim tan-

Fidei professio à Paulo Quarto. a Panuinius in vit. alijq;

Ac de instaurata ab eo religione stricta multa.

tandem degenerare atque in Germaniæ, ac Geneuæ certatim castra transfugere; salutari sanctione, compelli in sua quemque claustra iussit. Veneficia, deuotiones, cultumque omnem dæmonum, quibus ea tempestate miserandum in modum Italia omnis, ac Roma tenebatur, vindicanda sacris Quæsitoribus permisit. Quòd verò picturæ, quæ oculorum quadam illecebra erudire vulgus solent, non modò non ad historiarum fidem, verùm ab communi etiam Ecclesiæ sensu, ac religione dissentaneæ, proponerentur; vt hac etiam ex parte pietati consuleret, edicto eas expunxit: vt quando in picturis, ac veluti in vmbris ipsis emendandis totus esset; colligere quis facilè poterit, quo zelo in rebus fidei solidis, grauissimisque exardesceret.

Atque hæc de insigni Pauli Quarti religione, eiusque in ea tuenda, atque amplificanda animi contentione. Quæ sanè religio cum Sacra non modò propugnet strenuè, verùm & ornet etiam magnificè, atque ad decentiorem, splendidioremque quandam faciem exigat; nihil profectò prius Maximo Pontifici fuit, quàm diuinorum hic nitor, & cultus: vt in eo procurando illo studiosior multis retrò seculis nullus fuerit. Planè, quicquid quæsitioris elegantiæ, studijque in nostri Ordinis templis, ac sacris lucet, cùm à prima nostrorum Conditorum institutione, tùm à Carafa præcipuè extitisse, compertum habemus: qui in excitanda hac nostra Clericorum Sodalitate id in primis cum socijs propositum habuit, vt diuini Numinis cultus, sacrorumque dignitas, ordo, ritus, cæremoniæ, quæ iam obsoleuerant, restituerentur. Et quidem cùm personam sæpè aliam induerit Carafa, siue Ecclesias, siue nostrum Ordinem procurauerit; sui semper similis in hoc diuinorum studio fuit. Cardinalis præcipuè Aulæ negotijs, rerumque publicarum administratione implicitus, cùm minùs vacare huic rei sacræ cultui posset; tum maximè neruos in illum, animumque intendere videbatur. Nullis functionibus exacta Theatini religio deerat: nisi quæ exquisitè peragerentur, non probabat: emendare, si quæ ad priscam formam, aut ritum minimè responderent, non dubitabat: de hoc sæpiùs cum summis Pontificibus agere, conqueri, sermonemque cum alijs instituere. Priuatim verò quàm esset rerum Ecclesiasticarum splendori addictus, illud luculenter ostendit, quod aliàs commemorauimus; nempè cum inter Augustos Patres tenuiore, quàm qui maximè, fortuna vteretur, vt ægrè tuendæ amplissimæ dignitati census sufficerent: nihilò tamen minùs, quod ad domestici Sacelli opes, sacrumque omne instrumentum attinet; nulli è maiorum gentium Purpuratis amplitudine, ac magnificentia concedebat: & qui in cætera domo egere Cardinalis Theatinus videbatur; in eo tantùm angulo regali quodam luxu sacris operabatur. Iam verò Sacrorum Princeps renunciatus, hoc ad supremum illud officium spectare, sibique maximè commendatum intellexit, vt publicæ religioni, ac Sacris benè esset; eorumque amplificaretur dignitas, & cultus. Quæ verò hac super re iusserit, confeceritque, ne simus legentibus fastidio, si fusè narrentur; raptim, nec omnia recensebimus.

Multus in Sacrorum cultu Paulus.

Ab eo fonte hic in nostro Ordine templorum nitor.

Quem vrgere apud Romanos Pontifices solitus erat Theatinus.

Eius in domestico Sacello studiũ. Quid Pontifex de diuino cultu sanciuerit.

Quòd præcipuam Numini venerationem diuini Officij, quotidianæque psalmodiæ penso exhiberi sciret; in eam statim curam inuolauit: abrogatisque quæ tunc ad Aulæ gustum breuiores preces recitabantur; ex antiquioris breuiarij forma persolui ab omnibus statas Deo laudes iussit. Cùm interim suis ipse auspicijs, studioque nouam, eamque concinniorem orandi formam conderet. Quibus posteà vigilijs, quòd absoluere Paulus minimè potuerit, difficillimis nimirùm temporibus mox succedentibus, Pij Quinti Maximi Pontificis curæ summam manum imposuere. Quod argumentum non est, cur hìc reponamus; cùm abundè alibi dictum de eo sit. Deindè Templorum reuerentiæ, nitorique consuluit. Defunctorum monumenta, ac deposita, quæ aut super aras, aut superiore alio loco extabant, infra Ecclesiarum dignitatem reputauit; amouitque. Deambulationes in ijs anathematis denuntiatione omninò interdixit; eademque cauit pœna, ne pauperes inibi stipem emendicarent, quòd piorum animos, precesque distraherent. Ad hæc, pleraque exaugendæ fidelium religioni, sacrorumque pompæ, ac venerationi instituit. Celebritatem, qua instructo equestri agmine, ad Diuæ Mariæ supra Mineruam, die consalutatæ ab Angelo Deiparæ sacra, amplissimus Patrum Senatus Pontificem deducit, imperauit. Quæ eadem item in Basilica, vertente quotannis anniuersaria Diui

Diuinum officium reformauit.

Defunctorũ monumenta.

Deambulationes.

Mendicabulum ab Ecclesijs ablegauit.

Pontificia sacra instituit.

Thomæ

Thomæ Aquinatis memoria, Pontificia habentur sacra, solenni ritu decreuit: dixitque luculenter, ac Latinè ad Purpuratorum Concionem de Aquinatis laudibus, cùm primùm eam celebritatem statuit, euulgauitque. Pontificia itidem Sacra, quę in Æde Sanctę Marię Maioris, festo Assumptę in Cœlum eiusdem magnæ Matris die, ac in Basilica Diui Petri in solenni Sanctorum omnium commemoratione hodieque celebrantur, instituit. Diui Petri Cathedræ, qua primùm Romæ sedit, celebrari olim solitæ, ritè instaurari diem festum iussit: opportunissimè id quidem, quòd eius temporis hæretici Romam aduentasse Apostolorum Principem pernegarent. Ac celeberrima quidem ea lux fuit singulari Pontificis studio: qui & nouam ipse liturgiam composuit; excepitque post sacra regio planè epulo Purpuratos Patres; habita insuper ad ipsos, soluto mox conuiuio, disertissima de Petri Cathedra concione; eos identidem compellando, adhortandoque, vt amplissimam dignitatem præstantissimis moribus exornarent. Iam, quibus maximè ferijs acerbissimam Christi Domini necem recolit Christiana Respublica, sepulchrum in Vaticanas Ædes inuexit, graui quidem schemate, procul theatro, ac scena, vt eius tempestatis moris erat. Domesticum item sacellum, vti significauimus, sumptuosi quidem operis, columnisque Tiberiano è marmore suffultum, priuatæ religioni excitauit, in quo adhibere sanctioris notæ Cardinales, familiaresque canendo Numini solitus erat. Qui primus Pontificiam concionem instituit, Paulum fuisse, autores habemus; qui clàm, vt succedentes subindè Maximi Pontifices consueuere, dicentem auseultabat. Quo etiam die sacra Eucharistica celebrantur, ac publica supplicatione defertur à Romano Pontifice velatum Numen; vt Vaticanam eam regionem, Vrbemque Leoninam, quà pompa circumfertur, oppansum latè velum inumbraret, ne instructum agmen læderet solis ardor, autor ipsemet fuit; primusque, qui ob defectas senio vires, tùm ad augendam Mysterij maiestatem gestari cælesti cum ea fruge sella voluit: quod & consequentes plerique postmodum Pontifices fecere. Vt autem cultu splendidiore incederet ea die Eucharistia; tabernaculum, ostensiorum vulgò dicunt, quod gestaret Pontifex, delineandum, faciendumque quàm magnificentissimè curauit. Obire prænobile opus solido ex auro vitis videbatur, pendebantque ex ea racemi, mole, pretioque suo graues, sapphiris nempè, smaragdisque pulcherrimè distincti. Concinnando huic operi aurea quædam vetustissimæ artis numismata secretiore è scrinio protulit; & qui superstitionem proculcare omnem peroptabat, gaudebat enimuerò profanam antiquitatem, ceu captiuam implere victricis religionis triumphos, ac pompam. Inter præclaros in prisco eo auro impressos Principes vix Traiano pepercit, quem nouerat, munificentissimum, piumque fuisse Cæsarem; permisitque optimi Principis ora magnificè perennare. Ad istiusmodi diuini cultus elegantiam lampades etiam excogitauit, quæ cera, non oleo concinnarentur; easque ardere in Pontificio Sacello voluit. Illud exquisitissimum: ne cerei dum extinguerentur, detraherent graueolentia loci dignitati; ea quidem ratione, ac arte extinctionis instrumentum faciendum curauit, vt imbuti odoramentis quidam in eo globuli, grauem eam fumigationem in odoratam subindè vaporationem commutarent. Præter hæc, Pontificum indumenta, quæ à vetustatis maiestate, formaque desciuerant, suo splendori, ac figuræ restituit. Ritus in Pontificijs sacris obseruari solitos, plerosque emendauit. Quoties verò publicas functiones obiret, adamussim, aptèque peragi omnia oportebat. Adstare compositi ad modestiam, grauitatemque Purpurati Patres, atque Antistites videbantur; vt non modò exclusi risus, ac ioci, verùm ne minimum quidem proferre verbum, aut circumferre liberò obtutus auderet quisquam: ac si quos ipse aut colloqui, aut minus attentè vacare diuinis, fuisset conspicatus; aderant statim eius iussu cæremoniarum Præfecti, qui modestiæ, atque officij monerent. Præclaro in primis documento, exemploque erat externa eius species, orisque grauitas, ac reuerentia. Aderat nanque attentissimus, oculis aut altari, aut humi affixis, iunctisque decorè manibus: ac siue erecto corpore standum esset, siue in genua procumbendum; nullibi vnquam initi, confectus licet senio visus fuit: vt ab hac externæ pietatis idea puderet sanè quemquam exerrare.

In honorem D. Thomæ Aquinatis, Et Assumptę Virginis, Et Sanctorũ omnium, Et D. Petri Cathedræ.

Christi sepulcrũ instituat in Vaticanis Aedibus, In quibus & Sacellũ elegantissimum excitauit, Et Pontificiã concionẽ instituit.

a Ant. Car. Caraf. Apolog. Card. Mont. Reg.

Veli, quo Vrbs Leonina integitur die Christi Corporis sacra, primus Autor, Primusque sella gestatoria Eucharistiam circũtulit. Tabernaculum ferendo Numini faciendum curauit quàm pulcherrimũ.

Concinnatæ cera, nõ oleo lãpades, Pauli inuentum.

Restituta priscæ formæ Pontificum indumenta.

Qua grauitate adstare functionibus Antistites vellet.

Præibatque ipse exemplo.

Atque

Eius orandi studium.

Atque hinc quidem ad reliquam opportunè Pauli religionem gradum facimus; quo se loco statim offert commentandi, orandique studium; quòd eò in illo laudabilius fuit, quò abreptus curarum, Aulæque æstu, dare beatissimo huic otio operam minùs poterat. Neque verò est, cur eius hìc vitæ, adstrictiorisque disciplinæ rudimenta repetamus. Significatum alibi est, peroptasse à puero religiosum institutum profiteri; tùm Insulis addicatis subduxisse se mundi fluctibus, ac solitudinem aliquando etiam agitasse; vt nempè loci, animique tranquillitatem demum nactus, vacare procul turbis, rerum diuinarum contemplationi posset. Et quidem quoad licuit secum esse, regularemque obseruantiam excolere; præstantissimæ huic potissimùm exercitationi addictus fuit: assueuitque ad illam vsque adeò sese, vt cùm versari iterum inter grauissima negotia oportuerit, reuocare ab actione cogitationes suas, aut in ipsomet negotio, instituta contemplatione, feriari, facile illi fuerit. Autor est Antonius Cardinalis Carafa, qui eius ab intimo cubiculo fuit; testaturque id etiam Franciscus Carafa, Marchionis Ansi germanus frater, Theatini aulæ innutritus, ipsum adeò orandi fuisse studiosum, vt quicquid à publicis curis temporis superesset, diuinis commentandis impenderet; idque ea interdum mentis contentione, vt sensuum officijs destitutus, diuina cominùs delibare, atque hærere intimè Deo videretur.

Precibus adeò intentus, vt destitui sensibus videretur.

Quotidianas Romanis in Templis, quas Stationes dicimus, nunquam prætermisit; orabatque inibi prolixiùs: vtque scriptis ad Bernardinum Fuscanum litteris testatur Virgilius Rosarius, Cardinalis Theatini Domus præfectus, postea Cardinalis, cùm multiplex cura impedimento erat, quò minùs adiret interdiu templa; ea intendentibus se tenebris inuisebat, vt ad multam persæpè noctem religio traheretur; prælucebantque domum redeunti conscia pietatis sydera.

In Romanis templis assiduus.

In alijs prætereà Diuorum, diuinarumque rerum monumentis, quæ Romæ ad satietatem prostant, multus erat. Præsignes illos Redemptoris vestigijs, tritosque tot piorum genibus, ac æmulatione gradus, frequentare vel in summa ætate, senioque non destitit: ac teste Francisco Carafa, quem modò laudauimus, integro illos spiritu, nullaque aliorum ope strenuè emetiebatur: peractisque, succedere proximo subinde Sacello, quod Sancta Sanctorum vocant, consueuerat, cumulabatque prolixa meditatione pietatem.

Qua pietate insignem Saluatoris vestigijs scalam obiret.

Præscriptas statis horis Dei Laudes eo cultu, animique obseruantia persoluebat, ac si inspector adesset Deus ipse. Rem verò diuinam quò sanctiùs ad aram perageret, animum, mentemque, præcoci quadam pietate, ab eo, qui præcedebat, vespere, procurabat, nunquam satis maturè comparare se quonquam tantis mysterijs putans.

Religio in canendis Deo precibus, Et in facienda re diuina.

Atque hinc manantes posteà vberrimæ inter litandum lacrymæ, vultuque expressa sanctior quædam deuotio, quæ intuentes mirificè afficiebat. A sacro par sibi indixit obseruantiæ studium: facessere id temporis negotia iusserat, vt nisi diuinorum colloquijs aures non adhiberet. Quem sacrificandi morem, ritumque fuisse olim in causa credimus, cur abstinere aliquando à sacro, dum esset in Purpura, decreuerit. Enimuerò, cùm ex vna quidem parte exquisitum celebrandis ijs mysterijs adhibere cultum pereuperet; ex altera verò parte publicæ vsque adeò curæ excreuissent, vt impendere litationi diuturniorem eam operam minimè posset: congruenter, & sacrificij magnitudini, & pietati suæ facturum se putauit, si quotidianam aliquoties rem diuinam abrumperet.

Abstinebatque aliquando à faciendo, vt sanctiùs faceret.

Displicuit id quidem Beato Patri nostro Caietano, qui Neapoli tunc agebat, vt accepisse se à senioribus nostræ Congregationis Patribus testatur Antonius Caracciolus. Piam sanè eam Cardinalis mentem esse; at indigere illam tempestatem, Antistitum præsertim disciplinam, præclaris exemplis, quæ ignauiam, lapsosque mores redarguerent. Quarè publicæ vtilitati non præhabendum priuatum id deuotionis studium, cùm apud animum suum reputasset Caietanus; Dei zelo plenus, Romanum iter arripuit, vt Carafam moneret.

Quod Caietano minùs placuit.

Romamque concessit, vt moneret.

Quo factum, vt haud facilè iudicare quis possit, vtri præstantior contigerit laus? Enimuerò, vt Cardinalis Theatini reuerentia, tantæque oblationis cultus satis dilaudari nunquam poterit; ita profectò Thienæi ardor, ac pulcherrimus animi impetus, quo abreptus Romam est, vt illum diurnæ litationis admoneret, eximio quodam commendationis genere prosequendus omninò est. Narrauimus id supra, cùm de Beato Parente nostro egimus, ex

nostris

nostris autoribus: qui quòd non ea fortasse fide constaret Antistes, quo factum ipsum constabat; dissimulandum nomen duxere, quod nos ex nostrorum relatu Patrum, quibus abrogare fidem noluimus, hic euulgauimus: præsertim, cùm nominasse, Cardinalis Theatini existimationi, famæque vertat: qui quidem, vt Caietani monitu Sacra faciendi quotidię morem instaurauit; ita retinuit posteà, continuauitque vel inter Pontificij muneris occupationes: vt nisi valetudine impeditus Missæ sacrificium nunquam intermiserit. Porrò quas tam prolixè, religiosèque fundebat ad Deum preces, pondus, momentumque habuisse non exiguum testimonio Marci Antonij Flaminij, quod in loco recensuimus, patet. Illud verò luculentius, ac Orbis bono opportunius. Siquidem non defuere, qui scriptis consignarint, communem illam inter Christianos Principes pacem quæsitissimis præcipuè Pauli Pontificis precibus fuisse impetratam; ita vt idem ipse, & terris authoritate, qua valebat; & Cælo, quibus litabat supplicationibus, mortalium tranquillitati operatus, optatissimum negotium confecerit.

Et obtemperauit Carafa.

Cuius, & sue re preces in impetrando efficaces.

Cum hoc orandi studio coniuncta eximia quædam in sacra, ac Cælites obseruantia erat. Pio cum primis affectu supremos Christi Domini cruciatus prosequebatur: ac quibus maximè diebus tristis ea diuinæ necis commemoratio publico à fidelibus iustitio, luctuque celebratur, affici peculiari, atque incredibili quodam sensu videbatur. Redemptoris Passioni dum Pontificio in Sacello solenni ritu caneretur, astabat chlamydatus, demissaque fronte, ac vultu; vt mirum profectò esset, ea corporis, animique contentione stare profundissimum senem, nullumque præ se defatigationis indicium ferre. In sacram Eucharistiam mirum quo studio ferebatur. Non eximium modò animi cultum, verùm & externæ etiam magnificentiæ argumenta dedicare tanti Sacramenti amplitudini, ac diuinitati conabatur: vt non auro, non gemmis parceret, vti paulò antè significatum est, cùm de eo exornando cogitaret. Intellexit id optimè insignis ille Christiani officij magister, Ioannes Auila: erectusque in spem est, obtinendi à Paulo Pontifice, quod maximè, diuque peroptauerat: nimirum vt quemadmodum singulis sabbatis de Virgine Deipara, ita quinta quaque feria de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento officium recitaretur: ac successerat planè res pro singulari Pontificis in diuinissimam Hostiam affectu; nisi antequàm summa negotio imponeretur manus, obire illum diem suum contigisset. Nec in magnam Dei Matrem obseruantia remissior. Testantur instituta in eius honorem solennes pompæ, ac sacra, quibus cùm Assumptam, tum ab Angelo salutatam celebrari voluit. Bello Neapolitano, vt aliàs commemorauimus, cùm muniendæ opportunè Vrbi pleraque disijcerentur ædificia; exorari nunquam potuit, vt Diuæ Mariæ à Populo Templum, quod pernecessarium institutis munitionibus putabat Camillus Vrsinus, euerteretur. Singulari in Deiparam affectui ea belli pericula posthabuit; nec tanti faciendam publicam securitatem censuit, vt Mariani Templi ruina redimeretur. Proximo à sanctissima Virgine cultu Apostolorum Principes Petrum, & Paulum prosequebatur, quorum Basilicas, piosque Cineres, ac monumenta quàm religiosissimè, ac frequenter adibat. Pontifex Vaticanas Ædes, ceu suo Cælo affixus, fermè semper incoluit; ægrè quidem passus diuelli ab ea statione, ac domo, quam vicinum Petri Numen implebat. Quod etiam in Petrum studium olim effecerat, vt quo tempore Vaticani, ac Lateranenses Canonici de loco, ac dignitate disceptarent; disertam ipse, ac longè eruditissimam de Vaticanæ Basilicæ præstantia lucubrationem adornauerit. Erga Paulum verò religionem scimus pene coæuam Paulo fuisse. Memorat nanque ipsemet in diplomate, quo Neapolitanum Diui Pauli Templum amplissimis indulgentijs singulis sextis ferijs Martij mensis locupletauit, solitum à puero fuisse, eam Basilicam deuotionis ergò adire. Ac Pauli quidem nomenclationem, etsi memori, gratoque animo tribuant, quo ob collatum honorem Purpuræ repræsentare Augustum Pauli Tertij nomen voluerit; potissima nihilominus eius appellationis causa fuit intima in Apostolum Paulum pietas. Geminum item illud labentis Ecclesiæ columen, ac firmamentum, Dominicum, & Franciscum eximiè coluit. Ob insigne nanque in vtrunque studium, illius quidem Ordini dare nomen peroptauit, tentauitque

In Christi Domini cruciatus pietas.

Et in sacram Eucharistiam

Et in Virginem Deiparam.

Et in Apostolorum Principes.

Præcipuum item studiũ in Dominicũ, & Franciscũ.

uitque non semel, vt diximus; huius verò dignitati, ac disciplinæ consulere pro virili studuit. In cohonestandis verò quà laudibus, quà beneficijs amplissimis ijs familijs multus fuit. Beatum Raymundum insigni sanctimonia Virum, quem postea Clemens Pontifex Octauus in sanctorum Concilio, censuque reposuit, celebrari diuinis officijs Barcinone iussit; vt scilicet in Dominicanam disciplinam excresceret in Hispania affectus: ac ne fuisse minùs Francisco videretur, Lusitaniæ Reginam Elisabetham, Tertij, vt aiunt, Ordinis Franciscanam, illibatis moribus, quàm regia Insula illustriorem, citra solennem ritum consecrauit. Nam quæ concedi Sanctis in publica illorum Apotheosi consueuere, aras, preces, signa, tabulas, exhiberi Lusitano in eo Regno Elisabethæ iussit, efflagitantibus id certatim populis, ac Ioanne Tertio Rege: vt quorum animis præclara sanctissimæ Heroinæ imago, virtutisque obuersabantur; eandem ipsi legitimis honoribus, triumphisque prosequerentur. Diuorum verò Concilio ritè illam adscripsit Vrbanus Pontifex Octauus. Iam Diuos illos omnes, quos præcipua venerabatur obseruantia Paulus, recensere longum fuerit. Vnus hic non dissimulandus Thomas Aquinas, in quem nescio quo peculiari animi sensu, genioque ferebatur; siue quòd popularem suum ptoniore studio complectendum duceret, siue quòd nulla exæquari veneratione posse, coniunctam tanto cùm studiorum splendore tantam perfectioris vitæ laudem, putaret. Quarè non modò eximiæ illius sanctitati addictus, sed & doctrinæ fuit: vt præstatissimorum operum monumenta ad supremam vsque ætatem assidua versauerit manu; ea quidem voluptate, ac fructu, vt appellari illum solitus fuerit, Baculum senectutis suæ. De quo illud etiam egregiè pronunciasse aliquando constat; extinctam videlicet in ipso puerperio Neapolim, cum enixa Thomam est: significauitque ea sententia, nunquam fore, vt alterum ingeniorum, ac sanctitatis miraculum, Aquinati par, aut simile Vrbs Neapolitana Orbi daret. Postremò instituta anniuersaria in eius honorem sacra in Diuæ Mariæ ad Minoruam Templo, adstante Purpuratorum Patrum Concilio, satis, superque præsignem Pauli Quarti in Diuum Thomam Aquinatem religionem probant, ac testabuntur consequenti posteritati, ac æuo.

In eorum familias.

Cultum Diuo Raymundo asseruit.

Et D. Elisabethæ.

D. Thomam Aquinatem in primis coluit.

Eius doctrinæ addictissimus

A religione, quæ nobilissima est virtus, ac principem inter mortales obtinet locum, vtpotè quæ propiùs ad Deum accedit, Prudentiam aggredimur, quæ suo etiam principatu gaudet. Siquidem in ardua humanæ mentis arce, ac sede collocata; in ipsas cùm intellectus, tùm voluntatis facultates imperium exercet: moderaturque opportunè mortalium actus omnes, vitam, casusque, ac fortunam ipsam; dominatrix animorum, Regnorumque; à qua leges Respublicæ, ac Rectores ipsi accipiunt: vt nisi in difficilima populorum procuratione affulserit prudentiæ ea lux; nulla profectò sit aut imperanti authoritas, aut ciuibus, communique rei faustitas. Integram, suisque absolutam numeris fuisse præclaram hanc, rerumque humanarum aurigam, virtutem, legenti quæ hactenus de eo scripsimus, liquidò constabit. Quo illum rerum statu voles, siue alieni, siue sui moris censor; aut in publica mortalium, rerumque luce, aut secum vixerit, exquisito quodam genere prudentiæ vsum dices. Enimuerò quæ eximiè prudentem Virum, aut Principem faciunt, magna indoles, exacti æui peritia, doctrinarum præsidia, rerum vsus, terrarum, morumque, ac populorum notitia, ætas, & quod caput est, integritas, ac bonitas morum; conuenisse ea omnia in Paulo Pontifice compertum est: quippè qui cum ingenio ad omnem rerum agendarum, virtutumque laudem facto incredibilem quandam præteriti temporis scientiam coniunxerit; vt nihil profectò capacissimam illam vim mentis historiarum, siue sacræ, nostræque illæ fuerint, siue profanæ, ac exteræ, latuerit. Omnigena itidem doctrina, vt in loco exponemus, quæ prudentiam expolit, adaugetque immensùm, instructus fuit. Quæ verò maximè illam format, ac perficit, experientia; nescio, an vlli prolixior, ac maior contigerit? Plerosque siquidem Summos Pontifices emensus, atque amplissimis in Europæ Aulis inter grauissima semper negotia, ac momenta rerum versatus; eruditæ exemplorum, euentorumque varietate, animum potuit. Peragrasse insuper

Prudentia laudes.

Præcipua ea in Paulo virtus.

In quem quę prudentem Virũ faciunt, confluxere omnia.

Vrbes, ac regna, moresque, ac indolem gentium, nec perfunctoriè quidem explorasse; nihil ad prudentiæ, siuè adeptionem, siuè vsuram aptius. Ad hæc, profundè consenuisse, amplificasse æui spatio sapientiam fuit: in ipsomet nanque veluti occasu corporis luculentior quædam lux animo oboritur. Adde his compositos præclaris moribus, ac singulari probitate affectus, quibus corrumpi iudicium plerunque contigit: ac perfectissimum sanè prudentiæ simulacrum Maximum Pontificem affirmabis. Cuius modò singulas expendere res gestas, atque ad prudentiæ calculum, normamque exigere, superuacaneum puto.

Vt prudentiæ simulacrum dixeris.

Perstringenda leuiter pauca: ac primò in corruptissimum seculum, moresque incidisse, singularis cuiusdam, diuinæque prudentiæ argumentum, ac materia fuit. Etenim nisi insigni quadam solertia, ac vi mentis emendari non potuit, quod exempla, consuetudo, vsus, atque æui vitium curatu difficillimum fecerant. Ingressus in id opus prudentissimè; ijs vsus medijs, ac instrumentis, quæ facere maximè ad inueterati admodum mali curationem videbantur. Inter quæ potissimum fuit egregium illud seueritatis, & clementiæ temperamentum; quo quidem nihil vindicando sceleri, populisque emendandis, excogitari in Principe vtilius potest.

Seueritatis, ac clementiæ in eo mixtura.

Rarus hìc planè virtutum nexus, quippe quæ contrariæ omninò indolis: at miscuit pręclarè illas Paulus. Nam vt austeritatem quandam gestabat vultu, ac fronte; ita re quidem in flagitiosos quosque seuerior erat; vt nulli sub eo Pontifice liceret impunè malum esse: quo tamen, vbi spes emendationis aliqua affulgeret, nihil planè mitius: ac persæpè accidit, vt quos acerbissimus antea insectator Paulus terruerat; ij amantissimum postea illum Patrem, correcti ad frugem, experirentur, vt apud [a] Papyrium memorat Manfredus, Iureconsultus: laudantque ab hac illum clementiæ parte [b] Antonius Cardinalis Carafa, & [c] Ammiratus. Illudque in primis adnotarunt, quòd cùm plecti quidem acriùs improbos percuperet; à capitis mulcta, fusoque maximè sanguine abhorreret: dicique iure optimo posse, nonnemo affirmauit, clementiam quidem illi natura insitam; seueritatem verò accersitam, ac temporum necessitate, vitijsque inductam.

a Vit. Pauli IV.
b In Apol.
c In Tetr. pag. 27.

Quæ cùm ita sint, fuere nihilominus, qui nimium Pauli zelum, ac præferuidam, subitamque censuram morum vellicantes; acerbiùs planè cum mortalibus, quàm tempus posceret, egisse illum, conqueri non dubitarint; coniunctamque cum magnis ijs virtutibus, quas enimuerò in summo Viro nullus negauerit, faciliorem quandam indolem desiderauerint.

Vindicatur à nimia seueritatis nota Paulus IV.

Sic, inquiunt, suos veluti per gradus, sensimque malum aggressus Pontifex, congruentiùs ipsiusmet naturæ ingenio fecisset, quæ impetum, atque abruptam vim omnem respuit; sanassetque leniore medicina morbos, quos vrgendo acrioribus remedijs, asperare quidem fuit, non curare. Oportere cum hominibus quàm humanissimè agere: animalium quippè homo superbissimus duriore fręno regi dedignatur. Præterea inductas longa mora consuetudines, nullus vnquam momentò extirpauerit: ea ratione, qui imperat, emendare dum putas, perdit. Ecquid denique in mores mortalium inuehi, quando seculum peccat? Hæc illi: quasi Paulus non ea fuerit animi bonitate, ac indulgentia præditus, quam insitam mitissimo Viro, modò narrauimus; nec in ea maximè laborantis Christianæ rei maxima, ac tempora inciderit, quibuscum luctari strenuè, atque adstrictiore legum, pœnarumque seueritate opus fuit. Suum habeat modum, ac fines clementia necesse est. Cùm grassatur nimiùm improbitas, ac inualuere iam in vulgus praui mores; præpostera lenitas tum quidem omnis, ac sæuitiæ genus quoddam est, remissiùs agere, ac blandiùs. Contra, intentare metum, ac ferrum, animaduertere acerbiùs in peccantes, iugulum petere, id tum maximè salutare, ac gloriosum Principi, clementissimo quidem, si puniat. Quapropter dilaudandus maximè Pontifex Paulus, quòd quam alij clementiæ laudem à mitiore sibi ingenio quæsiuere, hanc ipse adeptus à seueritate est; vt cùm exclusisse mansuetudinem omnem Viris, aut non admodum beneuolis, aut seculo imbutis visus fuit; tùm seueritatem minus exercuerit.

euerit. Quod enimuerò singularem eius prudentiam, quam loquimur, magnopere commendat. Prudentissimi nanque est, accommodare se tempori. Qui vnam eandemque semper velificandi rationem tenuit, næ ille haud feliciter semper adnauigauit: obuertenda interdum vela, antennæque. Superiorum Pontificum indulgentia Petri nauim in ingens discrimen adductam viderat longa experientia Paulus. Quid ipse? proniore eadem manu gubernaculum administraret; eundemque intenderet cursum? At quàm felici nunc nauigatione ambitio, hæresis, sacrilegium, ac omnigena mortalium vitia vela facerent? Valeant igitur, quibus veluti intempestiuam Pauli seueritatem traducere audacter, ac seuerè nimis placuit. Iis displicuisse expiata pietas, instauratique mores videntur; cùm alioqui scire illos necesse fuerit, homines pessimè perditos, fixasque altiùs consuetudines nisi acerrima censura, ac rigore legum non emendari. At enimuerò non hîc nobis consilium fuit, apologiam instituere, quando id argumentum copiosè, ac disertissimè est prosecutus Antonius Caracciolus in Collectaneis historicis: qui vindicandæ Pauli prudentiæ, famæque stylum, vt cum maximè, exacuit; ac visus profectò insigni de more eruditione, ac eloquentia confodisse [a] Scriptoris celeberrimi confidentiam. Adeat hunc lector, & cùm pretium eius operæ erit, legisse; tùm repræsentare Numini gratias cogetur, quòd is ea tempestate Petri Cathedræ insederit, qui singulari quodam zelo, ac vi pectoris infracti æquè, ac sapientissimi, repurgando Christiano Orbi opportunijs vti remedijs sciuerit.

[a] Muret. var. lect. lib. 16. cap. 4.

Interim eius prudentiam prosequamur, cuius multiplex quidem, atque amplissima seges est; vtpotè quæ ex aliarum virtutum factis non exiguam sibi partem vendicet laudis. At nos, quæ ad ipsam spectare potissimùm videntur, pauca eaquidem decerpimus. Ac illud in primis singulari Maximi Pontificis prudentiæ adscribendum, quòd niti sua ipse prudentia minùs videbatur. Valere siquidem eximia vi mentis, ac iudicij maturitate, non ignorabat: aliorum nihilominùs sententias, ac placita audire seriò, ac diligentiùs consueuerat. Principem licet sapientissimum falli sæpè, si suis cuncta auspicijs regat, necesse est. Adblanditur siquidem tacitè sibi summa Potentia, ac pleraque genio attemperat, dum sequi se monita rationis putat: vt nisi externus, aliusque prudentis consiliarij oculus accedat; rarò non ab scopo aberret. Ergò adhibere in consilium sapientes viros, atque ad eorum iudicia suæ decreta mentis, ad lydium veluti lapidem explorare, optimum factu ducebat. Qua in re illud sanè laudabilissimum, quod de ipso in Politicis suis Aphorismis [b] Ioannes Cokier Leodiensis litteris consignauit. Nouerat insinceras aliquandò consultantium sententias; hosque causa conciliandæ Principum gratiæ, seruire plerunque eorum auribus, priuatisque affectibus, adornatis in speciem argumentis. Quem vt sapienter scopulum in rerum grauissimarum consultationibus declinaret; hanc inire rationem, solitus erat. Effingere extra rem quæstionem videbatur; ac ceu differendi, disceptandique materiam præberet, in medium afferrebat: rogabatque mox, qui aderant, Patres, vt sententias ea super re suas ferrent; qui dum effictam eam hypothesim, alienique argumenti putant; quid maximè opportunum, ac rationi conforme, non quid gratum, iucundumque auditu Principi foret, excogitare, ac promere conabantur: atque adeò extra omnem assentationem, ac gratiam temperare Pontifex negotia, ac momenta curarum videbatur. Quo planè documento quantum suæmet inuidiæ indulserit Nauagerius, solitus Paulinæ virtuti nunquàm non acerbiùs detrahere, apertè constat. In ea siquidem, quam ad Senatum Venetum de Paulo instituit narrationem, haud veritus est, affirmare, præbere ipsum assentatoribus aures consueuisse, eorum lenocinijs oblectatus. Id quod, ceu Maximi Pontificis grauitati, ac supercilio dissentaneum, disertè improbat Antonius Cardinalis Carafa: nec simile omninò vero quis dixerit; quando, vti modò meminimus, ad hanc ipsam blandiloquentiam euitandam, interceptis insigni prudentia Consultorum studijs, sententiarum veritatem extorquebat.

In petendo consilio prudencia.

Qua arte veritatur, ne assentatio lenocinetur.

[b] lib. 4.

Notatur Nauagerius.

At enim nullibi exploratior Pauli prudentia, quàm in Virorum delectu, quos

Pręcipuum prudētię munus, Virorum delectus.

publicis rebus administrandis, magnis honoribus admouebat. Prudentiæ quidem principes hæ partes sunt, mores hominum, ingenia, virtutesque dignoscere, vt par cuique munus contingat; nec ab hominum ignauia sordescere dignitas videatur, si desides, ineptique eligantur. Inerat præclara ea vis iudicij in æstimanda aliorum indole Pontifici Paulo: tantumque singulari, acrique mentis acie valebat, vt sua illum de cuiusque meritis opinio nunquam fefellerit; nec conqueri honor ipse potuerit, eo deligente, in ignauum aliquando impegisse. Argumento fuerit, eos interdum in Senatorium Ordinem aut conscripsisse, aut conscribere cogitasse, quibus non sat fuit maximi honoris appellationem, ac titulos vtcunque meruisse; nisi respuendo; maiora promereri eo contemptu Purpuræ demonstrassent. Ex quibus fuere, vt aliàs memorauimus, Iacobus Laynius, Vir è Societate Iesu litterarum, virtutumque præsidijs apprimè instructus; & Paulus Consiliarius, inter quatuor nostri Ordinis Conditores, moris planè laudatissimi; quorum vterque amplissimis Infulis tentati, dum illas deprecantur, Pontificis in deligendo prudentiam abundè probarunt. Destinatus item summę dignitati Stanislaus Hosius; qualis, ac quantarum in hæreticos victoriarum vir? qui eo quidem studio, conatuque Purpuram est auersatus, quo adfectare alij solent: expugnauitque infimis precibus obfirmatum in eo consilio Pontificem: quod ipsum, & [a] Hieronymus Suessanus fecit, è Camaldulensium Ordine sanctissimus, qui post solitudinem, vitamque asperiorem, oblatam vltrò Senatoriam dignitatem renuit. Fuere & alij eiusmodi magnæ indolis, qui summa cum Pontificis laude eius beneficentiam lusere: quorum in primis agmen nobilitat Ioannes Groperius, cuius insignia litterarum monumenta, ac reportatas ab nouatoribus palmas innuimus alibi: atque hic, vt summæ Viri eruditioni parem morum integritatem contigisse persuasum habeamus, illud ad insignis castimoniæ, siue sanctimoniæ specimen enarrandum. Nam cùm reuersus aliquando domum, sternentem lectum suum fœminam deprehendisset, eo illum zelo pudicitiæ amor inflammauit, vt acerbis acceptam verbis eiecerit domo fœminam, tum lectum ipsum, ceu quid iam pestilentissimum, concepta muliebri attactu luue, è fenestra proiecerit: quo nescio, an pulchrius vnquam ediderit facinus pudor, execratus lectisternium, cui non ipsa honestas commodauerat manus: ostenditque triumphasse omninò illecebram voluptatis, quando victoriæ exuuias iactaret. Ergò eius notæ Viros præterijsse nefas putauit Paulus: honestauitque meritis Infulis adlegato in Germaniam, qui celeberrimæ virtuti honoris insignia deferret; quæ ipse, raro modestiæ documento, recusauit: redijtque Romam Purpura; vt acriter increparet, qui nimiùm cuperent; cùm interim plauderet Groperio Aula, & Maximo Pontifici, qui hoc hominum præstantissimorum delectu iudicium probasset suum.

Delectumq; in Paulo probant qui Purpuram recusarunt.

[a] Luc. Hisp. hist. Camal. lib. 4. c. 5.

Groperius qua indole honores recipit.

Atque hos quidem repudiata generosiùs dignitas illustrat. Ex ijs verò, qui adlecti in amplissimum Ordinem à Paulo fuere, nullum profectò non excellens quædam virtus, rerumque vsus, ac scientiarum splendor honestauit. Quorum non hic planè historiam instituimus, vt commemorare egregias singulorum partes oporteat. Satis fuerit, nonnullorum raptim nomina recensuisse, vt coniuncta cum eorum nomenclatione rerum præclarè gestarum fama, lectorem statim doceat, qua laude floruerint. De Guglielmo Peytoo, Mariæ Anglorum Reginæ à confessionibus, ac Sarisburiensi Episcopo, iam diximus. Scipionem Rebibam ex mediocri quidem Ordine in amplissimam dignitatem euexit virtus ingens. Ioannes Bertrandus. Antistes Senonensis, laudatissimis Galliarum Regibus, Francisco Primo, & Henrico Secundo, maximis muneribus, honestissimisque legationibus obeundis, antequàm in Purpuratorum Senatum adlegeretur, operam dederat. Cardinalem Gaddum hoc potissimùm elogio exornauit Petramellarius: [Vt virum præstantiorem, pluribusque, aut maioribus animi bonis magis ornatum illa secula habuerint neminem.] Ioannem Suauium Reumanum sua satis eruditio commendauit; cui mira accessit incorrupti animi integritas, declarauitque insigni præsertim argumento. Romanis in subsellijs, ac Rota dum versaretur, litem nescio quam adiudicare Cardinali

Eorum, quos purpura insignauit, nomina, ac merita.

Peytoi,

Rebibæ,

Ioannes Bertrandi,

Gaddi.

Reumani.

dinali Theatino contigit, qui ad grati animi specimen Reumano bis centum aureos misit. Ille, pectore verè aureo, hæc latori, Sciat, inquit, Theatinus, duos tantummodò deberi muneri meo aureos, his libasse munificentiam sufficerit; reliquos ipsi cedere par esse. Certè probari insignis virtus præstantiore testimonio non potuit; ac meritò ipsemet Cardinalis Theatinus, postea Pontifex, spretum aurum rependit Purpura. Cardinalis Vitellocius Vitellius, eximia Vir indole, ac litteratura, bella, pacemque egregiè administrauit, vtrique par tempori. Iucundissimum nostræ Congregationi nomen, quòd rei Theatinæ non semel fauerit; extenderitque in sobolem, quod Maximo Parenti, Paulo Quarto studium, affectumque profitebatur. Siliceus Cardinalis Toletanus, Strotius, Rosarius, Consiliarius vim iudicij, rerumque agendarum peritiam satis Orbi probarunt. Bernardinus Schottus noster, quo valuit ingenio, morumque sanctitate, hæc ipsa, quam scribimus, historia testatur. Alphonso Carafæ visa quidem non tàm Pontificis beneuolentia, ac cognatio, quàm spectata probitas, coniunctique cum ingenij laude mores emendatissimi Purpuram contulisse. Atque ab his quidem, tanta siue studiorum, siue prudentiæ laude conspicuis, reliquos, qui celebrioris profectò famæ, ac nominis fuere, æstimare quis poterit.

Vitellij. Silicei, Strotij, Rosarij, Consiliarij, Schotti. Alphonsi Carafæ.

Neque verò Carolum Cardinalem Carafam quis obijciat, contendatque prudentiorem videri potuisse Pontificem in ornando acrioris, præfractique ingenij Iuuene. Enimuerò nouerat militarem ille Nepotis indolem; eaque propter induci in animum non poterat, vt in Conscriptorum Patrum numerum adlegeret. Principum Oratores, & Cardinalium præcipui, cùm id sæpiùs, enixiùsque efflagitarent, respondere solitus erat: Quid illum altiùs imbutum, fœdatumque cruore hostium, in Senatorium Ordinem adsciscam? Quatere Pontificis animum validissimæ diu preces visæ; nec anteà expugnarunt, quàm illi persuaserint, alias quidem instituisse Carolum vitæ rationes, atque euasisse in mores pios; exactamque Christiani officij disciplinam: & seruiebat mirificè scenæ, ac tempori Carolus ipse, eximiæ cuiusdam pietatis specie, qua imponere Patruo potuit. Et Pontifex quidem, explorata nihilominùs diù re, ac tandem effusè gratulatus, quòd redierit ad frugem discinctus nepos; tùm ea arreptæ virtutis persuasione, tùm assiduis Principum officijs extimulatus, illum Cardinalium Collegio adoptauit, iussum totius primùm anteactæ vitæ noxas recognoscere, ac sacramentali confessione expiare. Iam, peccasse Pauli prudentiam, nullus profectò, nisi eius nomini, famæque infensissimus affirmauerit: quando neque cognationis iura, aut vis, neque Regum postulationes, immò neque ipsa commutatæ vitæ opinio, nisi mora, vsque comprobata, impellere illum potuere, vt nepotem Infulis condecoraret. Illud porrò exploratum habemus, postquàm Purpuram induit Carolus, vsque adeò Pontificis sibi gratiam, animumque conciliasse, vt omnia penè suæ fidei Ecclesiastica negotia commendata à Patruo fuerint. Siquidem, quà exerto, præsentique ingenio erat, visus illicò summæ rerum procurationi par: quà verò solertissimæ indolis, mirusque fingendi artifex; & attemperare se Pontificis genio, ac sanctitati; & tegere mores suos, naturæque impetus probè nouerat. Quo factum, vt concepta semel probitatis opinione, deceptus Optimus, ac Sapientissimus Pontifex fuerit: præsertim cùm nullus ad illum adire, ac de Carolo Cardinali conqueri, eiusque regnandi artes, ac licentiam incusare ausus vnquam fuerit. Sed hæc prosecuti in loco sumus: atque vt hìc iterum perstringeret stylus, Pauli prudentia effecit.

Carolum Card. Carafam qua mora inter Cardinales adscripserit.

Quæ sanè prudentia, non modò in his maiorum veluti gentium Patribus deligendis exquisito quodam iudicio valuit; verùm & in aliorum etiam Antistitum, Administrorumque virtute æstimanda, visus peracti vi mentis fuit. Testes insignis litteraturæ, ac prudentiæ viri, Aloysius ille Lipomanus, magni nominis, virtutisque Antistes, Germana, Polonaque legatione egregiè perfunctus, Romanisque postea negotijs summo iure à Paulo impositus. Fabius Mirthus, Caiacensis Episcopus, pleriisque itidem succedentium Pontificum legationibus clarus. Nicolaus Maioranus, linguarum orientalium, diuinarumque litterarum scientissimus, Vaticanæ Bibliothecæ præfectura, Infulisque Amalphitanis à Paulo cohonestatus. Annibal

In reliquorũ Antistitum æstimatione quàm prudens Paulus.

Brancacius, Vrbis Romæ Prætor, fortißimus posteà martyr, hæreticorum manu in Gallia transfossus, Osius, Episcopus Reatious, posteà Tridentinæ Synodi à secretis. Inter quos non dißimulandi Syluester Aldobrandinus, & Marcus Aotonius Burghesius, quorum opera vsus est Paulus, humani, diuinique iuris consultißimi, ac virtute sobolis, oempè duorum laudatißimorum Pontificum Tiara satis, superque inclyti. Longum profectò esset, ceosere singula clarorum virorum oomina, quorum solertiam, ac eruditionem sub Pauli Poutificatu admirata est Aula. Vous adhuc Guiglielmus Sirletus non prætermittendus, cuius id quidem magni, pijque animi specimen fama euulgauit.

Guiglielmi Sirleti virtus.

Quandam auri summam seposuerat suis vsibus Vir probus; quam quòd publico, atque incommodo vteretur Romæ hospitio, secum ferre consueuetat. Accidit, vt dum Vaticaoa in Æde operam coocioni daret; oblitum se id auri domi, aduerterit. Abire, importunum tempori, ac celebritati tunc erat: expectandum anxiè fuir; & quem cura acrior vellicabat, versabatque, attentiooem omnem abrupir. Vbi impositus conciooi finis, rectà Sirletus ad domicilium; reperitque, quo pecuoiam loco, reliquerat. Tunc ille, Mulctare, inquit, nimiam animi solicitudinem par est, ac simul canere, oe me iterum auocet à pijs exercitationibus aurum; ac dicto citiùs ad Sancti Spiritus Xeoodochium nummos detulit; maluitque abalienari, ac distrahi opes, quàm animum: longè profectò antefereodus Philosopho illi, qui quæ noctu quietem, somnumque interturbauerat, oblata auri vis; vbi illuxit, restitutam danti voluit, magoificentiùs quidem, quàm acceperat.

Paulum demeruit.

Affluxit Pauli auribus Sirleti factum, statimque de tanto Viro oroando cogitauit. Lectum nanque inter Pontificiæ Domus familiares voluit; tum ioter Apostolicos, vt vocaot, Protonotarios; mox Vaticanæ Bibliothecæ admouit: addidissetque, quam destioauerat Purpuram, quanque Pius Quartus subindè detulit; si vita suppetijsset. Illud verò, & Pauli iudicio, & Sirleti virtute digoum, quod collati inscio bonores fuere; præsertim cùm Protonotarius est appellatus, conquisitus Vrbe tota fuit; ac Lateranensi demum io Ecclesia, dum pietati operatur, repertus; non sioe honestißimi Viri metu, dum rapi se cerneret, oon duci: Pontifici sistitur; qui iussum suo se pallio exui, ingeoti cum virtutis testificatione, illustrique elogio ijs Infulis insigniuit.

Nostri Ordinis percupidus.

Gratißimus posteà Pauli Quarti memoriæ Sirletus fuit, nostroque Ordini oò potißimùm nomine cùm paucis addictus; vt multum sanè lectißimæ illi Purpuræ, atque eximio eius studio Nostrates debeant. Ioterim hæc obiter, & quàm breuißimè de illo adnotauimus, ad exactam in virorum delectu Pauli prudentiam comprobandam.

Quibus illud etiam prudentiæ genus annectimus, qua aut occulta iotrospicere, aut futuram virtutum frugem vel iu ipso æui flore prædicere, ac præsagire solitus erat.

In dignoscenda adolescentium indole sagacißimus Paulus IV.

Id quod eo quidem iudicio, certoque mox euentu præstabat, vt illustrari potiùs superiore quodam lumine, quàm humanæ vi mentis id assequi posse videtetut. Occurrit hoc loco Cardinalis de Nobilibus, quem adhuc intra pueritiam intuitus Cardinalis Theatinus, euasurum in excellentißimam virtutem prædixit Iulio Tertio Pontifici, Auunculo; ac probauere mox laudatißimi adolescentis mores, ac merita præsaginm. Illud notißimum, ac Siluestro Aldobrandioo teste exploratum. Duxerat is ad Paulum Quartum Hippolytum filium, prima ætate pubescentem, vt illi beoè precaretur Pontifex; qui ea, qua valebat, mentis acie, insignem adolescentis indolem, vultusque cootemplatus; Abi, inquit, & litterarum studijs ex animo vaca, vt possis aliquando regere Ecclesiam Dei: quo non obscutè quidem innuit, fore, vt summus olim Pontifex diceretur; vt ingeoti cum Christianæ rei bono accidit: fuitque is Clemens Pontifex Octauus, magni nominis, ac præstantißima virtute Maximus. Singularem item solertiam, ac sagacitatem præsetulit Paulus, cùm profano habitu quendam eo quo solent cucullati, gestu caput aperientem, vidit; conspicatus indè est, Religiosæ alicuius disciplinæ transfugam illum esse; ac re explorata deprehensus apostata, mulctatusque.

Vt apostatam agnouit.

Iam verò, cùm huic eius prudentiæ ostendendæ multa etiam suppetant; tùm dictæ opportunißimæ populis leges, sancitæque Ordinationes commemorandæ hìc foreot.

In ferendis legibus prudentia.

Planè, prudentiam Principis nihil perinde probat, ac editæ Constitutiones, quæ

veluti

veluti admota sapienter suis quæque malis remedia, Rempublicam sanant, seruantque. Et quod ad Paulum attinet, nescio, an superiorum Pontificum aliquis vtiliores, siue tuendæ Christianæ rei, siue conuellendis prauis vsibus, veterique disciplinæ instaurandæ leges tulerit. Testantur obsignata ex interuallo diplomata in hæreticorum, cuinsuis notæ fuerint, fautores, in Hebræorum perfidiam, in eius temporis vsuras, in Simoniacam labem, in veneficos, blasphemos, apostatas. Tum prudentissima de Pontificum electione decreta, de Episcoporum residentia, de Sacri Collegij, vt aiunt, Decanatu, de Sacerdotiorum collatione, de cultu Numinis, rituque Ecclesiarum, de bonis Ecclesiasticis non alienandis, de Sacrorum Ordinum reformatione, de librorum censura, de vestium pompa, ac luxu, aliaque opportuna oppidò statuta, ac scita, quibus laboranti Ecclesiæ, fideique, ac mortalium disciplinæ apprimè consuluit. Quæ quidem fusiùs, ac singillatim recensere, non id loci est. Satis innuisse, vt è multiplici hac lege nulla ex parte defuisse affecto Orbi Pauli prudentiam intelligat Lector. Interim aliæ nos eius virtutes vocant.

Qui componere, ac redintegrare studia, moresque hominum pro virili contendit Pontifex Paulus, iustitiam in primis colere oportuit: quam vbi à mortalium societate abstuleris; quicquid vspiam sancti, honestique est, labi, ac pessum ire contingit. Enimuerò vbi quà libratis æqua manu lancibus, quà exerto, euibratoque gladio, sua cuique non distribuerit iustitia; misceri profectò omnia, ac confundi necesse est: proindeque diuulsa quæque Respublica est sine illa; ac veluti conflata temerè multitudine, nulla populis concordiæ, ac pacis commoda. Ergò, propensione quadam naturæ illi semper studuit Paulus; vt quodcumque administrauerit officium, nunquàm à rectæ iustitiæ linea vel minimùm detorserit præclara ea mens. Id in reliquis vitæ partibus demonstrare, facilè omninò, at longiùs esset. Quarè cum in Maximi Principatus munere obeundo abundè suppetant iustitiæ documenta illa, nec quidem omnia, prosequi præsenti narratione satis fuerit. Quo statim loco, si districtum illud ingenti cum humanitatis vulnere, ac Pontificiæ Domus occasu coniunctum Nepotum iudicium, ac mulctam, in medium quis iterùm produxerit; non alio quidem indigere absolutissimæ æquitatis argumento videbimur. Ad Aram quippè iustitiæ vbi raptatur, iugulaturque cognationis affectus; id demum est in huiusce virtutis laudibus summum. Sed suum isthæc locum habuere. Nunc quando sanguinem, ipsamque naturæ vim in exacta iuris administratione peruicit Paulus; nec magnorum potentia, metuque cohiberi infractum, rectumque eius pectus potuit, quominùs iustitiæ litaret. Et verò primus fuit, qui Romanos magnates, hoc est, vt Innocentius Octauus appellabat, Romanorum Pontificum compedes, frangeret: quos cùm exterorum Principum clientela, suæque opes; tùm præteritorum Pontificum indulgentia, ac timor ferociores omninò, ac confidentes fecerat. Nam vbi peccasse eorum impotentiam, ac læsisse iura aduerteret; mulctare proscriptionibus, exilijs, custodijs non dubitabat: vt redijsse in Vrbem iustitia videretur, vindicatis seuerè proceribus, ob quorum potentiam iam diù exulabat. Luculento quidem testimonio integerrimę eiusmodi iustitiæ restituta pleraque Vaticanæ Basilicæ prædia fuerint. Distracta olim illa; diù, multumque disceptare Vaticanum Clerum oportuit, vt recuperaret. Cum potentioribus nimirùm res erat, qui vt Petri latifundia contra ius, fasque occupauerant; ita obniti strenuè videbantur, authoritate, ac vi, quominùs illa sibi iustitia vendicaret. Dirimendæ inueteratæ, desperatæque iam liti opportunè adfuit Pauli Quarti æquitas. Peroraři causam extemplò iussit; ac nullo virorum principum respectu, abrupta tùm litis mora, tùm lis ipsa est, adiudicatis veteri eius Ecclesiæ patrimonio prædijs. Acclamatum insigni iustitiæ, atque integritati ab nobilissimo Canonicorum Ordine; qui susceptis pro Maximi Pontificis incolumitate, ac salute votis, diem, qua lectus Sacrorum Princeps fuit, adscriptam hoc potissimùm nomine in suis fastis voluit: & quò commendata illustriùs posteritati eius beneficientiæ, ac æquitatis memoria esset; statuam insuper ex ære eius nomini dedicandam decreuit. Cernitur hoc veteris, ac pulcherrimi operis monumentum in Principis eius Templi Sacrario; spirantque magnificè vultus; nec silet eximiam virtutem subiectum marmor, inciso aureis characteribus elogio,

Iustitiam impensè coluit.

Non pæruit carni, & sanguini.

Nec procerũ potentiæ.

Restituenda Vaticanæ Basilicæ prædia curat.

Ponitur que eius nomini elogium, ac statua.

elogio; quod ab Achille Maffæio, Bernardini Cardinalis Maffæij fratre, Latini sermonis cultu ea tempestate celebratissimo, pereleganter, ac verissimè conscriptum, libet hìc adnotare.

MEMORIÆ ÆTERNÆ
PAVLI QVARTI PONT. OPT. MAXIMI,
CHRISTIANÆ LEGIS ANTISTITIS, RELIGIONIS VINDICIS,
LIBERTATIS ASSERTORIS;
AC PIISSIMI PRINCIPIS, PATRIS PATRIÆ,
DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
QVOD IVSTISSIMA EIVS SENTENTIA,
ANTIQVATIS SVPERIORVM PONTIFICVM DECRETIS,
VATICANÆ BASILICÆ VETERIS PATRIMONII PRÆDIA,
QVÆ TEMPORVM INIVRIA INIVSTO IMPERIO DETINEBANTVR,
SVNT RESTITVTA,
PRINCEPS ORDO CANONICORVM,
OMNIBVS IN CONCILIO IDEM DECERNENTIBVS,
DECRETO IN TABVLAS RELATO, AC VOTIS COMMVNITER SVSCEPTIS,
COMMVNIQVE ÆRE COLLATO,
AD EXAVGENDAM LOCI GRATIAM STATVAM COLLOCAVIT.
QVOTANNISQVE DECIMO KAL. IVLII CHRISTIANO MORE, RITVQ;
SACRVM FIERI CENSVIT.
EOQVE FACTO
A BASILICÆ VECTIGALIVM QVÆSTORE PECVNIA PARATA,
BASILICANIS, QVI SACRIS PRÆSTO FVERINT,
PRO SACERDOTII GRADIBVS VIRITIM DARI CONSTITVIT.

Hispaniarum Clero consulit, imminutis vectigalibus.

Huic, quæ Vaticano hoc titulo perennat honorificè, iustitiæ, adnectimus sublevatam huiuscemodi æquitatis decreto, zeloque Hispaniarum Ecclesiam. Siquidem vectigalem Regio Ærario Clerum illum vsque adeò succedentes temporum iniuria, ac vitio pensiones premebant, vt fatiscere iam vires viderentur. Vbi appellatum Pontificem Paulum, rumor attulit, arrigere statim animos Ecclesiasticorum ille Ordo cœpit; ac persuasum habuit, fore, vt quem incorruptæ, infractæque iustitiæ fama satis iam celebrauerat, opportunè is consuleret communi calamitati. Coactus illicò Conuentus, adlegatusque Romam, qui rem perageret. Extant penes nos eius Concilij litteræ ad Paulum Quartum, planè disertissimæ; quibus imminutæ ab enormi vectigalium censu illarum Ecclesiarum dignitati communis Parentis pietas, zelusque imploratur. Itaque, quod difficillimum omninò factu videri poterat, quando carpi opes, prouentusque regios oportebat, ac Regis causam Administrorum authoritas, ac ardor strenuè tuerentur: confecta Romæ momentò res est; proniore nimirum in iustitiam Paulo, quàm vt Regis potentiam, aut inuidiam pertimesceret. Antiquata eo iudicio tributa, ac restitutus amplitudini, splendorique suo in Hispania Clerus; vt planè non exiguam isthæc materiam consecutis mox turbis, bellisque præbuerint; conclamantibus nempè in Pontificem Administris, quibus moris est, commouere Principum animos, quos ratio alioquin, ac ius bellò componeret. Atenim tanti est, tueri & Principem iura, & Pontificem Christianæ rei decus. Quo quidem in iustitiæ genere illud etiam dignum laude fuit; quòd cùm maximè innecti connubio cum Domo Farnesia cogitarent Pontificis Nepotes, resque mutua vtrinque voluntate cum Octauio Parmæ Duce ageretur; Paulus contra Margaritam Austriacam, Octauij Coniugem, pro Galliæ Regina, cùm de Alexandri Medicæi hæreditate Principes fœminæ disceptarent, sententiam tulit; neque Philippi Regis Austriaci amicitiam, neque Farnesiorum gratiam, neque familiæ, ac nepotum commoda quicquam pensi habuit; modò sua staret æquitati ratio. Qua in re duo ipse constanter affirmabat. Alterum, debere quempiam recta quadam agendi

Nullo Principis respectu, aut metu.

Galliæ Reginæ litē adiudicat, spreto suæ Domus commodo.

Eius de iustitia administranda dictum.

agendi ratione, ac generosiùs officio suo fungi: cùm verò vacare strenuè muneri minimè poterit; vacandam potiùs munere, quàm remissiùs agere. Alterum, ita debere publica iura administrare Iudicem, ac Principem: vt non futuri discriminis metu, quod iustum in præsentiarum, honestumque est, prætermittat: modò aliorum quidem iniuria, noxaque, non sua culpa periculum immineat. Quæ quidem peregregiè, ac ad vnguem præstitit; vt nulla vnquam ingentis mali denuntiatio, minæque Principum eius constantiam labefactauerint. Indicauitque luculenter Campano eo bello, cujus incommoda declinasset profectò, si quam instituerat in summa illa Romanæ nobilitatis capita animaduersionem, remitti placuisset: at quia in subditorum ea vindicatione, quæ impendebant mala, præferoci ab aliorum ingenio, studioque inferebantur; mente quati solida, cœptamque abrumpi, ac violari iustitiam non est passus: maluitque bellorum sese cladibus, ac sumptibus implicari, quàm magnatum contumaciam non plecti.

Porrò, vt communi iustitiæ benè esset, ac pauperum præcipuè causis, quas nouerat, aut negligi auaritia administrorum, aut potentium fauore opprimi, consuleret; amplissimum instituit Iudicium, nouum illud quidem, quo nomine carpere confidentissimi quique, ac Pauli virtuti offensi, non dubitarunt: sed Romanæ rei, fortunisque hominum imbecilliorum longè vtilissimum. Publicum perampla in Constantini Aula Tribunal celebrandum singulis mensibus decreuit, solenni quidem apparatu, cultuque, quo restitutam iudicij maiestatem, ac venerationem ostenderet. Sublimi ipse in Sede, Pontificali amiculo, ac Tiara, cæteroque supremi Sacerdotis cultu conspicuus, cernebatur. Minora hinc inde subsellia sexaginta omninò viri, quà dignitatis gradu, quà rerum vsu spectabiles occupabant. Inter quos vndeuiginti primæ notæ Augusti Patres numerabantur, Romani proceres quatuor, reliqui publicæ rei, Aulæque administri, minoresque Infulæ. Pro foribus milites Prætoriani, quorum partes erant, explicare ad Pontificem aditum, vt aduentanti, vel ab vltima vulgi sorte, cuilibet accessus pateret; liceretque publicæ iustitiæ fidem, opemque libellis implorare; querelasque suas in iudices, in proceres exponere, ac perorare. Obtinuit amplissima hæc forma iudicij ingenti cum mortalium fructu. Nam restitutum illico cùm Romæ, tùm in Ecclesiastica Ditione ius, fasque; quando scirent administri ad supremum hoc Tribunal prouocari iudicia; atque adesse Pontificem, qui obsignatas iniquè sententias, illatasque iniurias supercilio, ac pœnis plecteret. Præclarum hoc administrandi iuris exemplar secutus posteà Pius Quintus, cui, vt aliàs memorauimus, præstantissimam Pauli mentem, ac facta assequi imitatione, propositum fuit. Ipse verò Pontifex Paulus, etsi autor præclarissimi instituti videri potuit: attamen qui sapientissimorum prisci æui Principum virtutes, ac monumenta percurrerat, ac nouerat omnia; id à pijssimis Francorum Regibus, Carolo Magno, & Diuo Ludouico expressisse ducimus: quorum vtrumque, sancitis publicis istiusmodi iudicijs, expediendis pauperum causis, operam, aurésq; dedisse, compertum habemus. Præter hæc, adstrictiorem quendam quatuor tantummodò Capitum Senatum excitari iussit, quod Neapolitano more vocari Sacrum Consilium voluit. In eo tres eximia vi mentis Purpurati Patres vnà cum Camillo Vrsino rem Romanam summo iure administrabant, quos accersiti singulo quoque mense ineunte Vrbani quique Iudices, quid rerum, causarumque exacto eo mense expediuissent, edocere tenebantur. Quo sanè contineri in officio magistratus, atq; ad exactam legum normam procurari iustitia videbatur. Iudicijs item capitalibus instaurandis, ac reformandis animum appulit. Enimuerò, etsi vindicari crimina, sontesque percuperet; nihilò tamen minùs haud æquum esse, existimabat, ab vnius sententia rem tanti momenti, vitamque mortalium pendere: proindèque Iudicum numerum adauxit, qui capitales compellationes, causasque sanguinis, collatis vnà votis, expenderent, dijudicarentque. Quo etiam in genere illud potissimùm cauit, ne quod inultum abiret scelus. Vsu nanque venerat, vt facinorosi quique viri, ac grauissimorum criminum manifesti, promisso vadimonio, custodijs emitterentur; qui potentiorum posteà fauore nunquam reuocati, pœnarum immunitatem per summam iniustitiam adipiscebantur; cui statim malo occurrit, restituitque hac maximè

Publicum iustitiæ tuendæ Iudicium.

Ingenti cum fructu.

Sacrum item Consilium excitatum.

Instauratumque Capitaliū causarum Iudicium.

ximè ex parte dilapsam iudiciorum seueritatem. Sed de præstantissima, ac pernecessaria Principi, ac Reipublicæ virtute, diximus satis.

Pauli fortitudo.

Dicendum modò de Pauli fortitudine, ac de pulcherrimo eo cœtu virtutum, quæ nobili quodam satellitio fortitudinis latus muniunt: de quibus mixtim quidem agendum: neque enim animus est, singularum officia, aut res strenuè gestas distinctè persequi; quando non hic exactam, absolutamque de Maximi Pontificis virtutibus narrationem instituimus. Igitur, robusta hæc indoles, quam inspecta munerum, actionumque varietate, aut fortitudinem, aut animi fiduciam, aut constantiam, aut perseuerantiam, aut magnanimitatem voces; integra enimuerò, ac propria, si quæ alia, Pauli laus fuit: vt in omni quidem ætatis, honorumque gradu, siue corrigendi seculi mores fuerint, siue tuenda officij authoritas, siue ferenda in Senatu suffragia, siue ardua, ac difficillima quæque aggredienda; nihil ab egregio eius pectore magis alienum, quàm timor, aut imbecillitas; nihil familiarius, quàm insignis quædam mentis celsitudo, ac præsens animus. Peruaserat ea planè de magnanimo Viro apud omnes opinio, vt quoties proponi constantissimi cuiusdam, erectique ad grandia animi exemplar deberet, Theatinum, siue Episcopum, siue Cardinalem nominarent. Et apud Scriptores quidem, vel apud illos, qui non adeò beneuolè Pauli mores accepere, nihil frequentius, quàm eius pectoris firmitas, ac magnitudo occurrit. Certè, bis è paterna sese domo constanter proripuisse, idque prima ea ætate, ac pueritiæ flore, vt nomen Sacro Ordini profiteretur; apertè satis demonstrauit, quò rudimentum illud magnæ indolis euaderet, si adolescerent vires. Præcipua cum constantiæ laude in mores hominum, pietatisque corruptores inuectus, in præstantissimo eo instituto, vti persæpè significatum est, intrepidè omninò, ac fortissimum se virum præbuit. Ac in Theatina quidem Ecclesia emendanda res cum praeferocibus gentis ingenijs fuit: præcipuè cum Regulorum superbia, qui longa consuetudine licentiæ innutriti, iugum pati indignabantur. Hos omnes fregit insigni constantia. Venetijs dum Clericum Regularem ageret, ac Pontificis iussu fidei causas administraret; pleraque eximiæ fortitudinis monumenta edidit; ac non semel, vt suis ipse litteris, quas supra recitauimus, memorauit, dum quæstionem in nefarios nebulones institueret, vitæ periculum subijt. Romæ verò qua constantiæ alacritate disciplinam, religionemque procurauerit, qua patientia oblocutiones, calumnias, probra hæreticorum tulerit, incredibile dictu est. Iam, timeri plerunque Principes student, ceu maiestate, metuque tutiores; feras imitati, quas nisi rarò, & cum horrore quodam nunquam cernas. Horum supercilium neque contemnere, neque pertimescere magni omninò animi est; ita vt quemadmodum illorum seruire auribus, ac voluntati, vile quoddam ingenium arguit; ita quadam dignitate, libertateque cum illis vti, id demum mentis altitudinem, ac præstantissimum animi robur indicat. Propositum id Paulo præclarè fuit; intrepidi, quàm versatilis aulici nomen, famamque malle. Cùm in Catholicorum Regum Aula in Hispania moraretur; in publicarum rerum consultationibus incorrupta Episcopi Theatini sententia vel ipsum Regem interdum petebat; vnde contra vulgarem Principum morem, eiusque Aulæ votum creuit illi ab ea dicendi libertate apud Ferdinandum Catholicum authoritas. Atque in grauissimo quidem negotio illud eidem Ferdinando Regi insinuare non dubitauit, quod in causa fuit, cur apud successorem Carolum non ea posteà gratia floruerit. Quocum Carolo illud accidit dignissimum laude, quod in loco memorauimus. Sacris nanque vestibus indutus, vt faceret; iussus tantisper Regem exspectare, intrepidè pernegauit; respondítque, nunquam persuasum iri se, vt illam Sacerdotij dignitati, Christoque, quem tum maximè repræsentabat, iniuriam inferret. Quæ nisi à magna, ac generosa quadam indole proficisci nequaquam poterant. At Romæ cùm esset in Purpura, à Pontificum Maximorum maiestate, ac imperio non ita percelli se, aut premi passus est, vt de naturali vi mentis, ac grauitate quicquam remitteret. Paulo Tertio, cùm de Farnesiorum Principatu ageretur, eam infracti pectoris constantiam obiecit, vt dimoueri à sententia, neque exquisitis precibus, neque authoritate potuerit. Quam item animi firmitudinem, elato post Paulo, sui ipse similis strenuè demonstrauit.

Perspecta omnibus.

Illam vel à puero præsetulit.

Tum in moribus reformandis constantissimus.

Infractusq; in hæreticos.

Et supra Principum supercilium.

Præcipuè in Aula Hispan.

Ferdin. Regi ob dicendi libertatem percarus. Ob quā apud Carolum offendit.

Tandem Paulo Tertio obiecit.

Enim-

Enimuerò cùm, agente Alexandro Cardinali Farnesio, à Purpuratis Patribus Comitiales certatim litteræ obsignarentur ad Camillum Vrsinum, vt quam commissam suæ fidei obtinebat, regebatque Ecclesiæ nomine, atque auspicijs Placentiam, Octauio Farnesio restitueret; vt eas litteras subscriberet, exorari nunquam potuit. Quod ideò magnum, ac supra vulgarem virtutem, quòd præcideret sibi tum maximè indipiscendi summi Pontificatus spes, quas pendere magnam partem à Farnesij nutu, aut gratia non ignorabat. Id sibi maximè decorum ducens, si non caderet à suo gradu mens; cùm interim ingenti cum fiducia pronunciaret, ad supremas eas Infulas supremo à Numine certa quædam capita designari. Eandem hanc ipsam Iulio Tertio Pontifici virtutem animi probauit peregregiè. Qui de Cardinali de Monte in amplissimum Ordinem adoptando dum ageret: vt in eam honestandi Iuuenis sententiam Cardinalis Theatinus descenderet, impetrare omninò non potuit: ac Balduino Nepoti enixè, ac sæpius flagitanti, vt beneficiario iure Camertio potiretur, illud solitum dicere, narrat [a] Panuinius: An apertè quidem non vides, id nullo vnquam pacto Cardinali Theatino probatum iri; ac nunquam eius constantiam fore expugnandam? Ad hæc, Pontificem hunc ipsum subacri quadam reuerentia monere interdum non dubitasse; atque, vt aliàs meminimus, constantissimè eius imperijs obstitisse in ijs, quæ Sacræ Inquisitionis dignitatem labefactare viderentur; generositatis profectò non exiguæ, ingentisque animi argumentum fuit.

Et Iulio III.

a Vit. Marcel. II. Pont.

Pontifex verò appellatus, an in tuenda re Romana, summique Pontificis authoritate eximia vi pectoris, ac magnanimitate vsus fuerit: res eius gestæ declarant. Illatum in Latium bellum, ac penè ad Vrbis mœnia circumsonans, ità sustinuit, vt nihil planè generosius. Acri oppugnatione dum Ostia quateretur; terreretque omnium animos assiduus tormentorum remugitus, qui Romam vsque pertingebat; incredibili quadam oris firmitate, ac supra omnem metum indole, suburbanam eam cladem excipiebat: nullis interea temporis, quo oppugnatio perdurauit, functionibus deesse, epulo Cardinales de more accipere, alloqui familiariter, ac prolixiùs adeuntes, de adornanda Pontificia Domo cogitare, veluti alta pace frueretur, visus fuit. Sacræ Inquisitionis Congregatio coram habebatur, quo tempore allatum fuit, Ostiam expugnatam: trepidare omnes; at nullum, vti significauimus, consternati, mœstique animi specimen obfirmato in Pontificis vultu; iussitque, vt pergerent. Refigere Palliani proscriptionem, quæ potissima bellorum causa, infra suam maiestatem reputauit; neque oblato vltrò Domui Carafæ amplissimo Senarum Principatu, lautisque item censibus, ac patrimonijs, propositum commutauit. Quarè nisi rata in subditos mulcta componi rem noluit; ac consecuta pax est insigni cum Paulinæ constantiæ laude. Quam tùm etiam cumulauit, cùm inita iam pace, Nepotes de obtinenda Barij Ditione, quæ à Bonæ Polonorum Reginæ obitu Philippo Regi accesserat, cum eo agere cogitarent. Annuit quidem Pontifex, vt peterent, etiam suo nomine. Verùm, vt intellexit, ea quidem Philippum conditione transferri in Carafas Barium velle, modò rediret Columnensibus Pallianum; abrupit illicò negotium: noluitque tanti constare Nepotum commodum, splendoremque; vt quam difficillimo armorum tempore animi firmitudinem seruauerat, pace perderet: ac proindè triumpharent de Pauli constantia opes, ac tituli, quos enimuerò post vnam magnæ huiusce indolis laudem habebat.

Nihilea Pontifice Constantius.

Inter ipsos belli motus impauidus.

In vindicanda subditorũ licentia constantissimus.

Nulla spe, aut re captus.

Atque de hac quidem virtute hactenus dictum. Alias attexemus amplissimas perindè, ac populares: nempè liberalitatem, ac magnificentiam, quæ vt magnorum animorum, ac Principum sunt peculiares, ita Paulo cum paucis inerant. Ac primò quidem, quæ nobilissimis hisce virtutibus opponuntur, vitiorum sordes; nempè malorum radix, cupiditas, atque auaritia: visus semper strenuè infectatus Vir opibus, quæstuque omni maior. Detestatus anteà fuerat, qui fodè, ac per summum Romanæ munificentiæ dedecus in Datariam, vt vocant, ac Pœnitentiariam irrepserant, praui vsus; quos, vt renunciatus Pontifex est, illicò, atque egregiè emendauit. Idque ingenti cum Pontificij patrimonij dispendio; execratus eos census, qui indecorè, nec cum dignitate sacrorum prouenirent. Et coniectari planè, vt pecuniarum studium omninò deprecaretur, ab eo poterit: quòd tùm quidem

Singularis Pauli liberalitas.

Auaritiam à profligauit.

Præciditque Romanæ Curiæ quæstus.

amplis-

ampliſſimos prouentus imminuit, cùm exhauſto ob ingentes bellorum ſumptus publico auro, indigere maximè opibus tuendæ maieſtati Pontifex videretur. Id quod Camerarius in Præfatione, qua librum de Purgatorio igne Paulo Quarto nuncupauit, teſtatus in hæc verba eſt: [Id ſanè Sanctitati tuæ dici ab horum temporum hæreticis minimè poterit, quod de quibuſdam falsò affirmare non dubitarunt: nempè propterea Pontifices Purgatorium tutatos eſſe, vt hac ratione Chriſtianorum pecunias extorquere poſſint: quando vel hi, qui in meridie cæcutiunt, manu attrectant, tot diſpenſationes, quæ ad hoc vſque tempus concedi ſolebant, à te eſſe neglectas; per quas quingenta millia aureorum in Ærarium conferre potuiſſes. At quo tempore? Cùm hæc alma Vrbs vndique obſideretur; bonaque Eccleſiæ magna ex parte, tùm ob præteritas neceſſitates alienata eſſent, tùm etiam in præſentia ab ipſis hoſtibus occupata.] Hæc ille. At noſtri homines in ea, quam ad Neapolitanos Patres Epiſtolam conſcripſere, & nos ſupra laudauimus, maius quid referunt: vt è Datariæ officio, quod ære annuo centenis, & quinquagenis aureorum millibus adaugere Pontificium Ærarium ſolitum erat, nihil ipſe omninò perciperet; cùm præter neglectos, præciſoſque à diſpenſationibus quæſtus, opulentos etiam magiſtratus, magnò vendi ſolitos, authoramenta virtutis vellet, gratiſque bonis Viris concederet: quod teſtatur disertè Onuphrius, aliique, qui de Pauli rebus geſtis dixere. Et quidem, quod ad illas, quas diximus, diſpenſationes attinet, eò rem prouectam reperit, vt inter affines paſſim, ac nulla Sacrarum Legum reuerentia connubia inirentur: ea nimirùm ſpe impetrandæ facillimè facultatis. Quod adeò execratus Pontifex eſt, vt ſancita ſtatim ordinatione, nunquam ea in re quenquam ſe legibus ſolutum euulgauerit. Cuius quidem decreti ſeruantiſſimus fuit. Nam, vt inter Franciſcum Momorantium, & Henrici Secundi, Gallorum Regis notham filiam, nuptias permitteret, adduci nunquam potuit: adnitentibus licet, enixèque flagitantibus Henrico Rege, & Comeſtabili, Parentibus: quòd contraxiſſe iam alia cum virgine iuuenis diceretur. Quamuis dicta poſtmodum lege, quæ inita à filijs, inconſultis parentibus, matrimonia abrogabat, nupſerit Regiæ Soboli Momorantius; non ſine præſenti læſæ Pontificiæ authoritatis vltione: re non ita multò poſt ad Sanctum Quintinum infeliciter geſta; captiuoque Comeſtabili, ac filio: quod eius matrimonij vindici Deo Paulus Pontifex tribuit. His, aliiſque, quæ de ſacerdotijs ritè, ac liberaliter conferendis, cenſuque omni damnabili auferendo cum laude ſtatuit, quæ prolixior eſſem, ſi denarrarem, auaritiam omnem, licitationemque ab Eccleſiaſticorum animis, Romanæque Aulæ maieſtate viſus eſt abalienaſſe: & ſe quidem ab omni cupiditatis ſtudio abhorrere demonſtrauit. Ac propterea veriſſimè quidem, argutèque vulgò dictum. Eius nempè eſſe animi Paulum, vt neque timorem vnquam, neque auaritiam ſenſerit. Atque illum quidem ſingulari quadam vi pectoris, hanc verò inſigni liberalitate excluſit.

Cum maximè exhauſtũ Pontificium Ærarium. Cammerarij teſtimonium.

Connubiorũ diſpẽſationes reſtrictæ:

Nulla Principum virorũ habita ratione.

Dictum de Pauli liberalitate.

Quam ſanè ampliſſimam, regiæque mentis virtutem antiquiſſimam habuit: vt conijci vel ex eo poterit, quòd Cardinalis, cùm pertenui quidem cenſu, atque arcta nimis re familiari vteretur; cæteris nihilominus Purpuratis opulentior munificentia, atque amplitudine videretur. Siquidem quà iuuandis, fouendiſque ingenijs, quà honeſtis hoſpitibus, ijs præſertim, quos luſtrandi noſtri moris ſtudium peregrino è Cælo in Italiam propellit, excipiendis, magnorum fortunas animo exæquabat: vt profuſo quodam liberalitatis ingenio, & augere quodammodo prouentus ſuos, & laxare domum diceres. Cùm Chriſtianæ rei impoſitus fuit, parem magno animo, atque ingenitæ liberalitati aream, opeſque nactus, magnificentiam potiſſimùm propoſitam habuiſſe viſus eſt; adeò effusè, ac prona manu largiebatur. In pietatis ſinum prima, ac amplior munificentia impluebat. Eleemoſynæ ſiquidem nunquam largiores inopiæ contigere: idque non modò Romæ, ſed pleraque etiam per Italiam pia loca præſenti ea ope, ac magnificentia fouebantur. Virtutis, ac prometitorum proxima, eaque planè luculenta, erant munera. Quæ ingenti quidem vi auri, vt diximus, diſtrahi ſolebant, Romanæ Aulæ officia; ſpectatis morum laude, ac eruditione viris deſtinabat; non exiguum quidem pretium putans virtutem ipſam. Et quò gratior accideret beneficentia, illam præter omnem expecta-

Cardinalis cenſu modicus, magnificentia diues.

Pontifex largitiones animo exæquat.

Eratque munificentia plerumque inopinata.

pectationem, ac ceu quendam fluuium, rupto ex inopinato obice, affundi gaudebat. Experti istiusmodi extemporaneæ liberalitatis gratiam Viri clarissimi, Antonius Augustinus, Vgo Boncompagnus, Bernardinus Scardæonius, Iacobus Herculanus, Franciscus Sorinius, Guiglielmus Peytous, Stanislaus Hosius, ac Sirletus, quem tota Vrbe conquisitum ad Infulas diximus. Inter quos adnumerandus Vitellocius Vitellius, quem cùm ad amplissimum Senatum aggregauit, donari sponte voluit viginti aureorum millibus, ex officijs vendi solitis, quæ ille obtinebat, eaque Purpuræ adeptione iure tunc cedere Pontificio Ærario oportebat; tantùm abest, vt in Purpuratorum delectu in lucrum ipse aliquod auatè collimaret, aut quęstum inde decerperet.

Spontaneam hanc ipsam munificentiam experti plerique alij. Petenti quotidianam Pontificiæ Domus sportulam, non impertijt modò, verùm & in singulos menses salarium vltrò addidit; agentique gratias, quòd vltra votum accepisset, dixit, panem & canibus etiam dari. Quos in Pontificio Sacello Latinè de more inter sacra dicere contingebat, si quis concinnè, disertèque perorasset, centenis interdum aureis eorum honestare eloquentiam consueuerat. Episcopum Telesensem, quòd pereleganter de supremis Christi Domini cruciatibus dixisset, in Santagathensé Sacerdotium transtulit, addita Domestici Antistitis prærogatiua; & quæ verè aurea magnificentiæ appendix fuit, accessere item Oratori tercentum aurei. Semel accidit, vt elapsis Quadragesimæ ferijs, qui eo anno Verbi Dei præcones Romanis in orchestris desudassent, dicere in orbem coram se iussèrit; quos, distributo in singulos non exiguo quidem auro, affici eueftigiò Pontificia amplitudine voluit: præter vnum quenpiam, qui assentari magno Pontifici non erubuit; hoc scilicet operæ pretio, quod nullum venali eloquentiæ pretium contigit. Illud verò splendidius, quod non in priuatam quandam inopiam, sinumque collatum fuit, sed in communem rem Romanam deriuari Paulus voluit. Enimuerò, vt ait Panuinius, publicam annonæ caritatem ingenti quidem cum magnificentiæ, ac laudis incremento, cæterùm summo cum Ærarij dispendio bis subleuauit: semel ante Campanum bellum, instituto triginta millium aureorum censu, vt populorum abundantiæ consuleret. Iterum post illam bellorum cladem, cùm exhaustæ ab ijs sumptibus Pontificiæ opes, ac inuecta in Vrbanam plebem fames, præclaram sanè Paulinæ beneficentiæ materiam præbuere. Nam coemptum duodenis, ac eò ampliùs, aureis frumentum, quinis ad laxiorem populi annonam vendidit; constititque ea liberalitas, vt ait [a] Caracciolus, ad bis centum aureorum millibus. Quo tempore illud etiam incredibile penè fuit, quòd pleraque vectigalia, cùm maximè instaurandum Ærarium, ac dissoluendum contractum æs alienum foret, magnificè abrogauit: id accedere suis opibus putans, quod in populorum compendium profunderet.

Pleraque eius exempla.

Effusa in Populum Romanum liberalitas.

a Vit. M.S. l. 3. c. 6.

At enimuerò persequi singula tantæ liberalitatis exempla, verendum magnoperè, ne sit legentibus fastidio. Innumera illa quidêi quippe quæ à Paulo, velu ti à suo fonte, ac perpetua quadam, vberrimaq; manabant vena. Sufficeret hic de pręclara eius liberalitate Commentarium, quem Pyrrhus Ligorius, insignis Pauli eiusdem Architectus instituit, exscribere, dignum planè legentium otio. Verùm, cùm apud [b] Antonium Caracciolum extet, abundè fuerit, pauca in nostram hanc historiam compendio transferre. Agit verò Pyrrhus de ea tantùm beneficentiæ parte, qua complecti excellentes quosque artifices solitus erat. Id quod scire ipse, atque vsurpare oculis potuit. Vnde specimen quoddam singularis munificentię videri hęc poterunt; ac coniectari ab ijs facilè erit, qua manu res magnas remunerabat, qui prosequi parua, ac minuta quæque tàm liberaliter videbatur. Igitur illud principiò monet Ligorius, quod sanè Principis amplitudinem non minimùm commendat, adaugetque: nempè tàm citra ostentationem, ac pompam beneficia impendere, solitum fuisse Paulum; vt neque eos ipsos, qui acciperent, gratias habere permitteret: cauebatque impe rio, ac sæpè minis, ne beneficentiam cuiquam euulgarent; gnarus corrumpi hanc maximè virtutem, si scenam, ac lucem adfectare nimiùm videatur. Hac animi magnitudine effundi sua beneficia gestiebat in artificum præsertim industriam, atque operum elegantiam. Quæ quidem opera æquate pretio, magna sua indole inferius putabat; respondebat-

Pyrrhi Ligorij de Pontificis munificentia Commentarius.

b Collect. Hist. de Paulo IV.

Egregij præsertim artifices largè donati.

que regia planè manu longè amplior merces. Sensit hoc ingenti cum suo fructu nobilis artifex Petrasancta, qui, quas in loco memorauimus Tiberiano è marmore columnas domestico in Sacello collocandas; egregia quadam forma, nouaque efformauit. Is quanquàm annuo stipendio operam Apostolico Palatio locaret, centum insuper nummos aureos pro insigni opere accepit; tum quoddam ferendæ ante Pontificem clauæ munus, quòd octingentis item aureis æstimabatur: ac ceu pauca isthæc arti honestandæ, exosculatus humanissimè eius frontem Pontifex, ampliora accipiendi spem fecit. Nec minor in Germanum quendam opificem liberalitas. Scriniolum ex ebore politioris planè artificij Pontifici erat, cui ferulam, humano penè vngui parem tanta operis subtilitate ille concinnauerat, vt admirationi intuentibus esset multiplex in tenuissimo opificio machina. Cepit mirificè viri ingenium, atque argutissimus labor Pontificem; ac soluto primùm quinque, & viginti aureorum pretio, auctarium mox addidit longè magnificentius; tot scilicet nummos aureos, quot capere Pontificia manus potuit: certauitque cum elegantissimæ ferulæ paruitate perampla Pauli liberalitas. Eximio Scriptori, qui pulcherrima quadam apicum venustate codicem nescio quem exarauerat, vt parem operi mercedem repræsentatam intellexit: At, tu, Oeconomo dixit, suum labori pretium numerasti; mearum verò partium est, prænobilem facultatem ipsam scribendi, artisque præstantiam munerari: iussitque extemplò solui bis centum aureos. Largior adhuc Ioanni Græco Pauli animus contigit. Distinctum auro, gemmisque, phrygioque variatum acu Codicem à Principe Auria dono acceperat Paulus. Alcoranum id erat, naualis cuiusdam prædæ pars. Profanam barbarorum religionem pretioso eo cultu, varioque emblemate condecorari, indignum duxit Pontifex; destinauitque sanctiori statim vsui. Ergò, quæ excultissimo ornamento succederent, quatuor Christi Euangelia is, quem diximus, Ioannes Græcis characteribus conscripsit, ea profectò accuratæ, quæsitæque artis peritia, vt gratulatus nimio quidem opere fuerit Paulus, tantum excellentiæ, gratiæque in eo scriptionis genere à Maximo Numine mortalibus concessum. Indè vt præmio scriptorem afficeret, prægrande, ac quadruplo maius, tali siquidem vti solitus erat, sudarium supra scabellum explicauit, ac tantum auri imposuit, quantum coniuncta vtraque manus sumere proximo è scrinio potuit: Ioanne quidem ipso, qui abunde aliàs donatus, eiusmodi munificentiam minùs expectabat, admiratione defixo; qui dum conari gratias inciperet, tacere iussus, dimissusque ingenti cum ea pecuniarum vi, quam supra quingentos aureos fuisse comperit. Quod amplissimum planè sudarium non semel eiusmodi liberalitatem testatur; sublevata ea capacissimi veli affusione aliorum plerunque necessitate. Hieremias item è Franciscana familia Paulinæ beneficentiæ pompam implet. Plumbeum numisma, cui Saluatoris effigies pulchrè inerat, ad Pontificem detulit; quo genere antiquitatis delectari cum paucis illum nouerat: donatusque illicò metallo pretiosiore fuit; centum videlicet aureis persolutis. Idem mox alterum peruetustum spiranti cum Petri Apostolorum Principis imagine numisma obtulit. Adfuitque vberiore fluxu nunquam defatigata munificentia: ac tantum auri donatum, quantum pugnus caperet. Interrogatus subinde de Pontificis liberalitate Hieremias: Splendida quidem, ait, ac magna esse illius dona, si numeraret; duplo verò maiora, cùm sine numero elargiretur: significauitque, qui pro Christi effigie centum acceperat, accepisse pro Petri imagine bis centum; vigorosiore nimirùm, ac proniore à profusis largitionibus dextera: virtuti siquidem, vt hominum corporibus, exercitatione augentur vires. Pyrrhus ipse Ligorius, qui hæc adnotauit, de se narrat, iussum à Pontifice, Eucharistico Christi Corpori adseruando, quàm magnificentissimum tabernaculum describere; & quòd inuentum quidem operis, ac primam delineationem consecuta illicò insignis munificentia fuerit; nam dari statim mille aureorum nummum Pontifex iussit, professus semel, ac iterum, rudimentum id esse animi longè splendidioris. Sciret nempe, eo se loco esse, vt adaugere, & cumulare fortunas suas posset, ne alijs posteà Principibus ingenium locaret, qui Romano semel Pontifici operam, manusque dedicauerit.

Petrasancta muneribus cumulatus,

Et Germanus quidem artifex,

Et eximius scriptor,

Et Ioannes Græcus.

Et Hieremias Fráciscanus.

Quid is de Pauli liberalitate pronunciauerit.

Ligorius ipse munificentiá expertus.

Hæc excerpsisse è Pyrrhi Commentario sufficerit. Parcimus verò alia item de singulari hac munificentia recensere, quæ plurimorum fide constant, & a Caracciolus noster affatim congerit. Illud antequàm hanc materiam absoluimus, non dissimulandum. Habuisse videlicet Paulum parsimoniam suam, & quandam veluti auaritiam; quæ sanè haud minus laudabilis, quàm profusa ea liberalitas videri potuit. Ac primò quidem Ecclesiæ thesauro, quem summi Sacrorum Antistites vetere Instituto, ac Pontificum iure per indulgentias distribuunt; quanuis amplissimum sciret, nec planè vereretur, ne vsus imminueret; parcè nihilominùs vtendum existimauit. Maximos Pontifices Leonem Decimum, & Adrianum Sextum faciliore quadam manu id effecisse, vt diuinarum opum dignitas nimia ea affusione non minimùm viluerit; quando id natura comparatum est, vt adnascatur copiæ quidam statim à satietate contemptus. Tum, illud etiam ab eiusmodi liberalitate enatum malum, quòd administri, quorum omne in auaritiam studium, nullamque compendij dilabi occasionem patiebantur; religiosam illam optimorum Pontificum amplitudinem in sui lucrum, execrabili indulgentiarum nundinatione, indecorè traherent. Quæ res in causa profectò fuit, cur ille impietatis antesignanus, Lutherus carpere peracerbè Romanam cupiditatem, fidemque orthodoxam labefactare corruptissima eruditione occœperit. Igitur, vt indignos Catholico nomine quæstus hosce præcideret, ac suum assereret à prudenti, parcaque manu indulgentijs decus, atque existimationem; communis eius Thesauri quæstorem egit planè frugalissimum: gaudebatque, sibi quidem adaugeri à magnificentia famam; sacris verò dignitatem crescere à moderatione, vsuque temperatiore. Eapropter quod olim Paulo Tertio Pontifici suaserat, executus ipse posteà cum laude est; cœpitque ea fidelibus munera moderatè admodum distribuere: ac sacris quidem numismatis nonnisi annorum septem affixam indulgentiam voluit: magnum Gregorium imitatus, qui Romanarum, vt vocant, stationum fructum, opesque huiusmodi septennio definiuit. Atque hìc, quòd sacrorum numismatum mentionem fecimus, illud obiter adnotandum; non fuisse Pium Quintum, qui ea primùm cudi iusserit, vt eius vitæ autor scripsit, errore quidem lapsus. Nam plerique vidisse se excusa Pauli Quarti tempore istiusmodi numismata, testantur. Quarè aut Paulo antiquior ea fuit religio, aut ipsimet Paulo adscribenda.

Alterum, in quo minus profectò liberalis, & si rectè calculum ponimus, oppidò adstrictus dici iurè debet Paulus: ea fuit insignis moderatio, qua vsus erga suos est; amplificandis, cumulandisque de more grandi ære, censuque Nepotibus minimè intentus. Mirum videri id poterit, ac omninò absurdum; quando regius planè Carafarum tum cultus, ac splendidissimum famulitium erat, quod nonnisi magnis prouentibus præstari, exaggeratisque opibus poterat: exploratumque deindè est, donatos, Ioannem quidem Carafam, Montorij Comitem, Palliano; fratrem verò Montebello fuisse: quæ non mediocris planè fortunarum accessio fuit. Nihilò tamen minùs intuenti rem propiùs, comperta omninò erit Maximi Pontificis contractior cum suis beneficentia. Et primò quidem edita de bonis Ecclesiæ non alienandis Constitutione, aditum sibi augendi eorum opes præclusit; cuius, vt aliàs meminimus, propositi tenacissimus omninò fuit; ita vt exorari nunquam potuerit, vt Camertium suis concederet, nullo quidem cum rei Romanæ detrimento, quando iam cum Philippo Hispaniarum Rege Carafæ transegerant, vt is eo nomine Pontificio Ærario bis centum aureorum millia condonaret, quæ debebantur. Et assensurus quidem Pontifex videbatur suorum amplitudini, ea Catholici Regis compensatione: at obfirmatus ipse animo, tantum in fœlicere consanguineorum affectui, noluit: ac respondere intrepidè solitus erat, cùm rem vrgerent; se quidem nunquam fore adducendum, non modò vt pro Nepotibus, sed neque pro quauis ipsiusmet Ecclesiæ necessitate Pontificiæ Regionis vel vnam vlnam distraheret. Quod verò ad Pallianum, & Montebellum attinet; constat, decerpta isthæc oppida ab Ecclesiastica Ditione minimè fuisse; tùm, ea vt Nepotibus conferret, rationes habuit omninò plures, quas in loco retulimus. Cæterùm, quoad census annuos, temporarijs tantummodò prouentibus, ac Præfecturis cumulauit; quas ipsa exigere cognatio, ac

a Vit. M. S. lib. 5. c. 8.

In Indulgentiarũ largitione parcus.

Ne vilescerent.

Vitàretq; administrorum auaritiam.

Sacrorũ numismatũ indulgentiã sẽpté annis circumscripsit, Magni Gregorij exẽplo.

Cui adscribẽdum sacrorũ numismatum inuentum.

In locupletãdis ictsuis parcissimus Paulus IV.

Eius de bonis Ecclesiasticis non alienãdis dictum.

Temperarijs Præfecturis diuites Pauli Nepotes.

regnatricis Domus ratio videbatur, nec vltra Pontificatum extendebantur. Duratura verò commoda, ac perpetua vectigalia incredibili quadam sobrietate contulit. Ac de Carolo quidem Cardinali Carafa, qui moderari rem Romanam videbatur, valebatque insigni apud Patruum gratia, illud omninò compertum habemus, cùm exauthoratus Bononiensi legatione fuit, ad vltimam penè egestatem redactum. Posita siquidem ea Præfectura, qui census illi superfuit, intra mille quingentos aureos fuit; tantum scilicet annuorum redituum, ac Sacerdotiorum amantissimo Nepoti Paulus contulerat toto eo, quo regnauit, quadriennio cum dimidio. Vt non immeritò incredibile plerisque visum id fuerit, atque inter insignes Maximi Pontificis virtutes singularis ea in consanguineos frugalitas censeri possit; ac tùm posteritati illustri in exemplo poni, tùm superioris æui moderationi, ac sanctitati comparari.

Ac prouentus perpetui modicissimi.

Perspectam porrò hanc Cardinalis Caroli inopiam hac ratione fuisse, narrat [a] Pacca. Elato videlicet Paulo, sub ipsis Comitijs exploratos de more Cardinales, qui tenuiore fortuna vterentur, vt par amplissimę dignitati census cuique contingeret; deprehensumque inter paucos angusta re domestica Carafam premi: quod credi vix potuit; quando valeret in vulgus opinio, auctum à Patruo Carolum pro affectus, cognatæque Purpuræ magnitudine opulentissimis Sacerdotijs. Et verò, vt in ea, quam ad Senatum Venetum narrationem scripsit, Nauagerius adnotauit, cùm summo apud Pontificem loco esset Carolus, Aulamque, ac Principum negotia administrare suis ipse auspicijs, nutuque videretur; in conferendis nihilominùs Sacerdotijs eius minimùm valebat authoritas; suis quidem, atque aliorum commodis parùm opportunus. Expertusque tùm maximè est, minùs posse, cùm defungi vita Nicosiæ Antistes contigit. Splendidissimæ illę quidem, ac satis opulentæ in Cypri Regno Insulæ, ad quas collineasse visus est Carolus. At Pontifex, cui nihil minùs, quàm nimiæ Nepotum opes, curæ erat, eo relicto, honestare Triuisanum, optimum Virum voluit: inusitata eo potissimùm seculo virtute, cùm confluere in familiam ingentia patrimonia mos obtinuerat, non sine bonorum iuxta, ac malorum indignatione: id enim ea tempestate hæreticorum linguas, stylumque exacuisse compertum est: quòd cernerent, Romanam, sacramque opulentiam vni cedere; ac non modò quæ in Italia, sed quæ alienis etiam in Regnis sunt Sacerdotia, explendæ paucorum cupiditati, & Charybdi vix satis esse. Atque hæc de liberalitate summa cum moderatione in suos coniuncta.

a Addit. ad Cicon. li. 7.

In distribuendis Ecclesiasticis cęsibus nullum Carolo Card. ius.

Cui Nicosiæ Insulę opulētiores negatę à Patruo.

Hæreticorum in Pontifices nimiùm suis indulgentes querimoniæ.

Priuata Pauli IV. virtus.

Pauca modò de priuata eius virtute restant. Magnas siquidem, ac dignas Pontifice animi dotes non ita excoluit, vt contempsisse alias non tam splendidę, ac publicę notæ virtutes videretur; ac meminisse debere nouerat, qui regendis populis pręsunt: & Principes se in theatro agere, & homines: proindèque, vt laudabilis omninò est regiarū partium exercitatio, quà Princeps; ita indecorum, carere minorum virtutum ornamentis, cultuq; quà priuatus. Iam, quæ virtus vsu frequentior, eaque opportuna mortalibus est, temperantia, apprimè coluit. Eo nanque vitæ cultu semper fuit, vt nihil illo frugalior videri potuerit. Insulas cum religiosa Clericorum lacerna cōmutasse, satis ostendit, quàm à nitore, ac pompa rerum humanarū abhorreret prędara mens. Vel ipsam Purpuram, cui fastus quidem, ac splendor comes est, ornare præsigni quadā animi, viuendique moderatione voluit; vt nihil omnino in domo, in conclauibus, in supellectili, cęteroq; cultu esset, quod ostentationē magnificè pręseferret. Censu, vti significauimus, pertenui contentus, modestia vti, quàm interpellare Pontificū beneficentiā maluit. Pontifex verò renunciatus, non sua sponte, sed ad Pōtificię amplitudinis modū procurari splendorem Aulę iussit; quod tantę maiestati tuendę pernecessarium duxit: ac in eo quidē regio apparatu, ac seruitij magnificentia adeò existimandū est, mentē temperantissimā minimè abiecisse; vt creuerit à præclaro eo cultu frugalitati pretiū, ac decus. Virtutē hanc porrò in eo etiam carpsisse [b] nonnullos scimus, quòd solennia persępè conuiuia adornaret, suamq; splendidissimè strui mensā vellet. Quod enimuerò non diffitemur; solitus nanq; identidē amplissimū Cardinaliū Collegiū grandi epulo excipere. Licere nempè, aiebat, Pontifici cū suis interdū fratribus animū relaxare: quo etiā & existimationē ipse, qua Patres prosequebatur, ostenderet; & beneuolentiā illi suam ab ea humanitatis significatione adaugere erga Pontificē videbantur.

Temperātia.

Splendor Aulę ad Pontificię dignitatis specimen.

b Nau. narrat. ad Sen. Venet. Poeta quidam Gallus in Epigr.

Epulæ Card. exhibitæ ad beneuolentię argumentū.

Quod

Quod verò ad victus sui rationem attinet: magnificè quidem parari, atque inferri mensas iusserat; sed hæc ad dignitatis, siue ad temperantiæ pompam. Laudabilior nanque in tanto ferculorum apparatu abstinentia. Id quod, Adamus Contzen de Soc. Iesu præclarè adnotauit; vindicauitque ab confidentissimo aliorum stylo Pauli temperantiam, quem affirmat, ante Pontificatum parcè, ac durè more Pauli Eremitæ vixisse, post Pontificatum in magna lautitia, ac ferculorum apparatu temperatè. Vidisse Scriptorem hunc, qui multus in eius victus parsimonia amplificanda est, non pœnitebit. Et verò, adstrictior illi cibus, ac modicissimus, vt vix sufficiendis viribus satis esse videretur; ac mirarentur planè famuli, victu tam tenui vtentem, tolerare vitam potuisse. Vini item parcissimus. Binis, aut ad summum ternis poculis prandium absoluebat; idque cyatho adeò exiguo, vt ministrari auiculæ potum diceres. Atque hanc quidem circumscripti victus rationem, moderationemque in causa fuisse, aiunt Panuinius, & Antonius Cardinalis Carafa, quòd nullo vnquam, aut medicinæ haustu, aut medicorum præsidio incolumis semper, firmaque valetudine, ac diuturniùs vixerit: tantùm abest, vt intemperantiùs lautissimis mensis vteretur, ac statis ijs conuiuijs, quæ conciliandæ Patrum beneuolentiæ, ac Pontificio muneri commendando, instructa basilicè voluit. Præterquàm quòd ad exactam quandam abstinentiæ rationem Paulum victitasse, ipsa ieiuniorum obseruantia satis probat. Etenim vel in senecta, deuexaque profundiùs ætate, atque inter ipsas operosissimas Pontificatus curas, affectusque insuper stomacho, non modò recurrentia per annum peruigilia, sed vernum ipsum Quadragesimæ ieiunium integrum seruabat. Quam quidem diuturniorem abstinentiam absoluere eo virium dispendio videbatur; vt acciderit semel, solenne Paschæ sacrum, quod inchoauerat, perficere vix potuisse. Christi Domini Aduentum ternis item in hebdomada ieiunijs, diebus nempè Mercurij, Veneris, ac Sabbatho tolerabat; interdicto per reliquos dies vsu carnium; vt austeriore vix cultu, vtcunque id tempus religiosi homines excipiant. Quod sanè tam illustre, ac conspicuum in Sacrorum Principe abstinentiæ exemplum emendandæ illorum temporum licentiæ non minimùm iuuit. Vsu nanque venerat inter alia corrupti eius æui vitia, vt rari admodum in Quadragesima ieiunarent; ac conclusum intra Cœnobia, paucosque religiosos viros legitimum ieiunium delicatior Aula omninò excluserat. At vbi confectus Senex, ac Pontifex rigidè id vsurpare visus est; composita ad eam normam, exemplumque gens Romana, vetustissimam illam Ecclesiæ obseruantiam instaurauit. Id quod laudatus modò Antonius Cardinalis Carafa adnotauit; à quo etiam, quæ de victus ratione scripsimus, delibauimus; & scire ille hæc poterat, quippè qui à poculis tunc erat Paulo Pontifici.

Margin notes: Sui victus parcitas. — a In c.6. Matth. v.16.3.1. — Hinc corporis incolumitas. — Ieiunia per anni, & Quadragesimæ à Paulo obseruata. — Et Dominici Aduentus magnam partem. — Iuuitque Aulicorum abstinentiæ inducendæ Pontificis exemplo.

Porrò temperantiorem hunc vitæ cultum, & abstinentiam ornat semper flos ille virtutum pulcherrimus, Castitas: in qua quidem adeò ille excelluit; vt dicere idemmet Antonius Carafa non dubitauerit, honestissimos quosque eius æui mortales pudicitiæ laude à Paulo superatos: additque, seueriores quasdam vitæ rationes vel à iuuene instituisse; quò acres illecebrarum morsus, ac stimulos acriore disciplina reprimeret: ita vt quæ maximè ætatis pars offensa illi virtuti esse solet, in Carafa forma quædam fuerit castissimi moris. Nullus in lætiore eo flore eui fractior gestus; nullum vnquam excidit nobili Iuueni verbum, quod cum eximia quadam frontis, animique verecundia minimè consentiret. Expoliare ipse sese vestibus, dum cubitum iret; cum surgeret, induere ijsdem se ipse consueuerat; idque grandiore, ac summa iam ætate, ac Pontifex Maximus. Lædi siquidem pudorem putabat, seminudum à quoquam cerni. Quas sibi castimoniæ leges dixit, ijsdem institui familiam impensè curabat; intendebatque eò potissimùm curas suas, ne in id genus sordes è famulis aliquis prolaberetur. Et planè ea in Carafæ Domo mundicies, morumque integritas cernebatur, vt religiosos potiùs viros, quàm aulicos domesticj repræsentarent: tanti erat, prælucere hanc facem Dominum. Ac in Pontificia quidem Domo, vt pudorem adamauerit; vt aulicos, qui mulierculas in illam introduxerant, seuerè mulctauerit; vt conclauia istiusmodi flagitijs commaculata, lustrali prece, rituque, templorum instar pollutorum expiari iusserit, disertè narrant nostrj homines in Epi-

Margin notes: Pudicitiæ cultorum eximius. — Quo & præstare familiã volebat.

in Epistola ad Patres Neapolitanos. Illud etiam exploratum; vt sanctum omninò, atque illibatum Sacrum Palatium esset, non modò quàm longissimè vt abessent proiecti pudoris fœminę, cauit: verùm & honestis etiam aditum interclusit; sanciuitque, vt libellis agerent, si quę compellare Pontificem vellent. Acciditque cùm ad mensam aliquando accumberet, vt inaudiuerit, Principes quasdam fœminas ad proximum conclaue officij causa ingressas, expectare inibi eius aures; quo ille vehementiùs commotus, qui introduxerat, aulicum facessere ab suo statim conspectu, ac domo iussit; nec antea ad frontis, animique serenitatem redijt, quàm abscessisse nobilissimas fœminas, nuntius attulerit: gnarus nempè, quæ Pontificias Ædes deceret sanctitas; & quantum detraherent loci maiestati, ac reuerentiæ mulierum vestigia. Exactum hoc porrò honestatis studium in memorabili ea Nepotum vindicatione apprimè demonstrauit. Enimuerò cùm multiplex planè causa impulerit, vt in illos animaduerteret; tùm illam non vltimam fuisse scimus, quod pudicitiæ minùs studiosi, præclaræ eius virtutis famam contemnerent. Quod nisi ingenti cum animi dolore resciuisse minimè potuit Vir innocentissimus; incitatusque ab eo potissimùm solutiore vitæ genere fuit, vt sanctiùs postea oderit, suoque à contubernio, ac consuetudine abstraxerit. Nempè qui in cæteris mortalibus eiusmodi vitij fœditatem auersabatur; in propinquis eò magis damnauit, quòd propior ea labes attingere quodammodò, atque afficere ipsummet videbatur. At in re satis perspecta non ampliùs immorandum. Sufficere Nauagerij testimonium poterat, qui in Pauli vitam, moresque quàm diligentissimè anquisiuit; censor quidem vt acer, ita minùs profectò beneuolus; cùmque in rebus eius gestis redarguendis, aut secus interpretandis nimius, ac pronior planè sit; innocentiam nihilominùs, ac mundissimam vitę rationem egregiè celebrauit.

Neque honestissimis fœminis patebat ad ipsum aditus.

Nepotum expulsionis causa nō vltima, pudoris labes

At enimuerò, cùm summas iam, ac medias in Paulo virtutes dixerimus; quæ vulgaris cuiusdam notæ sunt, nec altiùs assurgunt, recensere, superuacaneum omninò, nec è re historiæ fuerit. Vnam libeat quàm breuissimè perstringere. Ea est comitas, ac morum festiuitas, quam etsi ab Imperij grauitate alienam plerique putent, ceu constanti quodam supercilio, abruptaque frontis seueritate Principatus constet; eam nihilominùs, veluti grauissimarum virtutum temperamentum aliquod in magnis persæpè, ac laudatissimis Principibus commendasse nonnullos scimus. Descendisse nimiùm è fastigio dignitatis Principem nemo prudens dixerit, quòd argutè interdum aliquid, ac facetè pronunciauerit; nec detraxisse maiestati, quòd facilitate, ac subitis aliquando salibus maiestatem ipsam condiuerit. Iam, incredibile fortasse videri poterit, huiusce virtutis lepores, gratiamque locum in eo Pontifice habuisse; cui grauitas ipsa, ac seuerioris disciplinæ studium nomen fecerant. Certè siue ipsum oris habitum spectes, siue indolem; quædam statim austeritas ac censura occurret, vt apud plerosque vultuosior, ac asperior, quàm par esset, audiuerit. Attamen, vt ait laudatus sæpius Cardinalis Garafa in notis Apologeticis, quædam illi in agendo suauitas inerat; atque intra dignitatem vrbanitas; vt adstantes extemporaneis plerunque argutijs, dictorumque gratia exhilararet. Responsa præsertim nunquam non illi lepidissima, & suo cum aculeo. Supplices verò libellos cùm obsignaret; peracutè vt plurimùm annuere, aut negare solitus erat; vt fuerit, qui ea decreta, ceu notatu, plausuque dignissima, collegerit, retuleritque in syllabum. Excidere hæc porrò, quæ argumento planè nunc essent, in excellentibus Viris vel Indicia ipsa specimen esse magnæ mentis. Quanti vero acuminis subscripti ad libellos sales hi fuerint, libet ab eo decreto coniectari, quod accepimus fide Vitrij Ducis, quem aliàs significauimus, à consanguinei Pontificis cubiculo tunc fuisse. Rogauerat Paulum Quiroga Hispanus Antistes, rei Neapolitanæ postea inspector, mox Cardinalis, & Archiepiscopus Toletanus, vt conferre sacerdotia, nescio quæ, dignaretur. Subscripsit ille statim, ac peracutè in hæc verba; Exaudiatur, quia rogat. Quo simul & vti hominis cognomento voluit; & gentis fastum perstringere; quæ rarò in preces descendit. Eius item argutam, præsentemque id genus sententiam memorat Bisciola, dum aliorum in scribendo obscuritatem notat, his omninò verbis. [Eiusdem vitij meritò notauit Caietanum Thomam, acutiorem ne dicam, an ob-

Pauli Comitas.

Ac in dictis festiuitas.

In obsignandis maximè libellis peracutus.

Eius de Caietani obscuritate dictum.

an obscuriorem? acerrimo Vir iudicio, & eloquentia magna Paulus Quartus, Pont. Max. Cùm enim nescio quod illius opus frequenti Purpuratorum Patrum consessu legeretur, quod puer Romæ audiui, Noster hic frater, dixit, non vult intelligi.]

At nè in leuioris quidem curæ diutiùs stylus immoretur; aliqua de excellenti eius ingenio, insignique memoria, ac eloquentia delibemus. Quæ sanè contigere illi ad miraculum; vt confessione multorum mortalium, Scriptorumque ob eruditionis, ac facunditæ præstantiam sui seculi summus haberi facilè potuerit. Et verò nullum litterarum, aut studiorum genus fuit, in quo non esset insigniter versatus. De linguarum peritia iam diximus. Addenda hic tantum Ioannis Pauli Flauij, clarissimi Oratoris in funebri eius laudatione verba: [Quin, inquit, quod multò admirabilius est, nullum verbum penè proferentem, vel Italicè, vel Hispanicè, vel Hebraicè, atque in primis Latinè, quod pro oraculo non haberi posse videretur.] Hæc ille. Commendauitque hanc ipsam exteræ dictionis præstantiam Nauagerius peregregiè. Nempè eo linguæ cultu, ac nitore Græcè, aut Hispanicè loqui solitum, vt media ipsa Græcia, aut Hispania natus, educatusque videretur. Latinè verò eloqui æquè illi promptum, ac Italicè: nisi quòd exornare pulchriùs Latinum sermonem Tulliana quædam nota, ac splendor videretur. Id ipse probe cùm aduerteret, Latinè plerunque dicere in amplissimo Senatu solitus erat; præsertim cùm eloquentia, ac vi dicendi, copiaque opus esset: vt cùm Nepotes publice exauthorauit, proscripsit; & cùm ad Episcopos de necessitate in sua quemque Ecclesia commorandi prolixiùs perorauit: atque vniuersim quoties perstringere acriùs mores, aut homines contigit: ac tùm quidem, quemadmodum & quoties diceret, nemo non eximiam, ac beatam quandam linguæ copiam, aut neruos admirabatur. Planè proniore quadam naturæ indulgentia, ac gratia hac potissimùm ex parte claruisse, Scriptorum, famæque consensus docet. Siue enim meditatus accederet, siuè pro re nata extemporaneè dicendum, siue de grauissimis rerum momentis consultandum, disserendumque; probaret, improbaretue: nullus profectò singularem eius facundiam exæquabat. Ascanius quidem Columna, Romanus Princeps, idemque vir disertus, vt inauguratum Pontificijs Insulis Carafam inaudiuit; eius maximè eloquentiam dilaudauit, ac se quidem, si cum illo compararetur, elinguem, ac mutum esse profitebatur. Stanislaus Hosius, lumen illud eruditionis, ac Purpuræ, cùm primùm ad Paulum Pontificem adijt, singularem in eo dicendi vim, ac elegantiam vehementer admiratus, illud statim extra velum pronunciauit: Audiuimus Christianum Ciceronem. Eandemque in eo facundiam, copiamque [a] Paulus Manutius, Vir in istiusmodi facultatis exercitatione laudatissimus celebrabat. Principum Oratoribus haud vicaria quidem, mutuataque eloquentia, vt moris est; sed respondere extemplò ipsemet solitus erat: fluebatque veluti à suo fonte purior dictionis vena. Audiuere ingenti cum admiratione, ac laude ita perorantem, Angliæ, ac Venetæ Reipublicæ Legati, alijque, vt historiarum fide constat. Insigni huic porrò eloquentiæ adaugebat venustatem quædam oris maiestas, grauisque, & canora oppidò vox: copiam verò immanis quædam memoria, quæ sufficere, veluti ex opulentissimo promptuario, vberrimam dicenti materiam videbatur.

Pauli studia.

Linguarum peritia,

Latinè plerunque ad Augustos Patres dicebat,

Ac singulari eloquentia.

Ascanij Columnæ de eius facundia iudicium.

a Præfat. ad Comm. in ep. ad Quint. frat. Et Pauli Manutij.

b Lett. Princ. to. 3. fol. 171.

Planè ea fuit in eo memoriæ amplitudo, ac vis, vt multis retrò seculis nulli mortalium parem contigisse, proindèque monstri similem, plerique affirmauerint. De infinito hoc eius propemodum captu hæc consignata litteris legimus. Sacra Biblia ad verbum complexus, edidicit, habebatque in promptu felicitate incredibili. Scholæ Salernitanæ librum in memoria item habuit. Galenum Græcè à capite ad calcem euoluerat, retinebatque. Supremà ipsa ætate, consenuit autem, vt diximus profundiùs, integras è Tullio, Virgilio, alijsque autoribus paginas perenni quadam vbertate memoriæ recitabat. Accidit semel, vt Antistes quidam Hispanus, quò elegantiùs ad Purpuratos Patres diceret, è quadam Ciceronis Verrina sermonem adornauerit. Aderat Carafa, quem Tullianus ille locus, ac dictio latere minimè poterat; abrupitque mox ijs verbis orationem: Satis Verrinarum. Homeri item poemata & percurrerat, & magnam partem præsenti memoria retinebat, vt interseret persæpè insignis eius Poëtæ versus, cùm eruditos, doctosq; homines alloqueretur.

Pauli memoria miraculo propior.

Iam,

Iuris prudentia.

Sacræ litteræ.

Ac Theologia cum paucis instructus.

Liuor afferentium, caruisse Theologia Paulum IV.

Iam, quod ad grauiorum litterarum studia attinet; præter philosophiam, ac Cæsarei, Diuinique iuris prudentiam, in quibus erat eximiè versatus in sacris etiam litteris eximiam operam posuerat, vt videre est in eius scriptionibus, quas sacri vtriusque instrumenti verbis, ac sensibus identidem exornabat, illustrabatque. Veterum item Patrum monumenta peruolutabat assidua quidem manu: vt quoties aut scriberet, aut loqueretur, hausisse ab sacra, robustaque ea eloquentia eruditionem, mentemque, ac dictionem ipsam videretur. An verò scientiarum principi Theologiæ operam nauauerit, fueritque prænobili ea facultate instructus, non est, cur hic in dubium reuocemus. Non ignoramus recentiores quosdam hanc illi doctrinæ laudem præripere; & cum humani, sacrique iuris consultissimum fuisse Paulum Pontificem dicant; affirmare nihilominus, ipsum in templum, atque adyta diuinioris huiusce sapientiæ, ceu profanum hominem, pedem minimè intulisse. Quasi verò aut admoueri à Leone Decimo Pontifice Concilio Lateranensi potuisset, vnumque, vti in loco monuimus, ex septem Theologis destinari, qui Lutheranam hæresim iugularent; aut adhiberi ab Adriano Sexto perpurgandis Romanis moribus, quos hæresis plerumque fœdauerat; aut acciri à Paulo Tertio, vt generali Concilio propè diem celebrando adesset; aut esse apud eundem Pontificem autor, vt sacræ Inquisitionis tribunal Romæ figeretur; atque administrare ipse supremo iure grauissima illa Religionis, fideique orthodoxæ negotia; aut insectari acriter eius tempestatis hæreticos, eorumque opiniones, quà stylo, quà voce perfodere, conscripto de iustificatione insigni opere; aut denique corruptorum ab hæreticis voluminum proscriptione Catholicæ pietati consulere, nisi in sacræ Theologiæ spatijs diù ipse insudasset; eiusque præstantissimæ facultatis apprimè sciens, Theologorum placita, sententias, doctrinamque omnem probè nosceret. Etenim quanam ratione institui de fide quæstiones, profligari hæreses, emendari religio, sententia in Concilijs dici ab eo vnquam poterat, qui non sit in eo doctrinarum genere versatissimus? Certè, neque Maximi Pontifices iuuandæ, amplificandæque rei Christianæ opportunum fore Carafam, sibi persuasissent; nisi eximia quædam eruditionis, Theologiæ præsertim fama, atque existimatio de eo percrebuisset: neque Carafa ipse, vt ea capesseret munera, quæ absolutum Theologum requirebant, adduci vnquam potuisset; nisi Theologiæ præsidijs subnixus. At enim non id solummodò coniecturis euincimus: disertè siquidem [a] Antonius Cardinalis Carafa incubuisse in hæc diuinæ sapientiæ studia Paulum, testatur in hæc verba: [Philosophiam, ac Theologiam, eam maximè, quam S. Thomas Aquinas scriptam, explicatamque reliquit, probè quidem nouerat.] Addictus verò D. Thomæ, eiusque præstantissimæ eruditioni vsque adeò erat; vt appellare illum solitus esset, Baculum senectutis suæ. Qua quidem sacræ Theologiæ facultate cum paucis fuisse illum instructum plerique item alij Scriptores affirmat. Inter quos luculento planè testimonio [b] Antonius Ciccarellus hæc inquit: [In rebus Theologicis insignis præceptor fuit, versatusque egregiè in alijs scientijs.] Quæ satis profectò fuerint probando Paulum non leuiter quidem diuina scientia imbutum, sed inter Theologos summum fuisse.

Antonij Cardinalis Carafæ de Pauli Theologia testimonium, a Apol. ad Neap.

Et Ciccarelli. b Vit. Pauli IV.

Litterarum monumenta Pauli IV.

c Vit. Pauli IV. c. 22. d Biblioth. Bonif. edita anno 1643.

e Tom. 4. fol. 1085.

f App. Sacr. in Catal. lib. M.S. eiusdem Biblioth.

Porrò, qui assiduam in litteris operam ponebat, plerosque conscripsisse commentarios contigit; quos in ea Gentis Carafæ clade, ac turbine dolendum maximè est, magnam partem distractos, tandem excidisse. Subductæ ab ea tempestate hæ præsertim lucubrationes fuere; quas laudatus aliàs à nobis Marincola vidisse se in Antonij Cardinalis Carafæ Bibliotheca, testatur; & censent [c] Castaldus & [d] Ludouicus Iacob in sua Bibliotheca Pontificia: nempè de Quadragesimali obseruantia. De Symbolo. De Basilicæ Vaticanæ, eiusque sacerdotum Principatu. Consilium de emendanda Ecclesia, quod dictasse Carafam, & cõstans apud nos fama est, vti in loco monuimus, & testatur in suo theatro Genealogico [e] Hieronymus Henniger. Commentarium verò de Petri Basilica extare Romæ in Card. Sirleti Bibliotheca, scribit [f] Posseuinus. Oratio in funere Cardinalis Sadoleti, amicissimi capitis, quam pleriq; scriptores commendarunt, hac item ipsa iactura litterarum excidit Neapoli verò in nostro Tabulario extant illustrata peregregiè eius notis Aristotelis Ethica, quæ Ferdinandus Marra, Dux Guardiæ, Nostris dono dedit; affirmabatque multarum vigiliarum

giliarum opus illud fuisse, in quo non priuatus modò, sed summus etiam Pontifex desudauerat. Accessitque illustre Cardinalis Saluiati testimonium, qui legit, commendauitque prolixiùs, seu lectissimas, ac dignas tanto Pontifice lucubrationes. Postremò, non hìc prætermittenda Cæsaris Card. Baronij de Carafæ studijs, ac monumentis sententia. Habet is [a] tomo suorum Annalium decimo, ex Episcopo Aquinate Flaminio Philonardo, Carafam nostrum, antequam Cardinalis fuisset renunciatus, multa antiqua, ac magnæ authoritatis monumenta collegisse; quorum robore posset Romana Sedes pessundare schismaticos Principes, & hæreticos quosque primores.

a Fol. 63.

Atque hæ Pauli Quarti dotes, opesque animi, in quibus dinumerandis longiores fortassè fuimus, quàm posceret hęc nostri Ordinis historia. Illud reliquum modò est, vt contractis in angustiorem veluti tabulam, quæ fusè exarauit stylus; præclaram, spirantemque Maximi Pontificis imaginem ita sub aspectum ponamus, vt vsurpari vnico statim intuitu possit. Pauca igitur, quæ Paulinos vultus, virtutemque repræsentent, ducenda lineamenta: neque illa quidem à meo calamo, sed germanissimis veluti coloribus rem absoluant clarorum virorum dicta, quorum quidem pleraque nos sparsim supra commemorauimus. Collegit verò quàm accuratissimè delineandæ summæ indoli [b] Siluester Pettrasancta, à quo breuem Pauli IV. Optimi, ac Maximi Pontificis effigiem, collatis multorum elogijs, sic habes. [Vt cogam, inquit, in arcto Encomia, quæ Viri summi eximię virtuti consecrarunt; audiuit meritò Paulus [c]: Cleri Romani primus Reformator [d]. Primus suo seculo deprecator Purpuræ [e]: Primus Apostolici Clericorum Ordinis Restitutor [f]. Primus supremi de hæresibus Iudicij in Vrbe Auctor. Reparator labentis Catholicæ fidei [g]. Spes vnica confirmandæ, & constituendæ Reipublicæ Christianæ [h]. Nulli superiorum Præsulum posthabendus [i]. Christianus Cicero, Latinus Chrysostomus [k]. Religionis Vindex. Veræ libertatis Assertor. Reparator veteris disciplinæ, Orbis columen, hæresum pessundator, vitiorum omnium perpetuus hostis [l]. Christianæ legis Antistes, Religionis Vindex, libertatis Assertor. Sanctissimus, ac pijssimus Princeps [m]. Sanctissimus, & eloquentissimus Pontifex, & Christianæ pietatis Restaurator [n]. Sanctissimus, & doctissimus [o]. Vir admirabilis [p]. Præsul pietate eximius, virtutibus eminens, & sacræ vel lectioni, vel operationi, vel meditationi semper affixus [q]. Eloquentia, doctrina, sapientia singularis. Liberalitate, animi magnitudine præstans. Scelerumque vindex integerrimus, Catholicæ fidei acerrimus Propugnator.]

Pauli IV. Imago interior.
b Symbol. heroic.
c Verron. in Chron.
d Cyn. Paneg.
e Ricord. Hist. Mon.
f Anton. Bandin.
g Clemtius ep. ad Caraf.
h Rener. hist. l. vitim.
i Hosius apud Ammirat.
k Ammir. in Tacit. l. 1. c. 8.
l Canon. Vatic. Elog. Ramus.
m Card. Sirlet. Elog. Icon. Pauli IV.
n Card. Polus ep. ad Sadol.
o Pauli III. test. Pannin.
p Iulius III. ep. ad Carol. V.
q Pius V. in Sepul. Pauli IV.

Hæc ad interiorem animi effigiem; cui externam appingimus pro coronide, vt totum Paulum legentium animis, oculisque subijciamus. Statura fuit ingenti; corpore gracili quidem, sed habilissimo, valentique; flexo ad maciem vultu, aspectuque subaustero; recedentes, vibrantesque acriore lumine oculi; modico naso; rara, nec prolixa admodum barba; vox grauis, compositus ad omnem modestiam, ac dignitatem gestus; ardens, pronumque ad iracundiam ingenium; sed cui deferuescere statim impetus, ac bilis videbatur. Denique excerpe à maiestate, à iustitia, à zelo, à magnanimitate quicquid inest magni, ac pulchri; & Pauli Quarti Pontificis Optimi, Maximi Imaginem graphicè efformasti.

Imago exterior.

LIBRI DECIMI FINIS.

erudiendis mortalibus, qui Theatinæ virtutis fama commoti, confluebant, exposcere operas, ac plurimorum manus videbatur; ac præter Ioannem Antonium Pratum, quem aliàs cum laude memorauimus, aliosque optimæ spei iuuenes, restiturus suis, eique domui fuit Christophorus de Refrigerijs, Mediolanensis, Vir quidem eximiè probus, exactumque Regularis cuiusdam, atque absolutissimæ virtutis exemplar. Venetijs Ordinem is iniuerat ad annum eius seculi quinquagesimum secundum; ac statim mores planè emendatissimos Sodalitati probauit, eorumque insigne in omni virtutum genere specimen dedit. Præclaram hanc indolem miratus tum Venetijs Bernardinus Schottus, cùm primùm adscriptus Patrum amplissimorum Collegio fuit; id egit enixè cum Nostratibus, impetrauitque, vt accersitum Romam Christophorum domi retineret contubernalem, ad solatium sui, suorumque normam. Quod etsi Viro diuinis commentationibus addictissimo, religiosique moris percupido haud quidem accidere gratum potuerit; parendum nihilominùs & Patrum imperio, & Cardinali fuit. Atenim ita vitæ suæ rationes extra Ordinem instituit, vt cùm nihil aulicæ consuetudinis ab Aula excerpserit, locum mutasse tantummodò videretur: cæterùm, eadem illi pietas, modestia, stata precum tempora, legumque nostrarum obseruantia, perindè quasi in ipso Cœnobio ad moderatorum, ac regularum præscriptum, nutumque ageret: eratque profectò constans quædam censura, exemplumque eius domus, quam Tranensis Cardinalis componi, efformarique ad regularis cuiusdam disciplinæ amussim peroptabat. Porrò auctus is à Paulo Quarto Placentinis Infulis fuerat; & qui laborandum sibi in prænobili ea area intelligebat, noueratque indigere suis curis, ac vigilijs Ecclesiam, & Cleri mores; illò sub huius anni initium concessit. Quo quidem discessu obtinuit Christophorus, vt in complexum, sinumque adamatæ Religionis rediret: affixusque domui Quirinali, inibi in oculis, atque admiratione omnium incompatabilis eius virtus diù fuit, vt in loco dicemus.

Christophorus de Refrigerijs.

Cardinalis Schotti contubernalis.

Eius domus censura, & lex.

Nostris restituitur.

Iam Paulo Aretio, quem significauimus Neapolitanæ rei impositum, mirum quàm molestè ea Præfectura accidit; vt sanè deprecatus illam vberrimis lacrymis, atque enixiùs fuerit: idque cùm ob animi modestiam, qua præesse alijs detrectabat; tùm verò, quòd qui ab æstu sese fori in Religionis tranquillitatem asseruerat, atque operari beatæ cuidam quieti percuperet; auelli ab eo mentis otio, secessuque vehementer dolebat: neque infimæ eæ preces, ac fletus valuere apud Patres, qui eximiam viri virtutem communi rei non minimùm profuturam nouerant. Planè lectum ad id muneris expleto nondum quadriennio, postquàm adscriptus in Ordinem fuerat: simulque & admissum ad ferenda suffragia, & honestarum magistratu Cœnobij fuisse; singularem quandam prudentiam, cæteramque regendæ familiæ, potestatique exercendæ perneceſsariam in eo indolem probat. Et vsu quidem quam ad eam præfecturam attulisset vim mentis, animique præsidia, statim declarauit. Visus nanque omnium exempla virtutum suis proposuisse; vtpotè cui consilium erat, exacta quadam disciplina morum, legumque obseruantia præire alijs, non præesse. Sed multiplex laudatissimi viri virtus in administrando poriſsimùm munere aliàs narrabitur. Illud interim in subditos caritatis specimen non dissimulandum; quòd vt eorum neceſsitatibus, aut etiam modestiæ occurreret, cùm domo egredi illos, contingeret; mire identidem eorum cellulas, ac perdiligenter inspicere solitus erat: tum si quas ibi laceras vestes, detritasque soleas comperisset, asportabat illicò, suisque ipsemet manibus sarciebat; vt mirarentur sæpiùs Patres, cùm domum redirent, farta ex inopinato indumenta, ac soleas: ac re cognita, pulcherrimum hunc in sanctissimo viro caritatis, atque humilitatis nexum fusè deprædicare; nec satis intelligebant, cuinam insignium illarum virtutum primas darent. Atque hanc quidem coniunctam cum animi demiſsione caritatem illud etiam abundè docet, quod iurata testium fide constat. Nempe cùm abesse Ostiarios à suo munere oporteret; ne aliorum aut preces, aut studia interturbaret, subire ipse vices consueuerat; quo quidem tempore si fortè piorum munificentia eleemosynæ mitterentur, pondere quidem graues, & quæ vires, humerosque exposcerent robustiores; subiecta oneri ceruice, ipsemet bonus senex, ac Præpositus auehere videbatur: efficiebant-

Quàm grauate præfecturam subijt Aretius.

Qua postea humilitate, & caritate administrauit.

ciebantque, caritas quidem, vt aliorum labori parceret; humilitas verò, vt abiectiora ea opera libens, volenſque ipſe amplecteretur. Hinc porrò qua tum floreret diſciplina, cultuque morum Paulina domus, quando iſthæc virtutum incitamenta animos inflammarent, coniectari quis facile poterit: ac dilaudanda potiſſimùm Patrum iudicia, qui ſpectatæ adeò virtutis Virum eius Cœnobij procurationi impoſuere.

Quod verò ad Hieremiam Iſachinum attinet, diſceſſerat is Venetias ſtatim à Pauli Quarti Pontificis obitu; lætiore quidem fronte Aula cedens, quàm acceſſerat. Specimen integerrimi moris, religioſæque diſciplinæ in ea dederat: cumulauitque profectò inſignem virtutum famam præclaro eo exemplo, quòd quas ante quadriennium in Pontificiam Domum veſtes intulerat, iiſdem omnino pedem ab ea extulerit; vt nec vnam quidem tunicam in tanta Pontificis gratia, ac beneuolentia adeptam ſibi voluerit: effecitque planè is Aulæ ſplendor, vt eniteret clariùs religioſiſſimi Viri paupertas, ac mortalium contemptus. Incorruptam, perſpectamque hanc indolem appellere ſtatim ad commune Congregationis bonum viſum eſt Patribus: & qui ab ſtrepitu Aulæ feriari paululùm, ac vacare ſibi vir apprimè diuinorum contemplationi addictus, putabat; ſubire rei Venetæ munus, ac prouinciam coactus eſt. Quam dum ſtrenuè obiret, vacaretque ſedulò ingentique cum noſtrarum rerum incremento eius domus adminiſtrationi; auocatus repentè Romam eſt, Pij IV. Pontificis Maximi iuſſu. Conflata in egregium virum non mediocris quædam procella videri potuit; ſed quæ mox difflata inſigni eius conſtantia, candoreque, ac magnitudine animi fuit. Enimuerò excitatus Romæ in Carafas turbo ſatis iam diræ grandinis in eam familiam iecerat: cœptumque etiam in Alphonſum Cardinalem Carafam, Marchionis Montebelli filium, inquiri, lectiſſimum quidem Iuuenem; ac virtutum numeris, morumque ſuauitate, quàm cognatione Paulo Quarto cariorem. Reuocauerant nempè in dubium eius Pontificis in amantiſſimum Nepotem munificentiam, qua ſupremo vitæ tempore non mediocri quidem auri, argentique vi, ac præclari operis ſupellectili illum donauerat: proindeque ſeueriore quadam peruestigatione inſtitutum in Alphonſum iudicium. Iſachinum, cui nulla latebant Pontificis, atque intimi cubiculi arcana, allaturum quæſtioni lucem, ac dicturum præclarum aduerſus Cardinalem teſtimonium putarunt. Vocatus ille, Romam inuolat; exceptuſque graui ſupercilio, ac pluſquam cenſorio eſt; ac niſi vera fateatur, minatur Iudex, peracerbè quidem fore de ipſo ſtatuendum. Nihil auſtera ea ſubſelliorum facies, aut abrupta interrogantis acerbitas mouit conſtantiſſimum virum; cui nihil antiquiùs, quàm ſincera mens, atque infracti pectoris robur. Verùm iis verbis auſpicatus: Deus veritas eſt: tanta frontis dignitate, dictorumque fide, ac ſanctitate reſpondit: vt Iudex ipſe, ac poſteà Pontifex, ad quem delata confeſtim Hieremiæ conſtantia, & candor fuit, illum egregiè commendauerint; ac nefas putarunt, abrogare tanto viro fidem: vt planè non minimum ſubſidij, monmentique Cardinalis Carafæ cauſæ attulerit. Porrò Pius Quartus Pontifex, cui totius Aulæ iudicio, atque exiſtimatione perſpecta admodum Hieremiæ integritas, ac prudentia erat: perhonorificè illum poſteà accepit; vtque non ſine beneuolentiæ ſignificatione Venetias rediret; numerati Pontificia quidem liberalitate aurum iuſſit. At enim quòd euoluto penè eo anno, propè iam aderat Comitiorum tempus; inſiſtendum illi Romæ fuit: decreuerant ſiquidem Patres, Romæ ſequenti mox anno habendam Congregationem; commodùm quidem, quòd Iſachinus iam aderat; & Neapolitani duntaxat Patres deerant, quibus breuius Romam iter.

Iſachinus iiſdem è Vaticana Domo veſtibus, cũ quibus inuerat, digreditur.

Venetæ rei admotus.

Romam vocatur,

Inſtitutoque in Alphonsũ Card. Carafam iudicio,

Ad examen ipſe ſiſtitur.

Obitque inſigni conſtantia, ac fide.

Igitur ſub ipſum anni ſexageſimi primi eius ſeculi initium die vigeſima menſis Ianuarij cœptum Romæ in Quirinali Domo Generale Capitulum: primum illud quidè quod celebratum in iis ædibus fuerit. Quæ ſtatuta ſuperioribus Comitiis fuerant, rata communi, recentique conſenſione voluere omnia; tum ſancita circa Theatinos mores alia; ac de Nouitiis præſertim cùm recipiendis, tùm inſtituendis accuratè actum. Qua de re illud ſanè opportuniſſimè cautum fuit: ne is omninò in Sodalitium admitteretur, qui alterius diſciplinæ habitum induiſſet. Docuit nanque experientia, infelicitatem quandam natura ſecum ferre, quæ ſatæ ſemel bono, ac fertili ſolo ſtirpes,

Romana in Domo Comitia ann. 1561.

Cautum, ne alterius diſciplinæ homines Noſtri admitterent.

pes, non floruerint. Quid nanque polliceri quisque sibi in suo Ordine ab ea indole poterit, quam aut alia eiecerit Religiosorum societas, veluti infrugiferam; aut ipsamet virtutum, sanctiorisque obseruantiæ pertæsa, eius vitę rationes abiecerit. Sensere id quidem non exigua cum suę disciplinæ fraude cœtus illi, qui tralatitijs eiusce modi ingenijs aditum minimè præclusere: quorum profectò exemplo edocti Nostrates, hoc decretum obseruatum constantissimè voluere; atque editis posteà Apostolica authoritate Constitutionibus, accuratissimè ea super re cauerunt: ita vt quanuis identidem quà doctrinarum fama, quà eloquentiæ splendore clarissimi quique viri è suo in nostrum Ordinem transitum efflagitauerint, adduci nunquam potuerint Patres, vt annuerent. Admissi quidem hoc tractu temporis ab condita Sodalitate duo solummodò alterius instituti homines fuere: at vrgente summorum Pontificum iussu, cui refragari nefas. Alter Ioannes Priulus fuit, è Patricio Venetorum Ordine nobilissimus, Cardinalis Priuli, ac Venetiarum Patriarchæ nepos, quem Patrum Capucinorum disciplina iam authoratum; vt eius valetudini mitiore instituto, habituque consuleretur, prolixiùs prænobiles consanguinei, Pater potissimum, ac Patruus Cardinalis rogauere Patres, vt ad suos aggregarent. Fixum verò illis cùm esset, grauissimas ordinationes minimè infringere, ac miscere eos mores; accedere Maximi Pontificis Clementis Octaui pręceptum oportuit; imperatumque ab eo pro summa imperij potestate fuit, vt Capuccinus, multis alioqui partibus conspicuus, adoptaretur: qui posteà extincto Patre, cùm suę iam sanitati, ac virium firmitudini ab ea instituti, ac veluti soli mutatione restitutus videretur; redijt ad Capuccinos. Alter Vrbanus Filicaia, è Patrum Discalceatorum Familia, fuit, Barbarinæ, Regnatrici tunc domui affinitate coniunctissimus. De quo quidem inter Nostrates adsciscendo actum Romæ maturiùs in Comitijs generalibus. Et admissus tunc fuit, quando pulsare efficaciores profectò machinæ Patrum animos minimè potuere; Barbarinis nimirùm adnitentibus, penes quos summa rerum, quique Nostrum tot nominibus Ordinem demeruerant. Quanuis ijs etiam nutibus, ac postulatis, quæ abundè apud nos erant, ne videremur sine grandiore adhuc impulsu in rem grauissimam descendisse, accesserit summa Vrbani Octaui, Maximi Pōtificis authoritas, cuius tandem decreto iussuque confecta res est. Tanti siquidem est, eiusmodi institutum sartum habere, ac tectum. Quod Deus ipse visus tum maximè adprobasse, erepto scilicet non diù post initum Clericorum Regularium Ordinem Filicaia; vt abrupto externæ eius disciplinæ commercio, seruaretur puritas nostrarum legum; quarum præstantiam commendat disertè, atque eruditè de more [a] Antonius noster Caracciolus; ac tum veterum testimonijs, tum solidis rationum momentis legem firmat. Hi porrò, quos veluti è cælo asperiore, ac hyemante in amœniorem quendam, vernumque aërem immigrare iussit virium immbecillitas; vsu deinde persuasum habuere, esse in nostra disciplina quid strictioris obseruantiæ, austerique, quàm sit crassa ea vestis, ac frigus, & quicquid externo cultu terret. Et Priulo quidem Clemens ipse Octauus Pontifex, qui nostras vitæ rationes nouerat planè omnes, vtpotè nostri Ordinis cum paucis æquè sciens, ac studiosus, id apertè denunciauit; seueriorem nempè in recessu Sodalitatem nostram esse, quàm species ipsa præ se ferret; atque adstricto in hoc viuendi genere plerasque etiam anteire, quæ austeriores videntur.

Nunc ad lineam stylus redeat. Plerisque tuendæ regulari obseruantiæ planè opportunissimis, à Patribus constitutis, lecti, qui domos administrarent. Quirinalem Præfecturam iussus continuare Vincentius Massus, qui pręclarum, lapso hoc anno, prudentiæ in communi ea re administranda specimen dederat. Hieremias Isachinus, qui præcedenti Capitulo impetrare à Patrum suffragijs minimè potuit, vt distractum curis aulicis animum, procul negotijs, aliorumque procuratione recolligeret; ea vi precum hoc anno cum Patribus egit, vt exorauerit; suffectusque in eius locum fuit Augustinus Barilius, quem aliàs memorauimus. Ipse verò Venetias item redijt; vbi semet visus partiri ex æquo, suo nempè profectui, ac proximorum saluti strenuè incumbens. Enimuerò, vt esset orationis, internæque virtutis cum paucis studiosissimus; singularem tamen quandam in fructu animorum operam ponere videbatur.

Quam ratio- ni consentaneum.

Seruata strictius ea lex.

Laurentius Priulus olim Capuccinus.

Clementis VIII. præcepto inter Nostrates adoptatur.

Et Vrbanus Filicaia Discalceatus.

Sed nonnisi Vrbani VIII. authoritate.

[a] Nos. Const. ad c. 5. par. 2.

Adstrictior in recessu, quàm in specie, nostra Sodalitas.

Massus Romanæ Domus Præpositus.

Hieremias Venetæ Præfecturam dimittit.

Vacatq; proximorum fructui,& suo.

batur. Sacris præsertim concionibus, in quibus, vt assiduus omninò erat; ita pro eximia, ardentique dicendi facultate tam certa semper tela destinabat; vt nunquàm illa citra auditorum lacrymas, ac vulnera euibraret. Quantum verò sui opinionem, ac beneuolentiam, morum innocentia, solidæque facundiæ gratia Venetijs excitauerit, in loco significabimus.

Golduellus Paulinã Domum regit.

Eius in regẽdo munere humilitas.

Postulatis item Pauli Aretij, qui insigni quadam animi modestia munus detrectabat, factum satis; ac renunciatus Neapolitanæ Domus Præpositus Thomas Golduellus, Episcopus Asaphensis, quem diximus ex Anglia, grassante in Catholicum nomen Elisabetha, digressum, Neapolim pręterito anno appulisse; ac in Paulino Cœnobio pristino se virtutum studio, vsuique addixisse. Collatam eius Domus procurationem ea statim grauitate, ac facilitate inijt: vt certarent subditorum in illum affectus, ac reuerentia. Quod verò in egregio potissimũ Antistite laudi dabant, ea erat insignis quædam animi demissio, qua subire non modò cõmunes labores, sed abiecta quæque domus munia primus videbatur: splendidum planè cæteris incitamentum, qui Præpositum, ac Episcopum exemplo adhortantem sequi, ac strenuè imitari omni ope contendebant. Præclarè quidem cum eo Cœnobio, ac Patribus actum, si regi diutiùs à Golduello munus contigisset. At cùm maximè vrgeret, promoueretque in ea Domo disciplinam; vocatus Romam à Pio IV. Pontifice fuit. Causa, vt ex Valerij Pagani commentarijs habemus, grauissima Angliæ negotia fuere. Impetrauerant siquidem à Pontifice, qui Romæ agebant Angli Catholici nominis, vt Asaphensem accerseret; acturi cum eo de Anglicanę Religionis, Regnique commodis. Et maturauit eo statim iussu Vir patriæ pietatis, suorumque salutis studiosissimus Romanum iter. Quid autem potissimùm rei actum, quidue ceptum cõsilij tunc fuerit, clàm nobis est: illud exploratum; cùm ab ijs sese curis maturè expedijsset, cogitasse statim Neapolim reditum, vt suo muneri vacaret; acerrimoque suorum desiderio, ac spei citiùs redeundi, quam fecerat, satisfaceret. Verùm enimuerò, dum velificationem Paulinum in Cœnobium adornaret; alijs quidem in vela ventis incumbentibus, abreptus repentè aliò est. Resumendum Pius IV. Tridentinum Concilium eo maximè tempore decreuerat; vt inchoatum à Paulo III. laborantis Christianæ Reipublicæ præsentissimum remedium, atque à Iulio item Tertio continuatum aliquandiù, bellotum postmodùm curis abruptum, tandem absolueretur. Vrgere vehementiùs rem moribus, communique fidei pernecessariam optimus Pontifex videbatur: ac in eo studium omne contulerat, vt capitum, doctrinarumque celebritate floreret ea Synodus, quæ allatura Catholico Orbi erat certam incolumitatem. Ergò qui prudentissimum perindè, & sacræ eruditionis consultissimum Thomam Golduellum nouerat Pius IV. non exiguo quidem vsui celeberrimo Conuentui fore existimauit. Quocirca, vt tot illustrium, ac laudatissimorum Patrum numerum, doctrinamque in oecumenico eo Concilio adaugeret; concedere illò iussit. Cùm interim, etsi perampluin quidem esse, Theatini nominis Antistitem suas in splendidissimo eo Orbis theatro partes agere, Nostrates existimarent; nonnihil ab ea sanctissimi Viri absentia, ac desiderio mœroris conceperint: Neapolitani præsertim Patres, qui destitui prę-stantissimo Rectore, ac perbreues fuisse affectus; amoresque suos maximo quidem opere dolebant. Quanquis quod ad Paulinæ eius domus administrationem attinet, visa profectò abundè compensari, suffecto nimirùm Ioanne Marinonio, qui in eo regimine consenuerat, recusato semper omnia ope, conatuque munere; ac semper Sodalium votis efflagitantibus, prona suffragatione Patrum collato.

Romã à Pio IV. accersitus,

Aglicanæ religionis causa

Neapolim statim ab ijs curis cogitat.

Sed Tridentino Cõuentui destinatur à Pontifice.

Paulinæ Domus vices capessit Marinonius.

Pontificis opinioni respondit in Concilio Asaphensis.

Anglicanæ pietati intentus.

[illegible]dam in eo Concilio Asaphensis, Pontificis spem, qui miserat, minimè lusit; ac suam cùm eruditionem, tùm eloquentiam, solertiamque egregiè probauit Patribus. Et qui nuper Romæ suis cum popularibus de re Anglicana maturè, ac prolixè egerat, in ea Orbis terrarum celebritate, cùm maximè de reformanda religione ageretur; haud neglexisse Patriæ salutem visus est; vsus præsenti, ac præclara occasione: quando aderat ibi flos Christianæ virtutis, atque inire tum maximè rationem poterant summi Pontificis Legati, ac Principum Oratores, totque excellentis prudentiæ, famæque Antistites, qua florentissimo Regno, afflictæque religioni opem ferrent. Et planè cadere ex Golduelli sententia res videbatur. Cœptum siquidem inter Pontificios

Legatos

Legatos, Regumque Oratores, & complures magnæ notę Episcopos priuatis quidem conuentibus de Anglicano eo turbine, ac impia Elisabetha agitari: illudque in primis expendi placuit, an anquiri in eo Concilio in Reginam deberet; vt territa magnifico iudicio, ac tot Patrum fulmine, suis illa insanijs, ac sæuitia temperaret: ac simul resumerent animos, viresque Catholici, vbi intelligerent, diuexatam miserandum in modum, diuulsamque Angliam esse Christiano Orbi curæ. Biduum ea consultatio tenuit: decretumque, vt ad Pontificem ea de re perscriberetur. Fouebat has porrò præclaras cogitationes, vrgebatque Golduellus, cuius fide hæc ad nos peruenere. Compositis nanque ad Cardinalem Tranensem litteris, quæ extant in Neapolitano Diui Pauli tabulario, hæc illum monet, rogatque; vt quando authoritate apud Pontificem valeret, iuuaret pro virili parte, ac promoueret pijssimam, ac dignam suo zelo causam. At enim ne in publico eo Patrum iudicio Christianis diris in Elisabetham ageretur, Ferdinandus Cæsar fecit, vt ait Sanderus. Spem nanque coniugij cum Ferdinando filio fecisset Regina; id ille à Patribus impetrauit, vt eo fulmine abstinerent: fore nanque aiebat, vt Catholici coniugis religione, consuetuque mitesceret fœminæ ingenium, iuraretque in Romanas leges, ac iura. Tridenti vsque ad Concilij finem commoratus Asaphensis: Stanislai Cardinalis Hosij, Varmiciensis Episcopi, atque Apostolici œcumenica in ea Synodo Legati, singulari beneuolentia vti contigit, quæ non hic planè dissimulanda. Nam, vt ipsemet ad Cardinalem Schottum scripsit, excipere Hosius vel reluctantem domi suæ voluit, complexusque omni officiorum genere est. Commendatissimus nempè illi virtutum, ac doctrinarum merito Golduellus: tum additus maximo Viro grati animi stimulus: honestatus quippè, vti aliàs monuimus, amplissimis honoribus à Paulo IV. qui Purpuram etiam summæ virtuti destinauerat, nullum demerendi Ordinem, ornandique eo nomine Pontificis sobolem prætérire occasionem videbatur.

Vrgebatque Reginæ mulctam.

Quam intercessit Ferdinandus Cæsar.

Hosij Cardinalis in Asaphensem beneuolentia.

Quo tempore Asaphensem Tridentum allegauit Pontifex, Romam Cardinalem nostrum Scottum, qui anno præterito Placentiam concesserat, vt quæ suæ fidei commendatę oues fuerant, coram regeret, euocauit. Nimirùm intelligebat Pius Quartus, consensum quendam inter Tridentinam Synodum, Romanamque Sedem esse debere, atque ita rerum grauissimarum momenta communicari; vt si quæ ibi obortæ difficultates, & controuersiæ fuissent, Romæ componerentur; atque adeò pernecessarium esse, eruditissimos quosque, atque omni doctrinarum genere excultissimos è Purpuratis præcipuè Patribus apud se habere, qui Concilij negotia Romæ temperarent. Id quod aduerterat etiam Paulus Tertius Pontifex, qui vt Tridentinæ rei, quam inchoauerat, benè esset; lectis ex amplissimo Collegio Patribus longè sapientissimis, Congregationem instituerat; in qua, vt in loco monuimus, primas aliquando tenuit Cardinalis Theatinus. Quo quidem exemplo, cùm hominum præstantissimorum consilio in ijs totius Christianę Reipublicæ negotijs vti decreuisset Pius IV. alterum Cardinalem Theatinum, hoc est, Schottum nostrum, quem cum paucis doctissimum, atque expertissimum nouerat, adhibere eisdem curis statuit. Obtemperauitque ille nulla mora. Compositis siquidem quamprimùm Ecclesię Placentinæ rebus, verno huius anni tempore, vt testatur ipsemet, datis ad Cardinalem Alexandrinum litteris, quæ penes nos sunt, Romanum iter arripuit: ac statim admissus à Pontifice in magnam curarum partem fuit; vt nihil omninò ijs super rebus, quæ ad Tridentinum Conuentum spectarent, decerneret, quod non cum Cardinali Tranensi communicasset: ita vt quanuis Orthodoxæ fidei emendandæ, instaurandæque Ecclesiæ œcumenico illi Patrum Consistorio corpore non adesset; aderat nihilominùs egregio spiritu, vi consilij, singularique eruditione, qua Pontifex vtebatur. Insignem præsertim in legitimarum precum, Romanique Breuiarij reformatione operã collocauit. Collectos nanque, quos Paulus Quartus, nostrique homines in horarijs ijs precibus corrigendis, concinnandisque labores adornauerant; lubente id Pio Pontifice, ad Concilij Patres misit; id quod efflagitari ab ijs anxiùs videbatur, vt ex Thomæ Golduelli, quas supra laudauimus ad Cardinalem Schottum litteris habetur: quibus ille Antistitum vota significabat, vrgebatque Schottum, vt reuocatas ad limam, nitorẹmque preces, ac Missale Romanum mitteret.

Placentia Romam accersitur Cardinalis Tranensis.

Vt Tridentinas curas vna administraret.

Quodegregiè præstitit.

Deditque in primis operã emendando Romano Breuiario.

teret. Goldnello siquidem potissimùm id oneris recognoscendi Breuiarij demandatum à Concilio fuerat: quippè qui ex Pauli Quarti familia eandem ea super re mentem gestabat. Hoc porrò opus, eorum Patrum curis dignissimum, Ecclesiasticæque dignitati maximè consentaneum, cùm absolui in ea Synodo minimè potuisset, Pio Quinto Pontifice, eiusdem Cardinalis Schotti, aliorumque eruditissimorum hominum studio, operaque perductum ad vmbilicum fuit, vt dicemus.

Demandata hęc eadem in Concilio Asaphensi cura.

Ioannem Marinonium diximus vices Episcopi Asaphensis Neapolitana in Domo subijsse, quam quindecim identidem annos, & eò ampliùs iam rexerat; eandemque prouinciam iussus prosequi consequenti mox anno, cùm habita Neapoli Comitia fuere Aprili mense: quemadmodum & Venetam, Romanamque procurationem, vt pergerent imperatum Vincentio Masso, & Augustino Barilio fuit, qui egregiè quidem, ac summa cum prudentiæ laude munus obibant. Et Marinonius quidem senecta licet ætate, exhaustisque assidua virtutum asperrimarum exercitatione viribus, auspicatus alacri quidem spiritu, ac strenuè suæ domus administrationem, prosecutus summa cum animi contentione ad Decembrem mensem est; cùm septuagenario maiorem, annis, ac meritis grauem, decerpere maturum iam prolixæ, probatissimæque virtutis fructum contigit: clausitque præclaro fine, atque insigni sanctimoniæ fama eius anni, ac æui sui cursum. Neque verò sanctissimi Viri obitus raptim enarrandus, cui gens Neapolitana, ac nostri homines, ceu communis Parentis funeri peracerbè illacrymarunt; atque ea quidem illuxerunt tum maximè documenta virtutum, vt non mediocri sanè compendio fuerit aliquanto studiosiùs ea litteris consignasse.

Neapoli Comitia anni 1562.

Pergit Neapolitanam præfecturam Marinonius.

Cui instat mox supremus dies.

Ergò popularis quidam eo anno pituitæ fluxus Neapolitanos exercebat: infestus quidem senibus morbus; qui, vt Ioannem corripuit, adesse supremum diem visus statim denuntiasse. Quod sanè haud improuisum accidere Viro potuit, cuius animo longo quidem vsu obuersabatur dicta mortalibus communis ea moriendi lex; monebatque instantis fati grandior ætas; ac præter hæc superiore quodam lumine, instinctuque Numinis scire ipse extremam vitæ suæ lineam videbatur. Enimuerò cùm ante decem circiter dies pia quædam fœmina, nomine Isabella Castalda, consalutatum Ioannem quodam fructuum donariolo misisset; is nuncio, Grates, inquit, Dominę habeas; ac interim velim moneas, poscere iam tempus, vt affectum hunc in me suum abrumpat: fore nempe, vt breui illam deseram. Quo sanè non obscurè significauit, abiturum se prope diem ad meliores. Conciliauitque dictis fidem consecuta mox, vti diximus, valetudo; cui adiuncta vehementior quędam febris, haud diù defectum, fractumque laboribus corpus luctandum cum ea vi morbi, æstuque fore, persuasit. Is vero nunquã adeò premi se malo passus est, quin vigore quodam animi incredibili, ardentiq; in Deum affectu instauraret absumptas iam penè vires; vigeretque planè animus, vbi corpus fatisceret. Recitare assiduò Dei laudes affecta licet lingua videbatur; statas præsertim ex Breuiarij formula preces nunquam ad supremum vsque spiritum prætermisit. Illud hìc memorandum, ceu viuacioris cuiusdam, ac supra omnem morbi inclementiam, virtutis argumentum. Nam, quo die obijt (Diuæ Luciæ sacer is erat) cùm extremo iam penè anhelitu laboraret, sentiretque mortem imminere; anticipare vespertinas eius diei preces voluit. Accidit verò, vt lapsus errore, ac memoria socius fuerit, oblitus solennem Beati Agnelli Abbatis memoriam Neapoli postera luce esse: at constantior mens, animusque morienti Marinonio fuit, errantemque consequentis diei festi monuit, ac prosecutus exiguo, qui supererat, spiritu id officij pensiest; ingressurus mox in æternas diuini Numinis laudes. Sed neque dum graui eo morbo premeretur, sine cælestium munerum affusione pręclarus hic animi ardor fuit. Virginem nanque Deiparam, ac Diuam Theclam spectandas sese decumbenti sub id tempus obtulisse, persuasum habuere Patres: ac visus ipsemet Marinonius temperare sibi minimè potuisse, quin, effundente sese intimo è pectore nimia voluptate, affectuque, rem euulgaret. Ingredientem siquidem de more valetudinarium, vt à somno excitaret, his statim verbis excepit: Quàm dulce est, frater, vnà cum Matre Virgine, & Thecla morari: addiditque subindè alia, cùm interim ea vernaret sereni-

Morbus, pituitæ fluxus.

Prædixitque obitus sui diem.

Eius in vehementiore morbo vigor animi.

Statas horas Canonicas minimè abrumpit.

Sociumque erroris monuit supremo penè spiritu.

serenitate frons, luceretque in vultu, atque oculis animus eo quidem habitu; vt planè significaret, redire tunc à magno quodam, iucundißimoque spectaculo mentem. Potuit quidem tantæ benignitatis argumentum à Dei Matre Ioannes promeruisse, quippe qui totum se eius clientelæ addixerat. Quod verò Virginem Theclam comitem habuit, persuasum habemus, præcipua quadam obseruantia illam coluisse, quam scimus ab Isidoro Pelusiota, alijsque priscis Patribus Protomartyrem appellatam.

Deipara, ac D. Theclæ spectaculo fruitur.

Quibus erat addictißimus

Ali profectò cælestibus hisce delicijs, firmarique vigor animi videbatur; vt non modò vacare sibi ardentiùs potuerit; verùm & monere iterum alios, officij, aut profectus sui causa aduentantes: quos enimuerò ea humanitate, pijsque adhortamentis complectebatur, vt inflammari se quisque maximè ad amorem Dei vi dicentis profiteretur; mirarenturque simul omnes adeò robustam in semimortuo, confectoque sene virtutem. Inter primariæ notæ Viros adfuit Albertinus, è regio, quod vocant Collaterali Consilio, Marinonij cum paucis studiosus; cui eximiam in eum beneuolentiā in extrema ea vitæ periodo minimè elanguisse, peramanter ostendit. Etenim cùm plura de rerum humanarum despectu, ac diuinorum æstimatione, quæ pronis Albertinus auribus excipiebat, copiosè disseruisset, rem illi perutilem tangere propiùs voluit. Age, inquit, Albertine, perexiguum quidem æui reliquum tibi est, nec meo funeri superstes diù eris; iunget nos statim, Patriæ, Cęlique perennitas. Ille, etsi bona vteretur, atque integra tunc valetudine; vera ne essent, quæ vir sanctißimus pronunciauerat, haud sibi fore dubitandum, existimauit: cùmque maturiùs rem domesticam, animumque procurasset; elatus eodem Decembri mense est, octauo scilicet post Marinonium die. Eiusdem item properantis fati quendam Altomarij, celeberrimi medici asseclam, tum quidem monuit; secutusque paucos intra dies obitus vaticinium comprobauit.

Adeuntes ad hortatur.

Albertinum propioris fati monet,

Et Altomarij alumnum.

Iam quæ in eo vitæ confinio acciderint, enarrare si cuncta stylus vellet, prolixius planè esset. Expiatus ritè supremis sacris, cùm festinare mortem intelligeret, acciri Patres iussit; eosque pia quidem, ac luculenta oratione est allocutus: quam Andreas Auellinus, qui aderat, quo nouissima ea amantissimi Patris verba posteritatis compendio, ac fructui perennarent, scripto statim excepit; ac dolendum id industriæ excidisse. Quæ commendare grauißimis quidem verbis, ac impensiùs visus est, fuere in proximos, atque inter seipsos caritas, sacrorum cultus, ac dignitas; tum sanctior legum obseruantia, moresque disciplinæ consentanei. Ab his ad acerbissimos Christi Domini cruciatus, pœnasque digressus mirum qua pietate perorabit; hæsitque præcipuè in Saluatoris vulneribus commiserandis; eosdemque, vt in ea suorum corona sensus excitaret, cruenta illa diuinæ bonitatis, amorisq; monumenta prosequi, pijssima, ac pulcherrima sanè meditatione instituit: quam statim ab ea concione scriptis consignauit Saluator Carracciolus, Vir è Nostratibus egregij spiritus, posteà Archiepiscopus Compsanus; ac digna visa est, quæ ad animorum subindè pietatem inflammandam typis non semel excuderetur. Nos verò hic exscribere supersedimus, quòd illam Tufus, & Castaldus disertè litteris suis commendarunt. His peractis, sacris lectionibus, quas abrumpere identidem suspirijs, verbisque præferuidis videbatur; quæ supererant, vitæ reliquias transegit; perdurauitque ad extremum singularis quædam animæ vis; vt ante viuendi finem fecerit, quàm orandi. Implorare siquidem Dei, Deique Matris, ac Diuorum opem suismet precibus nunquam destitit; ac demum, cùm ea potissimùm verba pronunciasset, Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ; sanctissimam animam exhalauit, certa quidem immortalis æui spe, quæ acerbissimum Sodalitatis vniuersæ mœrorem temperauit. Lubetque hic statim annectere qui de pijssimo sene nostrorum sensus tunc fuerit, ex quibusdam de rebus Theatinis, laudatis à nobis aliàs Annalibus, qui in Quirinali Domo extant, in quibus consignata Marinonij mors hoc elogio tum fuit: [Neapoli tertia decima die mensis Decembris, anno supra sesquimillesimum sexagesimo secundo, P.D. Ioannes, qui decem dies decubuerat ægrotus magnis febribus, obdormiuit in Domino, tam incredibili omnium mœrore ob commune, priuatumque cuiusque damnum, tam magna admiratione ob singularem ipsius sanctitatem, magnasque

Nouissima ad fratres verba.

De Saluatoris pœnis disertè profatur.

Dicta excipit Saluator Carracciolus.

Piè moritur.

Quid nostri domestici monumentis de eius obitu consignauerint.

gnasque virtutes, quibus ab ineunte ætate vsque ad extremam vitæ suæ horam maximè claruit; vt nemo illum non fleuerit, nemo non laudauerit, dixeritque Beatum. Omnes illum habere, si possent; omnes illius vitam imitati, illius vitæ terminum assequi maximè cuperent. Deo autem sit gloria, cuius hæc sunt dona. Vtinam & nos moriamur morte iustorum.] Hæc ibi.

Beatrix Carafa Marinonij studiosissima,

Quo tempore defungi vita Ioannem contigit, obijt Beatrix Carafa, pijssima, ac prænobilis fœmina, quam morti obluctantem Patribus ex animo commendauerat, dum animam & ipse ageret. Addicta hæc Marinonio impensiùs fuit; eaque egregias viri virtutes, ac sanctimoniam reuerentia prosequebatur, vt non alio illum nomine appellaret, quàm Sanctum Dei. Id verò constanti à Deo prece postulauerat, vt qua hora migraret è viuis Ioannes, exueret & ipsa mortalitatem; ceu faciliorem sibi ad Cœlum aditus foret tanto comite, ac auspice. Et quidem eius voti compos, pijssimi in Virum sanctum studij præclarum hunc fructum decerpsit. Porrò receptum Cælo statim fuisse Marinonium, etsi exacta insigni tot virtutum fama, prolixior ætas abundè comprobaret; ijs nihilominùs argumentis declarare diuino Numini placuit. Ægrotabat Lucretia Alborea, aderantque complures nobiles fœminæ, quæ inuisendi gratia conuenerant. Cùm illa Cœlo primùm defixa, tùm quæ concipere diu verba ob mali vehementiam minimè potuerat; hæc inter admirationem, animique voluptatem loqui cœpit: Hem, Pater, quanto cum Angelorum plausu, gloriaque Cœlum conscendis. Quæ cum semel, atque iterum, ac sæpiùs deceret; interrogata ab adstantibus fuit, Ecquid verborum, ac rei id esset? Quibus illa constanter affirmauit, expirasse paulò ante in Paulina Domo Ioannem Venetum Theatinum, ac tum quidem à Patribus efferri. Quod ita esse, vti pronunciauerat, missis, qui explorarent, compertum est. Quidam etiam adolescens, cuius conscientiæ præbere aures Ioannes solitus erat; cum eo quidem temporis articulo & ipse cum morte luctaretur, vsumque iam linguæ amisisset; auditus, vocem in ea repentè verba soluere: Nunc Ioannes expirauit. Euulgari nempè miris hisce modis serui sui mortem Dominus voluit; vt statim quis præclaram virtutum ideam, quibus Vir ille innocentissimus animum exornauerat, conciperet. Curatum à Nostratibus funus statim fuit, vt accursum mortalium anteuerterent. Manare siquidem eius obitus rumor iam cœperat: ac verendum maximè erat, ne populorum æstus nonnihil molestiæ crearet Patribus; afferretque defuncto ipsi aliquid detrimenti conferta, atque ardens ea pietas, dum incumbere certatim in feretrum venerabundum quisque studuisset. Festinatis igitur exequiarum iustis lusus prudenter Neapolitanorum ardor, quorum plerique expostulare cum Patribus vehementer, quòd propensæ in tantum Virum Vrbis studia præripuissent; nec datum affectui, pretiosum pignus, sacrumque illud insignis innocentiæ domicilium vsurpare oculis, ac pro meritis venerari. Ex Nostris verò, vbi fuit Patri amantissimo parentatum, si cui quas ille detriuerat, vestes, calcei, libri contigissent; is planè non vulgari ditatum se gaza existimabat; seruabatque ceu magnę cuiusdam virtutis analecta, ac pignora paupertinas exuuias, earumque frustula. Ac in ea quidem supellectili, quam pijssimus senex reliquerat, nihil frequentiùs cernere erat, quàm detritos vsu cilicinos, eosque asperrimos textus; & quibus perseuerè se diuerberabat, flagra, plexa catenulis, ac multo sanguine imbuta: quorum quod spissiore cuspide obarmatum, inspersumque copiosiore sanguine fuit, pijssimis sororibus, quę superstites adhuc erant, missum, fraternę sanctitatis specimen, ac monumentum.

Eodem temporis articulo moritur,

Visus in Cælum Ioannes euolare,

Euulgatum quæ à moribundo eius funus. Festinantur à Nostris exequiæ,

Ad euitanda populorum studia.

Relicta supellex reliquiarum loco Patribus.

Flagra sororibus dono mittuntur

Quid de eius sanctimonia Ischinus.

Quid Iacobus Tornus.

Iam verò, grauissimorum hominum de eximia Marinonij virtute testimonia conferri multa hic possent. Hieremias Ischinus, Vir integerrimus, dicere de Ioanne solitus erat: Si hunc sanctum non affirmaueris, affirmabis profectò neminem. Iacobus Tornus, ex Nostris item celebri sanctimonia, religiosique moris seruantissimus, cuius vitæ rationes in loco explicabimus; interrogatus, quænam eius esset de Marinonij sanctitate sententia; & an cum ijs comparandus, qui tum maximè è nostra disciplina omnium virtutum opinione floruerant? fertur respondisse; præstare cæteris longo quidem interuallo Ioannem, caritatis præcipuè merito, atque ob singularem, assiduamque cum Deo coniunctionem, ac nexum: ac se quidem ad

eius

eius sepulcrum orantem, beneficij, votique non pœnitendi compotem fuisse. Quorum testimonio Gabrielem Lottherium annectimus, Virum ex Nostratibus, quà morum integritate, quà doctrinarum fama celebrem, qui octuagenario maior obijt. Dicere is solitus erat, habere se magna de Marinonio, quæ euulgaret; atque id intimè peroptare, vt de eius sanctitate acta quamprimùm conficerentur, quæ ipse præclaris eius virtutum exemplis locupletasset. Illud verò insignis sanctimoniæ existimationem, famamque egregiè quidem probat, quòd in Vrbe Venetiarum Beati Laurentij Instiniani Canonici, cùm in Deiparæ Templo, quod ab Horto nuncupant, præsignes sanctitate Viros Venetos appingendos curarent; Ioannem etiam Marinonium cum ijs omninò insignibus, quibus pingi ij solent, quos suis fastis Ecclesia asseruit, in eo Diuorum agmine collocarunt: ac prostat hodieque publicæ Venetorum venerationi imago illa. *Eius imago inter Diuorũ effigies.* Accessitque mox illustre Ioannis Theupoli, præstantissimi Venetiarum Patriarchæ testimonium. *Venetiarum Patriarchæ testimonium.* Enimuerò, cum Vrbanus Octauus, Pontifex Max. laudabili constitutione cauisset, ne cui exhiberi publicus piorum cultus posset, quem nondum Romana Sedes ritè adprobasset, consecrassetque; nisi temporis diuturnitas constantem quandam sanctitatis famam, atque appellationem inuexisset: Theupolus, qui vetustam Marinonij sanctimoniam, ac firmatam æuo Beati nuncupationem nouerat, videratque collocatam olim inter Sanctorum effigies in eo Canonicorum Templo irradiatam Viri Sancti Imaginem; testatus id est ad veri fidem amplissimo autographo, quod in Neapolitano Diui Pauli Tabulario seruatur, libuitque hìc exscribere. Sic enim habet,

Ioannes Theupolus miseratione diuina
Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas,

Nouerint vniuersi, Beatum Ioannem Marinonium, Venetum, Clericum Regularem pluribus iam annis eximiæ sanctitatis fama clarum, & miraculorum gloria illustrem ab humanis decessum, longissimi temporis spatio, Patriarcharum scientia, & beneplacito Beatum habitum, Beatorum stemmatibus pingi, & coli. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, & solito nostro sigillo munitas damus. Venetijs in Palatio Patriarchali die vigesima Octobris anno 1625.

Addidit planè non leue communi pietati momentum hæc magni Antistitis de Beato Ioanne sententia, ac fides. Cui adijcimus Syluestri à Castillione, Ordinis Prædicatorum, Generalis in Veneta Prouincia Inquisitoris egregium planè Chirographum, quo in ea Vrbani Pontificis constitutione Beatum Ioannem Marinonium minimè comprehendi disertissimè declarat; ac duximus hìc etiam attexendum ad eius longæuæ sanctitatis, famæque vetustioris fidem. *Et Syluestri à Castillione in Venetis Inquisitoris.*

Nos frater Syluester à Castillione, Sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum, & in toto Serenissimo Venetorum Dominio contra hæreticam prauitatem Generalis Inquisitor, à Sancta Sede specialiter deputatus. Quam nostrum decet officium, omni adhibita diligentia in executione ordinationum circa cultum Beatorum in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis coram S. D. N. D. Vrbano Octauo emanatarum sub die tertiadecima Martij anni 1625. & publicatarum die quarta Aprilis eiusdem anni; comperimus Beatum Ioannem Marinonium, Venetum, Clericum Regularem supra dictis Ordinationibus, & decretis minimè comprehendi; prout nobis à fide dignis relatum fuit, & in quibusdam folijs nobis ostensis inspeximus: & cum longissimi temporis spatio Beatus iste Dei seruus sit Beatorum titulo potitus, Beatus habitus, & cultus. In quorum fidem requisitus à Clericis Regularibus Sancti Nicolai Tolentinatis, has manu nostra subscriptas, ac sigillo obsignatas dedimus. Venetijs apud S. Dominicum in Domo Sanctæ Inquisitionis, die septima mensis Augusti 1625. Hæc generalis Inquisitor. Neque verò prætereundum, quando eius effigiem meminimus, inesse vim quandam, ac singularem ad affectus tùm componendos, tùm inflammandos efficaciam inspectæ tantummodò eius imagini. Expertos nanque se testantur complures, quoties intueri effictos sanctissimi Viri vultus contigit, excitari præclaros animi motus, ardoremque virtutis intimè persensisse. Quæ quidem communicata coloribus, ac lineamentis pie- *Eius imaginis mira vis.*

tatis vis egregiam in ipso exemplati sanctimoniam abundè docet: quam etiam vel ipsi humani generis hostes, malique genij testimonio suo comprobarunt. Nam infernos dæmones duos Venetijs ad Ioannis nomen obsesso à corpore deturbatos, narrat Castaldus: quorum alter confessus indignabundus, atque apertè est, assertum illum Cælo, eo gradu consedisse, vnde excussus ipse fuerat.

Marinonij virtutes. Hactenus de Marinonij obitu, communique de eius vitæ sanctitate mortalium opinatione, ac consensu. Reliquum est, vt quædam nunc libet stylus, quæ cùm suum adhuc locum minimè habuerint; haud par est, dissimulasse. Sparsim quidem multa, prout occasio, ac temporum ratio postularunt, in hoc opere commemorauimus. Colligenda modò analecta: atque exploranda singulæ virtutes, quas bonus Senex insigni quodam animi studio, ac longioris æui spatio comparauit, ac strenuè exercuit. *Virginitas.* Ac primò flos ille purioris animæ aperit sese, inhalatque odorem planè suauissimum, nempè Castimonia, cuius tuendæ præcipua in Marinonio cura, ac studium fuit. Planè, cùm difficillimum omninò mortalibus sit, thesaurum istum in fictili corpore custodire; illum nihilominùs tueri egregiè Ioanni contigit. Communi siquidem consensione, eorum præcipuè, quibus conscius eius animus patuit, *Quam ad supremam vsq; vitã seruauit.* hausta à natalibus primæua illa integritas, ac flos corporis ad vltimum vsque senium in eo perdurauit. Ac lucere quidem in externo quoque actu, gestuque, qui inerat menti, atque animo candor, videbatur; etatque potissimùm vultus, atque ingenua ea frons quædam virginitatis, ac verecundiæ sedes. Hinc præcipuus illi in illibatam puerorum indolem affectus, ceu similitudo amorem pareret. Si quos ex ijs plorantes de more, implorantesque Dei nomen fortè offendisset; collacrymari vnà cum illis, Deumque inclamare, solitus erat; quòd diceret, gratiores lacrymas, precesque suas fore, si cum inculpata, puraque eorum voce coniungeret. Quicquid noxij adflare pulcherrimæ huiusce virtutis decus, candoremque posset, omni ope *Parcus, grauisq; cum fœminis sermo* auersabatur. Fœminarum allocutiones cùm declinare minùs posset, quadam dicendi parsimonia, atque austeritate mirificè intercidebat. Id quod suis identidem etiam atque etiam inculcabat, obtrudebatque illud sæpiùs monitum: [Sit sermo vester breuis, grauis, & austerus.] Compertum nempè est, vbi conflabellat fœminarum consuetudo, communem quandam statim consequi virtutum conflagrationem.

Quid mirabile impetrat castimoniæ merito. Huius porrò castitatis merito confirmasse, admirando quodam argumento, in Virginitatis proposito Neapolitanam quandam puellam, haud ex vano credimus. Rem vt audiuerat, narrat Castaldus. At Valerius Paganus, qui eius posteà Virginis, cui nomen Crispina Clutia, excipere confessiones solitus erat, in suis Commentarijs M. S. rem, vt veram, ita longè admirabiliorem esse affirmat, quàm Castaldus scripserit. Excepisse se ab ipsamet Crispina, ait; atque autorem fuisse, vt eadem posteà factum hoc ipsum Antonium Caracciolum etiam ex Nostris doceret. Igitur ex Pagano narrationem sic habeas. Maturam iam viro, quam diximus puellam in animum fratres induxerant, nuptui collocare. Id quod illa, quæ dedicatam summo Numini integritatem suam peruellet, adprobare minùs videbatur. Inerat illi, vt insignis probitas, ita simplicitas, ac falli facilis indoles. Quocirca pulcherrimo vaframento id piæ sorori à solerti quadam fœmina suggerendum germani fratres cuiusdam religionis obtentu curarunt. Sumeret natalitia Christi Domini nocte Origani fasciculum, sisteret Deiparæ; tum millies salutationem Angelicam recitaret: peteretque, vt quam ipsa potissimùm vitæ rationem iniret, ac nuptam ne, an cælibem vellet, perbenignè significaret. Etsi quidem Origanum floruisset, sciret virgineum illud decus, ac florem consecratum sibi Deum velle; si secùs, eam esse Numinis mentem, vt nuberet. Imponere Crispinæ ea pietatis specie, ac fuco, consilium fuit. Enimuerò, cum pro certo haberent, nunquam fore, vt in florem sese fasciculus ille indueret; assensuram hac ratione connubio bonam adolescentulam persuasum habuere. At illa, quæ nihil inconsulto Marinonio aggredi solita erat, nil potius habuit, quàm deferre ad ipsum protinùs rem: cui suboluit statim fraus: ac spe bona fretus fore, vt versutia per eademmet vestigia diuina ope ludificaretur, peragi constanter id iussit. Quod cùm illa festa ea nocte exequitur, corripi se hortore quodam,

ac per-

ac percelli intimè sensit. Nec multò; reuiuiscere, ac florere perbellè Origanum vidit, perindè ac si tempestiuè suo mense, ac sole pubesceret. Visa profectò commodasse alieno eo anni tempore flores suos virginitas; vt intelligeret insigni eo documento puella, gratissimum Deo fore, ipsam inter virgines numerari. Quæ quidem gratulata sibi admirabilem Dei nutum, ac opem; Marinonium prima statim luce adit, factique monet, allato eo suæ pudicitiæ symbolo, quod diuinitùs floruerat. Euulgata res non modò inter domesticos, vt abiecerint statim fratres despondendæ sororis consilium; verùm etiam spargi latè cœpit; & vt magnæ Marinonij fiduciæ, ac precibus vulgò attributa; ita editum id Cæli prodigium ob egregium eius castimoniæ studium nemo dubitauit. Cæterùm haud insolens in Ecclesiasticis monumentis eiusmodi florum intempestiuè vernantium illecebra. Est & sua diuinæ bonitati amœnitas, ac ver; atque inter erumpentes repentè flores ludere interdum in Orbe terrarum videtur Diuinitas.

At enim huiusce virtutis, qua de narrauimus, neminem valdè studiosum fuisse, vnquàm reperies; quin visus adstrictiore vitæ genere, frœnoque voluntariæ afflictationis fuerit. Aduersariam siquidem bonæ menti carnem, sensusque natura præferoces, nisi austera quadam disciplina strenuè coerceas; id statim excitatum in castitatem præcipuè bellum aduertes, vt restingui subindè, ac profligari facilè non possit. Planè, hoc lilium nisi inter spinas efflorescat; acris statim, atque impotens voluptas demetit. Non hanc profectò in Marinonio seueritatem, atque in seipsum odium desideraueris. Duro quodam imperio, atque asperrima manu rebelles sensuum impetus premere, id illi primum: vtque se mentis, ac spiritus seruitio datum meminisset corpus; expeditis crebrò virgis, impactisque seruilem in modum verberibus, officij, ac seruitutis monebat. Enimuerò non leui quidem, plexoque è funiculis instrumento, sed ferrea sese catena singulis noctibus incessebat; ac reperta post obitum in cellula, inspersa cruore non vna id genus arma, iam significauimus. Inductam in nuda membra cilicinam tunicam inter leniores virtutis exercitationes reputabat. Nudis asseribus indormire assueuerat; cubabatque interdum humi somno quidem leuissimo, ac admodùm breui, quem non vltra tertiam horam traheret. Nam cùm inter preces, ac corporis afflictationes ad multam plerunque noctem vigilaret; præire antelucanas laudes solitus erat, libata vix oculis quiete: ac binas potissimùm noctes solitum insomnes ducere pro comperto habemus; alteram, quæ sacra est Christi natalibus; alteram, quæ sanctioris hebdomadæ feriam quintam consequitur. Vtrobique proscripta omninò quies; ac dum diuinas commentationes elucubraret; alterno quodam sensu doloris, ac voluptatis hinc pasci ab vbere, hinc lactari à vulnere pijssimè videbatur. Neque in abstinentiæ laude, cultuque minor illi contentio, ac studium. Præter legitima Ecclesiæ, nostrique instituti ieiunia, Diuorum, quos ipse principe studio venerabatur, erantque non sanè pauci, peruigilia arctiore abstinentia excipiebat. Quam sanè ieiuniorum consuetudinem nec deuexa nimiùm ætas abrupit. Victu deindè erat quàm tenuissimo; carnibus perquàm raro vescebatur: vti solertia quadam, ac arte in communi mensa videbatur; ne seueriorem quis abstinentiam aduerteret: dissimulanter nanque panem concidebat, comedebatque, dum concidere, ac esse carnem quis crederet. Obsoniorum verò scitamenta, ac pretiosa ciborum edulia nimiùm quantùm auersabatur; vt ne grauiter quidem decumbenti apponi sibi pateretur. Accidit semel, vt graui morbo laboranti Albertinus Regens, quem Ioannis studiosissimum diximus, perdicem miserit: habuit ille quidem Viro beneuolentissimo gratias: at valetudinarium mox interrogauit, quanti constaret ea auis? Cùmque valere argenteis circiter quatuor inaudiuisset; ingenti quodam ardore animi; Me ne, inquit, tanti rem pretij vesci? absit à me; statimque alteri cuidam ægroto misit. Assuetus quippè edomandæ carni spiritus, suspectam illecebram omnem, vel cùm ipsa exigere necessitas videbatur, habebat.

His autem, quas tolerandas ipse sibi corporis afflictationes proposuerat, accedebant inflicta externis etiam causis mala; quibus explorata ad excellentis cuiusdam patientiæ normam egregia eius animi fortitudo, & constantia fuit. In morbis sustinen-

Corporis afflictatio.

Dira in seipsum verberatione insurgit.

Cubatque asperrime, ac breui.

Noctes etiam integras vigilat.

Abstinentissimus.

Arte abstinentiam tegit.

Illecebras, vel grauiter decumbens auersatur.

Missam semel ægroto perdicē renuit.

In morbis patientissimus.

stinendis nihil eius vultu, animoque tranquillius. Ischiade præsertim tentari, atque exerceri illum Deus voluit: assidua ea quidem, ac longè vehementissima: quæ tamen cùm maximè desæuiret, excruciaretque; non modò non expressisse vnquam à fortissimo viro doloris aliquid visa est; verùm, cùm affectum corpus dura quidem manu tractarent medici, nec temperaret lacrymis adstantium commiseratio: ipse immota fronte, exemploque tolerantiæ singulari cùm vrgentis morbi, tùm curantium medicorum cruciatus ferebat: alieno dùntaxat dolore, fletuque miser; cæterùm sua patientia beatissimus. Cuius quidem patientiæ illud aliquando præclarum specimen dedit. Nam, cùm mitigandæ acerrimæ Ischiadi tepenti ex oleo balneum medicus imperasset; affusa illa quidem per imprudentiam vsque adeò calida fuere, vt plus medicina, quàm morbo laborasse infirmum, ambusta statim pellis, exortæque mox crustæ commonstrarint. Cruiusmodi planè cruciamenta mouere quidem constantiæ gradu fortissimum quemque solent; at Ioannes eodem prorsus oris habitu nec minimùm de remedij atrocitate conquestus, gestare se maiorem quouis dolore animum significauit. Et verò eò admirabilis eius patientia peruenerat, vt adamare pœnas suas videretur. Quarè hanc ipsam, qua tantoperè cruciabatur, ischiadem, sororem suam appellare consueuerat; iucundissimo planè nomine, amorique exprimendo oppidò accommodato. Semel dedisse doloris vehementiæ manus bonum Senem quædam tenuit suspicio; at longè alia illi mens erat, ac supra humanas ærumnas mœror. Accidit quippè, vt Andreas Auellinus, Marinonio, vti aliàs significatum est, percarus, inter eas illum morbi angustias peracerbè, ac plurima manante lacryma lamentantem aliquandò deprehenderit. Doloris, ac lacrymarum causam efflagitare Auellinus. Ille, ecquid, inquit, ignauiam non deplorem meam, fili? Tot iam annos cælestis ille Pater, quæ eius in me est beneuolentia, hac me peramanter monet valetudine, atque ad virtutum studia, cursumque excitat; obiectis etiam Redemptoris Filij cruciatibus, vt eius me diuinæ patientiæ documenta ad magna solicitent: at ipse beneficij, ac salutis negligens, in id animum, curasque intendo, contendoque id acriter, vt defungi hoc statim malo contingat: nec medicorum manibus, nec remedijs parcitur; vt breuis hæc, ac fœda mortalitas valeat: hem ingratitudinem meam. Hæc inter suspiria Marinonius, cui non corporis, sed animæ incommoda curæ erant. Obstupuitque sublimiorem homine in eo mentem Auellinus, cùm audiuit, non angi sanctissimum Virum acerbissimo eo malo, quod sanè omnes æstimassent; verùm id solummodò conqueri, atque effusè collacrymari, quòd nullum à peracri eo sensu doloris operæ pretium faceret. Præclarum id quidem, illud etiam ad patientiæ laudem non vulgare. Etenim: dum hac ipsa valetudine grauissimè premeretur, visus repentè est deliquium pati. Accurrere statim Patres, rati, immensa vi doloris confectum Senem è vita decessisse. At ille post paulò, spiritu recepto, ea dictionis alacritate, ac celsitudine, claroque vocis sono dicere de diuinis rebus cœpit; vt intellexerint planè omnes, non animi quidem defectionem, sed altum quendam excessum mentis illum fuisse, quo sydera, & Cælum peragrauit. Patientiæ profectò merces, ac pretium id fuit; quanta siquidem æquanimitate, animique fortitudine acerbissimos dolores ab eo ferri existimandum est; qui cùm maximè ijs excruciaretur, commentari impensiùs diuina, atque in Cælum conscendere animo posset?

Præclarum eius patientiæ specimen.

Amabatque sua cruciamenta Marinon.

Lacrymarum in suo morbo causa.

Mentis inter cruciatus eleuatio.

Eadem illi in ferendis à mortalibus contumelijs mens. Quod sanè, vt est hominum natio superbissima, longè difficilius. Nulla vnquam iniuriarum acerbitas mutare Marinonij vultus potuit; nisi quòd tranquilliorem, lætioremque in speciem, si quandò istiusmodi maledictis impeti contingebat, conformare ora, ac supercilium videbatur. Quod accidit, cùm prænobilis quædam matrona publicis illum conuicijs lacessire non dubitauit; indignata, quòd remittere rebus humanis nuncium, ac Monasterium Sapientiæ amplissimis nuptijs præferre lectissima quædam Virgo eius monitis decreuisset. Acerrimas fœminæ contumelias citrà omnem Ioannis sensum fuisse ostendit serenior statim frons; quam ita exhilarasse visus est, veluti omni verborum officio, atque humanitate acciperetur; ac lenocinarentur auribus maledicta. Alteri cuipiam haud mitiùs cùm eo agenti, illa respondit: Ora, fili, pro me peccatore,

Mira inter cõtumelias æquanimitas.

Semel nobilis fœminæ contumeliis petitus.

Iterum Viri improbi.

tore, atque in peccatis inueterato: quo viri contumeliosissimi impotentiam mirum in modum lusit, fregitque. Cùmque mox pictam Saluatoris imaginem offendisset, ea quidem specie, qua Pilatus populo conclamanti obiecerat; aperto capite profundiùs veneratus, quædam immurmurauit; ceu gratias haberet, quòd præclara ea die materia, ac seges patientiæ suæ extitisset. Annectendum hîc porrò & illud, in quo, etsi complures niteant virtutum actus, patientiæ potissimùm adscribendum putamus. Diximus singulari quadam dicendi facultate præditum Marinonium; vt non modò vulgus, verùm etiam qui tum triumphare in suggestu videbantur, sacræ eloquentiæ antistites, ac lumina, & audirent illum libenter; & celebrarent effusè vim, neruosque facundiæ, eò quidem efficacioris, quò simplicior, atque à fuco longior stylus. Verum enimuerò, cùm in hoc maximè dicendi munere nullus vnquam cunctis mortalibus placuerit; ac multiplex, variumque omninò sit aurium iudicium: quidam ex Nostris, præclari alioqui nominis, qui tum in Paulino Cœnobio agebat, eam in Marinonio concionandi rationem, ideamque probare minimè videbatur. Alienum à præstantissimi officij dignitate reputabat, nullo verborum rerumque delectu dicere; ac non modò eruditas, verùm & vrbanas etiam aures abiectam illam orationis simplicitatem offendere: cùm alioqui nulla quæsitæ artis suspicione, vi quadam, verè flexanima, pectora mirificè occuparet, versaretque. Ergò cui simplicissimus ille declamandi modus non arridebat, opportunè sibi contigisse putauit, vt absente Marinonio adesset ipse Romanis Comitijs; vbi cùm sese dedit occasio, inuectus in id dicendi genus vehementer est: egitque eum Patribus eo ardore, euentuque; vt communi suffragio cauerint, ne deinceps ille diceret ad concionem. Interdictum illi publico munere, atque ab eo ex inopinato abstinere, non vulgare profectò dedecus, ac nota videri poterat; laborabatque plus nimiò Marinonij existimatio, ac nomen; qui tamen insigni quadam modestia, ac tolerantia rem tulit. Quid causæ ad id Patres impulerit, quis suffragia concitauerit, vt miraretur, ac mussaret vulgus, nihil Vir patientissimus moratus: id apud constantem animum statuit, vt statim obtemperaret. Quanquam haud satis diù is turbo tenuit. Etenim, cùm in eodem Generali Capitulo interfuisset Hieremias Isachinus, Vir eximiè prudens, ac probus; quippè cui perspecta admodum Marinonij prudentia, ac vitæ sanctitas erat; induci nunquam potuit, vt crederet eò illum ineptiæ, ac infantiæ dicendi deuenisse. Eapropter, etsi communi Patrum sententiæ contraire palàm minimè est ausus; id nihilominùs postea euicit, vt quando concedere propè diem Neapolim deberet, audiret ipse concionantem, ferretque ea super re sententiam suam candidè. Sedit hoc omnium animis consilium: scitumque communi consensione, vt de Marinonio statueret Isachinus. Qui Neapolim vbi peruenit, id à Ioanne statim contendit, vt diceret semel ad populum; ac licere quidem, facta sibi à Capituli Patribus facultate. Paruit haud grauatè Vir Sanctus; ac postera luce haud quæsitiore quidem, quàm solitus erat, studio, rerumque apparatu, sacris de more indutus vestibus ad concionem, quæ, manante mox fama, auidiùs, ac frequentiùs confluxerat, perorauit. Aderat de genu Isachinus, ac suos primùm sensus, motusque ab incredibili ea vi dictionis experiri; tùm circumspicere celebritatem omnem, atque explorare auditorum vultus cœpit. Planè, vt cuiusque frons loquebatur, dominari vehementiùs, atque afficere populorum animos ardentem illam, ac viuidam, fluentemque Christiani, ac verè Apostolici spiritus orationem videre sibi visus est. Quarè, vbi impositus summa cum animorum concitatione, fructuque finis; temperare sibi Isachinus minimè potuit, quin Patres alloqueretur: Ergo isthæc silebit eloquentiæ facultas? Certè, aut is frequentissimè declamauerit; aut nullus huic sese muneri idoneum vnquam reputauerit. Complexusque mox peramanter Marinonium; enixè rogauit; vt quando pro data sibi facultate pristino ipsum concionandi officio restitueret; pergeret alacriter; ac frequentiùs solito vberrimam segetem ab frugifero cordiuini verbi satu demeteret.

Eximio patientiæ documento, eius silet eloquentia.

Interdicto siquidem illi concionandi munere,

Singulari æquanimitate abstinet.

At eius eloquentiæ acerbus Isachinus,

Vbi dicentem audiuit,

Suo illum muneri restituit.

At de eius eloquentia, ad quam à patientia defleximus, satis multa in loco enarrauimus: Eorum verò breuis appendix esto. Nullus profectò vnquam audire illum contigit, quin adesse in eius ore præsens Numen diceret, animumque à diui-

Eius in dicendo efficacitas,

Valebat curandis etiam animorum morbis.

no adflatum Spiritu, qui res, ac verba loquenti communicaret. Enimuerò internis aliquando animorum morbis adhibere diuinitùs remedia concionando videbatur; vt secum agi, ac sua tractari vulnera diceret, qui audiret. Expertæ id plerunque in Sapientiæ Asceterio Virgines, aliæque item alterius disciplinę Sanctimoniales, quarum vni facta potissimùm medicina. Nam, cùm quibus lancinabatur acriùs mens stimulis, detegere erubesceret, ac interim arcano vlcere laboraret, ac periculosiùs angeretur; vt declamantem Ioannem audiuit, sibi omninò loqui, affectoque suo pectori salutarem illum manum, ac linguam admouere sibi visa est. Quapropter audiuit intentissimè, hausitque remedia, & mox sanitatem: nec erubuit ad Marinonij laudem salutem euulgare, quæ morbum texerat. Porrò superiore quodam instinctu, ac lingua ad populum egisse, illud etiam probat, quòd mutato sæpè sæpiùs argumento, quod conceperat, extemporanea quadam oratione, ac pro re nata loqueretur. Quo significari planè videbatur, non oportere meditatam concionem afferri; quandò diuina in eo vis, ac mens altiore quodam genere dicendi eloqueretur. Semel instituere ex Euangelio sermonem cogitauerat; at cùm præter opinionem defunctum in Ecclesia reperisset, oblatam de communi mortalium exitu materiam versarè dissertè, ingentique cum audientium fructu cœpit. Iterum, cùm è suggestu se nouo dicturum, animaduerteret; de animorum renouatione præclarè, atque improuisò disseruit. Aliàs è vulnerati, cruentatique canis aspectu, cuius quadam se commiseratione exulcerari senserat; mutata repentè concionandi materia, transfossi peracerbè Redemptoris cruciamenta amplificanda sibi proposuit. Assuetus nempè subitariæ istiusmodi eloquentiæ Marinonius, dare alia, atque alia dictioni vela sciuerat, flante nimirùm diuino Spiritu; à quo quidem non modò vis animo, atque ardens verbis efficacitas, sed vires etiam, opesque corpori, ac latera suffici videbantur. Accidit nanque aliquandò, vt ad faciendum ad aram vsque adeò imbecillis, exhaustusque à proxima valetudine viribus accesserit, vt moliri se vix posset: cùm verò concionandi de more tempus adfuit; ea laterum firmitate, ac robore declamauit, vt nunquam robustissimus quisque, ac flagrantissimus verbi Dei præco vehementiùs detonuerit; ac profitebantur passim, constanterque omnes, ardorem illum, ac subitos neruos nonnisi supernè communicari, atque imprimi languidulo seni potuisse. Quod si sacram Eucharistiam manu tenens verba ad populum faceret, faciebat verò quàm sæpissimè; tunc enimuerò confirmatis mirificè corporis viribus, deflagrabat vigor ardentiùs; ceu carbo ille ignitus supra modum orationem, ac pectus accenderet.

Mutata sæpe dicendi hypothesi, pro re nata verba facit.

Et accipere diuinitùs vires corporis videbatur.

Præsertim, cùm Eucharistiam manu tenés, sermocinaretur.

Eadem, aut longè maiora priuatis colloquijs momenta verborum inerant, ac quædam triumphatrix animorum vis. Adire, ac alloqui familiariter Marinonium, nunquam sine magno operæ pretio fuit. Quas magnis clamoribus terruerat, atque euibratis latè spiculis vulnerauerat è superiore loco mentes; domestico deindè sermone capiebat, veluti manu. Corripere tam blandè nouerat, vt nihil efficaciùs: doceri, monerique ab eo, induisse bonam mentem erat: quemadmodum extero cuidam accidit, cuius pertinax interimendæ sororis consilium animo sederat; allocutus nanque Ioannem, propositum dicto citiùs mutauit. Priuata hæc eius sermonis facultas in Valdesiana ea hæresi, quæ Neapoli, vt fusè aliàs monuimus, cùm exterorum, tùm procerum plerosque inuoluerat, plurimùm valuit. Magnum sanè fuit teterrimum id monstrum, & asseclas nihilò probiores, vnà cum Thienæo deprendisse, ac publicis declamationibus confodisse: at quæ plurimorum infecta ea lue, nobilium præsertim virorum, pectora sanarunt; familiaria, ac vibrantia Marinonij adhortamenta fuere; vt non minimùm sanè facundissimo eius zelo debeat Neapolitana religio.

Idem in priuatis colloquijs vigor.

Et plane ineluctabilis.

Valuitq; potius sermo in profliganda Valdesiana hæresi.

His maximè monitis, præsenrique linguæ præsidio, supremo spiritu laborantibus aderat; valebatque in ijs consolandis, iuuandisque potiore quadam facundia. Antonium Martuccium in extrema ea vitæ linea positum, facto mali dæmones impetu, acerrimè diuexabant. Premi se ille vsque adeò sensit, vt publicè cum ijs de fide disceptauerit: cùmque eorum obiectis diluendis satis per se non esset; acciri Theologos, doctosque viros iusserat, qui patrocinarentur. At frustrà omnia.

Mira item eius moribundis eloquij vis.

Quam sensit Antonius Martuccius.

Petenda

Patenda à Marinonio fuere adiumenta. Adfuit confestim ille; vixque loqui piè, disertèque cœpit, cùm sedari mentis tumultus, elatosque veluti è fundo cogitationum fluctus subsidere admirabili quadam tranquillitate Antonius est gratulatus; vnde statim inclamauerit: Fuit hic profectò laboranti animæ meæ Angelus: eademque mox vultus, animique serenitate expirauit. Simile quid Hortensio Moliniano accidit; cui cum Satana per summas animi angustias in extremis vitæ colluctanti, diuina quadam virtute, spiritu primùm adfuit Marinonius, hostemque impotentiùs insultantem profligauit: tùm suimet præsentia infirmum adijt, ac verbis opportunissimis, quæsitaque componendis affectibus oratione animos, ac spem fecit, ac mirificè exhilarauit. Quæ sanè in moribundis cohortandis, subleuandisque admirabilis facultas cùm in vulgus affluxisset; id omnes in eo rerum discrimine peroptabant, vt Ioannes dulcissimis sermonibus opem ferret. Fuitque è Carthusiana etiam familia Vir probus, qui cùm grauissimè decumberet, accepissetque conceptam diuinitùs sanctissimo Seni facundiam, ac præclaram oppidò rationem ægrotos, ac morti proximos consolandi, à suis enixè contendit, impetrauitque, vt accederet Marinonius; qui eo, quo valebat, disertissimæ perinde, & pijssimæ linguę vsu incredibili ægrum solatio affecit; vt & præsentis morbi vim, angoremque egregiè temperauerit, & instantis fati metum mirè deterserit.

Et Hortēsius Molinianus.

Et è Carthusiana familia Vir religiosus.

Neque verò non insignis quædam orationi, ac verbis inesse efficacia poterat, quando flagrantissima etiam caritas pondus, ac flammam adderet. Præcipuum enimuerò in Marinonio huiusce virtutis studium fuit; vt vni illi & operari ipse, & deseruire cætera animi ornamenta, ac præclarissima virtutum vniuersitas viderentur. Percurrenti eius vitæ actus, atque exercitationes exploratum id abundè erit. Ab animorum quippè procuratione, atque institutione elàm, palàm, verbo, exemploque feriari nunquam videbatur. Vir in commune proximorum bonum incitatissimus. Præter assiduum Euangelij munus disseminandi, vti diximus, in Sacramentorum administratione totus erat. Indefessas præsertim in confessionibus audiendis aures præbebat: quod vt laboriosissimum planè opus, ita nihil ad caritatis gustum aptius. Non suis commodis; non valetudini; non tempori Marinonij in eo munere nauitas parcebat. Cumulabat verò grauissimos eius curæ labores ijs etiam pœnis, quæ aliorum criminibus debebantur. Enimuerò, cùm peccatorum multitudinem, grauitatemque expiare supplicijs acerbioribus oporteret, nec otium confitentibus, aut vires essent; subire ipse vltrò, volentique animo mulctæ partem, eamque potiorem non dubitabat: non mediocre sanè quotidianæ sui corporis afflictationis auctarium: vt certarent profectò in Marinonio diuexando odium sui, & proximorum amor. Qui quidem, & eam partem præclarè impleuit, quæ extremo supplicio damnatos respicit. Adscriptus nanque in Alborum, quos Neapoli vocant, Sodalitatem, mirum qua sedulitate, ac ope aderat cruciarijs; quorum ita corporis calamitati illacrymabat, vt ardentiore planè studio animos procuraret. Et sanè opportunior eius caritatis contentio illis erat, quos & sua crimina, & fatum premebant. In pauperum potissimùm miserijs subleuandis exardescere mirum in modum videbatur; ita vt nihil in eius pectore frequentius fuerit, quàm ab aliorum inopia commiserationis sensus. Cùm præerat ipse domui, admirabili quadam liberalitate excipere pauperes, ac fouere solitus erat, posthabita interdum illorum necessitati propria: nec semel accidit, vt quicquid communi familiæ vsui pecuniarum domi esset, munificentissimè erogaret; relicta sibi in Deum spe, quam plerunque consequebatur largior Numinis beneficentia: cùm verò quod elargiretur, ingenti caritati deerat, excruciari intimè videbatur; compensabatque illicò pretiosiore stipe aurum, nempè precibus: quod familiare oppidò bono Seni erat, cùm extra domum pauperes inter eundum offenderet: pro quibus & recitare ipse orationem Dominicam, & socium, vt recitaret, interpellare statim videbatur. Nosocomia, ac publicas Vrbis custodias; quæ, vt ipsa miseriarum sunt conceptacula, ita peramplam pietati, caritatique palæstram adornant; terebat ipse assiduè: ac nescias, quo ministerio magis oblectaretur: eadem quippè alacritate ægrotantibus, vinctisque aderat; ijsque & suam ipse operam, ac subsidium impendere, & potentiorum opem, opesque implo-

Eius caritas.

In procuranda proximorũ salute.

Assiduas confitentibus aures præbet, Quorum ipse pœnas subit.

Inopes intimè cōmiseratur.

In ijs subleuādis largior.

Cum aurum deerat, iuuabat precibus.

In Nosocomijs assiduus

rare anxiùs consueuerat. Et aduersùs infirmos quidem teneriore quodam animi affe- ctu vtebatur; sua illos manu pascere, fouere, versare, lectos item sternere gestiebat: tùm morborum acerbitati mitigandæ, recreandisque languoribus, si quæ compara- re bellaria, secundasque mensas poterat; ferebat peramanter; condiebatque adhuc suauissimis cohortationibus ad animorum solatium, ac tolerantiæ incrementum.

Occultā præsertim miseriam fouet.

Et qui inopes, infirmosque passim omnes præclaro caritatis studio complectebatur; tùm illos præcipuè affectu mortalium dignos existimabat, quos publicæ luci, com- munique pietati, ac notitiæ minus expositos, secreta quædam, eòque grauior mi- seria conficiebat. Quapropter clandestinam eorum inopiam accuratè peruestigare, in more habebat; illosque vberiore munificentia, atque adhortamentis efficaciori- bus recreabat. Eximiæ siquidem caritatis ingenium id est, ita in obuia quæque ferri; vt ad ipsa miseriarum cubilia, ac latebras acri peruestigatione, odoratuq; perueniat.

In Deum caritas.

Iam verò, quæ faces huic proximorum studio, caritatiq; subiecit, altera fuit longè diuinior caritas. Illa nimirùm, quæ in Deum fertur, virtutum omnium clientela, ac sobole nobilissima. Nunquam profectò præclari aliquid, sanctique illa nauauerit, nisi adspiret hęc; & quam ipsa iniecit mentem, inflammet, ac proueHat. Quàm verò erga diuinum Numen æstuauerit Marinonij pectus, vt nulli non eius vitę actus declarant; ita superfluum, hic singillatim commemorare. Mens illi planè flagrantissima, ac nun-

A qua mētis excessus.

quam non in Deum erecta. Quàm sæpissimè autem, præcipuè inter diuinas laudes, ita amoris vi, ac flāma abripi videbatur; vt sensibus penè destitutus, minùs iam aduer- teret, quæ agerentur; ac esse aliquem necesse erat, qui officij moneret, excitaretque ab eo excessu caritatis. Cuius quidem nullum in eo frequentius, ac luculentius spe- cimen fuit; quàm assiduæ, atque vberrimæ complorationes: neque enim nisi à diui-

Et lacrymarū vis.

ni amoris igne colliquefieri, atque abire cor in lacrymas vnquam contigit. Et verò prona semper illi fletibus lumina; & cùm ad aram præsertim faceret, mirum quàm largo perfundi lacrymarum imbre videbatur: quem compescere nulla ratione, co- natuque poterat: ac subsistere nonnunquam oportebat, quoad illa sese remitteret

Præsertim in Christi cruciatibus commemorandis.

fluens ex oculis perennitas, ac impetus. Idem omninò, eosdemque manantes copio- sissimè fletus cernere erat in celebrandis, commemorandisq; Saluatoris cruciatibus; in quos peculiari quodam animi studio, sensuque ferebatur. Ab hac siquidem insigni eius in Deū caritate factum putamus, vt cùm omnia Christi Domini mysteria intimè veneraretur; tùm ea potissimùm, ac vehementiore quadam contentione, ardoreque coleret, quæ plus amoris præseferent; vt planè sunt perpessa ab eo durissima pœna- rum genera, ac dira mors: in quibus attigisse extremam amoris lineam visus est. Qua- propter cruenta in ea doloris, amorisque monumenta sensus illi incomparabilis.

In quos præcipuū illi studium.

Quoties aut ea quis commemoraret, aut vsurparet ipse mente, legeretue; inardescere statim; ac quædam accendi in vultu ipso fax, ac simul madere à fletu lumina, ac ora videbantur. Nihil fouendæ, inflammandæque diuinæ caritati aptius, quàm frequens Dominicæ passionis memoriam, existimabat. Prægrandem in sua cellula Christi Do- mini in Cruce pendentis effigiem collocauerat; cui suas preces, ac lacrymas fundere interdiù, noctùque solitus erat; flammasque ingentes, ardentissimasque concipiebat. Nullus pręterea sermo illi priuatus, aut publicus non peracerba ea recordatione in- termixtus. Singulis sextis ferijs, quoad ipse domum administrauit, accita domestica concione, eiusdem argumenti sermonem instituit. Quibus item ferijs haud alium legi ad mensam librū iusserat, nisi qui de cruentis ijs mysterijs pertractaret. In maiore verò hebdomada, quā ea potissimùm cruciamenta consecrant, funestantq; incredibile dictu

In decantāda Dominica Passione singularis doloris sensus.

est, quo deflagrare amoris incendio videbatur. In decantanda pręsertim Saluatoris Passione tàm copiosè oculi perpluebant, vt interclusa statim voce, accessisse ad colla- crymandū videretur. Semel, cùm ad id loci ventum est, quo impactam per summū de- decus honestissimo, diuinoque vultui alapā censet historia; correptus adeò vehementi cōmiseratione, sensuq; doloris fuit, vt prolapsus in terrā repentè procubuerit, perindè atque ipsemet inflictum scelerata, grauique manu colaphum accepisset; oportuitque accurrere administros, qui consternatum, flentemque erigerent. Scilicet ab ingenti quodam in Deum amore in ipsos Domini patientis vultus, personamque Ioannes transformabatur; eademque subindè probra, vulnera, necemquę repræsentabat.

Ad ora-

Ad orationem, quæ inter hæc Passionis Dominicæ argumenta præcipuè versabatur, mutuabatque à caritate ipsa ardorem, ac vim igneam, gradum facimus. Rarus is erat in Marinonio nexus; vt totus, vti significauimus, in actuosam vitam incumberet, ac totus in diuinarum rerum commentatione esse videretur. Assiduum hoc illi cum Cælo commercium, orandique studium. Noctem, dempta temporis particula, quam sibi necessarius defatigato corpori somnus deposcebat, totam orationi, ac contemplationi dabat. A laudibus antelucanis insistere item genibus precabundus consueuerat. Solidum meditandi spatium sacrificium, horæque canonicæ, quibus in Odeo canendis nunquam deerat, abrumpebant: cæterùm ad communem vsque refectionem, preces, erectamque in Deum mentem præclara animi contentione producebat. Horis etiam pomeridianis, nisi externum aliquod opus præciperet caritas; procumbens item in genua, cælestia commentabatur. Atque id quidem neque cùm iter faceret, intermittere orandi institutum, videbatur. Diuersorium ipsum in Templum commutabat. Eò nanque cùm peruenisset, in angulum sese statim recipere, atque orare de genu prolixiùs clam omnibus solitus erat. Constantissima hac orationis disciplina, ac perseuerantia, quod Diuorum nonnullis Annales tradunt contigisse, callum camelorum more genibus obduxerat; vt nullus iam in dubium reuocarit, an orandi, contemplandique hanc artem calluisset Marinonius, cui ab eius studij assiduitate occalluerant genua. Quàm verò in ipsa oratione incalesceret animus, impressus quidam in oculis, vultuque fulgor, atque ardor pietatis ostendebat; vt qui statim ab oratione Ioannem conspexisset, coniectari ab aspectu ipso facilè poterat, nuper illum cum Deo collocutum.

In orando assiduitas.

Vel inter iter habendum.

Callumque genibus obduxerat.

Ab hoc verò frequenti vsu contemplationis, elatæque mentis studio credi vix potest, non pleraque deriuasse in Marinonium diuinæ beneuolentiæ argumenta, ac cælestium deliciarum munera: quæ quanuis nunquàm Vir modestissimus, secretique sui tenax, euulgauerit; contigisse illi nihilominùs, persuasum plerique habuere. Siquidem adeò interdum distinctè eiusmodi Numinis illecebras enarrare de alijs solitus erat; vt statim quisque conijceret id de se loqui. Ita, cùm ad concionem aliquando diceret; accuratè enarrauit, quendam, bonæ mentis virum, eo dignatum spectaculo, vt Christum Dominum, supplicium sibimet Crucis gestantem viderit. Iterum scire se constanter affirmauit, qui ea, quæ festam Purificatæ Virginis lucem nox præit, supplicationem illam, ac pompam spectauerit, quam Deus infans, Deipara, Simeon, Ioseph, Anna pulcherrimo agmine implebant. Cumque is regio Puerum amictu splendidissimè conuestitum inspiceret; monitum fuisse statim à magna Matre, ne crederet aureo illo Syrmate filium fuisse indutum; id autem exhiberi eius Diuinitatis amplitudini repræsentandæ.

Non sine cælesti illecebra preces.

Illicia hæc sunt contemplationis. A qua item superior quædam Marinonio lux affulgebat, qua futurorum euentus, ac rerum arcana prospicere liquidò contingebat: neque mirum profectò est, qui Cælum, ac sydera assidua mente collustraret, quasdam hinc radiorum stricturas, ac faces præripuisse, quibus obscura cognosceret. Ab hoc scilicet lumine Neapolitanas eas turbas, de quibus supra monuimus, inter concionandum prædixit; adhortatusque auditores est, vt conciliando Ciuitati irato Numini vacarent. Pacificatos item Paulum Quartum, & Philippum Secundum, è suggestu publicè prænunciasse, cùm maximè ardere arma viderentur, iam diximus. Francisci Moliniani, sui amantissimi filiò præmaturum ex vulnere fatum denunciauit; euenitque in ipso æui flore. Hortensium Francisci germanum fratrem, in extremis penè laborantem, peccati, quod nunquam confessione diluerat, monuit; valuitque adeò apud virum, salutis alioqui indiligentem, ea occultæ rei conscientia; vt animum quàm accuratissimè procurauerit. Id etiam Eleonoræ Dentice ingenti admirationi, & cuidam veluti horrori fuit: quòd cùm grauissimas, occultasque mortalibus omnibus ærumnas suas cum Marinonio, vt opem precibus ferret, communicare institueret; prærepta ille narratione, rem omnem, ceu planior ipsi omninò esset, ex ordine retulit: tùm eius cursum, ac tandem exitum prosperiorem, ceu sub aspectu res esset, certissimè prædixit. Testatum & illud integræ familiæ fide. Nempè cùm plusculum temporis abesse interdum contingeret

A quibus prophetiæ lux,

Qua tumultus Neapolitanos prædixit.

Et post Campanum bellũ pacem.

Et Moliniani vulnus, ac mortem.

Et alterius Moliniani occultam noxã.

Et Eleonoræ Dentice occultas ærũnas

Et quæcumq; in Sapientiæ Monasterio, eo absente, agebantur.

ret à Sapientiæ Sanctimonialibus, quarum conscientijs operam, ac aures dabat; cùm posteà accederet, quid rei actum, quidue inibi accidisset sub id tempus, scitè probè, ac prorsùs omnia præseferebat; vt sanè tenuerit apud omnes opinio, prophetiæ spiritu valere Marinonium. Quod & alia item exempla docent, quibus ne simus fastidio, supersedimus; legique apud Castaldum nostrum poterunt, qui & illa etiam narrat, quæ prænunciata ab eo Nostratibus fuere, nobis non dissimulanda. Agebat in Paulina Domo è Sodalium numero quidam, Patrum sententia, frugi, ac spectatæ probitatis. Accidit, vt is in media cœnatione publicè de more culpam fateretur, quòd, vt priuatis precibus operaretur, communi cum cæteris refectioni non interesat. Illustratus tùm supernè Ioannes, qui Præpositum agebat, seriò Patres monuit, funderent pro eo preces; fore nanque, vt breui insaniret. Insolens quid visus pronunciasse; quando integræ, bonæque mentis argumenta nullam in eo insaniæ suspicionem facerent: at miserando quidem euentu comprobatum mox vaticinium: fratre non ita post multò de mente præter opinionem exeunte.

Et cuiusdam è Nostris insaniam,

Et obortam repentè tempestatem.

Fuit & illud scitu dignum. Puteolos è Nostris plerique concesserant, perquàm placido mari, serenoque Cælo. Soluerant vix, cùm circumire domum Ioannes, fratresque compellare, ac monere anxiùs, vt pro ijs orarent, quos oborta repentè tempestate, luctati futenti cum pelago non sine vitæ discrimine oportebat. Nec multò, improuiso quodam turbine efferbuit mare; atque ingens quidem lembo, ac Patribus periculum mouit. Testatus id deindè est Michael à Consulibus, qui sub Marinonij disciplina rudimenta tunc Ordinis ponebat, posteà Episcopus Soranus. Nec prætereundum quod frequenti quadam capitum celebritate, ac luculento planè testimonio notissimum fuit. Dicebat de more inter sacra ad concionem; ac tùm quidem sicca diù tellus, corruptæque, subducto humore, fruges Neapolitanos intimè afficiebant. Ac primò quidem inuehere in mortalium peccata, quæ dispulisse nubes, ac pronum votis hominum Cælum exclusisse, videbantur: deindè erigere in spem bonam auditorum animos, constanterque polliceri, fore, vt largus quamprimùm imber è Cælo rueret. Tributum communi cuidam solatio vaticinium fuit. Cæterùm fide caruit; nec defuere, qui risu dictum exceperint: cùm sudus tunc, ac purissimus omninò, quàm cùm maximè, aer esset. Ergò, cogi inter declamandum ex inopinato nubes, Cælumque inumbrari. Nec mora: vberrimi imbres ruere; ita vt soluta mox concione, immorandum nonnihil in Templo fuerit; quòd egredi vis ingens pluuiæ prohiberet.

Et repentinũ imbrem.

Eius precum vis.

Præluxit hæc adflatus diuiniore quadam luce Marinonius; aut certè impetrauit, quando admirabili etiam efficacitate, ac vigore valuisse eius preces, ac vota, scimus: testimonio præcipuè Beati Andreæ Auellini, qui sub illo tyrocinium deposuerat, eidem singularis cuiusdam virtutis laude carissimus; id ad Ioannem Scotcouillum, nostri tunc Ordinis Præpositum Generalem, perscribens; inaudiuisse se, quòd Marinonius salutari Crucis signo affectum nobili fœminæ oculum curauerit; nec dubitare, pleraque item in alios beneficia flagrantissimæ orationis merito contulisse. Fuere hæc porrò non sanè pauca, quæ recensere hîc singillatim longius esset. Narrat ea Castaldus, quem petas. Cuiusmodi etiam præstantissimæ precationum virtuti tribuenda in dæmones potestas, quorum plerunque impetum, ac superbiam refrænasse, expulisse à corpore, quod insederant, mulctasse, diuexasse, pro comperto habemus. Ac illud quidem, quo tempore sanctimoniæ fama florebat Neapoli Ioannes, multorum sermonibus ferebatur. Nempè malum quendam genium humano quidem vultu, cultuque comitari adeuntes ad eam Vrbem muliones, solitum fuisse: qui tamen, cùm in quoddam diuersorium, Cardinalem vocant, circiter decimo octauo ab Neapoli lapide, perueniret; subsistere statim videbatur, aiebatque, prohibitum sibi, vlterius gradum ferre, ac Neapolim excurrere, quòd inibi Ioannellus ille ageret: hac illum appellatione, quem summè oderat, nominabat. Reuertentibus verò postliminiò viatoribus, iterum sese comitem viæ dabat; nec dubium, quin Marinonij preces, ac virtus præscripserint malo dæmoni limites. Eòque sese loci ille continebat, veritus, ne grauiora intentaret Ioannes supplicia, si iussus semel Neapoli facessere, cominùs accederet.

Et à precibus in dæmones imperium.

Iam,

Iam, qui eo nixu, atque assiduitate operam diuinis contemplationibus dabat, instrui cælesti quadam prudentia in rerum humanarum cura, atque administratione oportebat. Nunquam enim quæ orationi assueuit mens, non ab ea lucem hausit, qua præstanti solertia, ac prouidentia suam, suorumque vitas moderetur. At Marinonij in regenda familia eximium prudentiæ genus loco quidem non incommodo iam commemorauimus. Sparsim item quæ eius comitabantur prudentiam, recensuimus: nempè in subditos comitatem, mansuetudinem, amoremque intimum; quo ita eorum sibi animos conciliauerat, vt caueret quisque eo vel maximè exerrare, ne amantissimum Patrem læderet. Quod verò in diuturna Paulinæ Domus rectione; præfuit nanque identidem vndeuiginti circiter annos; admirabile planè dixeris, atque ad prudentiæ laudem potissimùm facit; exactum, seuerumque regularis disciplinæ studium, ac zelus fuit. Excubabat intentissimè; cauebatque, ne quid vitij faceret primæua instituti ratio. Quæ præuidebat, fore, vt Theatinum morem libarent, iugulanda in ipsis incunabulis curabat; ne disciplinæ labefactandæ excrescerent. In singularis cuiusdam indolis, morisque homines, vt quo nihil communi vitæ infensius, mirum quo supercilio, censuraque insurgebat. Tyronem quendam, qui perniciosæ eiusmodi propensionis specimen dederat, Congregatione statim expulit: reliquos acriter monebat; nullique à communibus officijs, curisque permissum feriari. Præibat ipse exemplo: vt cùm æger decumberet; atque obeundi domestici labores, operæque essent; contineri lecto vix posset: eoque illi nomine morbus molestior, quòd à communi disciplina distineretur. Silentij apprimè studiosus, ac censor. Proscripta alieno tempore, locoque non modò verbositas, sed verba; ac videri, eo Rectore, domus poterat tacitæ cuidam, semotæque solitudini persimilis. Ipse autem vsque adeò linguæ potens fuit, frugalisque omninò, ac frugiferi sermonis; vt nunquam in superfluum aliquod, otiosumque prolapsus verbulum fuerit. Statis quidem horis ab Sodalium consuetudine, vsuque minimè abhorrebat; at inutilibus teri confabulationibus tempus ægrè admodùm ferebat; illas aut abrumpere, aut reuocare mira quadam dexteritate ad frugem, fructumque consueuerat. Quòd si cum exteris res esset; cœptique sermones, nulla se ratione impetrare posse videbatur, vt facesserent; ipse se ab ijs abalienabat: in promptu siquidem diuino quodam munere tunc illi sopor, eoque corripi solitus erat; ceu potius quidem esset, sensuum omnium officijs eo temporis spatio carere; quàm infructuosa torqueri oratione aures, ac animum.

Marinonij prudentia.

Arctioris disciplinæ zelus.

Silentij studium.

Sermones inutiles abrumpit.

Aut familiari somno vitat.

Eadem planè diligentia, curaque reliquæ legum obseruantiæ insistere, facemque alijs strenuè prælucere conabatur. Præcipuè, quæ duo Clericum Regularem maximè constituunt; Dei videlicet, rerumque diuinarum cultum, ac paupertatis studium, accuratiore quadam attentione, ardoreque animi vrgebat. Nocturnæ, diurnæque psalmodiæ, vt sua constarent tempora, canendique ritus, interualla, numeri, etiam atque etiam curabat. Id à subditis contendere potissimùm, vt Odeum frequentarent; cui ipse erat, ceu suo Cælo affixus: ita vt si quando ab officijs caritatis reuerti domum, cœptisque iam diuinis laudibus, contigisset; nihil haberet prius, quàm suo se loco sistere, ne quid precum excideret, quod recitare communi cum alijs concentu posset. Cæterum sacrorum ministerium, ac cultus exquisita quadam religione, grauitate, munditia vt perageretur, operam dabat: quod suo loco aliquantò fusiùs explicauimus.

Diuini cultus studiosissim'.

Psalmodiæ præsertim cõcinnatatrat.

Iam præcipuus illi paupertatis cultus fuit. Illam cùm alijs vehementer commendaret, ceu Theatinæ institutionis, ac disciplinæ princeps quoddam decus, & columen; tùm ipse impensiùs adamabat: qua & repræsentare Cælites, quos nulla tenet opum cura, ac studium; & ridere mortalia videbatur, quibus non indigebat. Hæsebatque profectò intimè eius virtutis amor, vt nihil subindè frequentius in ore haberet, quàm eius commendationem. Si quando, dum ad mensam legeretur, incidisset eius mentio; iusso confestim Lectore, vt subsisteret, sermonem de præclaris eius laudibus instituere, ac præfari in more habebat. Illud quàm sæpissimè vsurpabat: Nos hîc veluti in diuersorio peregrinos, ad Cælum iter intendere; atque adeò vtendum quàm parcissimè humanis rebus: nam ratio ad extremum ponenda, ac

Paupertatem impensiùs colit.

Verba de ea sæpius habet.

persoluendum vsque ad minimum quadrantem: cui verò plura accepisse contigit, plus soluat, necesse est. Auream item hanc eius sententiam Vir ille absolutissimæ virtutis, Iacobus Tornus referebat. Eum, scilicet, cui Religionem inire consilium est, id omninò sibi proponere debere, vt parum inde accipiat, multum inferat: multum videlicet vigiliarum, atque exemplorum; parum commodi, humanique subsidij. Hinc vox illa sæpius, cùm aut quæri anxiùs, aut benigniùs indulgeri humana cerneret. Paupertati cum rerum copia, vsuque minimè conuenire. Exemplo id Saluatoris confirmare solitus erat, in cuius quidem cunabula, quòd elucere in ijs maximè, atque explicare magnificè pompam suam paupertas videretur; peculiari quodam studio ferebatur: cùmque in Natali, solennique ea luce ad populum diceret; in ea dilaudanda, atque amplificanda maiorem temporis, ac facundiæ partem insumebat: vt planè frequenti, ardentique dictione ostenderet, è virtutum natione, cœtuque paupertatem sibi colendam maximè delegisse. Et verò qui lautissimum Instituti sui patrimonium paupertatem existimabat, tueri pro virili conabatur. Vestes, libros, cellulam, ac reliquum vitæ cultum ad strictioris inopiæ amussim exigebat. Nihil illi molestius, quàm si cerneret ab ea regula paulisper nostra deflectere. Cellulas, quòd paulò laxiores, etsi intra Instituti modum, cerneret exædificari; contineri minimè potuit, quin, qui operi ex nostris præerat, subasperè increparet; ceu vehementer metueret, ne destrui ab eo ædificio paupertas cœperit. Pecuniarum eximius contemptor, ne aspectu quidem suo dignabatur; tantùm abest, vt insederit animo cupiditas. Oblatam non semel magnam auri vim, cùm maximè domus substructioni necessaria videretur, vt raro quidem exemplo, ac magnanimè recusauerit, in loco demonstratum est. Experiri, ac pati præcipuè in modica victus ratione paupertatem optabat. Quarè eum submitti opulentiorem ab amicorum pietate annonam cerneret, non admodùm planè gratulari videbatur; vt qui tacitè exiguas Instituti rationes ea copia peti, ac lædi intelligeret. Contra, insolita quædam animo, ac fronte lætitia exundabat, cùm eiusmodi rei cibariæ difficultate premi necesse erat: vt accidit, cùm accumbere fratres iussit, opiparè epulaturos, distributo in singula capita panis frustulo, atque è domestico pomario malo medico. Gaudebat ipse in sinu experientia, vsuque inopiæ; quam tamen extemporanea tunc Cælum munificentia subleuauit. Enimuerò, adhortante ad tolerantiam Marinonio, vix Patres discubuerant, cùm accurrere ad ianuam domus oportuit, quam non mediocri annona Dei prouidentia pulsabat; monebatque, nunquam deesse pauperum fiduciæ Cæli promptuaria. Cuiusmodi quidem improuisæ opis, diuinæque in nostram paupertatem beneficentiæ argumenta satis multa supra enarrauimus; quæ vt opportunissima, ac proxima miraculo fuere; ita accendere in nobis ipsius præstantissimæ, atque euangelicæ huiusce virtutis studium magis, ac magis deberent. Neque verò impensiùs aliquid peroptabat Ioannes, quàm eius cultum, amoremque excresceret atque eo potissimùm nomine, cùm Opusculum illud D. Vincentij Ferrerij peregregium de spiritali vita manibus frequentissimè tereret, secumque semper ferret; tùm eam præcipuè partem, vbi de tuenda paupertate, eiusque laudibus disertè agit, mirum quo studio vsurpabat. Signauerat ea præsertim capita; cùmque sese daret occasio, legenda alijs propinabat. Inculcabatque ipse sua voce; vt cum despectione mortalium caperet, afficeretque altiùs animos tantæ virtutis forma, ac dignitas. Quo patet liquidò, quanti illam faceret, & quàm intimè hæreret medullis eius studium; quando nullam vnquam præterlabi occasionem sineret, qua non illam acri contentione vrgeret; moneretque singulis pene momentis eius obseruantiam. Prodiere ab hac Schola par illud excellentium Virorum, Andreas Auellinus, & Paulus Aretius: quorum profectò quæsitissimam in tuendis modicæ vitæ rationibus diligentiam, seuerioremque voluntariæ egestatis cultum; & Aretij quidem continuatam vel in Purpura, opumque affluentia eiusmodi Instituti rationem, si quis in eorum Historijs legerit; næ ille affirmabit, non alio præceptore institui, informarique eam indolem, ac tam adstricti moris Ascetas potuisse; quàm Ioanne Marinonio, qui instillare hunc primum amorem tyronibus suis consueuerat.

Cur Christi cunabula additus?

Primæuæ paupertati cauet.

Tristatur à rerum copia.

Ab inopia lætabatur.

D. Vincentij Ferrerij de Vit. Spirit. liber Marinonio familiaris.

A Marinonij disciplina Auellinus, & Aretius paupertatis studiosissimi.

Porrò,

Porrò, cum Euangelica hac paupertate multæ item sese obijciunt virtutes commemorandæ; affines illi quidem, siue comites indiuiduæ, quæ insigni clientela, ac famulitio latus stipant. At non id loci est, persequi studiosiùs singula. Libasse iam ex omnibus plura, satis fuerit. Vnam nihilominùs, nexu quidem peramico, ac longa familiaritate cum paupertate coniunctam nunquam dissimulauerit stylus. Humilitas ea est, quæ & nouissimo semper censeri loco optat: & nos in hoc agmine, ac celebritate virtutum, quas de Marinonio narrauimus, postremam etiam collocauimus. Quæ verò reliquarum virtutum fundamentum est humilitas; suum & ipsa fundamentum habeat, à quo & solidè sustentetur, & altè consurgat, necesse est. Ea est abiecta sui opinio, ac sensus: vt qui demum sibi despicatissimus, ille omninò humillimus fuerit. In qua quidem sui existimatione eò descendisse Marinonius visus est, vt nesciam, an viliùs vnquam de se aliquis senserit. De se pauca, ac quàm abiectissimè narrare. Has sibi præcipuè honorum appellationes, titulosque inscribere: Ioannes senex, peccator, atque in peccatis inueteratus. Vir, cætera mitissimi ingenij, tunc irasci quodammodò videbatur; cùm perhonorificè compellari, ac reuerentiæ quadam significatione cerneret: id cùm acerbiùs ferret, erumpere in ea potissimùm verba solitus erat: An sanctum esse me, persuasum isti habent? Quin peccator homo sum, atque hominum purgamentum; vtinam proculcari, premique pro merito eorum pedibus contingat. Tum, vt ab ea mortalium existimatione, cultuque suæ modestiæ caueret; fratrum sese precibus ex animo, ac prolixiùs commendabat: quibus & illud identidem, ac seriò pronunciabat, quod vsurpasse Caietanum Thienæum, Parentem nostrum, ac Virum peræquè humilem, scimus: se quidem, qui ineunti Sodalitati nomen dederat, ab summo Architecto Deo, ceu rude saxum in fundamenta Ordinis iactum; futuros olim insigni eruditione, ac sanctimonia Patres, qui veluti exacti ad omnem artis elegantiam, expolitique accuratè lapides, cæteram molitionem magnificè exornarent.

Humilitatis in eo studiũ.

Sentit de se quàm humillimè.

Hominum de se opinioni irascitur.

Præclarum à modestia dictum.

Ab hac sui despicientia, animique demissione illa in conuicijs hilaritas, ac patientia proficiscebatur, quam aliàs explicauimus. Ceu benefacta conferret, cùm maximè iniurias, ac maledicta in ipsum quis iaceret; grates insuper habebat: tantùm abest, vt in probris dehonestamenta numeraret insignis ea modestia. Semel iniecta per imprudentiam lutulenta aqua, perfundi fœdè contigit; præciditque illicò excusationem ijs verbis: nempè, hac aqua hæc irrorari tellus debuit. Festiuè quidem, doctus nimirùm salibus etiam condire humilitatem. Domi nullum erat abiecti laboris, aut operis genus, in quod non perquàm auidè, ac primus inuolaret Ioannes, vel cùm Præpositum ageret. Ipsemet hospitum pedes abluere; perpurgare lances; domum conuerrere; assuere, sarcire vestes; ligna, aliaque id genus onera auehere; ægrotos procurare; ijsque suis ministrare manibus consueuerat. Quæ planè omnia Virum profundè senem, Rectoremque Domus obeuntem inspicere, cùm ingenti admirationi esset; tùm illud profectò non minoris humilitatis specimen dabat. Confiteri nimirùm publicè in Chori medio, aut inter prandium, prouolutum in genua, noxas suas: qua quidem in exercitatione ita assiduus erat; vt fermè singulis diebus illa sese canicies mulctandam singulari exemplo obijceret. Et eò tandem adducta res est, vt piguerit Patres, summa authoritate, ac senectute Virum, nixum genibus, ac leuissima fatentem errata, adeò frequenter intueri; ob hanc rem visum omnibus, satis iam culparum: imperatumque illi fuit, vt publicæ huiuscemodi confessioni parceret. At quæ erat insita bono seni humilitas, id tandem infimis precibus euicit; vt procul frequentia liceret saltem in sacrario coram nonnullis Patribus, priuato quodam iudicio, erratorum à se pœnas exposcere. Verebatur siquidem, tùm, vt sæpius dixit, ne si occultæ laterent labes, melior, atque alius, quàm reuerà esset, haberetur; tùm ne contingeret posteà purgatorio, acrique nimis igne expiari, quæ tempestiuiùs hìc non eluisset. Huic verò contentioni, qua trahi in lucem, ac prodi culpas suas peroptabat, solertissimum quoddam studium, ac diligentia respondebat; qua tegi præstantissimos virtutum actus, atque inumbrari clarorum operum lux posset. Nocturnas contemplationi tenebras seponebat; ac ne se expuitione proderet, eam summa vi temperabat. Flagris perurgere

Hilaris iniuriarum tolerantia.

Noxas suas publicè detegit.

Virtutes contegit.

gere membra nonnisi remotissimis locis solitus erat. Abstinentiam singulari quadam simulatione occultabat, Ægrotis, ac egentibus, suæ ipse pietatis, ac beneficentiæ conscius, subsidia, ac opem perquàm tacitè impendebat. Planè id in eo fuit tegendæ sanctimoniæ studium; vt quæ gesserit præclarè, ac sanctè, nullus omninò vnquam sciuerit; nisi cùm tyrones ipsi, quos informabat, tùm alij aures, oculosque intendissent; exploratisque persæpè portæ rimulis, quàm diligentissimè peruestigassent.

Honores deprecatur. Quæ verò pulsare vehementer modestissimi Viri animum videbantur, præfecturæ, ac dignitates erant. Demissam planè mentem cùm gestaret, in minoribus quidem subsellijs consistere, vt tutius, ita nihil illi optabilius; proindeqne molestissimum omninò erat, atque ab ea indole, ac mente longè alienum, alijs præesse. Igitur, quoties cogi generale Capitulum contingeret, quoniam sibi à Patrum opinione magnoperè metuebat; quà litteris, quà voce ea semper vi, ardoreque Ioannes cum ijs agebat, ne Præpositus renunciaretur; vt non ambitiosiùs vnquam alij suffragia prensauerint. Et cùm singularis ea virtus vacationem nunquam impetraret; tristi quidem vultu magistratum capessere, quem exuere gratanter, oculisque præ gaudio natantibus, videbatur. At enimuerò nunquam sanè magnificentiùs

Cum Paulo Quarto lucta, eius triumphauit humilitas; quàm cùm collato cominùs pede cum Pauli Quarti, Maximi Pontificis facundia; illam in Pontificio ipso cubiculo, suis veluti in castris, superauit. Felicior planè ille in deprecando Neapolitano Sacerdotio; quàm in persuadendo Pontifex, vt acciperet. Liceat ab generosa hac eius humilitate totum

Et victoria. Ioannem æstimare: neque enim vulgaris cuiusdam virtutis vir fuisse dicendus ille est, cuius libratam suis ponderibus, affixamque Deo mentem, non splendidissimarum Infularum dignitas, non quæsitissimæ rationes, precesque, non ipsa Pontificis authoritas, ac vis dimouere à sua sede, graduque potuere. Sed hanc luctam, palmamque ab insigni animi demissione reportatam, exposuimus in loco. Ioannes verò non minora quidem edere humilitatis documenta poterat, qui in casese palæstra quotidiè exercebat: & quò ab eius virtutis nunquam se feriari osten-

B. Malachiæ versus à Marinonio vsurpati. detet; illos Beati Malachiæ versus, qui humilitatis præceptiones omnes, ac monita compendiò, ac bellè continent, repetere identidem, ac sæpiùs consueuerat. Nempè; [Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, spernereque sperni: Quatuor ista beant.] Hæc de Ioanne Marinonio, Viro singularis exempli, ac planè sancto, ac venerabili, qui hoc anno ad meliores abijt, suique formam præclaris expressam virtutum lineamentis reliquit: vt discant ab ea sanctissimæ, præstantissimæq; mentis idea posteri, quàm incorruptè, sanctèque ille vixerit, & quàm ipsi religiosè viuant per ea exemplorum imitamenta. Interim historiæ cursum repetamus.

Succedit Marinonio in Paulina re-ctione Paulus Aretius. Defuncto Ioanne, ac præstantissimo Rectore destituta Paulina domo; interea temporis, quoad Comitia generalia consequenti mox anno haberentur, suffectus in eius locum fuit à Venetis Patribus, penes quos Capituli vices erant, ac summa rerum, Paulus Aretius: qui grauatè quidem munus subijt, Vir, vt diximus, vt præfecturis administrandis maximè idoneus; ita suæ quietis, priuatæque vitæ percupidus. At enim antequàm huic muneri succederet, tentari iam hoc item anno Ecclesiasticarum dignitatum fulgoribus, sensuque ipsum contigerat: nescio maiore molestia, an laude? Adornauerat has illi insidias Parafanius Ribera, Dux Alcalensis, inclytæ famæ Princeps, qui Regni tunc Neapolitani fasces procurabat. Is, quòd è re animorum esse, communique Ecclesiæ vtilitati conducere, in primis existimaret, summa virtute Virum è tacitis religiosæ disciplinæ rationibus prouocari in publicam aream, ac lucem; egerat anno præterito cum Philippo secundo, cui haud minùs perspecta præclara eruditio, ac probitas Pauli, vt illum Antistitem appellaret: & accesserant quidem Regis syngraphæ, ac nutus, quibus Stabiensi primùm,

Qui tentatus Infulis semel ac iterum, mox Crotoniensi Ecclesiæ destinabatur: quas ille Infulas strenuè, ac quanta maxima vi, conatuque potuit, est deprecatus; nequicquam precibus, atque authoritate obnitente Parafanio Prorege: ostenditque luculenter, sibi, qui vt suæ saluti consuleret, Forensem togam abiecerat, intempestiuè admodùm Sacerdotia, ac Infulas obtrudi: grauioris nimirùm curæ, momentique prouincias, ac longè periculosioris

aleæ plenas. Frustratus concepta tunc ea spe, ac mente Prorex, expugnare omninò Pauli propositum, ac pectus vehementiore quidem impressione, ac impetu statuit. Adigendos nempe in præfecturas, qui maximè renuunt, prudentissimè reputabat; nec meriti præclariorem notam, ac specimen esse, quàm detrectare. Vt igitur Brundusinæ Ecclesiæ, quæ amplior tùm quidem erat, ac longè opulentior, quàm nunc est, imponeretur Aretius, regia in Hispaniæ Aula egerat, impetrauitque. Quarè accitum Paulum, vt acceptaret, nulla non rationum efficacia aggredi cœpit. Exaggerare singularem Catholici Regis voluntatem, pronamque in ipsum beneuolentiam; ac ludi tanti Regis postulata, indignum omninò esse. Tùm, Ecclesiæ commoda, causamque animorum cuinam magis, quàm religioso viro debere cordi esse? aut quonam ipse in opere eruditionem, & curas suas impenderet fructuosiùs? tandem quando iam diuini Numinis voluntas, Regis propensio, ac vota populorum conspirassent; verendum, ne durioris, præfractique nimis ingenij sit hæsitare, aut diutiùs reluctari. Dimouere, aut quoquo pacto flectere obfirmatam in tuendæ disciplinæ proposito mentem, neque argumenta, neque dicentis dignitas potuere. Paucis præclarum de se iudicium in regiam magnitudinem, atque humanitatem retulit: animi verò sui sententiam, constantiamque ita aperuit, vt intellexerit statim Parasanius, ludi cum homine constantissimo operam; ac potentiore machina, conatuque agendum. Ergò eò mentem appulit, vt à summa Pontificis Maximi reuerentia, ac volun tate momentum Regis postulationi accederet. Litteras ad Pium Quartum composuit: delectum ad Ecclesiæ Brundusinæ procurationem Aretium; eius promerita, ac repugnantiam, quantæque ijs populis vtilitati foret eximia viri prudentia, ac doctrina, exposuit. Deindè obtestatus prolixè est, vt quàm efficacissimè cum eo ageret, ne se oneri subtraheret: par enim esse, vt optimi quique grauissimis officijs imponantur. Pontifici, cui perspecti Pauli mores, ac præclara ad id muneris prudentiæ, ac doctrinarum adiumenta, nihil accidit iucundiùs, quàm postulari ad Infulas tantum Virum. Eapropter, cùm vt morem Regi, ac Proregi gereret; tùm quòd suarum potissimùm esse partium sciret, idoneos maximè Pastores suis ouibus procurandis deligere: compellare Apostolicis litteris, atque adhortari Paulum statuit, vt oblatam vltrò vigiliam communi bono capesseret. Epistolam, quæ honorificam Pij de Aretio opinionem summa cum eius modestiæ commendatione probat, libuit hìc exscribere, quæ sic habet.

Ac tertiò Infulis Brundusinis.

Præclarè obnititur.

Accessit Pontificis authoritas,

Et ad illum Epistola.

Dilecto filio Scipioni Aretio, aliàs D. Paulo, Clerico Regulari Neapoli commoranti.

PIVS PAPA QVARTVS.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad aures nostras peruenit, te à carissimo in Christo filio nostro, Hispaniarum Rege Catholico, delectum fuisse, qui ad Ecclesiam Brundusinam nomineris; id autem onus abs te recusari. Placuit Nobis ista humilitas, quæ quidem egregium testimonium, quod tibi apud Nos datum fuit, magnoperè comprobauit. Sed quò modestia tua est laudabilior, eò te aptiorem ad huiusmodi onus ferendum esse indicat. Itaque hortamur te, vt in Deo confidens, qui humilibus dat gratiam, & sperantes in se non deserit, amplectaris occasionem hanc, quæ tibi, vt credendum est, à Deo ipso offertur, inseruiendi eius Diuinæ Maiestati; & quæ ab eo accepisti talenta ad ipsius Ecclesię vtilitatem exercenda esse statuas. Quod eo studiosiùs faciendum est, quò fidelium seruorum maior his temporibus est penuria. Quod si feceris, cùm tuæ, tùm aliorum etiam multorum saluti consules. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die xiiij. Octobris M.D.LXII. Pontificatus nostri anno tertio.

Nonerat Paulus quæ inerat hisce litteris authoritas, ac pondus; & adhortari humanissimè Pontificem, cogi omninò esse. Attamen, re primùm de more cum Deo precibus, ac vigilijs transacta; deijci se ab conceptæ iam mentis gradu minimè est passus;

Cui Aretius intrepidè, ac disertè respondet.

passus: statuitque obniti strenuè, caussatus opes animi, & corporis, ac maturioris iam æui incommoda; quæ si Pontifici candidè, demissèque significarentur, sperabat, fore, vt à Sacerdotij munere vacationem, & veniam etiam impetraret, si detrectare imperio videretur. Epistolam igitur disertè ad Pium Quartum exarauit, quę sanè eius humilitatis, animique candoris, ac singularis cuiusdam firmitudinis, & constantiæ specimen cùm sit; hìc etiam recensere, non abs re, puto, erit.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Quarto,
Post pedum oscula beatorum.

HOnestam hominum opinionem de alicuius vita, quæ non magis experientia, quàm rumore quodam, ob nescio quid excitato, consideratur, plerunque, Sanctissime Pater, falli, est tàm certum, quàm quod certissimum. Quem enim latet, populum non delectu aliquo, aut sapientia, sed impetu nonnunquam, ac temeritate quadam ad iudicandum induci. At illud non possum magnoperè non admirari, præclaros quoque viros, qui nihil sine circumspectione, & accurata consideratione agunt, hac in re sæpenumerò decipi; hisce fidem rebus tribuendo, quæ ex vulgi sermonibus oriuntur. Sed quorsum hæc? Vt scias, Sanctissime Christi in terris Vicari, quod superiùs commemoraui, mihi ipsi accidisse. Cum enim multa sint in me, quæ vituperatione non mediocri potiùs, quàm laude aliqua digna forent; cœperunt homines, nescio qua re ducti, de me benè existimare; adeoque hæc creuit opinio, vt plerisque grauitate, & prudentia præstantibus Viris, præter omnem tamen rationem, illud idem sit quoque visum. Quid enim aliud Philippum Regem, Virum virtute cognita, & spectata fide amplissimum, Tuamque Sanctitatem commouit, vt me in Episcoporum numerum cooptandum esse censeret; nisi hominum fama, & probitatis opinio, quæ in me falsò confertur? Sed in hoc, bona tua, ac præclarissimi Regis venia dixerim, maximè erratur. Siquidem rebus illis omnibus omninò careo, quæ ad hoc suscipiendum onus expetuntur. Nam cæteris omissis, vbinam mihi est, acris cura, ac diligentia, quæ in curandis ouibus Christi requiritur? vbi prudentia in rebus agendis? vbi experientia? vbi litterarum scientia, & doctrina? vbi caritas, virtus ad quietè viuendum aptissima, quæ maximè necessaria est ijs, qui alijs præsunt? Quid de corporis viribus loquar? Iam inde vsque à puero tenui, aut nulla valetudine fui; sed nunc me vires, vt cùm maximè, ob ferè exactam ætatem deficere cœperunt. Quare si onus suscepissem, propter animi, corporisque imbecillitatem mihi deponendum, si fieri posset, censerem. Quoties ad me de hac re detulerunt, ipse semper me oneri ferendo idoneum non esse duxi, & in hac sententia semper permansi, non suscipere onus officij, quod non possim sustinere. At nunc cùm denuò à Tua Sanctitate ad hoc suscipiendum inuitor; effusæ sunt ad Deum Optimum Maximum de hac re piæ preces, & à compluribus viris religiosis; idemque meo inhęrere cordi, quod antea, sentio: imò magis clarè, apertèque cognosco, si onus reciperem, nec mihi, nec alijs profuturum; hocque pacto nec tuæ Sanctitati, nec Regi, nec ouibus mihi committendis posse vnquam satisfacere. Oro Te igitur, & obtestor, quæ tua est prudentia, & in omnes benignitas, vt mihi humillimo seruo tuo, & ouibus illis consulas, onus hoc alij imponendo, quem tibi, & Regi Deus Optimus Maximus sua ipsius pietate, & clementia ostendet, qui magis me idoneus erit. Accipe, quæso, sanctissime Pater, meam excusationem, meique miserere, qui quidem omni quiete, animique tranquillitate carerem. Siquidem meæ conscientiæ angore, & solicitudine vexarer; sicque vitam degerem vnus omnium miserimam, & pauci essent dies mei. Non te moueat studium tuum Regis desiderio satisfaciendi, cui quidem optimè satisfeceris, si in hoc ei minimè consenseris. Est enim Patris in filios, & amicorum inter se officium, non consentire quæ quisque vult; sed quod magis rectum, honestumque est, illud faciendum; tantùmque abest, vt ille id molestè ferat, vt ob id eum tibi maximè fore deuinctum, veritate cognita, haud dubites. Quare, sanctissime Pater, cognita, & audita mei animi, corporisque imbecillitate; perspectoque damno,

quod

quod ijs, qui iuuandi sunt, inde accidere posset; Te etiam, atque etiam rogo, vt communem ipse meam, illorumque causam benignè accipias; Deo Optimo Maximo pergratum facturus, si ipsorum pariter, & meæ saluti consules. Benè valeat Tua Sanctitas, eamque Dominus longissimo tempore Ecclesiæ suæ sanctæ seruet incolumem. Ego illi humillimè pedum plantas exosculor. Neapoli in Ædibus Sancti Pauli XI. Kal. Octobris MDLXII.

Passus exorari Pontifex Aretij precibus.

Exorando Pontifici valuere hæ litteræ. Quare cùm hinc Parafanius firmatam nimium Aretij mentem, ac quauis dignitate, ac vi maiorem liquidò cognouisset; defunctus hac ille animi molestia est; suamque adamare impensiùs tranquillitatem, atque instituti disciplinam cœpit; quam tam propè aberat, vt Insulæ abriperent. Amplissimis verò, ac difficillimis ijs curis soluto leuiora profectò videri collata mox in eum munera potuere. Nam exeunte hoc anno non modò Paulinæ Domus Præfecturam, vti significauimus, capessere oportuit; verùm & dare etiam operam Sapientiæ Sanctimonialibus: quibus adesse sacramentorum administratione, atque omni genere officiorum diù contigit: neque profectò in sanctiorem, atque accuratiorem accipi clientelam Virgines poterant; quarum disciplinam tueri, formare mores, conscientias temperare, componere animorum æstus, ærumnas consolari, strenuè, ac summa quidem caritatis, ac prudentiæ laude instituit. Rem verò Paulinam vsque ad Capitulum generale administrauit, absoluitque breui eas curas.

Qui monasterio etiam Sapientiæ admotus.

Regis insigni solerta.

Venetijs Capitulum generali anno 1563.

Habita autem hæc Comitia Venetijs fuere sub finem Aprilis mensis insequentis anni. Sancita hic plura, quæ ad morum disciplinam amplificandam fore opportuna, vsus, ac tempus indicauerant. De Nouitijs siue admittendis, siue instituendis, in quorum planè indole, ac flore præclara Ordinum fruges cotinetur, accuratè actum; tùm de domorum regimine, atque administratione. Illud sanè laudatissimum, quod exactè postea obseruatum, ac scimus à grauissimis viris summè dilaudatum; nempè, vt non passim qui Virorum confessiones exciperent, ij statim mulieribus etiam audiendis operam darent; sed ij tantùm, qui maturioribus cùm annis, tùm moribus grauitatem, ac quandam etiam in agendo seueritatem probauissent. Peculiare id quidem nostri Ordinis est, vt cùm cæteri vna, eademque simul facultate sexus vtriusque conscientijs indiscriminatim admoueantur; Nostrates per gradus incedant, ac muneris quadam partitione: & incipiunt quidem à viris; tùm accedente ab annis solidiore quodam naturæ, cuique sensu; ac non nisi post duodecim ab concepta professione annos, altera eius officij pars demandatur: neque omnibus, qui id ætatis, ac spatij exegerint; sed ijs tantummodò, qui admissi domorum primùm suffragijs, mox Patris generalis, Consultorumque districtiore examine fuerint. Quod quàm rationi, ac vetustissimis primæuæ disciplinæ institutis consentaneū sit, videre est apud a Antonium Caraceiolum, qui rem breuiter quidem, sed eruditè persequitur. Alia item in publicam rem sancita à Patribus; ac mox renunciati domorum Præpositi. Hieremias Isachinus iussus Tolentinatem prouinciam Venetijs capessere, suis quidem ingratijs; quippè qui summis aliàs precibus hoc idem munus vt abdicaret, impetrauerat. Romæ Dominicus Miscius, cui cùm singulari prudentia coniuncta simplicitas, atque eximius candor animi fuit, præficitur. Neapoli verò Hieronymus Ferrus, quem aliàs meminimus.

Mulierum confessionibus qui quando adhibeantur Nostrates.

a Not. ad Const. 1. par. Cap. 5.

Domorum Prepositi.

Aucta numero Sodalitas.

Horum quidem commune erat tuendæ disciplinæ studium, ac ardor: ac in suam quisque stationem digressi; accurare strenuè domi, forisque nostra occœpere: cùm interim numero etiam amplificari Sodalitas videretur. Et hoc quidem anno adauctus capitum census egregia sobole. Etenim nuncupauere publicè Paulinæ in Domo vota inter alios Saluator Caracciolus, Vir à splendore virtutis, ac postea ab Insulis etiam, illustris; Cornelius Solarus, Genuensis, qui intra adolescentiam, summoque ætatis flore Deo mancipatus, duos etiam germanos fratres, Ioannem Franciscum, & Ioannem Baptistam ad eandem instituti rationem præclaro sui exemplo coëgit; & Alphonsus Osorius Gente Hispanus, præclaris quidem natalibus, sed indole nobilior, qua se postea, caputque suum supremo periculo, vnà cum Solaro, alijsque, Genuæ vouit, cùm atrox pestilitas grassaretur; extinctusque ea lue fuit, vt in loco memorabimus. Adauxere item alij sub id tempus, lapsisque præsertim

Saluator Caracciolus.

Cornelius Solarus.

Alphonsus Osorius.

proxi-

Dedere item alij Cógregationi nomen.

Iacobus Tornus: Bartholomæus Rusticus.

Felicianus Mutinensis. Thomas Brácius.

Ioannes Baptista Viualdus. Ioseph Barbulia. Felix Bar[illegible]lius, Marcus Palescandalus. Ambrosius Baronus. Michael à Consulibus.

proximè annis solenni votorum nuncupatione Ordinem, qui illustrioris postea notę, famęque viri euasere, ac Theatinum institutum mirificè condecorarunt. Horum porro nomina hic tantummodò consignabimus, quę suis statim locis commemorare ideò pretermisimus, vt vna simul censerentur, fulgerentque pulchrius consociatis velutti splendoribus: eorum autem acta fusius narrabimus, prout sese dabit occasio. Fuere hi, Iacobus Tornus, Neapolitanus; & Bartholomæus Rusticus, Florentinus: qui anno seculi sexagesimo eodem die Neapoli, excipiente vota Marinonio, professionem emisere. Et Rusticum quidem insignis quædam vrbanitas morum, ac præcipuè humilitas commendauit; Tornus verò adstrictiore vitæ disciplina, exactaque legum obseruantia absolutam quandam sanctimoniam probauit. Quibus annectendus Felicianus Mutinensis, Ordinis quidem laici, sed quem eximia virtus nobilitauit; & Thomas Brancius, qui anno preterito vota susceperat, Vir à prædiuite parentum domo Theatinæ paupertatis, adstrictæque disciplinæ perstudiosus. Sequens verò annus oppidò fertilis fuit, multiplici quidem sodalium segete: inter quos præclara illa absolutissimæ virtutis nomina, Ioannes Baptista Viualdus, nobili loco Salerni natus, artium quidem, linguarumque egregiè doctus, sed emendatissimis cum paucis moribus. Ioseph Barbulia, Barolitanus, cùm politioribus litteris, tùm solida pietate exculcissimus. Felix Barilius, clara ab gente Neapolitanus, regularis disciplinę apprimè tenax. Marcus Palescandalus, item Neapolitanus, religiosæ cuiusdam prudentiæ numeris laudatissimus. Ambrosius Baronus, Bituntinus, è præcipua eius Vrbis nobilitate, qui nimiā caritatem honestissimo funere comprobauit, exhaustus nempe Genuensi lue, dum curandis mortalibus, quos id malum strauerat, operam daret. Et Michael à Consulibus, Barolitanus, integerrimi moris, Soranæ postea Ecclesiæ impositus. Horum planè virtus, ac res præclarè gestæ materiam subindè huic historiæ suppeditabunt. Illud interim adnotandum; Paulina hos omnes in domo successiuè Congregationi nomen dedisse, vbi Caietanus Thienæus mortalitatem posuerat, viuebatque superstite fama virtutum pulcherrimarum. Nempè non alibi excrescere egregiam sobolem par erat, quàm vbi sanctissimus Parens degeret, ceu fœcundi adhuc essent contumulati inibi magni Cineres.

Confirmátur Congregationis priuilegia à Pio IV.

Cuius auersum à Religione animum

Sirletus mitigauerat.

Auxerátque beneuolentiam Carolus Borromæus,

Nostra disciplinæ cum primis addictus.

Porrò contigit hoc anno Nostratibus pręclarum à Pio Quarto Pontifice beneuolentiæ argumentum; Nam quę olim à summis Pontificibus, Clemente Septimo, Paulo Tertio, Iulio Tertio, ac Paulo Quarto priuilegia, ac facultates Ordo impetrauerat, confirmata ab eo quàm humanissimè fuere. Id quod accidit profectò iucundissimum: tùm quia ingens id erat per se Ordinis commodum; tùm verò quòd singulari ea beneficentia visus Pontifex conceptam de nostri Instituti ratione opinionem omninò abstersisse. Enimuerò Pius, qui haud æquo in Paulum Quartum, eiusque domum animo Principatum iniuerat; in nostram etiam Sodalitatem, à Paulo institutam, suæ partem inuidiæ deriuauerat. Facilè namque vt fauor, ita & odium afflatur proximioribus, insiliuntque in propinquos mortalium affectus, pestilentiæ non absimiles; quarè in ea Carafarum tempestate fluctuare nostros homines oportuit; ac nil propius fuit, quàm vt Theatinum nomen, disciplinamque Pontifex aboleret. Id consilij, vt aliàs fusè meminimus, Guiglielmus Sirletus egregiè mitigauit, perorata tùm quidem Sodalitij nostri causa, eo euentu, vt qui offenso planè animo ad Quirinalem domum adiuerat Pontifex; mutata sententia, discesserat planè alius. Ergò qui anno præterito tàm seuerè decreuisse de Congregatione visus fuerat, quòd eius hoc anno priuilegia prona quadam voluntate confirmauerit, probaueritque impensiùs mores, ac prosecutus alijs beneficentiæ argumentis fuerit: voluptati quidem incredibili omnibus fuit. Hanc autem eius beneuolentiam intendisse magnoperè Carolum Borromæum, sanctissimum nepotem, pro comperto habemus. Is nanque sæpissimè postea S. Syluestri Ædes adire consueuerat, delectatus loci cùm religione, tùm amœnitate: serebatque longissimos cum Sirleto, cuius eruditionem, ac spectatam indolem plurimi faciebat, sermones. Quo quidem quotidiano ferè vsu nostram disciplinam, ac mutuatos sanctiore ab æuo mores aduertit: cùmque plura à Sirleto, Patrum contubernali, & qui intimam, priuatamque virtutem nouerat, inaudiret; & affici ipse mirificè in Ordinem,

& com-

& commendare illum Patrum cœpit: vt breui Pontifex & ipse adamauerit, & interrogare sæpiùs Borromæum solitus erat, an valerent Patres? num instructi annona essent? inspiceret diligenter, ac submitteret suo nomine. Documenta isthæc quidem beneuolentiæ non mediocris; vt facilè deindè fuerit ab eo impetrare, quæ aliorum olim liberalitas concesserat.

Ac ne à Cardinali Borromæo abscedat stylus, vsum hoc anno in re quidem grauissima Nostratum opera, ac studio, non hìc planè dissimulandum. Absolutum faustè sub id tempus est Tridentinum Concilium, summa quidem bonorum gratulatione, quòd ab eo fore, vt affecti Christiani Orbis incolumitas existeret, pro certo haberent. Diù quidem grauissimum id negotium perdurauerat: suis quippè momentis moliri sese grandia, atque exurgere necesse est. Thomas noster Golduellus, Asaphensis, cui adesse celeberrimo illi Orbis theatro contigit, visum ad extremum vsque tanti operis, nec sine laude constantiæ, muneri insistere. Antistitum nanque partim tædio ab ea mora affecti, partim inclementioris Cæli sydus causati; missionem alij, alij intermissionem impetrauerant. Ergò defunctus ijs curis, dum Romam Golduellus cogitat; intendere aliò iter oportuit. Enimuerò Carolus Borromæus, cui præter omnigenam virtutem, ac sanctimoniam, Catholicæ fidei studium zelusque inerat incomparabilis; cuiusque potissimùm diligentia, acrique contentione, vt continuata, ita ad finem perducta œcumenica ea Synodus fuerat; agitare de ijs Concilij decretis, ac legibus Christianæ Reipublicæ proponendis, vsurpandisque sedulò, ac statim cœpit. Et qui reliquum Catholicum Orbem ingenti animo complectebatur; tùm maximè Ecclesiam Mediolanensem, quam ipse procurabat, instituendam sibi recentibus ijs constitutionibus intellexit. At enim, cùm impetrare à Pio Pontifice minimè potuisset, vt relicta cura terrarum, Romanisque negotijs, tantę rei administrandæ, vrgendęque coram accederet; vti excellenti alicuius industria statuit: ac præsertim vnum aliquem præstanti doctrina, ac prudentia virum, qui Mediolanensium Infularum vices gereret, accuraret cùm quęreret; insedit animo Thomas Golduellus: quem honestissima virtutum, atque eruditionis fama sibi, totique Aulę cum paucis commendatum, ac Tridentinorum Patrum decretis, ac mente apprimè instructum, vt qui Conuentui aderat; magno quidem emolumento populosissimę Vrbi, ac peramplæ, distractæque Diœcesi, earumque disciplinæ, ac religioni futurum existimauit. Ergò statim à Concilio Mediolanum se contulit Asaphensis, Caroli Cardinalis iussu, Vicario illi muneri exercendo. Et qui sincerioris pietatis, morumque reformationis erat percupidus; quà sua indole, instinctuque, quà ardentissimi Cardinalis adhortamentis, exigere ad Tridentinę Synodi præceptiones, ac sensus Ecclesiam illam, ac omnium mores cœpit. At non admodùm diù officio præfuit. Oblata nanque sequenti mox anno in Angliam expeditione popularium, Regnique laborantis, atque omnium potissimùm suarum commodum Mediolanenses curas abrupit. Quo verò tempore in ea amplissimæ vineæ cultura laborauit, pulcherrimos quidem decerpere vigiliarum suarum fructus contigit; ac præterea subactam, ac præparatam egregiè terram reliquit succedaneis Nicolai Ormaneti industrijs: qui illuc à Borromæo subindè adlegatus; quippè qui assecurus olim Matthęi Giberti ideam, ac magnam eam mentem fuerat, ac insigni etiam eruditione, rerumque vsu valeret; rem Mediolanensem mirificè procurauit, amplificauitque.

Concilium Tridentinum absoluitur.

Cui ad finem vsque adest Golduellus.

Mox à Carolo Borromæo Mediolanum amandatus.

Vnde in Angliam.

Succeditque ijs vicibus Ormanetus.

Interim vertente anno grauissimam Neapolitanæ Vrbis nomine obire Paulo Aretio legationem contigit; quæ vt illi perquàm molesta, ita ceu publicæ tranquillitatis assertori gratiam haud planè exiguam, decusque apud Neapolitanos conciliauit. Renunciatus is fuerat Paulinę Domus Præpositus in Comitijs generalibus, Romæ eo anno, verno tempore, recepto iam vsu, habitis: vbi & Hieremias Salodiensis Venetam prouinciam, vt continuaret, decretum; & Vincentius Massus iterum Quirinali domo impositus. Ergò dum suo muneri sedulus vacat, totusque in disciplina, quà exercenda, quà promouenda esset Paulus; auocatus ad externas, suoque maximè genio, institutoque dissentaneas curas fuit. Abhorrere summoperè Vrbem Neapolim ab Inquisitionis nomine, pœnisque, atque ab ea potissimùm fortu-

Romæ Capitulum Generale an. 1564.

narum proscriptione, qua vindicari fidei perduelles in Hispania mos est, satis abundè demonstrauit: cùm elapsis retro annis, administrante publicam rem Petro Toletano, in vltimum pene discrimen adducta, excussaque Principis reuerentia, ac metu, ad arma conclamauerit. Commemorauimus id nos fusè in loco; atque auitæ religionis zelo id actum diximus: ne qui omnium primi in Italia initiati Christianis mysterijs à Diuo Petro fuerant, ac illibato quodam animi cultu omnibus retro ætatibus pietatem seruauerant, adauxerantque; id postea frænum acciperent, ceu traditam per manus primæuam religionem impij desertores, aut violassent aliquando, aut abdicassent. Hic idem sacræ Inquisitionis lapis moueri iterum hoc anno visus.

Vrbs Neapolis Inquisitionis metu anxia.

Siquidem Philippus Rex Catholicus, quem fax quædam pietatis, ac præclari in rem Christianam impetus incitabant: vt absolutum Tridentinum Concilium, sancitumque Apostolica authoritate, ac promulgatum Romæ, cognouit: nil antiquius habuit, quàm suis illud in Regnis, eiusque decreta vsurpari: cùmque ad eius maximè conducere obseruantiam, præcipuè quæ ad religionis repurgationem spectant, intelligeret, si vnà cum ijs præceptionibus pœna, ac metus induceretur; instituere, cùm alibi, tùm Neapoli præsertim, fidei Quæstionem, ac Tribunal cogitabat. Res Neapolitanis auribus grata accidere minimè poterat: quippè exactæ, recentisque adhuc calamitatis memoriam repetere peracerbum; atque in easdem animi, ac temporum augustias compelli, molestum omninò erat: & quæ expertissimi Rectoris prouidentia est, tempestatis minas salutaribus consilijs anteuertere; maturè id periculi declinare Ordo, ac Populus decreuere. Illud verò præsentissimum remedium reputarunt, Oratorem ad Hispanicam Aulam amandare, Philippum Regem rogatum, vt quando Neapolitano in Regno rei Catholicæ tàm benè esset; ac si quando exerrare in fidei causa contingat, exacta quidem instituerentur iudicia, ac supplicia ritè per censores ordinarios irrogarentur: parceret seuerioribus legibus, nouosque extra ordinem renunciare Quæsitores, qui insueta agendi ratione, terrerent nimiùm subditos; eorumque tranquillitatem interturbarent.

Legationem ad Catholicũ Regem cogitat.

Communis hęc omnium mens allata ad Parafanium Riberam, Proregem statim fuit: ac simul obtestati ex animo sunt, vt apud Philippum suam item interponeret fidem, & gratiam. Vt consilium prolixiùs probauit Ribera; ita id visus potissimùm commendare, vt par grauissimo muneri prudentia, ac fides admoueretur. Igitur, cùm ex ea nobilitate plures sese objicerent, natalium amplitudine, rerumque agendarum peritia, ac vsu spectatissimi; ac plerique etiam, qui rem priuatam in communi causa meditabantur, honestissimam legationem adfectarent: præferre splendidissimo in tot ambientium, & clarorum capitum concursu hominem Theatinum placuit. Fuit is Paulus Aretius, qui grauitate morum, insigni eruditione, prudentiæ laude, ac secunda virturum omnium fama implere peregregiè Oratoris officium, ac partes omnes videbatur: dilaudauitque in primis delectum Prorex; & qui exactas, præsentesque Aretij vitæ rationes, ac decora probè nouerat; opportuniorem tantæ rei peragendæ internuncium nullum fore existimauit. At enimuerò communibus hisce votis, ac postulatis, vt annueret ille, acceptaretque delatum vltrò munus; hic omninò opus, ac labor. Institutus scilicet ad omnem modestiam eius animus, excussaque præclari olim muneris toga, ac omni dignitatum Infula, ac lenocinio: nihil planè refugere studio sibi incitatiore proposuerat, quàm speciosa quæque nomina, honoresque, ac splendorem famæ: atque hanc potissimùm legationem, peramplam eam quidem, vtpotè splendidissima ab Vrbe, atque ad celeberrimæ Aulę lucem, Regemque longè potentissimum destinatam; nulli dubium, quin omni ope, conatuque auersaretur. Id cùm non ignorarent Neapolitani; aggredi eò potentiore vi, ardoreque Paulum decreuere: proindeque rogatus Dux Ribera, vt accersitum illum, expositis Ordinum precibus, momentisque rationum, & qua ipse valeret authoritate, expugnaret. Assuetus iam Aretius huic arenæ, in quam descenderat alias cum Prorege, cùm scilicet oblatas Ecclesias recusauerat; audita eius mente, agere primùm de honestissimo iudicio, summaq; in se beneuolentia, cùm ipsi, tùm Neapolitanis ingentes gratias: mox insigni quadam modestia deprecari munus,

Designaturq; Paulus Aretius,

Ab eo munere longe alienissimus.

Agitque cum eo Prorex, vt acceperet.

Sed frustrà.

Non

Non sibi in ea rerum tractatione parem consilij, ac solertię facultatem: mancipatum iam religio'æ, tacitæque solitudini non publicis negotijs, non aulæ sufficere: accedere vires corporis, afflicta iam valetudine, imbecilliores: non deesse in ea procerum celebritate qui tanti rem momenti, & honorificentiùs pro eius dignitate capesserent, & perducerent successu quidem prosperiore ad exitum. Summis denique, ac infimis precibus rogare, ne auelli à sua se domo vellent, complexuque fratrum, quibus tùm præerat, atque à mentis tranquillitate, qua in ipso disciplinæ cultu, atque intra cellulæ parietes intimè fruebatur.

Hæc ea vultus, animique constantia Paulus, vt intellexerit statim Ribera obfirmatæ menti frustra suas adhortationes, atque ardentia Vrbis vota esse; ac nisi validior manus impelleret, nunquam fore à proposito, graduque dimouendum. Eapropter in eam sententiam itum, vt maximi Pontificis nutu, atque authoritate obluctantem cogerent. Ac litteras quidem perefficaces ad Pium IV. Prorex dedit. Neapolitanorum de Hispana legatione consilium, ac rei pondus, idoneam grauissimo muneri Aretij virtutem, alienumque eius animum, exposuit; obsecrauitque enixè, vt iuberet illi pro potestate, ac summo iure, vt delatam communi suffragatione prouinciam subiret. Perscripsit itidem ad Aloysium Requesenium, Philippi Regis Romana in Aula Oratorem, vt rem accuratè cum Pontifice conficeret: idque vrgeret potissimùm, vt summum imperium accederet; quando exploratum haberent, nisi ad eam supremæ authoritatis impressionem nunquam fore, vt daret manus viri constantia. Paulus intereà quò se pulsari vehementiùs, maioresque strui conatus intelligeret; eò acrioribus vigilijs implorata ope Numinis, studia ludificare, ac dictimen suum curabat: exposcebatque aliorum item vota, vt fœderatis precibus vinceret. Nostratibus præcipuè, qui Romæ agebant, quòd inaudierat aduersus Proregis officia, ac Vrbis postulata suas ipsius partes egregiè, & ipsos tueri; multam per litteras gratiam habuit: eosque vt assiduis precationibus, & qua possent, operem iuuarent, etiam, atque etiam rogauit. Igitur Pontifex perlectis Riberæ litteris, auditisque quæsitissimis Neapolitanorum precibus, vrgente rem in primis Requesenio; gerere communibus, atque ardentissimis hisce votis morem ex parte quidem statuit. Nam qui fecerat à nostris hominibus non admodùm firma valetudine vti Paulum, abstinendum supremis obedientiæ legibus putauit: ne si longissimi itineris incommoda plùs nimiò vires labefactassent, sibi imputaretur: vt compositis ad Proregem litteris Requesenius testatus disertè est. Quapropter Carolo Cardinali Borromæo iussit, Paulum suo nomine litteris compellaret, & perquàm efficaciter hortaretur; vt accepto legationis munere, flagrantibus tot procerum studijs annueret: qui statim epistolam ad illum in hanc sententiam dedit.

Imploratur summus Pontifex.

Acceditque Requesenij Regis Oratoris studium.

Cum interim fusis ad Deū precibus rem ageret Aretius.

Quem Pontificis nomine litteris appellat Borromæus.

Allatę ad Pontificem causæ fuere, cur allegare vnum aliquem suo nomine ad Catholici Regis Aulam Neapolitanam Vrbem oporteat; ac insuper cõmune consilium, ac vorum esse, vt ipse munere fungare. Ob hanc rem facultatem hisce tibi litteris facit sua Sanctitas, vt nullo tuorum moderatorum consensu, nutuque expectato, prouinciam suscipias; hortaturque, vt alacriter, ac commodùm iter arripias, quò conceptæ eius Vrbis de te opinioni adamussim respondeas. Ac si minimè obluctari, sed obsequi proniore animo videaris, scias rem Pontifici pergratam facturum te, perindè ac si Sanctitatis suę, sanctæque Sedis commodum cures. Deus te incolumem seruet. Romæ die secunda Maij 1564. Scriptione verò autographa hęc adiecit Borromæus.

Litterarum exemplar.

Persuasum sibi Pontifex habet, nullam fore à tua pietate siue incommodi, siue periculi rationem habendam, quo minus legationem suscipias ad Neapolitanæ Vrbis votum, Deique gloriam; quæ indè existet profectò, si peragi negotium per te contingat. Iussit nihilominus, vt preces & ipse adderem, ac vehementiùs adhortarer suo nomine.

Paulus, etsi pro ea, qua supremam Potestatem, reuerentia prosequebatur, summo loco essent Maximi Pontificis, ac Borromæi adhortamenta; nihilò tamen minus quòd ab eo splendore muneris abhorreret nimio quidem opere humilitas; nec constare vires corporis sciret; ac molestè omninò ferret, abripi à sinu complexuque

Borromæi adhortamentis constantiam obijcit Paulus.

xuque tranquillitatis: excusare quàm modestissimè cum Borromæo valetudinem,
ac minus commodam grauissimæ tractationi solertiam, ac facultatem suam statuit.
Id quod Neapolitani, haud facilè dictu est, quàm acerbè tulerint: nec porrò deiecti
spe visi: quando validissimo, atque ineluctabili adhuc telo peti constantissimus eius
animus, atque obfirmata mens posset. Ergò Proregem sua spontè abundè incitatum
eò propulere, vt Pontificem iterum interpellaret; vt quoniam in ea flagrantissimæ
vrbis postulatione cohortationes minùs processerant, imperio ageret: ac eo quidem
ardore, successuque supplicatum; vt persuaserit sibi Pontifex, acerrima illa ciuium
studia non sine instinctu, ac vi Numinis esse. Ergò demandata statim Borromæo
cura, vt Aretio suo nomine, ac sanctiore pro potestate præciperet, vt diui-
næ sese tandem voluntati dedat, quam interpretari aptè erat ab contentione,
votisque inclytæ Vrbis: qui executus illicò mandatum, his illum litteris appel-
lauit.

Vrgentibus adhuc Neapolitanorum studijs.

Agitur pro imperij potestate.

Cùm flagrare adhuc Pontifex intelligat istius Vrbis studia, ac perstare in expe-
tenda tui opera apud Catholicam Philippi Aulam; ac simul persuasum habeat, fo-
re, vt in obsequium Numinis cedat, quod tàm prolixè, constanterque ad publicę
rei commodum postulatur: illa eius mens est, vt remissa pectoris tui constantia,
tandem cedas: iussitque mihi, vt suo tibi nomine in virtute sanctæ obedientiæ præ-
ciperem, vt citra omnem tuæ Congregationis facultatem, cùm primùm sese dede-
rit occasio, in iter, ac opus ingrediare. Reliquum est, vt Pontifici, quod tuarum
partium est, pareas; ac Deus suæ te gratię muneribus ornet, & cumulet. Romæ
die sextadecima Maij. 1564.

Iubetq; Pontificis nomine Borromæus.

Nihil planè acerbius Paulo, quàm cogi ad id muneris, atque in splendidissi-
mam scenam trahi eo Legati vultu; at nihil antiquius, quàm demissè obtempera-
re. Verùm enimuerò, quòd illibata Romanæ Sedis reuerentia, ac imperio, quę-
dam adhuc declinandæ prouinciæ sese via aperiebat; ne nihil intentatum reliquis-
se videretur, quominùs longè optatissimę quieti suæ patrocinaretur; vti hac etiam
statuit: significauitque singulari quadam animi demissione Cardinali Borromæo,
peruelle se, scire ipsum, è Neapolitanis Sedilibus esse quod dissentiret, neque in
suam lectionem conspirasse planè omnia: proindèque haud par esse, illam se le-
gationem capessere, quam non omnium suffragia probauissent. Cuius quidem
rei & Romanos item Patres monuit, vt quos ipse neruos, ac vim ad Cardinalem
litteris non adhibuerat, adderent ipsi coram, ac perorarent ardentiùs causam. At
difflata illicò difficultas Riberæ litteris, ac Requesenij officijs: idque euicisse Are-
tius visus est, vt acrioribus stimulis adigeretur. Siquidem cùm vnanimi reliquo-
rum Sedilium sententiæ auersa vnius mens detrahere minùs potuisse, constiterit;
iterata alijs ad eum litteris fuere Pontificis iussa, ac insuper ad Nicolaum Fliscum:
Sauonensem Episcopum, qui tùm Apostolicum Nuntium Neapoli agebat, data
à Cardinali Borromæo epistola, vt Aretium vrgeret, exhiberetque sese, suamque
eâ super re operam Proregi. Has etiam litteras si hìc attexam, haud futuras lecto-
ri tædio facilè mihi persuadeo. Iuuat quidem signatis veluti tabulis agnosce-
re, quàm religiosæ disciplinæ fixus Paulus fuerit; & quàm ægrè interpellari sibi
beata studiorum, sacrarumque commentationum otia tulerit. Sic ergo ad illum
Borromæus.

At recusante adhuc iustis ex causis Aretio,

Alterum accedit Pontificis præceptũ,

Datis ad ipsum litteris,

Quas denuò rationes affers, quominus delatum à Neapolitana Ciuitate ad Ca-
tholicum Regem munus ineas; non eas esse Pontifex putat, vt præferri paucorum
suffragia reliquis eius Vrbis subsellijs debeant. Eapropter in eadem virtute sanctæ
obedientiæ præcipit, vt nullam præterea moram, ac impedimentum profectioni
nectas. Si Roma pertrãsieris, frui tui conspectu pergratum Sanctitati suæ erit. Et ipse
quidem, si quid in tui commodum impendere officij, ac operæ opportunitas iusse-
rit, faciam planè libenter. Quod ad Episcopum Asaphensem attinet, destinatum
in Belgium scias, vnde afferre Ecclesiæ suæ adiumenti, opisque aliquid poterit; ne-
que omni profectò ex parte, vt res posceret. Propterea æqui, bonique consulas,
si excurrere illum ad officij tui vices, vetat occasio. Deus tibi suæ dona gratiæ im-
pertiat. Romæ die vigesima septima Maij. 1564.

Et ad Nuntium Neapolitanum.

Ad Nuntium verò eiſcum litteras in hanc ſententiam dedit. Epiſtolam ad Paulum Aretium, Clericum Regularem Proregi miſi, vt pro Maximi Pontificis imperio, ac citrà Congregationis ſuæ authoritatem, quam illi Vrbs Neapolitana adeundi Philippum Regem, ac negotia cùm eo pertractandi prouinciam demandauit, alacri quidem animo ſubeat: ac iuxta hanc mentem ſuggeras ipſe etiam Paulo, vt iſthæc Sanctitatis ſuæ imperata expeditè, ac quàm primùm faciat. Tum quicquid hac in re Prorex efflagitauerit, cura, vt diligenter exequare. Id quod haberet te in mandatis, monitum illum velis: ac ſoſpitet te Deus. Romæ die vigeſima ſexta Maij 1564.

Paruit illicò Aretius,

Tranquillata Pauli mens, atque obtemperandum omninò duxit poſtremis his Borromæi litteris: de quibus, quoad eam partem, in qua Epiſcopum Aſaphenſem memorant, dicemus infra. Ergò, re conſtituta, quanto cum ardore, conatuque contenderat, ne id ſibi muneris imponeretur: tantundem poſtea ſtudij, curæque adhibendum, cùm in maturanda profectione, tùm in grauiſſimo negotio conficiendo, apud animum ſuum reputauit. Nec mora: inſtructus monitis, ac tùm Proregis, tùm Neapolitani magiſtratus litteris ad Regem, ac pleroſque Hiſpaniæ Magnates, Viroſque eius Aulæ, & Conſilij principes fuit. Cùmque ſtaret iam in anchoris claſſis, quæ adornata in Mauros expeditione in Numidiam commodùm tranſmittebat: illam conſcendit: ſoluitque ineunte menſe Iulio ſecundiſſima velificatione, quaā breui Niciam Prouinciæ tenuit: cùm quæ aliò curſum intenderet claſſis, reliquum ipſe viæ conficere terreſtri itinere per Galliam cogitauit. Matritum affluxerat iam Neapolitanæ legationis, aduentuſque Aretij rumor: quare excitatum incredibile in omnium animis deſiderium, Virum de facie cognoſcendi, quem fama magnificè deprædicabat. Et verò quem ſciuerant ſublimi quadam mentis celſitudine publica, eaque ſplendidiſſima munera, in quæ ferri perditè mortalium ambitio ſolet, deſpexiſſe: repudiaſſe item non ſemel Infulas; totumque ſe voluntariæ paupertati, ac Deo mancipaſſe; ſupra communem hominum virtutem, laudemque exiſtimabant: atque adeò aduentare in Aulam eius notæ, ac ſanctimoniæ Virum gratulati magnoperè Hiſpani proceres; illum poſtea omni officiorum genere excepere: vt, quanuis Oratoris partes, atque inclytæ Vrbis perſonam in eo agnoſcerent, ac pro merito honeſtarent: maiores nihilominùs exhibere honores Paulo, quàm Legato videbantur; colebantque munus quidem pro modo, virtutem ſupra modum: admirati honeſtiſſimæ frontis, ac oris modeſtiam, exactumque ad Religioſæ humilitatis leges habitum; tùm ſermonis parſimoniam, ac frugem: quæ planè omnia latere excellentius quid in animo ſignificabant: cùmque in eo præſtantium virtutum agmine, ea quæ latere magis optat, humilitas maximè eluceret; vulgò, vt narrat disertè Andreas Auellinus, appellare illum cœpere, Humilitatis ſpeculum. Hac nempè authoritatem ſibi, gratiamque, ac plauſus apud Hiſpanos Primates, Aulamque conciliauit. Interim impetrato ad Regem aditu, honorificentiùs quidem, vt idem Auellinus ait, acceptus ab illo eſt, quàm excipi magni Principes ſoleant; vt venerari, quàm honeſtare potiùs Virum videretur: dignam quippe excellenti quodam genere humanitatis indolem illam, probitatemque exiſtimabat, quam dignitatum contemptu, nouerat ſua etiam magnificentia maiorem fuiſſe. Atque id quidem profeſſus ſtatim eſt, pergratum ſibi fuiſſe, quòd de vultu agnouerit. Tùm audita legatione, acceptiſque litteris, ſpem regia humanitate fecit impetrandi, quæ poſtularet. Altera verò luce adeſſe ipſe, atque ornatiſſima Coniux Regio in Sacello ſacrificanti voluere; teſtati hac religione eximiam de eius vitæ ſanctimonia opinionem.

Cumulanique præſenti virtute opinionem.

Acceptus à Rege quàm honorificentiſſimè.

Qui vna cum Coniuge adeſſe eius Miſſæ ſacro volut.

Aretij poſtulatis minus fauet regium Conſilium.

Iam verò, excuſſa non poſt multò Philippi iuſſu Regio in Senatu ea Aretij fuere poſtulata, haud quidem ſecunda ſuffragatione. Enimuerò haud par eſſe decreuere, vt quas leges, ac Sacræ Inquiſitionis ſtatuta reliqua iam Auſtriacæ Dominationis Regna ſubierant, ijs ſubduci Neapolitanam Vrbem, Regnumque contingeret. Intereſt nanque Imperij tranquillitatis, æqua lance Prouincias temperari: & communi quidem populorum obſeruantia firmantur leges, perennantque. Quapropter quæ fuere Neapolitanorum, Paulique votis. Rex cœperat, viſus hac ſupremi Conſilij

Mora negotium eludere Philippus cogitat.

sententia hærere. At quæ erat in Aretium beneuolentia, ne exclusisse apertè videretur, eludere negotium mora cogitauit: ita fore, vt regiam ille voluntatem agnoscens, affectusque longioris Aulæ, reique tædio, reuersionis consilium iniret. Extrahendo, vt constitutum erat, negotio, consecutus opportunè secessus Villæ, regiæque venationes, quæ magnam anni partem Philippum distinuere. Verùm qui nouerat, nullam non expugnari vim, aut arcem patientia; vincere tolerantia, eademq; mora rei difficultatem sibi proposuit. Intereà verò temporis, quanuis assueto tacitis vitæ rationibus, regularique obseruantiæ non poterat quidem non ingenti molestiæ esse diuturnum extra Ordinem domicilium; eorumque vti contubernio, conuictuque, quibus alij omninò mores, ac mens: exigere nihilominùs profana ad religiosæ cuiusdam disciplinæ formam omni ope contendebat. Domi assiduæ ferè preces, aut otia litterarum continebant: egredi verò perquàm rarò, officia, sæpè pietas, ac templorum religio compellebant; ac tùm quidem eo cultu, vt nihil ad seueriorem instituti rationem desiderares. Aucta hinc communis erga Virum sanctissimum reuerentia; cauebantque passim omnes, ne eo præsente inconcinnè aliquid aut gestu, aut verbo excideret. Illud hìc non dissimulandum, quod moliri ad eius sanctimoniæ, morumque seueriorum periculum confidentissimos quosdam è contubernio homines contigit; quorum ille aliquando licentiam acri obiurgatione mulctauerat. Mulierculam immittere in Pauli conclaue non dubitarunt, clam ipsis scenam inspectantibus, dum illa illecebras, amplexusque expediret. Proximè iam accesserat ea lues, tangebatque penè Pauli vultum; cùm animaduertens ille rem, excanduit; ac vehementiùs inclamans, fugauit impudentissimam fœminam; eoque animi impetu abreptus, in hæc verba erupit: Gratias Deo, quòd muliebres vultus nunquam vultus hi mei tetigere. Profligatum strenuè subitarium id bellum fuit insigni hoc suæ pudicitiæ testimonio, quod abruptè, nolensque pronunciauit, ne deessent triumphales egregio bellatori laudes. Constant hæc Lucij Boccapianulæ, Neapolitani, equestris Ordinis, ac spectatæ probitatis Viri, fide. Discesserat is in Hispaniam cum Aretio: sed confecta domestica re sua, redijt eodem hoc anno Neapolim; ac de illius cùm studio, curaque in negotijs peragendis, tùm præstantissimarum virtutum exemplis, ac sanctimoniæ fama, quam in Aula collegerat, euulgauit planè magna. Conuenitque præsertim Andream Auellinum, cuius vti opera, ac auribus in expianda conscientia solitus erat: narrauitque singillatim illustria ea probitatis documenta, quæ ille postea cum reliqua Pauli virtute breui commentario excepit: ac tùm quidem temperare calamo non potuit, quin hæc Aretio significaret, quem nouerat illa in primis angi cura, quod non deerant inter Neapolitanos proceres, vt multiplex est multitudinis ingenium, ac mens, qui moram iniquè carperent; & quod difficillimi negotij vitium erat, in eius aut ignauiam, aut inexperientiam confidentissimè deriuarent. Planè, etsi æquissimè hæc ferret Paulus; ac insuper haberet, proscindi legationem, modò acerrimis curis suis non deesset ipse muneri: attamen, vt nunquàm extra omnem teli iactum mortalitas est; persuadere quendam mœroris sensum præclaram eam mentem oportuit; communicabatque cum amicissimo capite, Andrea Auellino, animi molestias, vt quà ille precibus, quà suauissimis monitis & obtrectationum acerbitatem, & diuturnioris moræ fastidium temperaret. Et Andreas quidem, vt hanc potissimùm subleuandi amici à Boccapianula occasionem perquàm libenter arripuit, ita nō deerat frequentissimis subindè adhortamentis. Extantque penes nos datæ vltrò, citròque litteræ, quibus ille quidem peroptare sodalium, Fratrumque contubernium, ac tranquillissimam disciplinam videbatur; explicabatque, quæ morderent acriter curæ: hic verò singulari quadam arte, sensuque diuinorum admouere affecto pectori salutarem manum, ac præsentissima remedia curabat. Has hìc porrò Epistolas, etsi non sine legentium fructu esset; recensere, supersedimus: quemadmodum & prolixiorem illam, quam ipse Aretius, dum Mantuæ Carpetanorum moraretur, ad Saluatorem Caracciolum dedit. Disertissima ea quidem, & quam diuina quædam dictasse mens videtur; vt nihil de rerum diuinarum existimatione profundiùs, nihil de humanarum pretio, contemptuque aptiùs commentari, aut scribere quis possit. Legisse illam apud

Aretij viuendi ratio, quoad immorari Aulæ contigit.

Pudicitiam strenuè propugnat.

Eius ab Lucio Boccapianula laudes.

Aretij sensus, ac moram mulcet litteris Auellinus.

Eius ad Saluatorem Caracciolū literæ piissimæ ac peceruditæ.

Ioannem ª Baptistam Tusum haud sanè pigebit; neque vsurpari sine virtutis compendio continget: & quando totus lucet, spiratque in scriptione animus: conspici in ea facilè poterit erudita diuinitùs Arctij mens, eiusque in Dei amore flagrantissima voluntas. Nos verò pergimus. ª Hist. Cl. Reg. cap. 23.

Exijt hic annus, cùm Philippus Rex reuersus Matritum est; statimque, exorato priùs Numine, interpellare illum Paulus, ac conficere, quod instituerat negotium, statuit. Admissus, quæsitissimis precibus rogare Principem, vt quando dignam sua clementia, ac Neapolitanorum fide rem postularet; ne ludi addictissimæ Vrbis, Regniquo vota, ac triuisse se tantum in Aula temporis nullo quidem operæ fructu, ingentique cum sumptu; pateretur. Admirationi Regi fuit, ea constantia, ac fide vrgeri negotium, quod abruptum mora putabat: tùm Aretio, rediret Neapolim, respondit; quid autem ea super re decreuisset, curaturum se, vt Neapolitanis significaretur. Ille haud quidem suo muneri consentaneum ratus, postquàm id in Aula temporis insumpsisset, nondum explicata Regis voluntate, incertoque exitu, reuertii insistere strenuè: eòque tandem deuenit, vt Regis pedibus aduolutus, obtestari illum de genu cœperit, constanterque profiteri, nunquam ab eius se vestigijs discessurum, nisi quæ inclytæ Vrbis nomine efflagitaret, benignè impetrasset. Valuitque vsque adeò illa obtestatio, cui momentum ingens addebat quædam ex virtutis opinione reuerentia; vt non ita post multò indulserit Philippus postulatis, ac iusserit expediri ex voto litteras. Largitori bonorum Deo acceptum retulit Paulus quicquid à Rege obtinuit. Ac perfunctus suo iam munere, successuque lætus, maturare profectionem statuit. Aulæ officia quàm potuit citissimè persoluit; cùmque nulla transmittendi maris opportunitas sese daret, terrenum iter instituit: nec pigebit stylo sequi, ac narrationem hoc anno, in quo versamur, absoluere; vt continentem, nec interruptam huiusce legationis, atque itineris seriem Lectorum animis subijciamus. Regem iterũ adit. Enixeq; obtestatus eius benignitatẽ, Postulata impetrauit. Dimissus, Neapolim iter intendit.

Pyrenæis iugis, ac mox Alpibus superatis, Italiam tenuit. Mediolani, vt suæ de more humilitati caueret, excipi vulgari, communique tecto voluit. Verùm qui tùm vices, fascesque Mediolanenses moderabatur, Ferdinandus Franciscus Daualos, Piscariæ Marchio, vbi adesse Paulum resciuit; & Neapolitanum Oratorem, & tantæ virtutis, ac nominis Virum prosequendum sibi meritis honoribus duxit: traductumque ad suas mox Ædes, nullis non beneuolentiæ, honorisque argumentis honestauit. Cumulata præcipuè est lætitia ornatissimæ Coniugis, Isabellæ Gonzagæ; & Antoniæ Daualos, Piscarij sororis, Sulmonis postea Principis: quæ singulari humanitate inuisere præclarum hospitem in eius conclaui voluere; quod enimuerò Viri modestiam, animique demissionem altiùs vulnerauit. Et clarissimis illis quidem Heroinis stetit collati in Paulum honoris sua merces; excitato nimirùm pulcherrimo ad virtutem impetu sanctissimis eius adhortamentis, ac monitis: ac narrare postea Nostratibus consueuerant, qua se persundi intimè lætitia contigisset, quòd & agnouerint, & audiuerint Virum sanctum. Romam deindè appulit; ac gratissimum planè Pio Quarto Pontifici fuit, Virum inspicere, quem adigere ad Sacerdotia, ac Infulas Pontificiæ litteræ, & cohortationes minimè potuerant. Carolus itidem Borromæus, cui mores boni, sanctique in pretio erant, complexus in primis illum singulari affectu est; eiusque frui domesticis, priuatisque sermonibus non semel voluit: quo sanè conceptam de eo sanctioris vitæ opinionem, ac beneuolentiam adauxit magnoperè; vt semper posteà in honore habuerit, ceu præsigni virtute virum, nec è communi hominum censu. Hinc Neapolim iter intendit; ac propè aberat, cùm structas humilitati insidias declinare maturè oportuit. Enimuerò Antonius Aragonius, Dux Montalti, splendidissimum procerum agmen adornauerat: iamque erant in equis, vt venientem quàm honorificentissimè extra Vrbem exciperent, deducerentque. Perculit id Virorum Principum studium, ac ostentatio Pauli animum: vtque ab illustri ea contumelia, ac splendido veluti conuicio humilitatem vindicaret; mutato statim itinere, relictaque militari via, officia, ac pompam lusit; successitque clàm Neapolim; gratulatus magnoperè confectum iam cum Deo iter; ac suis se, suæque tranquillitati restitutum. Postera luce Riberam Proregem adijt, tùm Excipitur Mediolani per honorificè à Piscario, Et Gonzaga Coniuge, ac Sorore. Eius Romam aduentus Pontifici gratissimus, Et Carolo Borromæo. Neapolim peruenit. Procerũ officia, ac deductionẽ ludit. Ribera Proregi,

tùm Neapolitanum Senatum; atque ad frequentissimam concionem negotij moras, seriem, successum disertè exposuit. Testes collati beneficij litteras tradidit; tùm in amplissimam Vrbem, Ciuesque Regis voluntatem testatus, finem legationi, ac orationi imposuit ingenti cum omnium Ordinum gratulatione, plausuque. Illud profectò eius non modicè existimationem intendit, atque incorruptæ cuiusdam mentis indicium fuit. Domum euestigiò reuersus, quæ sibi, ac Socijs eo in itinere vsui fuerant, penulæ, totumque viæ choragium, publica nimirum pecunia comparatum, septem Vrbis Viris remisit: ostenditque restituta ea supellex, qua fide vsus communi ære fuerat Paulus; qui id in ore sæpiùs habebat, Regnorum Æraria pauperum laboribus, ac censu conflari. Hanc integerrimæ virtutis indolem non satis admirati Proceres, cedere id omne in Paulinæ Domus commodum voluere; atque alia insuper non vulgaris beneuolentiæ documenta addidere, quibus testati abundè sunt in Paulum beneuolentiam, ac debitum ob rem præclarè gestam.

Et Neapolitanis Ordinibus legationis exitum exponit.

Remissa Septem-Viris itineris supellex.

Accidere hæc Maio mense anni consequentis, vt diximus; quò excurrimus, vt quam instituimus narrare, legationem absolueremus. Reuocandus nunc gradus, & calamus, quem vocat Thomas Goldu ellus haud operoso minùs itinere. In ijs, quas ad Paulum Aretium supra recitauimus, Cardinalis Borromæi litteris, illud postremo loco addebatur, Episcopo Asaphensi Golduello haud liberum esse, Neapolim se conferre; quando destinauerat iam illum in Belgium Pontifex. Quę res ita sese habuit. Aretius Paulinę domus Prępositus, cùm ab acerrima ea Neapolitanorum contentione Hispanicæ legationis munus effugere minùs posse intelligeret; suæ domus administrationi consulendum in tempore statuit; vt ipso abscedente, esset qui vices cum disciplinæ incremento, atque ex omnium votis temperaret. Aderat quidem domi Hieronymus Ferrus, singulari Vir prudentia, qui anno præterito Cœnobium cum laude rexerat; & sanè commodissimè subire id tunc oneris poterat. Verùm eius tùm maximè solertia, excellentique eruditione in Neapolitanæ Ecclesiæ moderatione, vtebatur Alphonsus Cardinalis Carafa: distinebantque publicæ, grauissimæque eæ curæ vsque adeò Ferrum; vt censeret Paulus, haud posse, Virum alioqui summis rebus parem, domesticis iuxta, atque exteris occupationibus sufficere. Quapropter opportunissimum fore Thomam Golduellum existimauit: nec longè aberat. Defunctus nanque Mediolanensi munere, quod illi Cardinalis Borromæus contulerat, vt supra monuimus; Romam concesserat. Ergo in id Paulus incumbere, vt Paulinæ rei Asaphensis interim imponeretur; egitque cum Prorege, vt ea de re Pontifex rogaretur; & compositis ipsemet litteris ad Cardinalem Borromæum, id ipsum impensiùs efflagitauit. Responsio verò illa fuit, Episcopum Golduellum in longinquius quidem iter, atque ad communem Ecclesiæ vtilitatem longè fructuosius propè diem ingressurum: cui cedere par erat priuati Cœnobij commoda. Extimulabat enimuerò Thomam cùm suæ Diœcesis, tùm Regni totius permacris quædam cogitatio, ac cura; intentusque suspensis auribus, animoque erat, si qua spes iuuandæ Anglicanæ religionis affulgeret: quod quidem in causa fuit, cur oblatas sæpiùs nouas in Italia Infulas recusauerit: nempè, vt cùm sese occasio, atque opportunitas daret, adire statim Angliam posset, expeditus ad opem popularibus suis ferendam, quos intimè dolebat, tam luctuosam Orbi fabulam dare: atque hoc item consilio, vti significatum est, rem Mediolanensem, quam Borromæi iussu vicaria authoritate administrabat, reliquit; vt Romanæ Sedi propior, vrgere Anglorum salutem opportuniùs posset, aut acceptis hinc Pontificum mandatis inuolare ipse in eam arcam, vbi Reginæ debacchantis iniuria, & crudelitate rari administri erant, ac fides rarior. Cùm igitur sæuiente magis, magisque procella Anglicana, subsidium aliquod prostrata in eo Regno res Christiana expeteret; decreta hoc anno, atque instituta in Belgium expeditio fuit; vt explorato è proximioribus ijs prouincijs rerum statu, dispositæ veluti in limite copiæ, facto statim gradu insilire in Angliam possent. Destinata operi lectissima Virorum manus, inter quos cùm dignitate, tùm virtutis opinione Antesignanus Episcopus Asaphensis fuit. Excurrit itaque religiosa, ac ardens illa in Belgium cohors: & Golduellus quidem, cui ab Infulis excelsior quædam, ac generosior mens erat, ac pro patria salute, suarumque

Golduellum regendæ domus postulauerat Aretius.

Hieronymus Ferrus dat operã Ecclesię Neapolitanæ.

Vrgebat Golduellũ patria Religio.

Ideò Infulas in Italia recusauerat.

Destinatur in Belgium.

rumque potissimùm ouium incolumitate præclaros sibi labores, ac pericula proposuerat; ita in Belgicis finibus constitit, vt in omnem subindè traijciendi in Britanniam occasionem accuratè intenderet. Explorare, tentare omnia diligenter; tandem, etsi nulla ex parte refrigeratus ardor ille mentis, aut fractus egregius animi impetus, ac vigor esset; spes tamen Virum flagrantissimum destituit. Enimuerò Elisabetha, vt adsunt vbique Principum oculi, & aures, resciuerat iam Anglicanam expeditionem suscepisse viros strenuos, Duce Asaphensi, cuius illa animos, eruditionem, indolem apprimè nouerat; nec exciderat animo fuga, qua pridem regiam iram, ac rabiem luserat. Ergò, cùm intendi per littora, orasque Anglicanas omnes excubias iusserit; tùm quæ ab Golduelli virtute, ac Insulis vehementiùs sibi, Regnoque metuebat, eius effigiem littorum, Vrbiumque Præfectis misit, vt si fallere is exotico habitu, cultuque alio custodes sibi proposuisset; lineamenta, ac vultus proderent: pretium insuper pollicita ijs, qui aut viuentem illum, aut extinctum tradidissent. Horum certior factus Asaphensis, fama nihil reticente; ac re nihilominùs diutiùs explorata, ludere se in ea rerum conditione operam intellexit. Nam præterquàm quòd præclusi omninò aditus; nunquam fore existimabat, vt tot vigiles, intentosque in notum Golduellum oculos effugeret. Proindèque quorsum illa in Angliam traiectio nullo operæ pretio, fructuque religionis? Ad hæc, metuendum maximè erat, ne agnitus ipse, socios etiam proderet; quos priuata adhuc virtus, ac fama traducere pio quodam astu, ac ingenio in id Regnum poterat. Quapropter haud ampliùs terendum in Belgio tempus duxit; reuersusque Romam, exceptus in nostra Quirinali domo ingenti cum omnium lætitia fuit. Et qui sedulum in sua Ecclesia Antistitem agere minimè poterat, Religiosum in suo Ordine agebat; ea quidem Theatini moris obseruantia, vt citra Episcopatus insignia nihil ad exactam Clerici Regularis formam desiderares; nocturnæ scilicet, diurnæque psalmodiæ, cæteræque disciplinæ, studijsque communibus quàm intentissimus, vt aliàs monuimus; Extra verò domum eximia pietatis documenta dabat. Siquidem proscripti decumana illa hæreticorum impietate, fortunisque, ac penatibus exuti Angli, cùm in Vrbem, veluti in communem salutis aram passim conuolarent; complectebatur, fouebatque ipse omnes, quibus poterat humanitatis officijs. Atque hoc potissimùm tempore administrare publicum suæ Gentis Nosocomium Romæ contigit: dignum planè curis suis opus, cui quærere cùm à popularibus, tùm ab alijs adiumenta, opemque cernebatur; vacabatque tùm curandis, fouendisque corporibus, tùm iuuandis opportunis cohortationibus animis ingenti cum pietatis laude.

Vbi explorato aliquantisper aditu,

Sed re desperata,

Dispositis nepe diligentissimè à Regina excubijs,

Romam reuertie

Domi, forisque peruetilis.

Huic verò Golduelli in studio animorum sedulitati annectenda hoc anno Hieremiæ Isachini caritas, quem scimus Venetijs in proximorum institutione, quà publicis declamationibus, quà secretis documentis sub id maximè tempus strenuè desudasse. Quod autem præcipuè vrgere opus videbatur, id erat pœnitentium mulierum institutio. Enimuerò excitatum non ita pridem Venetijs Nostratum opera Gynæceum fuerat, peramplum illud quidem, ac planè commodum: in quod, vbi vitæ, famæque suæ incestas mulieres piguisset; naufraga earum sese pudicitia, veluti in portum, sinumque diuinæ bonitatis reciperet. Planè, vt arduum omninò est, quæ, exuta semel verecundia, publicis se illecebris deuouerunt, ad honestatis frugem, decusque reuocari; ita nihil profectò laudabilius, ac sanctius, quàm prostituto eiusmodi pudori consulere; assertisque ab indecora ea nundinatione, foroque adesse pia ope. Eaque propter nihil ad sanctitatem, famamque Vrbium præstantius, quàm huiusmodi extare pudicitiæ castra, in quæ pulcherrima defectione transfugiant lapsæ iam fœminæ. Et Nostrates quidem demereri Venetiarum Vrbem cùm alijs pietatis operibus, tùm hoc præsertim prostitutæ honestatis præsidio, studuere: fundato nimirum, instructoque percelebri eo Pœnitentiæ Cœnobio, vbi refigendis, repurgandisque, quos iam fœdauerant diuturnæ sordes, ac voluptates, moribus, sedulam ponebant operam; præcipuè Isachinus, qui in hoc vigiliarum, ac pietatis genere hoc potissimùm anno summa ope laborauit: gnarus quippè, quàm esset in lubrico assueta ea mulierum indoles; & quo ali studio illa bonæ mentis rudimenta

Isachini Venetijs sedulitas.

Pœnitentium mulierum contubernio adest.

Quàm laudabilis eiusmodi cura.

Quàm sedulò Isachinus incumbit, dimenta oporteret, quoad in frugem euaderent; insigni quadam cura operi excubabat. Piacularibus confessionibus sedulus, & totus aderat. Clandestino eo iudicio incredibilem iniicere criminum, vitæque totius anteactæ horrorem videbatur. Tùm habitis persæpè in commune, atque è superiore loco concionibus, pro ea, qua valebat, vi dicendi, adhortari, inflammare acriùs, vt ingentem in fœminis pœnitentiæ, Deique amorem excitaret. Ac planè breuì instauratum, quod exterus quidam sacerdos, qui rem Cœnobij procurabat, damni intulerat; eò quòd Nostratum monita, ac præceptiones spreuerit; vt ipsemet postea pro merito mulctatus, ac morti proximus, testatus palàm est. A nostris verò hominibus eius Monasterij primordia, ac primæuæ institutionis disciplinam extitisse, testantur, gratulanturque hodieque votæ inibi Deo fœminæ, quarum pietati, ac commodo, quà sacramentorum administratione, quà ijs concionibus etiamnùm Theatina desudat nauitas.

Qui & sancti Andreæ Gynæceum egregiè instituit. Isachini autem non huiusce tantummodò Cœnobij claustris circumscripta sedulitas erat. Siquidem Sacrarum Virginum Asceterium, à Diuo Andrea nuncupatum, à Nostris item primis veluti lineis, ac legibus magnam partem initiatum, egregiè excoluit, atque ad eximiæ cuiusdam sanctimoniæ formam expoliuit. Obtinuerat hìc vsus, vt moniales regulari quidem instituto, atque ex præscripto legum viuerent; verùm authorari votorum sacramento, ac solenni professione obstringi, minimè paterentur. Cauerat id nuper sacri Tridentini Concilij consultum; & quia præcipui sanguinis Virgines, ac flos erant Venetæ nobilitatis; qui earum professionem, & vota ex eius Concilij decretis vrgeret, erat nullus. Contigit ab Hieremia sub id tempus Asceterium hoc institui, qui singulari quadam prudentia, atque acerrimis præsertim ad omnem virtutem incitamentis, omnium quidem animis præclaram sanctioris vitæ flammam admouit: complures verò eò adduxit, vt conceperint statim publicè, ac ritè vota. Quòd quamuis non omnibus iniecta ea tunc mens fuerit; [a] prouenere nihilominus iacta illa ab Hieremia pietatis semina felici, atque vberrima planè segete, non ita multis post annis. Etenim, cùm Syluester Tufus, Vir nostri Ordinis excellenti virtute, ac Isulis posteà clarus, eundem hunc agrum anno eiusdem seculi octuagesimo septimo excoleret; adeò copiosum suæ industriæ fructum demessuit, vt vna simul die quinque & viginti ex eo Virginum cœtu Solennia vota emiserint. Id quod eius Monasterij disciplinæ non exiguam planè existimationem, ac famam peperit; cessitque permagnæ etiam Nostratum laudi: ac præterea Virginum ipsarum consanguineos ingenti lætitia compleuit, quos adstrictà iam votis suarum puellarum vita solicitudine exsoluit, metuque, quo tenebantur, ne propositum mutarent, conceptisque nuptijs patrimonia exhaurirent.

Eoque adhortante plexæque earum Virginum vota concipiunt.

a Comment. Valer. Pagan.

Neapoli Capitulum generale anni 1565. Neapolitana modò Comitia anni huius seculi quinti & sexagesimi perstringenda; in quibus ipsiusmet Capituli suo ordine, rituque celebrandi ratio inita. Enimuerò, cùm & qui interrerant Patres, & quæ confici negotia contingeret, excreuissent; dari certas quasdam Comitijs leges, modumque oportuit; ne quæ suboriri in eiusmodi conuentibus confusio facilè potest, consultationum, communisque rei commoda perturbaret. Præter alia verò illud in primis scitum, vt ex eo Patrum numero, censuque Capituli vnus quidam eligeretur, qui Præsidis nomine, & loco esset, & dignitate primus; proponeretque in commune excutienda; & quoad Capitulum absolueretur, & temperaret ipse nutu omnia; & obtemperarent ipsi omnes, veluti Rectori, ac Duci. Cuius posteà transmissa in posteros authoritas, ac nomen valet ad hæc vsque tempora: & quod in generali nostro Capitulo primo loco agitur, Præsidis lectio est; in cuius statim manibus cùm Pater ipse Generalis, tùm reliqui suo ordine Præpositi sua se quisque præfecturæ abdicant; ac in eo Interregno precario quidem, breuique munere non modò in Comitijs, sed in vniuersa etiam Congregatione summa illi potestas. Illud itidem sancitum, vt suus cuique Præposito esset Vicarius, cui locus quidem post illum, nulla verò, eo præsente, esset authoritas; sed tùm quidem, cùm abesse contingeret, impleret statim vices, ac munus. Bonum planè factum, vt proxima quædam, ac idonea esset ceruix, quæ onus subiret: ne si antiquior succederet, ad imparem deuolueret aliquando domorum procuratio.

Præses instituitur.

Eius munus.

Vicarij Præpositis dantur.

curatio. Vſus profectò docet, quanto cum diſciplinæ damno, vel exiguo tempore inepti regant: citò ſiquidem morum contentio, ac nerui eliduntur malo rectore: quemadmodùm exuere ſtatim diſciplinam, ac generoſitatem bonos, edoctoſque equos videmus, ſi vicariam, eamque imperitam manum frænum ſenſerint moderari. Hi porrò Vicarij, etſi abrogati poſtea fuerint; re tamen ad examen iterum reuocata, cùm è recta maximè domorum rectione eſſe, compertum fuiſſet; fuere denuò Præpoſitis attributi: perduratque eorum munus, ac nomen.

Patauinæ domus rudimẽta.

Dictæ aliæ inſuper leges Ordini, quas conſultò prætermittimus. Tùm refectis, qui renunciati ſuperiore anno fuerant, Præpoſitis, noua acceſſit Patauinæ domus Præfectura. Euocauerat diù ante Patauium Venetos Patres eius Vrbis, ſtudiorumque celebritas; amicorum etiam illexerant inuitamenta, & ipſa maximè Venetiarum propinquitas. Quo verò potiſſimùm id anno acciderit, incompertum habemus. Ducimur tamen non leui coniectura, Bernardinum Schottum, dum Venetijs ageret Clericus Regularis; eius fundamenta domus ieciſſe, anno circiter eius ſeculi quinquageſimo: ſub id nanque tempus Patauium illum immigraſſe, ac diutiùs inibi immoratum, eius docent, & amicorum vltrò, citròque litteræ, quæ penes nos ſunt: neque enim otioſè excurriſſe in eam Vrbem, atque, vt teſtatur ipſemet, ibi hyemaſſe, dicendus ille eſt; cui recollecta regularis vitæ ratio, ac tranquillitas, & ſacrarum litterarum ſtudia adeò cordi erant: præſertim cùm nec Venetijs deeſſent Schotto cùm domeſticæ, tùm grauiores exterorum curæ. Igitur eius opera, nuncupata Sancto Saluatori Ædes, conceſſa Patribus, tunc fuit: quæ quòd ad oram Vrbis extremam, loco quidem infrequenti, nec Theatinæ induſtriæ idoneo ſita erat; lentis admodùm ſeſe moliri progreſſionibus viſa eſt: ac pauci quidem, ac in ſumma rerum difficultate inibi cùm degerent, nequiſſentque Inſtituti munera, functioneſque obire Clericorum; inſtitui ad Cœnobij formam, atque imponi Præpoſitus, qui regeret ſuo iure, nunquam potuit. Suberat Veneto Præpoſito ea domus, Tolentinatis Domicilij appendix. Hoc autem anno, cùm polliceri Numinis prouidentia, piorumque liberalitas, ac ſtudium nonnihil rebus incrementi viderentur; augere capitum numerum ad Eccleſiæ cultum, ac proximorum inſtitutionem, & commodum decreuere; ac inſuper Domus Præpoſitum renunciarunt. Fuit is Auguſtinus Barilius, qui paucis ante annis Venetam domum cum laude rexerat. Vt autem progredi in eo Cœnobio res Patauina minus potuerit, ac mutatus ſubindè locus in opportuniorem Vrbis partem fuerit, in tempore ſignificabimus. Interim, quando Bernardinum Schottum Patauij commorantem memorauimus; haud quidem in calce huius libri diſſimulandum laudatiſſimum omninò opus, quod ibi eo temporis ſpatio excitauit. Contubernium id fuit mulierum Pœnitentium ad eundem prorsùs modum, quo Venetijs fuiſſe inſtitutum, diximus. Domum peropportunam extruendam curauit; ereptaſque ſuis ſordibus, ac cœno fœminas in ea pudicitiæ ſepta concluſit. Adfuit cohortationibus, ac monitis, quoad coaluiſſe eiuſmodi diſciplinam, ac Cœnobium vidit: cuius mox fundationi acceſſit eius opera Iulij Tertij Pontificis diploma, Romæ datum, ſub die vigeſima ſeptima menſis Februarij anni eius ſeculi primi, & quinquageſimi; vt ex Valerij Pagani Commentarijs, atque è Neapolitano Diui Pauli tabulario abundè conſtat.

Agente Bernardino Schotto.

Suberat primùm Veneto Cœnobio.

Mox ſui iuris, Præpoſito Auguſtino Barilio.

Pœnitẽtium mulierũ Cœnobium excitauit Patauij Schottus,

Impetrato Pontificis diplomate,

LIBRI VNDECIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DVODECIMVS.

Renunciatur Pontifex Pius V. an.1566.



ANNVS voluentis sæculi sextus, & sexagesimus faustis omninò auspicijs illuxit Christiano Orbi, inaugurato videlicet nouo Pontifice, qui incredibili quadam animi altitudine, celsiore quidem Natalibus, ac Patria, vitæque in primis sanctimonia Romanos fastos impleuit. Fuit is Michael Ghislerius, Card. Alexandrinus, è Dominicano Ordine: qui, elato Decembri mense obeuntis anni Pio Quarto; die Ianuarij sexta insequentis mox anni, consalutatus Pontifex fuit, appellatusque Pius Quintus. Cuius profectò inseri in nostris historijs memoriam, par est; quando Pauli Quarti, nostræ Familiæ Conditoris iudicio, collaro in illum supremo honore Purpuræ, quædam refundi in nostrum Ordinem dignitas à tanti nominis Pontifice, eiusque Infula videtur. Neque verò silere de Pio Quinto Annales nostros vnquam patientur, aut eximia eius in Pauli Quarti memoriam gratitudo, aut ingentia in rem nostram communem collata beneficia. Est porrò, quod in auspicatissima hac Pij inauguratione de Paulo Quarto narremus; cui non satis omninò fuit in amplissimum Cardinalium Collegium Ghislerium adoptasse; verùm diuino quodam instinctu mentis destinasse etiam supremæ Orbis Præfecturæ, ac dignitati videri voluit; vt & Alexandrini Purpuram, & Pij Pontificatum sibi vendicet Pontifex Paulus. Enimuerò, cùm supremum iam spiritum ageret, ac maximè conquererentur, qui aderant, Augusti Patres, eo se tempore destitui; cùm restinctis Principum simultatibus, bellisque, ac restituta Ecclesiæ tranquillitate; magna, ac in rem Christianam opportunissima polliceri sibi ab insigni eius zelo videri poterant: quibusdam illos verbis interpellauit: quæ, vt ᵃ Antonius Caracciolus narrat, ea pronunciatum mente putarunt Purpurati ij Patres, vt innuere Cardinalem Alexandrinum voluerit; cui supremam illam Potestatem & optasse pro meritis, & quodam animi sensu prædiuinasse visus est. Tantæ autem existimationi, ac munificentiæ respondit abundè Pontifex Pius; gnarus, non magna accipere, sed referre magna summæ virtutis argumentum esse. Et quidem Pauli nomen, dignitatem, virtutem, sanctimoniam, genus, vsque adeò cohonestauit Pius, ac prosecutus affectu est; vt reuixisse consepulta immeritò eius memoria, ac fama visa fuerit. Vt verò Pontificijs indumentis, nonnisi quæ Paulus gestauerat, ac triuerat, vti veneratione quadam voluerit; vt adornato sumptuosius sepulcro, eò illum transferri, condique quàm honorificentissimè, atque anniuersaria à Sacræ Inquisitionis Cardinalibus iusta persolui, imperauerit; vt ab ipsis statim Pontificatus initijs implere eius vestigia, ingentesque cogitationes suas ad Paulinæ mentis consilia confirmare, acerrimè studuerit; vt visus denique assecutus magnam eam indolem, magnanimitatem, zelum, ac totum Paulum; diximus abundè quidem in loco. Nostram autem Sodalitatem, quam à Paulo Quarto vnà cum Thienæo, socijsque, profectam nouerat; complecti hoc potissimùm nomine non vulgaris beneuolentiæ argumentis videri voluit: nec excipiebat modò perbenignè Nostrates, fauebatque eorum postulatis; verùm aderat etiam munificè inopiæ: vtque duraret perpetuò liberalitas, illud in primis Quirinali Domui beneficium impendit sub ipsis Principatus auspicijs, vt à vectigalibus, quæ pendi ex ijs solent, quæ terra, marique in Vrbem inuehuntur, exemptum omninò Romanum id Cœnobium foret; eademque frueretur immunitate, qua amplissimorum Patrum Ordo fruitur.

A cuius Infula nonnihil dignitatis deriuat in nostrũ Ordinem.

Eius Pontificatum prædicit moriens Paulus IV.

ᵃ Vit. Paul. 4. M.S. lib. 4.

In quẽ gratissimus Pius V.

Et eo nomine nostræ Sodalitatis percupidus.

Exẽptionem Quirinali Domui elargitur.

fruitur. Id quod Pontificio diplomate consignatum, munitumque ad alteram subinde Diui Andreæ à Valle fundatam Romæ domum extendit Sixtus Quintus Pontifex Maximus. Et Pius quidem in Ordine exornando non hic substitit. Maiora largitum dicemus suo loco: atque interim non prætermittendum, ipsum ad illecebram quandam humanitatis, affectumque erga nostros homines declarandum, non ita post multò ab inito Pontificatu, Sancti Syluestri Ædem inijsse, ibique ad pedum oscula prouolutos Patres singularis amoris significatione, ac perquàm comiter appellasse; nec sine præclaro beneficentiæ documento discessisse; relicta nimirùm Æde, cælestibus diuitijs locupletata. Siquidem quotannis illam festa Sancti Syluestri luce adeuntes septenis indulgentiarum annis, totidemque, vt aiunt, quadragenis donatos voluit.

Quam extendit ad alterū Romę domicilium Sixtus Quintus.

Adit S. Syluestri Ædē Pius,

Eamque indulgentijs ditat.

Iam verò, in Pontificijs hisce Comitijs, quæ hoc anno contigere, haud quidem prætereundus Cardinalis noster Tranensis, vacuusque ab omni rerum ambitu eius animus. Morabatur is Placentiæ, suis videlicet Ecclesiæ curis intentus, cùm defunctus vita est Pius Quartus. Planè, ea ætate Vir, eiusque doctrinæ laudibus, numerisque prudentiæ spectatus, dignus haberi poterat, qui in ea Patrum suffragia vocaretur, capessereique supremos fasces. Eapropter ne deesse fortunæ suæ videretur, inuolare magnis itineribus Romam debuerat Tranensis. Id quippè mortalibus, hoc est, excellentiæ, gloriæque percupidis, insitum, vt momenta rerum præripiant; nec præteruolare præcipitem occasionem sinant. Corrumpitur nanque opportunitas, si periculum facere, aut ignauè, aut superbè contempseris. At non is vellicare Cardinalis Schotti animum ambitionis stimulus potuit; ac ne videretur Romam ad amplissima Comitia concessisse, vt Patrum vota emendicaret, prensaretque Purpuras, summi fastigij candidatus; hærere Placentiæ, suarumque ouium institutioni, atque vtilitati vacare statuit. Quod verò ad virtutis commendationem rarius fuit: Cardinalis Farnesij inuitamentum, factasque supremi Sacerdotij magnificè ab eo spes constantissimè repulit. Enimuerò, cùm is Schotti consilium resciuisset; quoniam facilè fore existimauit, vt Vir laudatissimus in Pontificem euaderet: vrgere illum precibus, ac persuadere conatus omni ope est, vt accederet; quibus ille incitamentis dimoueri loco, ac mente minimè est passus; quanquam non ignoraret à Farnesio ea esse, qui regere magnam partem clientelis, ac nutu Romana ea Comitia iam diù consueuerat. Ad hæc accessere propiùs Petri Francisci Ferrerij, Cardinalis Vercellensis adhortamenta, qui Romanum iter cùm intenderet, Placentiam deflexit; egitque cum eo cominùs, vt vnà irent: nec valuere cum obfirmata iam mente preces; causatus quippè senium, renuit suæ dignitati tàm splendidè velificare. Verùm enimuerò declinare tempestatem in Placentina ea statione, ac portu voluisse, paulò post demonstrauit. Siquidem inauguratus Pontifex Pius Quintus Romam illicò singulari quadam beneuolentia Cardinalem Tranensem euocauit. Scire se, inquit, compositis ad eum litteris, à quo ipse Purpuram accepisset; tùm virtutem, ac peritiam rerum agendarum compertam sibi cum primis esse: adiret proindè ad Vrbem, partemque eius sibi Principatus, ac supremæ Infulæ vendicaret. Nouerat Tranensis ad publicas, grauissimasque iterum curas, atque Aulæ negotia Romam prouocari: & qui cùm affulgere, atque adblandiri spes amplissimæ viderentur, exorari minimè potuit, vt tantæ rei aleam subiret; ad operosiores Romanæ Sedis labores, vigiliasque postmodùm vocatus, excusare æuum, exhaustasque penè vires noluit: statimque Romam se contulit, exceptus perquàm honorificè Vaticanis Ædibus à Pontifice. Propiorem nempè exactam Viri prudentiam Pius voluit; vt communicare opportunè, partirique cum eo Ecclesiæ curas posset.

In Pontificijs Comitijs Placentiæ se continet Card. Schottus.

Quem ad supremū fastigium prouocabat fama.

Et vrgebat Farnesius.

Et Card. Vercellensis.

Pōtifice inaugurato Romam adit.

Ab eo vocatus publicis negotijs accurandis.

Illud statim Maximo Pontifici, cui præcipua à zelo fidei, acrique hæresum odio commendatio, curæ fuit; vt Sacræ Inquisitionis Officium ea, qua ipse animi constantia, atque integritate administrauerat, alij subindè regerent; gnarus id vnicum Nouatorum frænum esse, & Catholici nominis firmamentum: nec vulgari sanè virtute, studioque peragi negotium posse. Eapropter rei summam, quæ collatis vnà

S.Inquis.Congreg. instituitur.

Principes in ea partes Schottus agit

Et strenuè obit.

viribus, ac consilijs, plurium omninò prudentiam, zelumque deposceret, haud penès vnum voluit; verùm repetita veteri consuetudine, Congregationem sapientissimorum Patrum conscripsit, qui causas fidei, supremo inre, seueriorisque iudicij facie accurarent. Fuere hi Bernardinus Schottus, Cardinalis Tranensis, de quo loquimur: Scipio Cardinalis Rebiba, & Cardinales; Paceccus, & Gambara; inter quos primas obtinuit Schotrus, eius nempè Senatus Antesignanus, dictusque Summus Quæsitor fuit. Quod enimuerò non mediocri in laude quis posuerit, ab illo, scilicet, tanto muneri imponi, qui tot annorum vsu sciuerat, qua valere mentis solertia, quo doctrinarum præsidio, qua magnitudine animi oportebat, qui tantis religionis momentis præesset. Ac Schotto quidem Christianæ fidei flagrantissimo deuexam iam ætatem, supremumque spiritum Romanæ Ecclesiæ puritati, ac bono consecrare percarum fuit: desudauitque egregiè in ea palestra, quoad vixit.

Et instituta Romani Breuiarij reformatione,

Egregiè in ijs curis operam ponit.

Absoluere item hoc tempore Breuiarij Romani, Missalisque reformationem Cardinali Schotto contigit. Quod quidem opus Clemente Septimo Pontifice cœptum Nostratum opera, vti in loco memoratum fusè est, peragi consequentium Pontificum cura nequijt; quoad Concilio Tridentino permissa omninò res; atque à Concilio, quòd vacare illi per tempus non licuit, Pio Quarto vicissim commendata: tandem motto hoc Pontifice prærepto, conficienda à Pio Quinto fuit. Is verò, qnòd probè sciret, hanc precum reformandarum prouinciam à Schotto olim susceptam; collectosque ab eo accuratè cùm Pauli Quarti, tùm reliquorum Nostratum labores fuisse: reuoluere idem modò saxum iussit, vnà cum alijs spectatæ eruditionis Viris, præsertim Ægidio Foscarario, è Dominicano Ordine cùm scientiarum splendore, tùm Mutinensibus Infulis clarissimo. Qui incumbere in opus perquàm diligenter cœpere, ac breuì ad exitum perduxere; eo quidem successu, ac laude, vt piæ iuxta, atque eruditæ autes publicas iam Ecclesiæ preces probent. Quæ res incredibili ardore, ac zelo à Clericis Regularibus olim cœpta; absolui Clerici item Regularis, hoc est, Bernardini Schotti studio debuit. Id quod nulli non scriptores narrant, qui de Cardinali Tranensi scribunt: ac interim cùm non iam absonis ijs rhythmis, vetustaq; barbarie perstrepent Ecclesiarum Odea; sed excultis ad omnem sincerioris elegantiæ, ac veterum Patrum normam precibus personent: gratuletur Orbis Christianus, gratesque rependat, cui maximè debentur.

Quirinale cõtuberniũ cogitat Schottus.

Consiliũ Nostris aperit.

Qui permodestè renuunt.

Porrò in eo Romanæ Aulæ, ac negotiorum æstu quidam suæ disciplinæ, & carissimorum fratrum amor pulsare Schotti animum cœpit: & qui probè nouerat neque Purpurę, neque senio cum pristinis Theatinorum moribus, atque obseruantia locum esse; accedere nihilominùs quàm proximè posset, ac coniungi saltem contubernio peroptabat; vt relaxari identidem, atque exhilarari illa religiosorum Patrum consuetudine, vsuque posset. Et quando animus non esset, publicis sese Aulæ negotijs, ac Pontificis mandatis subduci; impetraturum ab eo facilè sibi persuasit, vt Vaticanum cum Quirinali Domicilio commutaret. Ergo aperire Sancti Syluestri Pattibus consilium; ac significare, se quidem, modò ipsi probarent, id mentis cœpisse, vt attigua quædam suis ipsorum Ædibns, ac libero in eas aditu, conclauia exædificare; quæ sibi, dum viueret, vsui forent; defuncto verò, vt innexa iam Quirinali Domui, Patrum commodis cederent. Sic fore, vt videretur sibi redijsse quodammodò in sinum matris: & quando intelligeret, paucos iam sibi, senecta iam ætate, superesse æui dies; poneret in suorum complexu spiritum; interim, quod erat in votis, Theatinæ pietatis, ac disciplinæ ex parte compos. Vt beneuolentissimum Cardinalem, fratremque, ac tantæ virturis Virum complecterentur, ac veluti in Sodalitatem iterum admitterent; propensiore quadam voluntate, atque ambitiosiùs assensuri videri poterant Patres; tanta etiam cum commodi, atque Ædium accessione. Verùm excussa maturiùs re, cauere disciplinæ, quàm morem gerere Theatino Cardinali potius illis fuit. Nam præterquàm quòd patere famulitio aditum oportebat; quorum assueti Aulæ mores, atque agendi, loquendique licentia, fieri minimè poterat, quin silentium, exactamqne domus obseruantiam interdum labefactarent. Deindè illa magni ponderis visa ratio.

Nam

Nam quamuis nihil tùm incommodi à sanctissimi Viri consuetudine, moratáque familia timendum Theatinis moribus foret: attamen eo extincto, cùm extructa eá pars Ædium opportuna subinde excipiendis Hospitibus videretur; non defuturos existimabant, siue eiusdem Ordinis Purpuratos Patres, siue optimè de Congregatione meritos Antistites alios; qui aut aeris clementia, aut eius domicilij opportunitate illecti, illud efflagitarent: atque adeò cùm haud liberum postea sit vni denegare, quod concessum alteri fuerit; perpetuum quoddam posteritati incommodum transmittere id esset. Cùmque non eadem omnibus sit moderatio, laudatique mores; certè ea frequentis Hospitij communicatione non minimum vitij faceret successu temporum regularis obseruantia. Et verò id maximè strictiori disciplinæ metuendum, prohibendumque, ne in contubernium exteri admittantur. Etenim vt pronior malo mortalium conditio, facile quidem est ab ea societate, ysisque affici mores bonos. Ac si rectè calculum ponere quis velit, nullam vnquam non piguit Religiosorum familiam hujuscemodi aditum, ac prolixiore mora profanis hominibus Hospitium tribuisse. Nam illi quidem suis impliciti curis raro meliores eo conuictu fiunt: mancipati verò Deo homines, cùm negotijs, nugisque seculi præbere aures cogantur, ac de ijs frequenter loqui; haud dubium est, quin ijs ipsis paulatim imbuantur, discantque humana sapere, magno cum solidæ, regularisque pietatis detrimento; cui haud diutiùs constare sanitas, ac suus color poterit, vbi externa consuetudine, ac moribus, veluti contagione quadam afflatur. Quæ verò hinc priuatæ, communique rei incommoda existant, qui nectantur religiosæ libertati compedes; vt excludi præclarus ille temporum, ac actionum ordo, concentusque, quod optimum est in sacrorum Ordinum Cœtu, oporteat; abundè per se docuit experientia: ita vt prudenter tùm quidem Nostrates statuerint, Cardinalem Schottum, Theatini licet moris; ac spiritus obsecrare, vt propositum mutaret: ac optimè in posterum, nostrisque rationibus conuenienter imprimis facient, si spreta quauis lautioris commodi spe, veterum, ac sapientissimorum exemplo Patrum exterum quemque à contubernio, aut conuictu excludant. Id quod [a] Cassinensium, & [b] Camaldulensium Constitutionibus seuerè cautum, & nostris posteà legibus vetitum prudenter fuit. Et Schottus quidem, cui nostræ disciplinæ incolumitas antiquior, quàm sua vota; vt Patrum sententiam, & quam ea de re mentem conceperant, inaudiuit; tantum abest, vt iniquo animo tulerit, excludi ab eo domicilio Theatinam Purpuram, ac frustrari postulata; vt prudentiam, tuendæque obseruantiæ zelum prolixè commendauerit; visusque amorem in Ordinem propensiore quodam affectu continuare. Nam Patres sæpissimè inuisere consueuerat, non sine communis rei compendio: quippè & fouebat pietate, atque auro domum: & quod est omni auro pretiosius, si quid animaduerteret, quod prodesse instituto, nostrisque moribus, aut obesse posset, monebat peramanter: & quà beneuolentia, quà authoritate cùm domi, tùm foris nostræ, suæque Congregationis causas, rationesque diligenter tuebatur.

Præcipue ne perennaret exterorum Hospitium.

Quod disciplinæ labefactandæ magnam vim habet.

a Reg. 53.
b Lib. 1. c. 13.

Cauere huic malo Cassinẽses, & Camaldulenses.

Haud ægre repulsam tulit Shottus.

Continuat is que in Ordinem beneuolentiam.

Quod ad Ordinis regimen spectat, Capitulum Venetijs hoc anno verno tempore de more habitum; quod Præsidis appellatione, ac iure ex præteriti Capituli consulto Golduellus, Episcopus Asaphensis administrauit, omnium quidem consensu, atque approbatione, insignique prudentia. Et cùm excussæ Sodalitatis progressiones fuerint, expensusque legum vigor in hisce præcipuè Comitijs; illud domorum moderatoribus inculcatum etiam, atque etiam fuit, vt seueriore quadam manu habenas dispensarent: fœcundante siquidem Ordinem diuina bonitate, cùm amplificari sobolem, numerumque excrescere in dies magis, ac magis contingeret; cauendum accuratè prudentissimi Patres putarunt strictiori obseruantiæ, cui à numero, ac multitudine passim laxitas: nec par esse, vt à multiplici Sodalium opera manaret quidem vberrimus in proximos fructus; ipsa verò Congregationis disciplina aut non intenderet, aut remitteret neruos. Scita autem de rebus domesticis decreta: quæ haud pretium est, hic recensere: post quæ refecti Romanæ, ac Neapolitanæ domus Præpositi, Venetijs verò, expleto Isachini triennio, præficitur Ioannes Paulus Montorphanus; qui pro eo, quo flagrabat animorum, ac fidei zelo,

Veneta Comitia regit Golduellus.

Crescente Sodaliũ numero ad strictiori obseruantiæ consulitur.

Montorphanus Venetijs Præpositus.

non modò adhortandis, expiandisque confessione fidelibus strenuam in ea tunc Ciuitate operam nauabat; verùm, quod longè præstantius, ac operosius, in expugnanda præfracta Hebræorum, atque hæreticorum impietate, ac perfidia impigrè desudabat. Quippè cùm in amplissimum, ac celeberrimum id Europæ, totiusque Orbis Emporium quàm plurimos ex ea hominum fæce mercatura importaret; persuasit sibi Montorphanus, præclarum in tanta negotiorum opportunitate lucrandi aditum, occasionemque sibi aperiri, Sanè, id est hæreticorum ingenium, eaque durior Hebræorum ceruix; vt rara auis sit, si quis in altissimis ijs infidelitatis tenebris veritatem, ac diem admittat. Atque hinc labori, ac studio amplior merces, pretiumque à desperatione luculentius. Quarè laudandus maximoperè est Vir flagrantissimus, qui difficillimum hoc opus aggressus, non modò adhortationum, vocisque efficacitate; verùm etiam, vt cominùs, & eminùs impietatem vulneraret, scriptione vrgebat; ac prouentum quidem animorum haud fuisse exiguum ferunt; eò plerisque adductis, vt luce, quam Montorphanus fecerat, dispulsa mentis caligine, errores eierauerint. Hoc autem anno, quo Venetam Præfecturam inijt, cùm virtutum omnium specimen dederit, tùm illud in primis narratur planè admirandum, quod incorrupta fide accepisse se Castaldus memorat: ac dignum omninò est, quod nostris hisce litteris commendemus. Vir è Veneto Patriciorum Ordine nummos aureos non paucos, curando suorum funeri, Montorphano misit. Ille pro Theatini instituti modestia exequiarum iusta decenter quidem, at non eo splendore adornasse visus est, quem Vir nobilis, qui ambitione, ac fastu quodam vel inter emortualia pulsabatur, peroptasset. Itaque misit, qui cum Montorphano suo nomine expostularet, quòd erogatæ auri summæ minùs respondisset pompa. Qui nihil ea re commotus, internuncium in conclaue addux t; inuolutosque adhuc charta aureos ostendit: tùm diuino quodam consilio, instructaque afferri libellam iussit; ac in vna quidem lance aurum, in altera verò inscriptas papyro quasdam pro defunctis preces posuit. Mirum sanè dictu: propendere precum chartula visa extemplò est; aureorum verò inuolucrum, ac pondus, ceu pluma leuius, attolli. Defixus admiratione ab eo spectaculo nuntius, penè oculis fidem abrogauerat; ac nihil prius habuit, quàm mutatam illam, se præsente, grauium, ac leuium vicem, domum reuersus, Viro Patricio denarrare: qui facti momentum ad altioris cuiusdam iudicij trutinam expendit, ac tùm sacrorum pondus, atque excellentiam; tùm egregiam quandam in Montorphano virtutem, fidemque intellexit. Veniam intempestiuæ expostulationis precari ab eo voluit; coluitque deinceps impensiùs viri nomen, ac mores. Huius portò admirandæ admodum rei exemplum tulit prisca item virtus, ac in [a] Cistercensi Menologio reperies ab insignis sanctimoniæ Viro Gelasio Abbate editum: qui hac ipsa facti, appensæque pecuniæ admirabilitate admurmurantem quendam, quòd pro ingenti quidem auri vi psalmum tantummodò recitasset, redarguit. Consentiunt nempè interdum superiora, ac nostra hæc secula concentu quodam virtutum, ac rerum; vt cùm non eadem sint tempora, easdem esse actiones, ac euentus putes. Hæc Venetijs à Montorphano. Rem verò Patauinam, de qua diximus, conceptam superioribus Comitijs spem, fore, vt aliquos hoc anno progressus faceret; parum incrementi cepisse deprensum à Patribus fuit. Quapropter, cùm non ibi alia familia adhuc posset, quæ diuino cultui, nostrisque functionibus sufficeret; vt Præposito vacaret, ac Venetæ iterum rectioni subijceretur, decreuere.

Illud verò in ea domo tunc accidit peracerbum, quòd qui illam administrabat, Augustinus Barilius, paulò antequàm Præpositi munere defungeretur, defunctus vita est Aprili mense. Nec minimùm sanè mœroris attulit eius mors, quem omnium complexione virtutum laudatissimum, non vulgari quidem ornamento Ordini, atque exemplo esse, nullus non intelligebat. Hic ille est, qui Theatinos mores, ac viuendi leges vsque adeò probauit; vt sicuti significatum alibi est, Somascenam familiam nostræ annectendam præcipuo quodam ardore animi, ac studio curauerit: ac primus ex eo Cœtu fuerit, qui nuncuparis inter Nostrates votis, nomen profiteretur suum. Re verò minimè ex sententia succedente, distractisque Ordinibus, ipse nihilominùs susce-

Zelus in profligandis hæretici, ac Iudæis curæ.

Voce, & scripto.

Admirandū eius factum.

Appensis ad lancem auro, ac precibus,

Precibus propendentibus.

[a] Die 10. mensis Martij. Simile omninò in Cistercensi Menologio.

Domus Patauina Venetæ iterum subditur.

In ea diem obijt suū August. Barilius.

suscepti instituti constantiam ita retinuit, vt cum nostra disciplina, habituque egregiam quandam in Somascenos voluntatem coniunxerit. Enimverò, vbi quod illi strenuè nauabant; Orphanorum opus, præclaramque puerorum institutionem promouendi sese dabat occasio; nulli vnquam visus labori, atque industriæ parcere; ac tùm Venetijs, vbi morabatur, tùm in alijs etiam Vrbibus, quò honestissimis summisque illorum Patrum precibus quàm sæpissimè vocabatur, accurare rem Somascenam insigni pietate, affectuque contendebat: vt [a] scripserit aliquando ad Capitulum generale Hieremias Isachinus, Augustinum tàm assiduam in eorum commodis operam ponere; vt oportuerit, ijs nempè impensiùs, atque importunè efflagitantibus, totum fermè annum domo abesse; quam quidem illi facultatem, vtpotè cuius fructuosissima erat caritas, facere moderatores non dubitabant. Quibus verò animi partibus, virtutumque ornamentis instructus is esset, suffecerit grauissimi eiusdem Isachini testimonium: qui in eadem, quam modò laudauimus ad Patres, Romæ pro generalibus Comitijs coactos, epistola, illum ab eximia morum simplicitate, ac candore animi, à singulari pietate, à caritate, à prudentiæ numeris fusè laudat. Et verò absoluta quadam viuendi ratione, morumque emendatissimorum laude cum primis floruit; ac meritò traducta religiosissimè vita parem sortita exitum est; certa cum spe salutis, gloriæque, nec sine sodalium tristitia.

Primus inter Nostros ritè vouit è Somascenis.

Quorum disciplinæ erat addictissim[us]. a Epist. data an. 1564.

Isachini de eius virtute testimoniũ.

Vertente interim anno Romam celebrandis Comitijs accedunt Patres: vbi moderatore, ac Præside Asaphensi, præclarè in commune commodum gesta res est. Montorphanus, quod egregiè, vti modò significauimus, domi, forìsque operam probabat suam; insistere suo muneri, ac simul cum re Veneta administrare Patauinam iubetur. Aretius, qui triennalem Neapoli magistratum expleuerat, Romæ præficitur. Quam ille prouinciam visus profectò tristiùs solito capessiuisse; ceu nescio quid animo sibi prædiuinaret in ea Vrbe maioria vt dignitatis, ita & molis, curæque; quæ sine horrore quodam mentis concipere Vir modestissimus, suique instituti cum paucis tenax, minùs poterat. Et sanè innotuere vix Maximo Pontifici, quæ Romam attulerat Paulus doctrinarum adiumenta, moresque incorruptos; cùm vti eruditione, ac præstantissimam virtutem honestare Infulis cogitauit. Sed hæc in loco. Neapolitanæ domui, quam is tanto cum disciplinæ incremento hoc triennio procurauerat, admotus Andreas Auellinus: qui explicatam sibi eius Præfecturæ aream, vt non ambitiosè, ita nec grauatè singulari quodam obedientiæ studio, inijt. Qua verò prudentiæ laude, qua legum obseruantia, quo seuerioris zeli, ac beneuolentiæ, caritatisque temperamento curandum id munus foret, Rectore Andrea, perspecta iam eius virtutis indoles abundè demonstrabat: respondítque concitatæ de se opinioni adamussim; vt exegerit in ea procuratione triennium, sanctimoniæ iuxta, ac solertiæ fama. Quæ sanè communes Cœnobij curæ Virum in proximorum commodum, salutemque incitatissimum non adeò distinebant, vt vacare externis non posset. Domi nihil illo vigilantius, nihil omninò ardentius foris: totus erat in amplificanda domestica disciplina; totus in expiandis conscientijs, adhortandisque mortalibus. Affluxerat iam eius caritatis fama; ac peculiaris cuiusdam in sanandis animis solertiæ, artisque opinio Neapolitanos peruaserat: vt commune iam omnium esset perfugium; motusque animorum fieri, eo adhortante, quàm frequentissimos contingebat, successu quidem singulari. Quæ quidem industria, ac nauitas quanta in eo fuerit, colligi ab ipso implacabili malorum dæmonum odio potest: quos vt rapta quotidie ab Auellino trophæa acerbissimè diuexabant; ita vlcisci ipsi raptorem conati non semel sunt. Ac sub id quidem tempus illud accidit, quod multis Scriptores eius vitæ narrant. Pomiliani, oppidum id est, quod propè Neapoli abest, deploratæ, præfractæque mentis virum, ac diuturno præsertim in hostem odio irreconciliabilem, insanabilemque, ad frugem reuocauerat. Iniquiùs tulere mali genij; ac vindicare opus aggressi, insequenti mox nocte indignabundi Andreæ iugulum petunt; dormientem suffocaturi. Erat tunc illi socius memoratus nobis aliàs, Michael à Consulibus: qui strepitu expergefactus, laboranti, atque interclusis faucibus penè expiranti, accurrit; & quòd procumbentem in genua, implo-

Romę Comitia an. 1567.

Venetijs prę est Montorphanus.

Romæ Aretius.

Neapoli Auellinus.

Domi, forisq; solicitus.

Inuehunt in Auellinum mali dæmones.

Pomiliani prę focare illum tentant.

implorantemq; diuinam opem deprenderit, non ausus tùm quidem illum interrogare: sed primo statim mane sciscitanti, quid illi nocte intempesta accidisset? respondit, indignatos vehementer infernos hostes, actosque in rabiem, quòd è sua ipsorum manu insigniter improbum, scelestumque virum excusserit, Deoque conciliauerit; facto impetu, ter conatos ea nocte strangulare; ac ter lusam vi Numinis impressionem. Familiares autem illis eiusmodi conatus esse, quoties ipse eiusmodi prædas, palmasque reportaret.

Sed irrito conatu,

Hæc facere, hæc pati per ea tempora Andreas, qui in animorum procuratio nem intentissimus, non retundi insultibus, ac minis dæmonum; sed exacui ingentes animos, atque acerrimam zeli vim ab ea cote sentiebat. Cuius quidem exemplo inflammata vehementiùs in Paulina Domo subditorum caritas in omnem rei benè gerendæ partem neruos intendebat: certabantque cùm in cultu Numinis, tùm in aliorum formandis moribus fructuosissimæ eorum curæ. Nec priuatos modò animorum profectus gratulari tunc sibi Theatinum studium videbatur; verùm etiam popularem quandam, communemque perniciem amoliri Nostrates sub id maximè tempus contigit. Enimuerò quædam prorepserat Iudæorum secta Neapolim, ac tacita quadam lue afficere Neapolitanam religionem occœperat. Romanam ementiti fidem, nomenque, Catholicos se profitebantur; cæterùm Hebræorum flagitia, ritusque exercere, clandestinas aperire errorum scholas, procudere, atque expolire in morum, pietatisque exitium hæresum tela instituerant. Odorati isthæc monstra sunt, maiorum instituto, atque hæreditaria quadam in eiusmodi flagitijs detegendis solertia, Clerici Regulares. Nec mora: delatum ad Marium Carafam, Neapolitanæ Ecclesiæ Antistitem, pestilentissimum malum; profligatumque maturè est, eieratis publicè erroribus; ac plaudente populo, quòd abrasum crimen cernerent; antequàm vicina in corpora prosiliret, noceretque attactu latiùs. Porrò in cognoscenda grauissima ea fidei causa, qui Archiepiscopo consilio, ac eruditione inter paucos adfuit, Is fuit ex nostratibus Hieronymus Ferrus: qui vt Alphonso Cardinali Carafæ, decessori, carissimus fuerat, eique prudentiam, atque integritatem insigniter probauerat suam; ita perspecta eadem successori virtus, atque in rebus agendis solertia, permagno apud illum in pretio fuit; vt nullum frequentiùs cùm priuatis, tùm publicis in Conuentibus, rerumque tractatione grauissimarum adhiberet, quàm Hieronymum Ferrum: delegeratque ab intimis consilijs vnà cùm Hieronymo Panormitano è Prædicatorum familia, Alphonso Salmerone è Societate Iesu, & Hieronymo Spinola, laici Ordinis sacerdote, Viris doctissimis perindè & integerrimis.

Crescebatq; ab ijs impressionibus vigor.

Hebræorum secta detegitur à Nostris Neapoli.

Cuius quæstioni adhibetur Hieronymus Ferrus, Mario Carafæ Archiepiscopo percarus;

Ferri verò opera, ac dexteritate & aliud hoc anno componi negotium Neapoli oportuit. Vetustissimum in ea Vrbe Cœnobium est, quod Diua olim Patricia, nobilissima Virgo, Constantis Imperatoris filia, Neapoli Romam pertransiens, Sanctimonialium disciplinæ, suoque Cineri, signato manu lapide, destinauerat: extructumque mox ab lectissimis ex eius famulitio Constantinopolitanis Virginibus, vt ipsa prædixerat, eiusque nomini dedicatum, celeberrimum subindè inter Neapolitana Monasteria semper fuit, illibatis nempè moribus, ac ipso patricij sanguinis flore conspicuum. Mos autem in eo Asceterio obtinuerat, vt communi quidem, atque vnanimi legum obseruantia Moniales viuerent: publica verò Religionis vota nequaquam nuncuparent. Ob hanc rem Pius Pontifex Quintus, qui totus in eo erat, vt sacri Tridentini Concilij decreta in morem inducerentur, seuerè cauit, vt Patricianæ ex Virgines solenni ritu profiterentur; aliàs, abiecto instituto, habituque in suorum quæque consanguineorum domum concedere iuberentur. Molestissimum id illis accidit, atque obniti præfractiùs Pontificis imperio videbantur; illud obtendentes, id loci vel indè ab ipso fundationis exordio nunquam adstrictas voto Moniales; proindèque haud inducere in animum suum posse, vt eo votorum nexu fidem obligarent, quam nulla vnquam ex eius Cœnobij Virginibus tàm diuturno tractu temporis obligauerat, nec primæua ipsa disciplina præciperet. Res cum fœminis agebatur, quibus vt infirmior sexus, & indoles; ita plùs nimio tenax, obstinatumque interdum animi propositum. Pontificis mandatis vt parerent, omni ope

Qui & rem aliam Neapoli curat.

Patricianum Gynæceum

Solennia vota, veteri instituto, haud nuncupat, Adigitur à Pio V.

Reluctantur Moniales.

ope contendere Carafa Antistes; attamen non tanti apud illas adhortamenta, ac preces erant, vt exorari se finerent: siquidem vrgere vi, atque authoritate negotiam, plenum opus aleæ erat; quando præcipuis in Ciuitate affinitatibus subnixæ Virgines, haberent qui causam tuerentur; & si opus esset, vi perorarent. Tandem id Archiepiscopo cum Monialibus conuenit, vt virum aliquem insigni prudentia instructum, atque eximiè probum, cui adhiberi fidem par sit, Romam allegarent, qui suscepto rei patrocinio, Pontifici coram exponeret, cùm vetustissimæ disciplinæ vsum, tùm quæ indè incommoda existerent, si votorum authoramenta exigerentur. Eo nimirum internuntio, postquàm Pontificis animum tentau[e]rint, illius nutibus, ac voluntati acquiescerent. Destinatus muneri Hieronymus Ferrus, qui ea tùm virtutis fama Neapoli florebat, vt plurimùm sibi ab eius dexteritate, ac fide polliceri Patricianum Cœnobium posset: nec abnuit Ferrus ipse, aut Neapolitani Patres, qui mitterent; quando præter Monialium postulata Antistes ipse enixiùs rogarat, accederentque quæsitissimæ principum virorum preces. Romæ in re transigenda ea vsus solertia est, vt cùm dimoueri ab concepta semel animi sententia Pius minimè potuisset; visæ nihilominùs sacræ illæ Virgines fuerint haud grauatè obtemperare: ratæ, expugnandæ Pontificis voluntati nil reliquum iam esse, quando singularis Ferri prudentia, ac probitas periclitata negotium fuisset. Porrò à conceptis votis creuit in eo Monasterio virtus, ac sanctimonia, floretque in præsens exquisita inibi regularum obseruantia, ac pietatis cultus.

Pacta cum Archiepiscopo Romam legatio.

Cui destinatur Ferrus.

A quo exploratur Pontificis voluntas.

Et parent Virgines.

Ab ea verò negotij opportunitate aliquid decerpsisse in commune Neapolitanæ pietatis commodum voluit Ferrus. Amplissimas siquidem indulgentias, quas Neapoli nostro in Paulino Templo confirmasse, ac singulari munificentia ampliasse Paulum Quartum supra memorauimus, dubium omninò erat, an lucrari ante solis exortum, & post eius occasum quis posset; cùm interim constitutis diebus, hoc est, sextis Martij ferijs, ijs maximè antelucanis, nocturnisque temporibus populorum affluxu Ecclesia frequentaretur. Quare, vt certo indulgentiarum fœnore fidelium preces effunderentur, cùm peropportunè illa sese dedisset compellandi Pontificem occasio; ab eo submissè petijt, vt vltra solis terminos extenderet cælestia ea dona; constarentque ijs horis omnibus, quibus Paulinam Ædem adire consueuerat iam populus Neapolitanus. Id quod viuæ vocis, vt aiunt, oraculo benignè annnit Pius, accommodauitque tam vigili, constantique pietati omnium horarum indulgentiam.

Paulinas indulgentias extendi curat Ferrus.

Hæc Neapoli Ferrus, quem consequenti anno immigrare Venetias oportuit. Nam celebratis in Diui Pauli Domo anniuersarijs Congregationis Comitijs, Venetum solummodò Cœnobium Rectorem mutauit; successitque Montorphano, qui eam Præfecturam biennium cùm laude administrauerat, Hieronymus Ferrus: cuius quidem discessus peracerbus domi, forisque accidit, Mario præsertim Carafæ Archiepiscopo, qui eius potissimùm eruditione, & consilio in Neapolitanæ Ecclesiæ moderatione vtebatur: vt reuerti Neapolim post annum oportuerit, vt locare operam adeò frugiferam, studiumque Antistiti pergeret; votisque præcipuæ nobilitatis fieret satis. Sub huius verò anni initium, antequàm hæc Comitia Neapoli haberentur, Paulus Aretius, qui Romanum Domicilium moderabatur, oblata, arreptaque occasione in priuilegiorum confirmationem animum, studiumque intendit, ac impetrauit. Qui rem cum Pontifice transegerit, Vgo fuit Boncompagnus, magni nominis Cardinalis, posteà Gregorius XIII. Pontifex. Is, quòd propè Quirinalem Sancti Syluestri Domum habitaret; Nostratum consuetudine, vsuque affici magnoperè videbatur; ac Aretij in primis eruditionem, integritatem, religiososque adamare mores cœpit; vt illo quàm familiarissimè vteretur, ornaretque singularis cuiusdam beneuolentiæ argumentis. Hanc ille præstantissimi Viri voluntatem deriuare in commune Congregationis commodum statim cogitauit; & quem apud Pontificem opinione, ac gratia valere plurimùm nouerat; instrumentum peridoneum censuit, vt concessa à Summis olim Pontificibus nostro Ordini priuilegia, à Pio confirmarentur. Rem Boncompagnus, quæ eius erat in Sodalitatem, ac præcipuè in Paulum propensio, vt complexus libenter est; ita præclaro quidem exitu transegit.

Neapoli Capitulum generale anni 1568.

Cōfirmantur Ordinis priuilegia,

Vgone Card. Boncompagno agente;

Qui Aretio addictissimus.

Nam

Nam Pius Quintus, tùm peculiari quadam in Pauli Quarti posteritatem beneuolentia, tùm egregijs eius officijs, nostrorum hominum postulatis annuit: & quæ Clemens Pontifex Septimus, Paulus Tertius, Iulius Tertius, Paulus Quartus olim Sodalitati concesserant; obsignato sub die vigesima prima mensis Ianuarij amplissimo diplomate, confirmauit.

Impetrasse hanc à Pio confirmationem, non exiguum beneficium.

Quod ab eo Pontifice obtinuisse, magnum planè videri potuit; quando qui cætera liberalis omninò indolis, ac magnificus oppidò erat; in eiusmodi beneficiorum largitionibus, ac priuilegiorum præcipuè confirmationibus non exigua quadam parsimonia vtebatur. Ac Nostris quidem non modò non adstrictiorem experiri in præsens Pontificis manum contigit: verùm honestari se cumulatissimè sunt gratulati. Enimuerò & rata, quæ collata ab alijs fuere, priuilegia voluit; & sua item addidit: idque præsertim munificè indulsit, vt ijs potiri indulgentijs nostri homines in suis Ecclesijs, toto anni tempore, possent quæ tùm intra, tùm extra Vrbis mœnia essent; modò ad altaria omninò quinque præscripto precum numero pro Romanæ Ecclesiæ, fideique incremento, ac summorum Pontificum faustitate orarent; eademque Ecclesiastici thesauri amplitudine, cùm iter haberent, vti liberum esset in obuijs quibusque Ecclesijs. Quod autem ingenti quidem Sodalitatis commodo cessit, ea fuit à publicis supplicationibus exemptio, quam Pio Quinto Pontifici debemus.

Et à publicis supplicationibus exemptionem.

Fruebantur hac quidem prærogatiua ante Concilij Tridentini decreta nostri homines; quibus postea legibus euulgatis, quòd omnibus prætèrquàm perpetuæ clausuræ mancipatis, id priuilegium esset abrogatum; implere cum alijs Ordinibus supplicantium agmina cœpere Patres: donec confirmatis hoc anno priuilegijs, restitutus pristinæ huic immunitati Ordo fuit: valuitque exemplum, impetrata hac ipsa ab alijs Clericorum Sodalitatibus exemptione.

Tridentini Concilij decretis abrogatum.

Hæc verò Cardinalis Boncompagnus dum apud Pontificem peragit, inijcere non semel de Paulo Aretio, eiusque excellentia doctrinarum mentionem contigit: & quamuis non obscurum omninò Viri nomen, ac ingenium Pio Pontifici esset; ea nihilominùs commendatione adaucta mirificè est eruditionis opinio. Eapropter cùm sub id maximè tempus materia de Censibus agitaretur, ac condere ea super re leges Pontifex decreuisset; vt mortalium auaritiam, fraudesque, quæ in id contractuum genus irrepserant, emendaret; conuentum Virorum longè doctissimorum; qui rem diligenter ad omnem rationis, ac iustitiæ normam expenderent, instituit: inter quos numerari & Paulum Aretium voluit, vtpotè in eo studiorum genere versatissimum; & qui afferre etiam ab vsu rerum, ac singulari integritate non minimum institutæ Congregationi ponderis, momentique poterat.

Instituitur Congregatio de censibus Romæ.

Cui adsciscitur Aretius,

Probatq; in ea modestiã, ac doctrinam suam.

Munus pari cum doctrinæ, ac modestiæ laude obiuit Paulus, nec vllis tunc planè pepercit laboribus, ac vigilijs: quippe qui sciret, acerrimas, doctissimasque habere aures, qui librarent dicta. Sententiam in eo lectissimorum virorum Cœtu vt eruditè, ita candidissimè, ac permodestè dixit: probauitque egregiè omnibus eruditionem, ac mores; vt testatus multis tunc est Ioannes Paulus, Cardinalis ab Ecclesia, Vir vtroque iure consultissimus; qui principes in ea Congregatione partes obtinebat. Ac rem quidem, quam versabant, vt assecutus experientia, ac studiorum contentione fuerat, abundè declarat scriptio planè luculenta, quam tunc adornauit: extatque eius autographum in Neapolitano D. Pauli tabulario.

Eius de Censibus lucubrationes.

Egregium planè opus, quod commentari non nisi Vir scientissimus, atque expertissimus potuit: probaueruntque passim clarorum hominum iudicia, quibus percurrere lucubrationem contigit. Cæterùm cùm absoluta eade re consultatio est, manauitque in publicum Pontificia de Censibus lex: iam Placentinam Ecclesiam procurandam susceperat Paulus, nec afferre ea in medium potuit, quæ expediendo cum populorum approbatione negotio necessaria omninò fuissent. Legem hanc posteà Gregorius XIII. Pontifex, petente Philippo Catholico Rege, mitigauit: consentiuntque ea decreta cum Aretij sententia, & scriptis.

Ad quartum sensum Legem postea tulit Gregorius XIII.

Iam verò, exposuisse Paulum in eo litteratorum theatro præclaras opes animi, ac studiorum præstantiam, munire sibi ad honorum apicem viam fuit. Cœpit siquidem mirificè Pontificem singularis eius eruditio; nec latere illum diutiùs sub modio est passus, cui maior omninò facultas erat, quàm vt intra Religionis angu-

Cogitat de honestando Aretio Pontifex.

stias

ſtias clauderetur; Planè nihil Aretio antiquius erat, quàm non agnoſci, honoreſque, ac lucem fugere. At nihil virtuti tàm proprium, quàm aſpici, atque ad honores trahi: fugiendo ſiquidem dignitatum gradus, fit ſæpè ad dignitates ipſas gradus. Itaque Bernardinus Schottus, Cardinalis Tranenſis, qui Placentinam diù ſedem rexerat, ſenecta iam ætate, ac valetudine confectus, abdicare eas Infulas, curaſque cogitauit; impetrauitque à Pontifice, ea etiam ratione, quòd ab eſſe Romæ perutile ſibi Schotti conſilium, ac prudentiam nollet. Contigit hæc Cardinalis abdicatio Iulio menſe huius anni, quo item menſe die tertia & vigeſima Pius Pontifex in ampliſsimo Purpuratorum Senatu eius Eccleſiæ Epiſcopum Paulum Aretium renunciauit; qui tum Quirinali Cœnobio, vti ſignificauimus, præerat; neque enim diù cogitandum illi fuit, cui prænobile Sacerdotium commendaret; quando oculis iam, animoque obuerſabatur inſignis Aretij probitas, atque eruditio; ac par eſſe exiſtimabat, vt quas Theatinus Inſulas dimitteret, Theatini item inſtituti Vir indueret. Accepimus autem Maiorum noſtrorum fide, præcipuè Valerij Pagani, cùm de eius ſacerdotij ſucceſſore cum Schotto ageret Pius Pontifex, ac plures hinc inde nominari, ac reſpui contigiſset; vix Aretij mentionem incidiſſe, cùm ſiſtere Pontifex, obfirmatoque in illum animo incumbere viſus fuerit, ceu iam hominem teneret ſecundum cor ſuum. Excepta ab Auguſtis Patribus plauſu, ac ſecunda admurmuratione lectio; quippè qui & ſapientiſsimi Pontificis iudicio, & euulgante mores, ac prudentiam fama, parem muneri, dignumque ſplendidiſsima ea ſede nouerant. Paulum verò eò acerbiùs rei nuncius perculit, quòd improuiſus omninò accidit. Enimuerò Pontifex, cui perſpecta ſingularis eius modeſtia erat, nec dubitabat, de more obluctaturum, ſi priuatim illi mentem aperuiſset; frangere humilitatis, animique recuſantis conatus repentino eo conſilio voluit. Scilicet vt vbi is intelligeret, renunciatum iam ſe publicè Antiſtitem Placentinum, adprobaſse item ampliſsimos Patres Pontificis iudicium, ac manaſse in vulgus rem; intelligeret ſimul, haud eſse ampliùs precibus locum, nec propitias fore ſibi aures Principis, re confecta, orataque iam cauſa. At ille, quem non planè fugiebat, quantum oneris, ac ſolicitudinum Tiara afferret, vt cui plus ineſt periculi, quàm laboris; enitendum ſibi omni ope duxit, ne prouinciam ſubiret; atque ad Pontificis pedes infimis precibus, ac facundia lacrymarum agendum putauit. Nulla igitur mora, cum Vincentio Maſso, Viro grauiſsimo, qui habitos poſteà vltrò, citròque cùm Pontifice ſermones denarrauit, Vaticanas Ædes petijt, incitatiore quidem animo, greſſuque; vt cùm è Purpuratis Patribus aliquot, eodem curru vectos, inter eundum offendiſſet; diſtractus planè mente, abreptuſque æſtu perturbati nimiùm pectoris, non aduerterit. At illi conſpectum Aretium compellare perhumaniter, oblataque occaſione collatam Inſulam prolixiùs gratulari: quibus ipſe ſubtriſti quidem fronte, atque acerbiore quodam animi ſenſu, ſi beneuolentiam, inquit, veſtram promeruiſſem, non id mecum officij perſolueretis; ſed eò profectò ſtudia in me veſtra incumberent, vt onus dimitterem: qua quidem oratione abundè Patres ampliſſimi intellexere, ad Pontificem adire Aretium, Sacerdotium deprecaturus; ſtatimque adhortari vnà omnes, ne pergeret. Nam præterquàm quòd moleſtiam afferret non exiguam optimo Pontifici recuſatiò; tum pro certo haberet, non eius ſe voti compotem fore. Surdo hęc fabula. Conſtitutum nanque erat, exemplo virorum ſanctiſsimorum pro virilli contendere, ne difficillimam animorum procurationem capeſſeret: dimiſſuſque à Cardinalibus, vt Pontificias Ædes attigit, acceptus perbenignè à Pio eſt: cuius illicò ad pedes humiliter prouolutus, hæc efficaciſſimè, & candidiſſimè: Tuum, Beatiſſime Pater, de me iudicium vt ſingulari quadam animi veneratione proſequi par eſt; ita quę me cauſæ impellunt, cur delatum vltrò tanta cum beneuolentia Placentinum Sacerdotium deprecer, cogor anxiùs, ac demiſſiùs Sanctitati Tuæ exponere. Atq; hæ quidem cauſæ eædem ipſæ ſunt, quę me aliàs ab Eccleſiarum Præfectura, iniecta veluti manu retraxere: nempè formidandum humanis humeris animarum onus, virium conſcientia, impar dignitati virtus corporis, ſenijque incommoda, ac propriæ ſalutis metus. Equidem, vt parùm idonea Eccleſiaſticis functionibus, curiſque aſſiduis deuexa iam in ſenectutem

Placentinas Infulas Schottus abdicat.

Renunciatur Epiſcopus Aretius.

Quem perculit delatus ex improuiſo honor.

Obniti vehementiùs ſtatuit.

Pontificem petit.

Purpuratorũ gratulationes, inter eũdum, reſpuit.

Quo illos ſenſu alloquutur

Pontificem interpellat.

ætas

ætas est; ita neque is inest animo vigor, ac robur pectori, vt tueri strenuè, atque emendare commissum sedulitati meę gregem possim: proindèque vereor maximè, ne dum grauissimo muneri minùs respondeat facultas, ac virtus; & subditis ouibus malum, & mihi periculum creem. Eapropter enixè Sanctitatem Tuam precor, quæsoque, ne à priuatis vitę rationibus raptum, pelago inexpertum Virum exponas; nec deerunt planè multi, qui illustrem prouinciam, & capessant digne, & strenuè moderentur. Pauli modestiam admiratus vehementer Pontifex est; ac tùm ex virtutum omnium opinione, tùm ex eo præcipuè, quòd repudiaret; illum omninò dignum Infula existimauit. Quamobrem, vt aures benignè accōmodauerit precibus, exorari nihilominus noluit; respondítque, esse quidem sibi compertum, si ad Ecclesiarum onus explorandæ mortalium vires, ac bona corporis, animique essent; nullum profectò fore, qui ferendo esset: opprimi magnitudine, ac grauitate rerum necesse est hominum conatus: attamen nihil esse, quod præsidio, opeque Numinis non aggredi humana virtus posit. Proindè non dubitare se quin collatum ipse munus curaturus egregiè sit; quandò non eius solummodò viribus, verùm etiam præsenti Dei auxilio niteretur. Erigeret spe bona animos: sciretque, non vtique defuturam confirmando corpori, animoque diuinam opem. Tùm, sui exemplo adhortationem est prosecutus. Se quidem & regulari olim disciplinæ fuisse addictum, nullius planè nominis, ac numeri: vt cùm primùm adire Romam componendis fidei negotijs contigisset, vix cellulam Cardinalis Theatini opera in Monasterio impetrauerit. Attamen adgubernante rem Numine euectum ad rerum fastigia, rem tunc Christianam supremis fascibus administrare: cùmque longè grauissima ea omnium Ecclesiarum, & Catholici Orbis moles esset; ferre se nihilominus, ac sustentare humeris videbatur, cælesti nimirum bonitate, manuque subnixus. Nam quæ vis, aut mens mortalium temperandis Dei in terris vicibus satis esset? Eadem ipsi diuinitùs adiumenta prona esse. Interim ad eas curas capessendas animum appelleret; quando expendi neque fructuosiùs, neque maiori cum sui laude, bonoque poterant, quæ data illi à natura animi commoda fuerant; quàm si in publicam morum institutionem, prouentumque animorum insumeret. Excipere hæc Paulus haud æquo omninò animo potuit; vtpotè qui & refugeret sua sponte quicquid esset honorificæ appellationis; & adderet stimulos acriores humilitas, qua imparem se magnis curis existimabat. Quarè id ipsum rogare impensiùs Pontificem instituit; vt quando prima non successissent vota, secundis saltem precibus, lacrymisque impetraret. At ille constantissimè adhortari, ac monere, vt diuinæ bonitatis, opisque persuasione in vigilias, laboresque ingrederetur: cùmque instare adhuc Virum, alioqui obsequentissimum, nec finem interpellandi facere cerneret; agendum sanctiore pro potestate duxit: surgensque è sede, ac iunctis vnà manibus, disertis verbis, ac supremo pro imperio iussit, vt nulla mora acceptaret. Ad eas ineluctabiles obedientiæ leges æstuantem, recusantemque illicò animum composuit Aretius; ac postquam suæ modestiæ partes satis benè egerat, ceruicem Pontificis potestati, ac oneri cum sanctissimorum pedum osculo, nec sine vi lacrymarum demisit. Sapientissimi verò Pontificis de integerrimis Pauli moribus, vitæque probitate opinionem vt adauxerit insignis ea humilitas, testatur collata postmodum Purpura, vt in loco dicemus; ac interim intelligere abundè hinc est, honores verè vmbram; tùm quia nihil solidi, reique habent, ac momentò auolant; tùm verò quòd insequuntur plerunque, qui anxiè eos fugiunt.

Qui cōmendata eius modestia,

Hortatur, vt prouinciā subeat

Sui exemplo.

Luctatur adhuc Aretius.

At summo iussu dum cum eo agitur,

Paret quàm modestissime

Porrò, reuersus domum Aretius, confirmato ad omnem tristitiam vultu, qui insederat animo sensus, & quæ iam illum coquebat cura, apertè commonstrabat; nec poterat non omnibus, qui officij causa conueniebant, sincerè aperire, quàm expertus naturæ, ac mentis luctam tùm fuerat, cùm submittere Pontificis imperio animum oportuit; ac dicere præsertim suis solitus erat: Parcat Ioanni Marinonio Deus, qui petenti mihi in Ordinem adoptari, censerique præcipuè inter laici Ordinis fratres, exorari nunquam passus est, vt fieret satis: fuissem profectò in eo vitæ statu extra omnem teli iactum. Collatum autem in illum Sacerdotium, vt exteris lætitię quidem fuit, quòd cernerent spectatam probitate honestari commenda-

Sed non sine peracerbo animi sensu.

De Marinonio conqueritur.

mendarique Præclaris vigilijs Christi oues: ita Quirinales Patres, totumque mox Ordinem ingenti mœrore compleuit: eripi nanque sibi tantum sanctimoniæ, virtutumque exemplar haud quisquam è Nostris composito, bonoque animo ferre potuit. Etenim quantus communi Ecclesiæ ornamenti, ac commodi non minimum accederet ab Viri præstantissimi Infula: nihilominùs quòd suis veluti medullis, bonisque exhauriri Sodalitas videretur; aliorum emolumentum suo damno vertere vehementiùs dolebant. Tum ipsiusmet Aretij cepit omnes commiseratio, quem sciebant suæ præcipuè tranquillitatis, tacitæque cuiusdam vitæ percupidum. Exteros lætitia complexuit. Nostrates mœror.

Contigere hæc mense Iulio: ac Kalendis statim Augusti, quòd maturari rem Pontifex iusserat, inauguratus solenni ritu est in Æde sancti Siluestri ab Scipione Cardinali Rebiba vnà cum Iulio Antonio Sanctorio, Archiepiscopo sanctę Seuerinæ, & ex Nostratibus Episcopo Asaphensi. Quod hìc non dissimulandum; is fuit Aretij in exuendo Theatino habitu sensus, qui omnium planè quotquot aderant, excussit lacrymas. Testatum siquidem iterum voluit, Maximi se Pontificis præcepto adactum, vt dimitteret; tum petere à Patribus veniam, si minùs dignè gessisset; ac suæ imputare inertię, quòd exui se illo Deus permitteret: tandem detritam exosculatus non semel lacernam, vbertimque collacrymans, exuit; inductis dignitatis insignibus, ac indumentis; quæ non quidem ambitiosiùs confici, sed vulgaria omninò, ac suæ modestiæ consentanea voluit. Adfuit verò insigni beneficentiæ documento Pontifex. Nam, cùm testandę suæ in illum beneuolentiæ, tùm vt religiosæ paupertati consuleret; expediri gratuitò Apostolica diplomata iussit: addidque mille insuper aureos, & conficiendo Placentino itineri mulam, equumque. Romę Paulus, postquàm initiatus ea dignitate fuit, non diù moratus; cùm primùm acerrimi sese æstatis calores remisere, Placentiam iter arripuit: & qui virtutum famam præmiserat, mirum quanto cum omnium Ordinum consensu, ac veneratione exceptus fuit. Farnesij in primis Principes, qui præstantissimi Pastoris lectionem probauerant, eius posteà aduentum præcipuo quodam studio, & gratulatione sunt prosecuti. Nouerant quippè cùm Octauius Dux, tùm Alexander Cardinalis, germanus frater, quibus ille gradibus ad eam Cathedram ascenderat; & quòd nullæ in eius Infulæ adeptione intercesserint Aulæ artes, ac prensationes; sed inuitum optimi Pontificis iudicia ad honores rapuerint; ominari hinc certò sibi videbantur Ecclesiæ Placentinæ opportunitates, ac rei Christianæ in ea Vrbe incrementum. Is verò qua prudentię, zelique laude Episcopalem Prouinciam sit aggressus, qua petere censura mores cœperit, vt omnes statim absolutissimi Antistitis partes in ea procuratione insigniter probauerit, suus erit dicendi locus. Inauguratur à Rebiba. Eius in exuendo Theatino habitu verba & lacrymæ. Pij V. in ipsum beneficentia. Placentiam adit. Farnesiorum in illum studium.

Interim Bernardino Sciotto parentemus. Sacerdotium is abdicauerat, vt diximus, quòd confectus iam senio instare communem exitum sentiebat; ac proindè defungi curis grauioribus voluit, vt quod reliquum erat vitæ, sibi viuens, ad fatale illud sese punctum componeret, vnde pendet æternitas. Planè nihil vnquam mortalium prudentia feliciùs, atque vtiliùs egerit, quàm mortem anteuertere; ac sistere se maturiùs in ea palæstra, vbi victoriæ magna pars est, fatum præuenisse. Ergò eodem anno, quo Placentinum onus deposuit Scbottus, humanitatem Romæ exuit, die secunda Decembris; eo nimirum obitu, quem respondere anteactæ vitę, par erat: sepultusque est via Ostiensi in Basilica D. Pauli. Sepulchralem lapidem, simplicem illum quidem poni hac inscriptione iusserat: [Ioannes Bernardinus S. R. E. Cardinalis, Episcopus Placentinus viuens sibi posuit. An. Domini 1563.] Et quò significaret, se quidem quiescere, cinerem verò spe resurrectionis viuere, illud addidit Græca dialecto insculptum ex Euangelio: Οὐκ ἀπέθανεν ἀλλὰ καθεύδει. Hoc est, non est mortuus, sed dormit. Eius obitum prosecutus lacrymis est Pius Pontifex, vt qui eximiam Viri probitatem, doctrinam sapientiam apprimè nouerat: doluitque intimè, ereptas communi Ecclesiæ frugiferas adeò curas, Augustorum Patrum Senatui præclarum decus, ac sibi quidem prudentissimum perindè, & integerrimum Administrum: cuius vti Consilijs in magnis publicæ rei Christianæ negotijs, vt cœperat; ita communi bono longè vtilissimam operam intelligebat. Quod ipsum superiores Pontifices, summam viri industriam, Diem obit suum Card. Schottus. Eius tumuli modestia. Funus laude & lacrymis honestauit Pius V.

striam,

ſtriam, virtutemque publicis Eccleſiæ curis admouentes, declararunt.

Pauli IV. de eius virtute opinio.

Ac de Paulo quidem Pontifice Quarto, eiuſque de Schotti probitate, ac prudentia opinione nihil attinet dicere. Nam præter Purpuram, quam illi contulit, vt virtutem cohoneſtaret ſua luce; tantum eis integritati tribuit, vt Anulum illi Piſcatorium crediderit; obſignandique, vt libuiſſet, ſiue iuſtitiæ, ſiue gratiæ libellos facultatem fecerit, ea potiſſimùm ratione, vt conſcripto diplomate explicauit: [Quòd eius mentem, & arcana cordis primus omnium nouerat; & in cuius virtute, atque integritate iamdudum requieuerat.] Ad hæc, & Aulæ totius temperanda illi ſupremo iure negotia vnà cum Cardinalibus Reumano, & Conſiliario dederat. Orientalis item Eccleſiæ, totiuſque Græcorum nationis Patrocinium penes illum voluit, vt nullis non argumentis ſuum de Schotto iudicium teſtaretur: nec vulgare profectò virtutis elogium eſt, Paulum Quartum, hoc eſt, acerrimum, atque integerrimum animorum, ingeniorumque æſtimatorem adprobaſſe, atque impoſitis grauiſſimis muneribus exercuiſſe. Pio verò Quarto haud diſpar de Cardinalis Schotti eruditione, ac virtutis indole opinio, ac ſenſus fuit. Romam illum accerſiuit, vt quoad Concilij Tridentini momenta agitarentur, haberet Pontifex Virum ſapientiſſimum, atque expertiſſimum, quocum grauiſſimas eas curas communicaret. Præterea, cùm agitaret Pontifex Cardinalium mores, eorumque reformationem cogitaretque Epiſcoporum authoritati conſulere; ac Pontificij Conclauis, ſiue Comitij leges ordinare: Schotto cùm primis iuſſit, vt ijs de rebus ſententiam ſuam lucubraret. Perſuaſerat nanque ſibi, illum, in Eccleſiæ reformationem intentiſsimum, qua valebat doctrina, vſuque rerum, proferre in medium poſſe opportuniſsima: & ſcripſit ille quidem vt ſuccinctè, ita oppidò eruditè, ac luculenter; extantque penes nos lucubratiunculæ, quas Pius Quartus Pontifex mirificè dilaudauit. Porrò quibus bonarum artium, ſacrarumque litterarum ornamentis inſtructus Schottus fuerit; vt linguarum peritia ſua ſtudia cumulauerit; vt primus poſt quatuor noſtræ Sodalitatis Conditores nomen illi dederit; quo paupertatis, ac modeſtiæ exemplo in Ordine vixerit; eius denique actus omnes, ac res præclarè cùm in Purpura, tùm regulari ſub Inſtituto, habituque geſtas ſuis in locis enarrauimus; neque hic reponere animus eſt. Illud omninò Scriptorum teſtimonio conſtat, dignum planè inculpatæ eius vitæ genus, moreſque laudatiſſimos, ac ſtudiorum ſplendorem fuiſſe, quæ Purpuratorum Senatum condecorarent.

Anulum illi Piſcatorium crediderat,

Et Romanæ rei ſummam.

Pij IV par in illum beneuolentia.

Eius iuſſu de Pontificijs Comitijs, & de Epiſcoporum authoritate ſcripſit.

Golduellus Lateranenſi Eccleſiæ præficitur.

Diximus reuerſum Romam è Belgio Golduellum Aſaphenſem, in Sancti Syluestri Domo priſtinum vitæ inſtitutum repetijſſe: idque intendere maximè in eo ſeceſſu viſus eſt, vt quando iuuare Anglicanam religionem vigilijs, curiſque ſuis minùs poſſet; fuſis ſaltem ad Deum precibus, iratum in populares ſuos Numen placaret. At Quirinali hoc otio frui non diu potuit: quam ſiquidem Pius Pontifex actuoſam, habilemque Viri virtutem probè nouerat; ſterili quadam pietate feriari, ac langueſcere, non eſt paſſus. Enimuerò, cùm Lateranenſi Eccleſiæ, quam vacare tunc Rectore contigerat, quærendus Vicarius eſſet, qui eius Cleri mores, ac ſacra inibi exactè procuraret; neminem Golduello aptiorem muneri vidit. Qui quidem, vt vetuſtiſſimæ, ac prænobilis eius Baſilicæ Præfecturam capeſſiuit, id ſibi propoſuit, vt quæ princeps eſſet toto terrarum Orbe Eccleſia, præcipuo quodam, ac quæſitiſſimo cultu Numinis floreret; gloriarique quodammodò cùm de Eccleſiarum, tùm de morum, diſciplinæque principatu poſſet. Ergò laudatiſſima ipſe forma, exemploque virtutum præire omnibus, atque ad omnem vitæ innocentiam, ac decus cogere; ſtatuere pſalmodiæ modum, vt ſua illi concinnitas conſtaret, ac numerus; chori celebritatem vrgere; ſacrorum miniſteria accurare; ad exactum quendam nitorem, ſplendoremque Sacrarium, ipſoſque Templi parietes exigere; ita vt probauerit ſtatim Pontificis iudicium inſignis Golduelli ſolertia. Cùmque Pio poſteà ſucceſſerit Gregorius Tertius decimus, gnarus quantum ſplendoris, dignitatiſque ab eius vigilijs principi illi Templo acceſſerit; confirmare in Vicario eo munere Aſaphenſem placuit: ac proſecutus ipſe prouinciam eſt ſingulari quadam prudentia, ac zelo. At quia non deſuere tractu temporis ex eo Cleri Cœtu qui pati diutiùs cenſuram illam morum nollent; & excutere præclaram, exactamque Golduelli admini-

Regitque ſtrenue.

Reformatque diuinorum vſum, & cultum.

Qua in prouincia confirmatur à Gregorio XIII.

administrationem viderentur; ipse, quippè qui sciret, non defuturos, qui eximia deinceps sollicitudine, studioque rē Lateranensem procurarent, cedere sua sponte muneri maluit, quàm illorum disciplinæ aduigilare, in qua tuenda opera, curæque suæ minimè probarentur. Ad hæc, post exhaustos inibi plurium annorum labores quidam etiam religiosæ quietis sensus animum vellicabat. Quarè posito eo munere, iterùm sese in Quirinali Cœnobio rerum cælestium contemplationi, sacrarumque litterarum studijs, communique Theatini moris obseruantiæ summa eum animi tranquillitate addixit, cumulauitq; Nostratum lætitiam: quibus, vt mœrori quidem ingenti erat tantum virtutis exemplum aliquando ab suo ipsorum Collegio distrahi; ita reuerti, atque iterùm aggregari, in lætissimis numerabant. Suauiùs nanque bonum afficit post desiderium.

Quietis ipse percupidus. Munus abdicat.

Excessit Venetijs hoc anno è viuis Gregorius Marinus, profunda quidem senectute, quem aliàs meminimus; ac dolendum maximè res eius præclarè, ac piè gestas intercidisse. Id ex rerum nostrarum monumentis solummodò constat, fuisse illum omnibus virtutibus ornatissimum: quod vel ex hoc quis coniectauerit, quòd insignis humilitas, ac tacitæ quędam vitæ ratio, virtutum decora, eiusque actiones inumbrarint. Dum Clericum Regularem, ac Præpositum Venetijs ageret Ioannes Petrus Carafa, illum Christo peperit; ac dignus posteà visus, quem tantus Vir suum in Ordinem aggregarit. Adnotasse eius hic obitum sufficerit, vt vireat in nostris historijs Viri nomen, quem scimus summa innocentię laude, ac spectatissimis moribus floruisse. Porrò non defuere, qui sub id tempus dederint Sodalitati nomen; Viri postea, quà probitate; quà eruditione præstantissimi; vt virtus succedanea cum incremento reponeret, quicquid mors decerperet. Fuere hi Paulus Pignatellus, Neapolitanus; & Ioannes Franciscus Solarius, Genuensis, Cornelij, quem supra memorauimus, germanus frater. Hic in Diuos obseruantia, atque orationis studio cum paucis comparandus; tùm scientiarum ornamentis apprimè excultus; vt dubium omninò fuerit, mores in illo, an eruditio præstarent. Ille magnis quidem natalibus, sed qui genus vt contempsit, ita insigni pietate, ac prudentia exornauit, vt in loco explicabimus. Admissi itèm non ita pridem in Ordinem fuerant Ioannes Baptista Tufus, Acerranis Infulis, nostrarumque rerum scriptione, ac prudentiæ numeris præsignis; & Nicolaus à Zecca Barolitanus, publicus iuris prudentiæ Neapolitanis in Scholis professor; qui natu grandis, hoc est, quinto suprà quinquagesimum annum, in Sodalitium adscitus, breui virtutum omnium possessione, vsque inclaruit, nostri Instituti, legumque apprimè tenax, ac in Deiparam Virginem studio flagrantissimus. Alij prætereà in Ordine hoc maximè tempore nomen professi sunt suum; de quibus, prout sese dabit occasio, memorabimus.

Moritur Venetijs Gregorius Marinus. Vir omnigena virtute instructus. Dant Congregationi nomen spectati moris Viri, Paulus Pignatellus, Io. Franciscus Solarius, Io. Baptista Tufus, Nicolaus à Zecca.

Attulit intereà annus nonus, & sexagesimus noua Comitia, quæ Venetijs habita. Et quod ad Congregationis vniuersę regimen, ac disciplinam spectat, nihil in ijs cautum noui est; sed in eo tota Patrum cura fuit, vt accuratè inspicerent, an quæ sancita iam erant, ad vnguem seruarentur. Enimuerò, vt opportunum, nouis interdum legibus Rempublicam confirmare; ita quàm paucissimæ condendæ, ne decretorum moles, ac numerus notitiam, ac vires obruant. Accidit nanque persæpè, quòd tot ordinationes identidem, ac passim ferantur, vt inibi processu temporis earum numerus nequeat; proindèque, quæ obseruarentur, si paucæ essent, ingentem in fascem si multiplices, aut ignorantur, aut contemnuntur. Præterquàm quòd plurimas ferri leges, corruptissimæ Reipublicæ argumentum est. Nam sustentari non vno quidem fulcimento necesse est, quæ ruinam minantur: contrà verò non aggestis constitutionibus; sed suis veluti ponderibus librantur collegia, in quibus maiorum religio, ac virtus floret. De loco, in quo celebranda Capitula deinceps essent, agitatum, decretumque, vt Romæ quotannis haberentur. Media siquidem inter Italiæ Vrbes, nectere extrema, ac longè inter sese dissita Congregationis domicilia, videbatur Roma; nec tanto cum longioris viæ discrimine, atque incommodo adiri Comitia poterant. Quæ quidem Capitulorum sedes, etsi mutata subindè fuerit; ac celebrari iterum in orbem cœperint, vt par esset cuique

Venetijs Comitia anno 1569. Haud opportunus cōmuni rei legum numerus. Vt Romæ deinceps haberentur Comitia, statuitur.

domui siue incommodum ex Comitijs, siue vtilitas: attamen anno huius sæculi octuagesimo octauo, cùm datus Ordini est Præpositus Generalis, fixus denuò Romæ generalis Conuentus fuit, tenuitque ad hęc vsque tempora hic vsus.

Amplificari iam, ac florere Ordinis virtus, ac Soboles, Deo illum adaugente, videbatur: & quando valebat iam Sodalitas hominum numero; extendi, atque augeri domicilijs deinceps cœpit; deditque hoc anno initium Vrbs Placentia. Enimuerò Paulus Aretius, Antistes Placentinus, vt primùm Cathedræ insedit, circumspicere Ecclesiam, ac munus suum cœpit; vt si quæ adhæsisset religioni, ac moribus labes, aut inflictum sacris iniuria temporis, ac mortalium vitio vulnus fuisset; sanaret strenuè, emendaretque; ac Tridentinas præsertim ordinationes, in quibus versari animorum, ac sacrorum cardo videbatur, in morem induceret. Rem vt aggressus singulari, ac præclaro quodam impetu est; ita pulcherrima animi contentione est prosecutus, vt aliquantò fusiùs mox dicemus. Egregias curas suas id iuuare quàm maximè posse existimauit, si Religiosorum hominum opera, ac studia adiungerentur; quippe quorum institutum est, & secreto precum subsidio, & publica sedulitate morum cultum, pietatemque promouere. Theatinorum in primis industria quàm Vrbibus frugifera esset, vtque proximorum saluti, rerumque diuinarum dignitati, nitorique strenuè desudaret, cùm probè nosset, eius nimirum instituti Vir; euocare illos Placentiam statuit, futuros profectò expoliendis mortalibus, instituendisque quà doctrina, quà exemplo moribus, fructuosissimos; sibique non exiguo quidem adiumento, ac solatio. Consilium cum Parmensium Duce Octauio, & Cardinali Farnesio communicauit, vt auspicatò inciperet à nutu Principum; qui vt rem probare, ita & incitare vehementer Antistitem visi sunt, vt successum maturaret. Nam prætterquàm quòd ornamento Vrbi esse intelligebant, Religiosorum augeri disciplinas; tùm felicitati, tranquillitatique suæ quàm maximè conducere persuasum habebant, adesse sua in Ditione viros strenuos, piosque, qui vnà cum religione, cultuque Numinis, humanarum etiam legum obseruantiam, atque in Principes obsequium inducerent. Planè refractarios, ac perduelles in Dominos spiritus; nisi elidat in Deum pietas, frustrà esse cæteras regnandi artes, ac ipsa armorum argumenta, vsus docuit. Vna est, quæ subditorum affectus, animosque in Principes suos conciliat, religio: quò hæc amplificari feliciùs cernitur; eò illos principari tutiùs, ac diuturniùs contingit. Amplificatur autem, augeturque religio mysteriorum potissimùm vsu, piisque ad omnem virtutum laudem adhortationibus; in quibus assidui, totique sunt sacri Ordines; ac nostra præcipuè Sodalitas; quæ, cùm nulli priuato commodo, opumque incremento studeat: id sibi propositum habet, vt crescat à suis vigilijs, curisque ciuium pietas. Ergò accurare opus Aretius; designauitque excipiendis Patribus domicilium, vnà cum Æde, Diuo Vincentio Martyri nuncupata; opportuna ea quidem eorum industrijs, sacrisq; functionibus peragendis, loco, & situ. Quibus ita constitutis, litteras ad Patres Venetis in Comitijs coactos hoc anno dedit. Apertam eorum pietati aream exponit: desiderari in amplissimæ vineæ cultura auxiliares operas, Theatinos præcipuè labores; ac se quidem maximo id opere expetere; accedere etiam Principum vota, ac populorum studia; tùm de sede, ac destinato sacrorum exercitijs Templo monet; nec defuturam sustentandæ inopiæ cùm suam, tùm aliorum manum. Pergrata amplificãdo Ordini occasio Patribus fuit; placuitq; offerri Placentiam, quam Vrbem in Gallia Cisalpina prænobilem, amplissimamq; eiusmodi esse existimarunt, quæ & adesse spontanea munificentia tacitæ Nostratum paupertati posset, & probare curas Theatinas prouentu, fructuq; pietatis. Quapropter in eam omnes discessere sententiam, vt accederent: præsertim quòd cum Antistite communia etiã postulata conspirarent. Nicolaum à Zocca, quem à studijs litterarum, insignique pietate percarum Aretio futurum putarunt, fundandæ domui destinarunt: cui iussum, vt statim à Comitijs ad eam Vrbem adiret; inspiceretque loci faciem, ac situm; ac tùm Ecclesiam, tùm domum ad nostri instituti morem, nitoremque conformaret. Et siquidem res procederet, Prępositi munere ipse fungeretur; regeretq; Cœnobium, ac fratres, qui destinati tùm quidem fuere; sed nõ ante accessuri, quàm rem ipse accuratè explorasset:

Aretij in emẽdanda Placẽtina Ecclesia studium.

Ijs curis opportunas Religiosorum familias putat.

Nostrum in primis ordinem.

Rem cum Farnesijs cõmunicat,

Qui probant vrgentque.

Designatur excipiendis Nostratibus Domus;

Patres, vt adire velint, rogantur;

Qui annuũt,

Destinaturq; explorandę Colonię Nicolaus à Zecca,

atque

atque eo loci Ædem cerneret, vt quòd Clericorum Regularium est munus, incumbere sacris concionibus, Sacramentorumque vsu in proximorum salutem possent. Contulit se Placentiam Nicolaus, vnà cum Iosepho Barbulia, absolutissimæ virtutis, ac prudentiæ viro. Verùm cùm non pronam omninò in eius Ecclesię Rectore voluntatem reperissent; quippe qui nostræ disciplinæ quædam minùs consentanea postularet: visum tùm quidem negotium differri, quoad Aretij prudentia præcisæ difficultates fuere; quæ quidem eò tandem euasere, vt maiori cum gratulatione, plausuque eius Vrbis Cœnobij possessio à Nostratibus iniretur: quod anno huius sæculi primo, & septuagesimo contigit, vt dicemus.

Accessitque vna cum Iosepho Barbulia.

Sed caruit tùm successu res.

Iam verò, quòd Aretij ardorem, curasque egregias meminimus in ipso sui Episcopatus initio; poscere iam videtur locus, vt quàm egregiè velificare in Placentinę Ecclesiæ administratione cœperit, describamus. Et verò, quòd Religiosas familias præsenti quidem auxilio formandis moribus, exornandæque Ecclesiæ futuras, vti significatum est, existimaret: non modò nostros homines in sui officij, ac vigiliarum partem aggregare; verùm & alios etiam Ordines eò auocare, ac stationaria veluti præsidia ad Vrbis tutelam, ac firmamentum inibi figere, curauit. Qui maximè sanctiorum, seueriorumq; exemplo morum monere, atque inflammare ad virtutem mortales possent, eos esse Capuccinos Patres, apud animum suum reputauit: in quorum sanè habitu, cultuque, atque in ipsis vitæ rationibus spirare quodammodo rediuiuus Diuus ipse Franciscus videbatur. Hos ipse accersitos in D. Bernardini Cœnobio collocauit; translatis indè in celebriorem, ampliorem que sedem Franciscanis, quibus ab obseruantia nomen. Excepit verò illos tùm quidem liberaliter; ac postea indefessa, ac perenni quadam aluit, fouitq; munificentia. Somascenos item Patres, quòd puerorum educationi, quos cura parentum destituit, solertem operam locant, perquàm vtiles Reipublicæ intelligebat. Parentum hi loco succedunt; efficitq; eorũ caritas, vt nullus appellari, aut esse orphanus possit; vsq; adeò in derelictã illam puerorum indolem incumbunt, gnari; id esse omninò pulchrum, ac præclarum, miserabilem pueritiam instituere; cui si nulla accedat educatio, ac disciplina; manifestum omninò est, in publicum exitium adolescere. Inuecta Placentiam Patrum horum natiuitas ab Aretio fuit. Attributa illis D. Stephani Ædes, & attiguæ Templo domus, in quibus erudire statim de more eiusmodi pueros occœpere. Et quod cõmendare optimi Antistitis pietatem maximoperè videbatur; ipsemet conquirendis, cogendisque orphanis operam dabat; suarum id esse partium ratus, vtpote qui cùm Parentẽ omnium publicum, tùm maximè derelictorum se esse existimaret: putabatq; ideò constituisse in Orbe Deum Antistites; ac patres, vt miserorum orbitati pro sui muneris officio consulerent; ac suos potissimùm in filios transcriptos illos esse ducerent, quibus ablatus esset pater. Nec præsidio, curaque minùs indigere orphanas, inopesque adolescentulas probè nouerat. Perrarò siquidem stare honestas cernitur, vbi luctari cum egestate contingit, nec parentum prouidentia aduigilat. Quocirca istiusmodi iuuenculatum collegium instituit, destinauitque percommodas, tutasque earum pudori Ædes; atque exercendæ pietati Lararium, Diuorum omnium memoriæ dicatum. Foueri hìc illas suo auro, collectaque aliorum stipe munificè curabat, donec maturæ viro nuptui traderentur. Creuit postea puellarum numero pijssimum planè opus: excitatumque Placentiæ ab Aretio fuit, antequam Romę iisdem fermè legibus institueretur: ita vt Romanam pietatem optimus Antistes, & operis laude anteuerterit, & exemplo excitauerit. Vt verò Virginibus, ne ruerent, ita lapsis miserrimè fœminis, vt surgerent, prouidit. Etenim, vt haberet, quò libata mulierũ honestas confugeret, elueretq; lacrymis commaculatam sordibus vitam; Cœnobium Pœnitentium fœminarum, via Farnesiana dedicauit, sub D. Mariæ Magdalenæ tutela, ac nomine: cuius exemplo animari ad sui mulctam, suppliciumque illas voluit, vt quam secutæ errantem fuerant, sequerentur eadem mensura, veraque lacrymarum pœnitentem. Illud itidem aggressus statim est, in quod suas etiam curas, animumque intenderat Cardinalis Tranensis: nempè vt Catholicæ fidei rudimentis pueri, rudesque homines instituerentur. Ignorari vulgò fidei capita, atque huiusmodi Christianæ fidei institutionem neglexisse Præsules, viam hæresum propagationi

Aretij in Placentina Ecclesia industriæ.

Capuccinos accersit.

Et Patres à Somascha,

Vt educationi consuleret orphanorum,

Quibus & ipse accurate aderat.

Orphanarũ etiam collegium instituit.

Prælucetque Romanę pietati.

Et puerorũ Catechismo consulit.

per Italiam strauerat: facilè nanque est, suaderi nouam religionem; cùm nulla adhuc veræ religionis documenta animum occuparunt. Eò igitur curas appulit, vt Catechismus rudibus traderetur; imperauitque singulis in Parœcijs scholas, quas celebrari, atque ardere cùm magistrorum, tùm addiscentium studijs volebat; illasque adire ipsemet, atque inspicere solitus erat, an ferueret opus; quod ipse interim incitabat, vrgebatque. Id quod eodem hoc tempore Carolus Borromæus Mediolani strenuè accurabat; induxeruntque subindè in morem suis in Ecclesijs Episcopi magno cum animorum compendio, fructuque pietatis.

Secularium item Capuccinorum Cœtum excitat.

Ad hæc, Secularium Capuccinorum Sodalitium in Æde Deiparæ à Turricella instituit. Rudi, crassoque amictu, soleisque Capuccinorum more publicas obire supplicationes consueuerant. Eorum munus paupertati consulere. Illud præcipuum, coactam per hebdomadam stipem die Dominico inter eos distribuere, quos emendicare mortalium pietatem conditio, ac pudor vetant. Prætereà, iuuare insigni quà pietate, quà iustitiæ laude pauperum litigantium causas in more habent.

Eorum munus; præcipuè litigantium pauperum patrocinium.

Recognoscere accuratè dissidia, eorumque perpendere momenta student: tùm vbi destitui iustitia disceptantes viderint; vt ea lite abstineant, monent, adhortanturque: vbi verò penes ipsos ius esse perspexerint; in id primò, ac omni ope incumbunt, vt partes componant: quòd vbi minùs successerit; tùm quidem litem suam faciunt, suoque auro, ac studio tueri causam acerrimè instituunt. Præclarum omninò opus, quo iustitiæ perindè, & paupertati cauetur. Potentiorum nanq; authoritas, ac opes iugulant persæpè causam; vt cogatur pauper lite cadere, spolieturque contra ius, fasque suis bonis, eò quòd addere pondus rationibus suis auro nequeat.

Hoc exemplo fundata Neapoli Iuoniana Congregatio in Ædibus SS. Apostolorũ.

Erecti in hanc maximè laudem Viri è Neapolitanis subsellijs præcipui, ac forensis eruditionis, facundiæque flos, pijssimum eiusmodi Sodalitium in nostris Ædibus Sanctorum Apostolorum annis superioribus excitarunt, auspice Diuo Iuone, qui pupillorum, ac viduarum patrocinio incorruptam eloquentiam singulari caritatis documento dedicauit. Id sibi Viri doctissimi, ac pijssimi propositum habent, vt periclitantibus miserabilium hominum fortunis doctrinam, linguam, manum commodent; vt dici amplius nequeat vetus illud: Curia pauperibus clausa est. Eorum causas collatis vnà sententijs, votisque inspiciunt, examinant, versantque perquàm diligenter: vbi tuendas iudicauerint; ea quidem alacritate patrocinantur, ac vi dictionis, quam præclara, & ardens pietas suggerit. Teritur quotidiè gratuita, piaque hac aduocatorum sedulitate Neapolitanum forum; expediunturque passim pauperum controuersiæ: vt audiuerim semel ipse, dum egregij operis progressiones, instituto publico Cœtu, narrabantur, ab fundata Iuoniana ea Congregatione, quod non ante multos annos contigerat, susceptas inopum lites patrocinandas plusquàm mille, & quingentas; peroratas verò, ac pauperibus adiudicatas supra septingentas. Certè cùm plura in amplissima Neapolitana Vrbe sint, quæ præcipuam eius religionem, atque in pauperes studia commendant; nescio, an quid in ea perspicies, laudatissimo hoc opere præstantius. Nihil enimuerò orphanorum, ac miserabilium fœminarum clientela splendidius, aut fructuosius; eorum fortunas vindicasse, suas auxisse est; abstersisse eorum lacrymas, fœcundasse est diuite quadam vena opes suas; ac nunquam planè orata pupillorum causa est; sine plausu Cælitum.

Pupillorum, viduarum, inopum res agitur,

Insigni animi contentione.

Pietatis huiusce partem sibi vendicat nostri hominem.

Huiusce porrò celeberrimæ pietatis gloriam ad Nostrates etiam non minimum spectare, non dubium est; vt qui & moderari quodammodò, & vrgere opus strenuè videtur; adest siquidem vnus è nostris hominibus operi supremo quodã iure. Ac mirum sanè est, id à nobis exigere caritatem, vt pauperum fortunas, ac fundos tueamur, qui nullis bonis nitimur, extra omnem diuitiarum censum, ac aleam positi.

Adolescentum ingenijs ac moribus consulit,

Placentiam nunc reuehamur: vbi & illud Aretij nauitas curauit, vt adolescentum ingenijs, ac indoli consultum foret: instituto nimirum ad eorum tùm eruditionem, tùm pietatem Collegio; in cuius postea rectione egregiè desudauit ex nostratibus Ioseph Barbulia, expoliendis, ornandisque iuuenum moribus oppidò idoneus. Neque verò qui Ciuium, atque incolarum bono aduigilabat; dissimulare hospites, ac peregrinos potuit. Sodalitatem nanque sub Sanctissimæ Trinitatis auspicijs in Æde Sancti Hilarij Episcopi instituendam curauit; cuius hæ potissimùm partes,

Et peregrinorum commodo.

tes: aduenas benignè accipere, fouere, alere, ad eundem prorsus modum, quo Romana pietas, à Trinitate item nuncupata, assolet. Morum autem instaurationem, quam propositam habebat, Sacramentorum potissimùm vsu induci cùm intelligeret; mitum quo studio laborauit, vt ad illa animos inflammaret. Planè cùm rara vbique pietas esset, tùm mysteriorum vsurpatio rarior; vt anniuersaria fermè omnes communione reficerentur. Hanc, Christianorum instituto, ac nomine indignam planè diuinæ communionis parsimoniam abolere maximè studuit; ac valuere vsque adeò adhortamenta, vt in singulos primùm menses, mox singulis hebdomadis, ac posteà frequentiùs cùm pectorum expiationem, tùm mysticæ Cœnæ vsum persuaserit. Qua in re vsus plurimùm Nostratum opera est, qui vt in plerisque Italiæ Vrbibus, ita Placentiæ præsertim, quà priuatis monitis, quà publica voce effecere, vt Christi fideles diuinis assuescerent, libarentque frequentiùs sacrum Domini Corpus.

Sacramentorum vsum instaurat.

Quas verò prauas consuetudines ingenti cum pietatis fraude inoluisse conspexit, funditus vt extirparet, anxiùs contendit. Profanas saltationes, ludosque, ac theatra, in quibus, magistra impudicitia, ad omnem sensuum illecebram mentes erudiuntur, festis maximè diebus omninò proscripsit. In blasphemos, qui vulnerare horrore quodam pias aures audiebantur, ardentiùs inuexit; vindicauitque publico aliorum exemplo, metuque. Nam quos eius flagitij manifestos deprehenderet, perpurgari acri supplicio, habituque pœnitentiæ volebat. Tùm, vt latiùs, efficaciùsque peruaderent vitiorum remedia; totius Diœcesis inspectionem semel, atque iterum instituit, viarum, locorumque asperitate, affecto maximè corpore, minimè deterritus. Id quod & obire per alios curauit, vt inspecto sæpiùs suarum ouium statu prospicere earum incolumitati, bonoque opportunè posset. Manare item è Diœcesanis Conuentibus ingentem in populos vtilitatem cùm probè nosset; Synodum statim habuit, iterauitque, sancitis ad Cleri, ac populorum formam præclaris ordinationibus. Quibus in Conuentibus illud optimi Præsulis pietate, ac munificentia planè dignum. Nam cùm è montanis oppidis, pagisque eò presbyteri conuenirent, cultu corporis, suo gradui omninò dispari; vt agris propior, quàm Ecclesijs; exoticus, detritusque eorum habitus videretur: suo ipse sumptu ad Clericorum honestatem, moremque conuestiendos illos curabat: qui quidem vt alios ab ea Synodo mores, ita alias quidem vestes reportabant. Vrgere hæc porrò, quæ narrauimus, Clerique, ac Ciuium disciplinam sui exemplo nitebatur. Prælucere siquidem Rectorem subditis, ea demum legum vis est. Domum frugalitate, modestia, sanctitate composuit: cultus illi, ac supellex, quæ Virum Ecclesiasticum, & Religiosum decebat; liberalitas, quæ Patrem, ac Principem. Prima luce concinendis matutinis laudibus cum reliquis in Odeo aderat, vbi & cæteram psalmodiam statis horis persoluebat. Duas minimùm horas publicè ante diuinam Eucharistiam, ac de genu quotidiè orabat. Æquitati seueritate quadam litabat: nulla crimini ex fauore impunitas: humanitas illi, quam non spernerent mali; supercilium, quod boni amarent; faciles, constantesque adeuntibus aures: nullæ auaritiæ sordes: denique is erat, vt expressisse optimi Præsulis imaginem omni virtutum, ac laudum genere dixisses. Quæ quidem commemorare hic opportunum duximus, vt quibus ille auspicijs capessiuerit Episcopale munus, & qua pergeret curarum contentione administrare, intelligat lector, ac simul reputet, quàm meritò, & quanta cum Pontificis laude collata consequenti anno amplissima Purpuræ dignitas fuerit: neque enim ornari eius vir virtutis suprema Infula sine magnifici Principis elogio potuit. Narrare autem hic de Arctio in Cardinalium Ordinem adscripto, continuare temporum, atqueu historiæ seriem erit.

Theatra prohibet.

Blasphemos vindicat.

Diœcesim lustrat.

Synodum cogit.

Eius in pauperes Clericos munificentia.

Exemplo præit omnibus.

Composita ad modestiã domus.

Statis horis in Odeo adest.

Iudiciorum seueritas, & humanitas.

Anno igitur septuagesimo supra sesquimillesimum, quo reportata à Carolo Nono, Gallorum Rege de perduellium hæreticorum exercitu insignis victoria fuit; Pius Pontifex Quintus, qui expeditionem, ac palmam ingenti suorum armorum apparatu iuuerat, cumulare communem lætitiam, quam ab ea perfidiæ clade Orbis conceperat, solenni Cardinalium inauguratione cogitauit, adaucta in augusto Senatu corona Patrum. Percutrere non modò Romanam Aulam, quæ magnorum semper Virorum fertilis; verùm etiam Christianum Orbem voluit, vt dignissimos legeret;

Augetur à Pio V. amplissimo Col. legium anno 1570.

quippè qui sciret, non eam esse Purpuram, vt obuijs, ac temerè sit proijcienda, sed quæsitissimis: ita vt non quidem liberum, aut liberale Pontificum donarium, sed pulcherrimorum operum remuneratio videatur: sitque authoramentum virtutis collata authoritas. Quapropter cùm in Placentina Ecclesia excolenda nauiter, vti significatum est, eo maximè tempore desudaret Aretius, affluxissetque secundissima admurmuratione ad Pontificis aures præclaræ eius industriæ, ac sanctimoniæ fama; destinatus Purpuratorum Collegio est; quod eò libentiùs decreuit Pius, quòd tantam in munere sedulitatem, tantarumque partium concentum cerneret ea cum humilitate coniunctam, vt cogi ad Sacerdotium oportuerit. Neque id profectò minimi apud illum ponderis fuit, è Clericorum Regularium Ordine Aretium esse, vt Purpuram Theatinæ familiæ redderet, à qua ipse acceperat: honestaretque gratissimus Pontifex Pauli Quarti memoriam Infula præclaræ sobolis. Ergo die vndeuigesima Maij mensis publicatis sexdecim Conscriptorum Patrum nominibus, adauctus vt non paruo quidem numero, ita egregia virtute amplissimus Senatus fuit: excitatusque ab ea lectissimorum hominum dignitate ingens in Vrbe plausus. Et verò is fuit Virorum delectus, qualem ab incorrupto sapientissimi Pontificis iudicio polliceri sibi Roma, ac Orbis poterat; vt decerpsisse is florem Christianæ prudentiæ, atque eruditionis visus fuerit. Inter magna ea nomina adoptatus Felix Cardinalis Montaltus fuit, posteà Sixtus Quintus, qui Vrbem Romam molibus, an moribus luculentiùs exornauerit? incertum; & Iulius Antonius Sanctorius, Cardinalis Sanctæ Seuerinæ; qui meritorum celsitudine tetigit quidem supremum illum Pontificatus apicem; sed vt dignior eo fastigio æstimaretur, spontè abdicasse videri voluit. Coniectari ex his reliquus ille Cardinalium census poterit, in quo non vltimo planè loco adnumeratus est Paulus Aretius, dum Placentiæ ageret, ac quiduis aliud ingenita Viri modestia cogitaret, quàm insigniri honore Purpuræ. Excepit ille nuncium summa cùm animi, vultusque moderatione; insigne autem Cardinalitium induere non ante voluit, quàm diuinis operaretur; post quæ ingenti veneratione capiti induxit suo, ac ea quidem modestia, qua posteà tenuit. Addita ab eo ardore Purpuræ quædam tantummodò flagantissimo animo fax ad præstantiores virtutum actus: cæterùm, vt mutatus vestibus color; ita popularis illa facilitas morum, animique demissio eadem illi post Purpuram fuit. Parmensis Dux Octauius, cui perspecta sui Antistitis sanctimonia, mirum quo gratulatus illi affectu Infulam est. Cardinalis item Farnesius Purpuratorum in Ordinem, ac germanitatem adscitum tantæ probitatis, ac doctrinæ Virum inter Sacri Collegij decora numerabat. Vterque verò omnem officij partem præcipuis lætitiæ, atque existimationis argumentis impleuere. Regi Hispaniarum Philippo optatissimus in primis eius Infulæ nuncius fuit, vt testatus posteà est Parafanius Ribera, Dux Alcalensium. Regijs nanque, ac publicis persæpè officijs perfunctum sæpè Aretium, non potuit non gratum Regi esse, inter Purpuratos adscribi. Eundem prorsus omnis gradus, omnisque Ordinis viri sensum, effusi in laudem, ac venerationem, testati abundè sunt: ac ea erat communis omnium sententia, magna quidem, ac splendida dedisse Aretio Pium Quintum; verùm non minimùm sibi opinionis, ac famæ ab eo excellentissimæ virtutis delectu collegisse; id enim virtutis proprium est, vt exornari minimè possit, quin in exornantem vicissim decus refundat. Porrò debere hìc noluerim Cardinalis Alexandrini, Pontificis Nepotis litteras, qui quòd partem sibi in ea Purpura vendicabat; gratulari statim Aretio voluit. Luculentum planè magnæ virtutis, animique ab honoribus abhorrentis testimonium eæ sunt; prohidèque pretium erit, apponere, quæ sic habent. [Non equidem neque gratiorem Deo rem, neque maioris Romanæ Ecclesiæ ornamenti elegerim ipse vnquam, aut optauerim, siue iudicio agendum, siue affectu, studioque esset: quàm in nostrum Purpuratorum Collegium cooptari te, quem non hoc solummodò gradu dignum diù antea deprædicauit hominum existimatio. Subduxisse te honoribus frustra omninò fuit; visique insequi honores, quos fugiebas, instinctu quidem Numinis; cui gratias nunc ingentes habeo; tibique non tàm dignitatem, quàm meritum gratulor; vtque vitæ diuturnitas, ac felicitas accedat, opto, & voueo. Vale.] Hæc ad illum Alexandrinus.

Iam,

Designatur Purpuræ Aretius. Sui merito, & quod Pauli Quarti soboles.

Renunciatusque cùm splendidissimo Sodalium Cœtu.

Vt nuncium acceperit.

Pergrata Parmensi Duci, & Card. Farnesio eius Purpura.

Et Catholico Regi.

Cardinalis Alexandrini gratulatio.

Iam, dignitatem illam non recusasse Paulum Aretium, fuere qui tunc mirati non mediocriter sunt; vtpotè quem nouerant, humilitate præsertim præstare, ac aliàs honores obstinatè repudiasse. Interroganti verò hoc ipsum, respondit: Se quidem Episcopatus renuisse, ac Placentinam præsertim Sedem ne acceptaret, constantissimè eum Pontifice disceptasse, eò quòd auelli ab sinu, complexuque amantissimæ Religionis, atque ab ea mentis tranquillitate molestissimum omninò sibi esset: putaretque nullam esse tàm splendidam honorum sortem, quæ commutari cum Religiosorum statu, ac pace queat. At quando iam regularis vitæ requietem amiserat, emissus contra votum in solem, ac puluerem; non eam profectò animi luctam in capessenda Purpura expertum; cùm parum, aut nihil omninò afficeret magnificentior cultus, ac dignitas. Tùm illud persuasisse, vt libenter acceptaret, quòd sciret ab ea honoris specie plurimùm accedere Episcopali muneri authoritatis, ac ponderis. Crescit nanque à maiestate reuerentia; & populus quidem, quem nec ratio, nec leges mouent, iubentis dignitate cogitur. Quam eius mentem, ac dictum, scio, dilaudasse aliquando magnoperè Franciscum Cardinalem Boncompagnum: qui vt eandem eum Aretio Neapolitanam Sedem tenuit; ita eius etiam tenere vestigia, atque exprimere motum sanctitatem visus fuit. Causas ipsemet alias exposuit ijs litteris, quibus appellare statim Pontificem prolixa gratiarum actione voluit; quas & hic recensebimus; spirat nanq; in ijs Aretij virtus, ac insita Ingenuo pectori modestia.

Cur amplissimum honorē non recusauerit Aretius.

Eius ad Pontificē litteræ.

Beatissime Pater. Ingens animi tui munificentia, qua me prosecutus semper es, ea fuit, vt obstrinxerit potissimùm me Tibi supra cæteros. At enim, quæ nunc singularis benignitas tua supremum mihi honorem Purpuræ contulit, deuinxisse me supra omnem planè modum videtur, & beneficij magnitudine, & tuæ in primis beneuolentiæ testificatione. Certè, cùm mecum ipse calculum ponerem, reputaremque impares omninò muneri animi mei partes; tentari me vehementiùs conscientiæ stimulis sentiebam, vt vellicor nunc etiam, monerique acriter, ne apicem hunc honoris subirem. At veritus, ne magnæ huiusce dignitatis splendorem, tuique animi beneficentiam inumbrarem; si quod singularis tua liberalitas vltrò contulit, deprecarer: & quòd iam constanti quodam animi proposito tuæ Beatitudinis obsequium mihi proposueram; abdicare voluntatem meam, ac sensum malui; tuoque me totum singulari iudicio committere; quod vt sapientissimum, ita spontaneum non dubito; ratus, pulchriùs omninò esse Tuæ Sanctitati, quæ Numinis vice Christianum Orbem prudentissimè moderaris, obtemperare, quàm animi mei impetum, ac sententiam sequi. Spero autem fore, vt quemadmodum Deus bonam mihi adflauit mentem, qua & noxam omnem declinare, illumque colere, atque amare impensiùs studeo; ita confirmare ipsemet, atque adaugere hanc eandem probæ mentis constantiam velit; vlresque insuper curando, implendoque muneri sufficere. Ea item mihi subsidia singularis tua benignitas adpromittit; vt nunquam à recti tramite discessurum confidem. Quæ verò polliceri de me ipse constanter audeo, ea sunt, pronum omninò obsequium, summamque in Te fidem; tùm in hanc, quam pro meritis tenes, supremi Imperij Sedem eximiam obseruantiam, ac studium. Igitur, ad sanctissimos pedes tuos prouolutus, de honorificentissimo de me iudicio, quod significare Pontificijs etiam litteris voluisti, ac de purpureo capitis tegmine, quod Petrus Martyr Ardunctus, à Sanctitatis Tuæ cubiculo, detulit, habeo gratias quæsitissimas, ac immortales. Idque oratum maximum Numen perpetuò lim, vt diù Te ad communem Christianæ Reipublicæ felicitatem, ac lætitiam incolumem seruet; mihique eas interim opes animi suggerat, vt testari opera, vitaque valeam obsequium, amoremque in Te meum, Pontifex optime, ac sæculorum memoria celebrande: cuius beatissimos pedes perquàm demissè complector, atque exosculor; oroque ex animo Te, vt qua vales in vniuersum Christi gregem potestate, mihi benè preceris. Placentiæ die duodecima Iulij 1570.

Hæc litteris Aretius ad Pontificem, cui easdem mox grates coram persoluit, exacto nimirum æstiuo sydere. Contulit nanque se Romam, vt purpureum de more inibi galerum acciperet; exceptusque Romanorum plausu, ingentique Pij Pontificis humanitate fuit. Et qui persolutis Aulæ officijs, continuandis vigilijs, ac laboribus

Romam adit.

boribus suis redire statim Placentiam constituerat; impetrare hanc à Pontifice facultatem non potuit. Quo interim tempore adeò periculosè decubuit, vt desperauerint penè salutem medicorum consilia; quo quidem repentino mortis metu minimè commotus; præsenti, pioque animo componi ad vitæ exitum visus est: statimque Christi corporis viatico, quod allatum sumere sua manu voluit, ritè instructus; insignia pietatis, & constantiæ argumenta edidit; nihilque inter isthæc humana habere commonstrauit, quod acerbiorem illi interitum faceret. Illud rogatum Pontificem voluit, vt quando cùm ad suæ Ecclesiæ, ouiumque commodum, tùm ad recentis Purpuræ dignitatem, nescio quid æris alieni conflauerat; dissolueret munificè ea ipse nomina, si mori contigisset; vt etiam post fata crescerent in ipsum eius merita. Cui Pontifex quàm humanissimè; Collocaret in Deo spem; fore nanque, vt eius ope conualesceret, ac sua ipse debita lueret: vt accidit, omnibus planè successum gratulantibus, præter ipsummet Paulum; qui vitæ lucem tùm maximè odisse, cùm vsurpare illam splendore Purpuræ clariorem, ac magnificè Infulatam videbatur.

Vbi periculosè decumbit. *Viciniæq; morti se cõparat.* *Quid Pontificẽ rogauerit* *Conualescit.*

At enimuerò diù extra Congregationem stylum tenuit Aretij virtus, ac Purpura. Acta nunc Ordinis repetamus. Offert nanque se deducta hoc anno faustis quidem auspicijs Mediolanum Colonia. Decreuere illa quidem habita Romæ Comitia generalia; sed qui Patres interpellauerit, petieritque anxiùs transmittendam in eam Vrbem Nostratum industriam, Carolus Cardinalis Borromæus fuit; splendidissimum illud nempè Mediolanensis Ecclesiæ, ac Orbis lumen. Nouerat is Theatinum Institutum, ac mixturam illam morum, vitamque cùm rerum cælestium contemplatione, tùm proximorum saluti promouendæ accommodatam. Nam quo tempore Guiglielmus Sirletus in D. Syluestri Cœnobio inter nostros homines morabatur; adire illum Borromæus, vt aliàs meminimus, ac producere cum Viro sapientissimo de cultu animi, ac publicis etiam Aulæ negotijs sermones consueuerat. At tùm quidem assiduo eo vsu, & inspiciebat ipse disciplinæ, morumque obseruantiam; & plura ab Sirleto narrabantur, quæ ad intimam Instituti sanctimoniam spectabant: conceptaque indè de eximia Patrum virtute opinione, singulari illos beneuolentia, ac liberalitate prosequebatur. Ergò in amplissima subindè Mediolanensis Ecclesiæ Area cum desudaret; desiderari operas, quæ populosam Vrbem excolerent, instruerentque ad præclaram suæ mentis ideam aduertit. Ad incitatissimum nanque Antistitum studium, zelumque magnarum rerum molitorem, nisi auxiliares accedant manus; inchoari quidem res poterit, perfici nunquam poterit. Vires quippè respondeant operi necesse est; ne medio in cursu frangi neruos, ac animum contingat. Quapropter iuuandis ijs cœptis, egregijsque curis suis Clericos Regulares adlegit: quorum studium non vna quidem ratione, ac via vrgere animorum salutem poterat; quando & eruditionis præstantia, & vocis contentione, & Sacramentorum ministerio, & exemplorum vi, fusaque postremò ad Deum oratione valere illos plurimùm persuasum habebat. Igitur Romanorum Comitiorum opportunitate vsus Borromæus, litteras ad congregatos Romæ Patres ea super re dedit; iussitque insuper Cæsari Vespasiano, eximiæ integritatis Viro, famaque prudentiæ, ac Insulis Nouariensibus primùm, tùm Cremonensibus spectato, qui curandis tunc quibusdam Mediolanensis Ecclesiæ negotijs in Vrbe distinebatur; vt coram cum Patribus ageret, conficeretque maturiùs rem. Visa generali Capitulo opportuna sanè occasio figendi in amplissima Ciuitate domicilium: ratique prospera omninò futura eius initia, faustasque, Borromæo inuitante, progressiones; vnanimi consensione decreuere, vt eò nostri homines concederent: maximè quòd scirent, non admodùm fore de concinnanda, curandaque domo solicitos: exactam siquidem, expolitamque ad religiosorum normam destinauerat nostro Instituto Borromæus Ecclesiam Diuæ Mariæ ad Sanctum Calimerum, domosque attiguas, Humiliatorum olim Sedem; quæ vt non omninò industriæ opportuna videbatur; ita neque prorsùs incommoda ponendis Theatinæ disciplinæ, ac laborum ea in Vrbe rudimentis. Designata excolendæ illi vineæ præstantissima Patrum manus, qui strenuè curas suas operi dedicarent; responderentque sanctissimi Cardinalis votis, ac spei.

Auocatur Mediolanũ Theatinus Ordo, *Efflagitante D. Carolo Borromæo,* *Instituti gnaro.* *Qui Romana Comitia interpellauit.* *Impetrauitq;* *Destinata illi Mariana ad Sanctum Calimerum Ædes.* *Allegati eò Patres,*

ac spei, quam de Nostratum virtute, ac studio conceperat. Præpositi nomen, ad munus Hieremiæ Isachino contigit, qui Venetam hoc anno Præfecturam expleuerat; datusque Vicarius, ac Socius muneris, Andreas Auellinus, qui Paulinam Domum triennium rexerat. His ad reliquum familiæ numerum accessere Ioannes Paulus Montorphanus, Michael à Consulibus, Paulus Pignatellus, Saluator Caracciolus, Innocentius Palescandalus, Andreas Mormilius, alijque non obscuræ quidem virtutis: quos eò aduentantes, missis obuiam familiaribus suis, perhonorificè excipi ad portam Romanam iussit Borromæus; qui eo illos complexus studio est, vt nihil ad singularis beneuolentiæ, ac liberalitatis specimen in eo desideraueris. Enimuerò non modò ad itineris expensas numerari abundè aurum iussit; verùm etiam vt vacare diuinorum cultui, ac degere inibi pro instituti ratione possent; & decentem in Æde ornatum, & domesticum in Cœnobio instrumentum, ac supellectilem non exiguo quidem ære suo expediri curauit. Vt verò neque eius consilij, neque dispendij illum pœniteret, effecere mox acerrimis curis suis Patres; cùm deriuare in Mediolanensem pietatem vberrimas planè opportunitates, fructusque occœpere. Etenim, vt actuosissima est virtus; nihil potiùs, aut antiquiùs habuere, quàm sedulitatem suam, ardoremque animorum probare populis. Inductus quidam statim in Ecclesiam nitor; tùm exquisitis mundicijs par cultus. Instituere interdiù, noctùque hymnodiam, dare confitentibus assiduas aures, componere, ac tranquillare conscientiarum æstus, dicere identidem ad concionem, iuuare monitis bonarum mentium conatus: hæ statim fuere Patrum curæ.

Isachino Præposito.

Quos excipit humanissimè Borromæus.

Eorum in nouo domicilio studia.

Porrò Venetijs Mediolanum discessisse Isachinum, vt pergratum Cardinali Borromæo, ac Mediolanensibus fuit; ira Venetorum animos supra quàm dici potest perturbauit. Eam siquidem ille virtutum opinionem, famamque sibi comparauerat; vt iam commune omnium perfugium, ac Parens Venetijs videretur. Nihil inconsulto Hieremia vel in grauissimis Reipublicæ negotijs agebatur: priuatim verò nullum erat genus hominum, quod non præsenti consilio iuuaret, instrueretque morum exemplis, ac præsidijs doctrinarum. Incredibilis præsertim illi dicendi facultas inerat, qua flectere ad nutum mentes mortalium videbatur. Nihil eius concionibus aut frequentius, aut fructuosius; confluebantque Venetorum ordines ad simplicem, neruosamque eius eloquentiam; cuius & virtutes admirabantur, & amabant mores. Aliò igitur transferri tantam Viri industriam visa quàm acerbissimè tulisse Vrbs Veneta; datisque ad Nostrates primùm litteris, ereptum sibi egregium illum animorum rectorem, ac Patrem acriter cum illis expostularunt; deindè rationem inire, vt postliminiò reuerteretur; iussumque à Venetorum Principe, ac Senatu est Michaeli Suriano, Reipublicæ Oratori, vt rem cum Pontifice transigeret; ac propositis omnium Ordinum postulatis, ac votis id omni ope contenderet, vt Isachinus rediret: quod ille intentiore quidem conatu, atque ex animi sententia confecit. Audito nanque Pius Pontifex communi sensu, affectuque, fructu præsertim, quem adeò frugiferæ, ardentesque Hieremiæ curæ Venetijs demetebant; illi præcepit, vt gradum Tolentinatem in Domum quàm primùm referret: haud quidem par esse, vt quando flagrantissima inclytæ Reipublicæ studia eius vigilias mirificè iuuarent; certus ille animorum prouentus interpelletur. Iret proindè, instauraretque ea in Vrbe cursum pietatis, quem felicissimè intenderat. Id quod vbi allatum Borromæo est, affici non mediocriter cœpit; vt cuius iam oculos, animumque præclara Isachini virtus verberauerat, ac præstantissimam ab eo nauari operam exercendæ communi pietati cerneret. Idcircò abrumpi cœpta, & quæ semel affulsissent Mediolanensibus spes, momentò euanescere, Vir suorum saluti, ac profectui intentissimus, non est passus. Compellare & ipse litteris Pontificem statuit. Isachinum suum iam esse: præclaris iam initijs deuinxisse sibi communem beneuolentiam; ac operum pulcherrimorum tyrocinium posuisse. Venetijs diutiùs iam immoratum; satis inibi laborum, ac vigiliarum impendisse: nec absurdum omninò esse, si aliquantisper alibi desudaret; & quando fundamenta spiritus Mediolani iecisset, tandiù ibi subsisteret, donec exurgeret moles. Hæc ferè ad Pontificem Carolus; deditque ea item de re ad amicos litteras, vt coram acriùs officia vrgerent. Excitatum

Ablatum sibi Isachinũ dolent Veneti.

Reditũ apud Pontificem curant.

Et impetrãt.

Molestissimũ id Borromæo.

Qui ad Pontificẽ scripsit.

Dat is etiam ad amicos litteris.

2036

hoc

hoc de Hieremia certamen gratulatus ex animo Pontifex est: nouerat quippè intimè hominem, præclaramque eius virtutum indolem, cùm in Pauli Quarti Maximi Pontificis Aula olim ageret; ac tanta studiorum æmulatione postulari iure optimo fructuosissimam illius operam, existimabat. Quarè cùm nec omninò refragari Venetæ Reipublicæ, ac suffragari Borromæo vellet, quippè cuius authoritatem, ac preces magni faceret: statuit, vt quando & præesse domui, & prodesse Ciuibus occœperat Isachinus, pergeret, quoad defungi Mediolanensi præfectura contingeret; quo deindè munere expleto, Venetias pristino instituto rediret. Quod sanè Pontificis decretum communi plausu exceptum; ac Hieremias quidem vbi affixum se nutu Pontificis Mediolani intellexit, nimiùm quantùm cùm in domestica disciplina exaugenda, tùm in externa animorum procuratione neruos intendit. Euulgata latiùs eius iam sanctimoniæ, ac masculæ cuiusdam facundiæ fama, Theatina domus incredibili mortalium concursu celebrabatur, ad quam ijs concionibus audiendis sanctissimus ipse Antistes Borromæus non semel adijt; sæpissimè verò intrà domesticos Pontificiæ domus parietes audire illum voluit; quòd eo loquente inflammari se acriùs ad pietatem fateretur, & excitari ab flagrantissima ea dictione præclaros animi impetus, motusque in sua familia cerneret. Eam autem de illius cùm prudentia, tùm vitæ probitate, atque eximio spiritu opinionem conceperat; vt in secretum persæpè illum conclaue adhiberet, sereretque de rebus cælestibus cum eo sermones; nec non & grauiores Insulæ curas, ac momenta communicaret; eiusque consilio in rebus difficillimis vteretur. Neque verò obscura, aut minùs vtilis reliquorum Patrum virtus fuit. Visi nanque certatim pro sua quisque facultate, ac modo agrum excolere; eorumque operam, ac eruditionem in publicis Conuentibus; qui de Mediolanensi Ecclesia emendanda habebantur, periclitari Borromæum non semel contigit; adscitis præsertim in eos Cœtus Auellino, Montorphano, Caracciolo, quorum probauit mirificè doctrinam, ac mores; ac familiaribus interdum colloquijs oblectabatur.

Quid in ea contentione statuerit Pontifex.

Proximorũ institutioni strenuè incumbit Isachinus.

Concionantẽ publicè, priuatimq; audit Borromæus.

Et cum eo publicas curas communicat.

Eadem in reliqua familia sedulitas.

Quibus autem virtutum fundamentis Theatina ea familia niteretur, vtque nulla habendi cupiditas eximios paupertatis cultores solicitaret, paucis contentos cognouit tùm liquidò Borromæus; dilaudauitque effusè ab egregio auri contemptu pectora, verè aurea. Enimuerò, consueuerat munificentissimus Antistes præter cæterùm annonam, erogare Nostratibus in singulos menses aureos quinque & viginti; vt sub ea maximè Cœnobij initia suæ paupertati, ac domesticis necessitatibus consulerent. Accidit porrò, vt statam ille eleemosynam mitteret, cùm abundè iam Patres pro Theatini Instituti modo inopiæ prospexisse sibi viderentur; nec eo tunc subsidio opus esset. Quarè hæc illi, qui stipem tulerat: haberet prolixè Cardinali gratias; cæterùm id auri reportaret, renunciaretque, non ea tunc munificentia indigere se, quibus satis erat ad votæ paupertatis leges vitam tolerare. Hæc vbi audiuit Borromæus, inusitatam hominum moderationem, ac mentem supra mortalia admiratus; verè, inquit, sancti hi Patres sunt. Planè vt igne aurum, ita virtus, ac sanctitas auro probatur: deuota siquidem auro indoles, nunquam aurea. Perspecta Nostratibus vicissim fuit illibata Caroli Borromæi mens, zelique ardor, atque incomparabilis morum innocentia: vt cùm omnes conspirationem illam, chorumque virtutum in sanctissimo Antistite deprædicarent; tùm Andreas Auellinus superiore quadam mente prædixerit, fore, vt clarum miraculis, relatumque solenni inauguratione, rituque inter Sanctos, adoraret illum Orbis; poneretque magno nomini, ac sanctitati aras, ac Templa.

Insignis in Mediolanensibus Patribus auri contemptus.

Commendatur à Borromæo.

Perspecta Nostratibus Borromæi sanctitas.

Hæc Mediolani, dum Neapoli Theatinorum studium communem pietatem strenuè vrget, impulsore Hieronymo Ferro: qui etsi, vti diximus, externis curis plus nimio distineretur; renunciatus hoc anno Paulinæ Domus Præpositus fuerat. Certè, vt maior illi suo Cœnobio zelus; ita non is erat, vt contineri intra domus parietes amplissima eius virtus posset. Atque hoc quidem tempore in id maximè cogitationes suas intendit, vt Neapolim euocarentur Somasceni Patres, quos industrios sanè nouerat; putabatque non minimo futuram Neapolitanæ Vrbi commodo illorum in educanda, formandaque pueritia accuratam sedulitatem. Eò siquidem Nostrates

Hieronymi Ferri opera Neapolim Somasceni euocantur.

strates hæreditario quodam studio semper collimarunt, vt sæpiùs legere erit in nostris Commentarijs; vt vbi opportunum publicis moribus aliorum Religiosorum institutum viderint; curarent ipsi, vt à Ciuibus inuitarentur; ac promouerent ipsimet nauiter opus: tantum abest, vt intercluderent illis aditum, aut impedimenta nečterent, ne domicilium suæ disciplinæ figerent.

Nostratum mos, vt aliorum Religiosorum rem iuuent.

Quibus laborare in Ecclesiæ vinea propositum est, trahendi profectò sunt, non excludendi; vt communicatis operis, vnanimi consensione, curaque vni Deo seruiamus. Igitur, Orphanotrophium Neapoli erat sub Lauretanæ Virginis tutela, à qua attigua Ædes nuncupata. Bis centum alebantur, atque instituebantur ibi pueri, quos non exacta quidem complecti cura videbatur: præerant quippe pio operi, quos suæ rei studium distr[a]hebat: domesticis nanque implicitus, administrare diligenter aliena, atque externa nullus poterit.

Neapolitanum Orphanotrophium,

Eapropter præclarè cum Lauretana ea Domo actum iri nostri homines, precipuè Ferrus, putarunt; si eius procurationi Somaschæ Patres admouerētur. Hoc illis precipuum, ac laudatissimum institutū esse, eiusmodi pueros, quà pietate, quà moribus instruere; ac testem esse reliquam Italiam, quanto cum Orphanorum compendio id operis vsque tùm exercuissent. Transigi cum eius Contubernij Magistratu rescœpit: præcipuè cum Hectore Pignatello, Montisleonis Duce, qui primas eius officij partes agebat.

Curat Ferrus, vt à Somascenis regatur.

Sed eo paulò post vita functo, Ioannes Andreas de Curtis, Regij Consilij sanctæ Claræ, vti vocant, Præses, cùm in eo munere successisset; incredibili quodam studio complexus negotium est. Intellexit nanque statim, adhiberi ad eam curam Somascenos sine publicæ eius pietatis incremento minimè posse. Re cum Neapolitanis Rectoribus constituta, alteram sine mora interpellandam partem duxit Ferrus: deditque mox ad Nostrates Venetias litteras; vt quando præclara sese occasio instituendæ pueritiæ Neapoli aperiret, cum Somascenis agerent, vt quæ illorum primæua est caritas, subire prouinciam vellent.

Agit cùm loci Rectoribus.

Mox Somascenos Patres monitos rei voluit,

Segetem quidem perampplam esse, suique instituti rationibus, vigilijsque omninò parem; commodam loci stationem, prospectuque maris peramœnam: tùm Rectorum voluntatem propensam, ac prona omnium vota. Quæ cùm accuratè expendissent ij Patres; gratulati oblatam occasionem, Neapolim conuenere, excepti perhumaniter in Paulino Cœnobio à Hieronymo Ferro, qui præerat; vbi immorari diutiùs oportuit, donec explorata diutiùs re Laurentana, eò concesserint, curaturi præclarum opus.

Qui Collegium complexi,

Nostris verò pergratum fuit id hospitij officium; vt flagrare adhuc inter ipsos mutua videretur caritas, quæ vnum olim in corpus vtramque disciplinam illigauerat. Et visa quidem ardere vehementer Theatina in illos pietas, decumbente mox periculosè nostra in Domo è Somascensium manu Ioanne Maria, Viro religiosissimo; cui nullo officiorum genere Nostrates defuere.

Excipiuntur Neapoli Paulina in Domo.

Vbi ægrotat Ioannes Maria.

Et conualuit ille tùm quidem ab eo morbo, sed non post multò in Laurentano Orphanorum Collegio tentatus iterum, exhaustusque febri est; idque supremo spiritu, ac voto postulauit, vt contumulari in nostro Paulino Cœmeterio, ac suis veluti cum fratribus miscere cineres, contingeret: obtinuitque, ducto perquàm religiosè, nostroque ritu funere.

Nec post multò moritur.

Quam Cœmeterij communionem, quemadmodum olim Venetijs, ita nunc Neapoli alijs ex eadem familia impertitam, plerique è Nostratibus narrant, qui meminere.

Conditurque in nostro Cœmeterio.

Nec mutuæ caritatis specimen sepulchrum tantummodò testatur: nam sunt, qui ab Ignatio de Aloys, Viro ex nostris grauissimo, inaudiuerint, solitos fuisse Neapoli Somascenos Patres, cùm in morbum inciderent, excipi in nostris Ædibus, curarique inibi quoad conualescerent. Compertumque habemus, id etiam inter vtrumque Ordinem commercij fuisse, vt habendis in suo ipsorum Lauretano Collegio publicis in Quadragesimæ Ferijs concionibus, accersire consueuerint, præsertim è Sanctorum Apostolorum Domo, quæ vicinior, nostros homines: inter quos fuere Syluius Brunus, Ioannes Baptista Monopolitanus, Alphonsus Sistus, alijque. Iam, quos ab ea Patrum industria fructus Neapolitana, eaque miserabilis, pueritia decerpserit, non est, cur hìc commemoremus: exploratum siquidem abundè est, ab eorum cura multis partibus maiorem eam pietatem extitisse, amplificatis nempè Ædibus, adauctoque Orborum numero, præstantiore cum educationis disciplina: ita vt in alterum eiuscemodi puerorū eadem in Vrbe contubernium, à Pietate nuncupatum, euocati postea fue-

fuerint: quod argumento fuit, perquam egregiam in primo operam posuisse.

Imperat à Pontifice Cardinalis Aretius, vt Placentiā redeat.

Pontificis iussu substitisse hoc anno Romæ, diximus Cardinalem Aretium, atque ægrotasse grauiter: quo ex morbo vbi primùm sanitati se restitutum sensit, id anxiùs curauit, vt missionem à Pontifice impetraret. Pati siquidem Vir flagrantissimus non poterat à suo munere abesse, atque alienæ fidei committere salutem, emendationemque animorum. Nam, etsi sciret, per idoneos administros optimè interdum geri rem: attamen quas afferat Antistitis præsentia opportunitates; vt lustret, animetque ferè omnia eius oculus, cùm probè nosset; contendit, euicitque summis tandem precibus à Pontifice, vt Placentiam rediret; curasque resumeret eo intentiore studio, quò incitari se acriùs à Purpura ad Episcopales vigilias cerneret,

Princeps eius cura Clericos Reg. Placentiæ aggregare.

Crescit nanque à dignitate obligatio; atque adeò Syderum Principi comparandi Antistites, eò nimirum ardentiores, quò sublimiores: Placentiæ nil potiùs habuit Cardinalis Aretius; quàm Theatinam ibi disciplinam, ac Cœnobium constituere. Quarè compositis, quas Sancti Vincentij Rector difficultates obijciebat, vti commemoratum est; consequenti mox anno primo & septuagesimo congregatos in Romanis

Capitulum Romæ anno 1571.

Comitijs Patres monuit, vt familiam Placentinæ Domus conscriberent, mitterentque quàm primùm operas. Flagrare iam vota Vrbis: Domum, Ædem sacram, instrumentum, ac supellectilem cùm sacram, tùm domesticam, prompta pro modo esse. Se verò acriore quodam desiderio expetere, atque expectare suos fratres, futuros quidem communi disciplinæ perutiles, sibique in primis adiumento, ac solatio,

Auellinus fundando Placentino Cœnobio destinatur.

Fundandæ Domui non alium Andrea Auellino, qui Mediolani tùm strenuè desudabat, opportuniorem putarunt Patres; in primè nanque Cardinali Aretio vel ab ipsis spiritus cunabulis coniunctum, gratissimum illi fore; ac præclaram eius vitæ sanctimoniam, præstantesque animi impetus conciliandæ Ciuium beneuolentiæ, atque opinioni longè accommodatos, persuasum habuere. Laudatissimo Præposito non

Qui cū strenua Patrum manu,

impar accessit subditorum virtus. Decerptus nanque ab alijs Domibus lectissimorum Patrum numerus fuit. Et Mediolano quidem iussi Auellinum sequi Ioannes Paulus Montorphanus, & Ignatius Puggiolus, ita pigrum operariorum par: Neapoli Ioannes Baptista Viualdus, & Marcellus Maioraita, notæ probitatis Viri; Romæ

Excipitur munificè ab Aretio in D. Vincentij Domo.

verò Alphonsus Osorius, & Clerici duo: quos Aretius aduentantes quàm humanissimè, ac munificentissimè excepit in Sancti Vincentij Ædibus, pro religioso instituto, Theatino præsertim more instructis.

Quæ virtus excolendæ Placentinæ pietati accesserit, statim ij commonstrarunt.

Eorū, Auellini præsertim industria.

Enimuerò qui numero, insignique valebant solertia, domi quidem in omnem regularis disciplinæ obseruantiam, foris verò in morum cultum exemplo, ac voce, assiduaque mysteriorum administratione contendere animum, ac neruos cœpere. Et Andreas quidem insolita quadam virtutum luce omnium statim animos occupauit, perstrinxitque: vt, cùm valere plurimùm ad formationem morum, ac pectorum cognouerint; ad illum certatim confluerent viri proceres, fœmineque ornatissimę, ac promiscua è vulgo gens. Precipua verò causa, cur Nostrates Placentiam Aretius ad-

In Tridentini Concilij obseruantia vsurpanda.

uocasset, ea fuit, vt in Tridentini Concilij vsurpatione, in qua ille maximoperè laborabat, suas iuuarent curas, solertemque in eius Ecclesię Clerique reformatione operam ponerent. Quod quàm strenuè prestiterit Auellinus, intelligere planè erit ab iurati cuiusdam testis dicto, qui hæc candidè asseruit in Placentinis eius Ca-

Eius rei testificatio in actis Placentinis.

nonizationis actis. [Cuius, inquit, vitæ sanctitatis Andreas fuerit, reputare profectò secum poterit, quisquis sciuerit, adiisse ipsum Placentiam quatuor circiter post annos à Tridentinæ Synodi in vulgus editione, ab Aretio Cardinali instaurandæ Clericorum disciplinæ accersitum. Princeps eius operis ipse erat, pendebantque ab eius sententia, ac dictis veluti à quodam oraculo, reliqui Administri; ac breui singulari quadam, communique cum eius virtutis existimatione reformasse cuncta visus est, exterus licet, ac nullius principiò numeri, ac nominis.] Hæc ille. Singilla-

Alia Auellini studia.

tim autem percurrere, quæ inibi actuosissima eius virtus in publicæ pietatis compendium gessit, prolixior omninò esset oratio. Positæ, eius opera, non recentes modò, sed inueteratæ etiam simultates: correcti ad frugem deploratæ salutis viri: indita innumeris præclara ineundæ religiosæ vitæ mens: ad mysteriorū frequētiam, piorum-

que

que operam exercitium incitata Ciuium segnities: cœptus haberi suus honor sacris. In muliebrem præcipuè cultum, ac pompam vestium est inuectus: gnarus quippè ea maximè illecebra capi mortales: flagrantes præsertim iuuenes, abolere tot vestium nomina studuit: euicitque assiduis hortamentis, vt vel florentes ipsæ virgines, quarum animos, oculosque nil magis occupat, quàm quæsitus huiusmodi in habitu splendor, ad omnem sese modestiam, humilitatemque componerent. Id quod à plerisque etiam, quod longè difficillimum, proiecti pudoris fœminis impetrauit, mutatis cum habitu vitæ rationibus: ita vt cùm posteà, vti supra memorauimus, pœnitentium mulierum Monasterium excitare cogitauerit Cardinalis Aretius; quæ primùm è dæmonum stipendijs ad illa pœnitentiæ claustra inuolauerunt, duodecim omninò notæ libidinis fœminæ fuerint, quas Andreas præclaris suis monitis, atque ineluctabili vi dicendi pudicitiæ restitutas, è suo probro, ac sordibus in Numinis complexum asseruerat. Quarum vna vt olim oris, ac formæ venustate; ita vitæ posteà asperitate, ac seueriorum virtutum laude supra cæteras floruit. Instructa siquidem sanctissimi viri ductu, ac spiritu; nudis pedibus incedere, crassiore tunica vti, stramineo cubare in lecto, lucubrare ad multam noctis partem preces, luere perenni lacryma exactam in cœno vitam, acri verberatione, ac ieiunio corpus diuexare, consueuerat.

Muliebrē preferentiam pompā coercuit.

Vel in proflitutis fœminis

Duodecim eiusmodi fœminas Pœnitentium Cœnobio addicit

Quarū vna vt olim pulchrior, ita postea sanctior.

Moderandum hoc Cœnobium Andreæ Cardinalis statim permiserat; & verò eo incremento, fructuque pietatis, vt superare Virginum Collegia multis partibus videretur. Qua quidem absolutæ cuiusdam disciplinæ opinione, & vt à tanto spiritus magistro regi, atque erudiri opportuniùs possent, pleræque honestissimæ Virgines, ac nobiles etiam viduæ id institutum capessere non dubitarunt. Cuiusmodi in Iustina Lampugnana mens non hìc dissimulanda. Hæc affinitatibus, ac genere longè clarissima, quibus & formæ gratia accesserat, elato in ipso flore æui coniuge, Andreæ sese clientelæ commisit; quo rerum cælestium amorem instillante, visa confestim affectum omnem, fastumque mortalium generosiùs premere. Humanis autem rebus nuncium remittere cùm decreuisset, non aliud inire Cœnobium voluit, quàm Pœnitentium; reluctantibus omninò consanguineis, veluti è contubernio probrum accederet. At illa, quæ sanctiorem tunc loci disciplinam, ac Andream moderatorem respiciebat; degere inter eius notæ, ac nominis fœminas non erubuit: id sibi tantummodò futurum pudori putans, si in virtutum exercitatione, ac studio illæ anteirent. Neque verò in hoc Gynæceo administrando Theatrum Auellino defuit, in quo egregij, infractique pectoris constantiam commendaret. Qua vigilantia regantur claustra fœminarum, nouerat iam pridem ille, qui pro earum tutela vsque ad sanguinem restiterat. Quarè resumendos eosdem spiritus duxit; atque opponi sese intrepidè perditæ quorundam libidini statuit, qui instaurare veterem consuetudinem, voræque Deo pudicitiæ illudere, conabantur. Declamare, obiurgare, obniti generosiùs Andreas; quò flagrantium iuuenum ausus refrænati, ac lusa procacia est. Quæ quidem, aliaque similia his Placentiæ dum agit, mirùm quantùm dæmonum, ac mortalium odij sibi concitauit. Et inferni illi quidem hostes, vt quos tàm frugifera Andreæ industria, ac frequentissima trophæa diuexabant, incessere indignabundi nocturnis identidem verberationibus soliti erant; vt testatus persæpè est, auditus nocte intempesta in cella strepitus. Hominum verò inuidia, ac furor inuehi citra sanguinem, non citra vulnus in illum cœpit; læsitque eò grauiùs, quò nomen, famamque corrumpere, quàm corpus, longè est acerbius. Fractos igitur impudicitiæ conatus vt improbi vindicarent; Octauium, Parmensium Ducem, ad quem sparsus iam de excellenti viri sanctimonia rumor peruaserat, conueniunt: eleuare spectatæ pietatis laudem, modestiam, paupertatem contendunt. Non illum nempè reuerà Andream esse, quem videri ab alijs vellet. Tralatitia quadam virtutis specie alium foris, alium esse domi. Eo vultu, habituque lenocinari ambitiosiùs gloriæ: ad quam, vt per solidam probitatem boni; ita ille per externum quæsitæ humilitatis cultum grassabatur. Illud conficiebant, vt quando ab ea virtutum larua timeretur Placentiæ Vrbi malum; iuberet Princeps facessere.

Quæ Pœnitētiæ claustra Auellinus regit.

Ineuntq. honestissimæ fœminæ, Præsertim Iustina Lampugnana.

Tolerantia materies in hoc Gynæceo.

A malis genijs.

Ab hominū inuidia.

Qui eius famam apud Octauium Parmensem carpunt.

Conanturq; vt Placentia exularet,

Nullum tàm apertum mendacium est, cuius non adeò medicari vultus posſint, vt non ſimile ſaltem vero videatur. Dictis neque omninò credidit, neque omninò fidem abrogauit Octauius: vt qui ſciret, vtrumque haud rarò accidere; & ementita in ſpeciem ſanctitate, occupari vulgi animos; & insuſurrati frequenter in Principum aures commenta. Eapropter ne falleret improbitas, explorare ipſemet rem ſtatuit; adijtque ex inopinatò Andreæ cellulam, hac nimirùm ſupellectili cultam, ſtramentitia, recreando ab aſsiduis laboribus corpori, culcitra, rudi ex ligno ſcamno, paucis in tabula libellis, chartacea Diuorum imagine: quæ ille vbi accuratè inſpexit, quandam ſtatim ſubire animum reuerentiam ſenſit, quam adauxit incredibilis in verbis, geſtuque modeſtia, ac manſuetudo: ac tandem vbi de rerum ſupernarum dignitate, contemptuque mortalium diſſerentem Dux audiuit; tùm quidem cum Viro ſanctiſſimo agere ſibi viſus eſt. Quarè aliorum ſtatim inuidia, ſuaque ex animo damnata credulitate; Auellino aperuit, qua mente acceſſerat: ac venia poſtulata, addictum ſe poſthac tantæ virtuti fore, pollicitus eſt: reciditque in perditiſſima capita conflatum ab illis facinus. Nam qui pellere ab ea Vrbe inſigni cum famæ dehoneſtamento Andream cogitauerant, excidiſſe ſe à Principis gratia doluere; vellicabatque acriùs eorum pectora, id tandem ſuis artibus effeciſſe, vt exſplendeſceret clariùs eius virtus Ducis encomio.

Explorauerus Andreę cellá adit Farnesius.

Sed inspecta Viri sanctitate.

Damnatus aulicorum liuor.

Quæ mox occaſio fuit, vt Maria Luſitana, Octauii Nurus, ac magni Alexandri, Parmæ Principis coniux, nobiliſſima perindè, ac piiſſima Princeps, Andream ſingulari quadam beneuolentia, cultuque proſequeretur. Enimuerò, cùm Octauius hæc poſteà Nurui denarraſſet, ac teſtatam præſtantiſſimis viræ actibus ſanctimoniam commendaſſet; vt erat in omnem pietatem pronior Luſitana Heroina, affici mirificè ab excellentis virtutis narratione, famaque cœpit; vt accerſitum mox in Parmenſem Ciuitatem audire de cultu animorum, ac virtutum diſſerentem voluerit. Et verò ea vis in dicendo Andreæ fuit, vt reuerſum Placentiam, redire Parmam ſuo ſcripto oportuerit. Siquidem, cùm hærerent quidem flagrantiſſimæ Principis animo ſermonis aculei; ipſa verò verba, ac monita non planè omnia memoria retineret; ne aliquid è pretioſa dictione excidiſſe videretur, compoſitis ad illum litteris, id enixè efflagitauit; vt quæ ſecum ipſe familiariter communicauerat, ſi ali, inflammarique pietatem ſuam cuperet, exciperet ſtylo, mitteretque: ac viſi quidem hi characteres vſque adeò Mariæ guſtum excitaſſe; vt poſtulauerit mox, ac impetrauerit, vt binæ ſingulis quibuſque menſibus litteræ ſibi ab Auellino mitterentur. Atque ex hac litterarum inſtitutione, ac diſciplina quantùm Parmenſis ea Princeps profecerit; adulta, atque vberrima in omni maximarum virtutum genere ſeges docet. Planè Regiæ huius fœminæ partes, ac cæleſtia dona recenſere, ac ſtylo complecti, prolixum omninò eſſet. Fuerit aliarum Principum cura, illuſtri famulitio ſtipari latus; maieſtatem ab ſyrmatum lacinijs, luxuque adaugere; accendere auri, ac gemmarum luce formam; terere inter choreas, ac theatra tempus: Mariæ non hæc ambitioſæ amplitudinis inſtrumenta curæ erant: famulitium à virtutibus, ornamenta ab animi cultu, oblectamenta ab rerum diuinarum exercitio petebantur. Ardens illi in Deum, ac proximum caritas; orationis ſtudioſiſſima, vel in ipſa morborum conflictatione; quo quidem tempore breuitatem ſtudio ardentiore compenſabat; nihil regia ea manu largius; telis elaborandis inter lucubrantes Virgines ad multam noctem vigilabat, vt pauperes conueſtiret; coëmeretque ſydera non domeſtica modò opulentia, ſed ſuo etiam labore manuum. Religione in Sanctos, ac præcipuè in Magnam Matrem incomparabilis fuit. Pudicitiam eximiè coluit; eiuſque tuendæ ſtudio neque aulicorum cuiuſquam brachio initi, nobilium fœminarum more, voluit; cùmque elegantijs litterarum, quæ erat eius ingenij amœnitas, ac eruditio, maximè caperetur; frangebat nihilominùs eiuſmodi genium, ac impetum; ne inter dictionis munditias ſordes interdum ſententiarum, vt in cultiſſimis poetis accidit, offenderet. Fortiſſimam tentata ſæpiſſimè, ac gratiſſimè valetudo deprædicauit. In ægrotos verò qua vſa pietate fuerit, illud planè oſtendit. Nam qua die ſupremo correpta morbo

Mariæ Lusitanæ in Auellinum studium.

A qua Parmā accersitur.

Mira in eius sermonibus efficacitas.

Quos scribi sibi postulat Maria.

Profecitque maximè ab ijs litteris.

Eius Principis laudes carptim dictæ.

morbo est, eadem prorsùs febri & pauperrima quędam anus decubuit: quod vbi illa resciuit; nouerat quippè isthæc malorum cubilia præclarę, ac sagacissima indagatrix; id in primis curauit, vt ægrotanti pauperculæ suis medicis, suorum ministerio, dilutisque principali in Domo pharmacis consuleretur. Accidit porrò, vt eadem vi morbi exhaustæ, extremum diem penè simul clauserint: neque profectò egredienti è vita sanctissimæ huic filiæ Principis splendidior adesse famulatus debuit; quàm anus illa, quam infirmam infirma, ac moriente iam iam manu iuuerat. Reliquas lectissimę Heroinæ laudes non defuere decora planè ingenia, quæ exceperint: nos hìc libasse ideò voluimus, vt quando illa frequentissimis Auellini monitis instructam se volebat; sciret Lector, magnam eius sanctimoniæ partem adscribendam Andreæ, eiusque institutioni esse. Eo siquidem pijssimè lucubrante, indita magno in pectore rerum diuinarum semina, effundi, atque adolescere præclaram in frugem oportuit.

Manaruntq; magnam partè ab Auellini monitis.

Sed neque id loci omittendus Raynutius Farnesius, Mariæ filius, vt totam hìc Farnesianam in Andream siue reuerentiam, siue humanitatem absoluamus. Certè à tanti Viri disciplina accedere non minimùm pueri moribus innocentię posse, existimauit mater: quarè sexennem vix sobolem illi obtulit, vt ei benè precaretur; & quoad Placentiæ posteà Andreas fuit, excipere eius confessiones solitus fuit. Placuitque vsque adeò florentissimo Iuueni eius institutio; vt cùm discedere subindè in Belgium contigerit, pactus cum eo singulis mensibus litteras fuerit, exemplo, institutoque optimæ matris; quas & scribebat ille peramanter, & æstimare magno Raynutius videbatur; respondebatque non modò per otium, sed vel cùm inter militares curas, atque arma desudabat. Efficere nempè ingens in Andream reuerentia poterat, vt stylum media in acie tractaret ardens, ac pugnacissimus Princeps. Extant[a] penes nos cùm ad Mariam, tùm ad Raynutium Auellini litteræ quàm plurimæ. Nulla inibi verborum officia, non superuacaneæ, quæsitæque humanitatis significationes: statim ad rem, ac punctum. De mortalium, suique contemptu, de mundi illecebris, de amore, ac timore Dei, de Christiana humilitate, fastuque generis, ac opum frangendo, atque istiusmodi argumentis quàm aptissimè, ac neruosè disserunt. Certè cùm in cunctis ijs epistolis flagraret, ac veluti fulminaret Andreæ spiritus; vnam nihilominùs ex illis adeò robustam, piamque, ac diuinæ cuiusdam efficacitatis plenam putauit Raynutius; vt cùm maximè Elisabetham, Angliæ siue Reginam, siue luem insanire in sacra, ac debacchari audiret; typis excusam, ad illam miserit. Persuaserat nempè sibi Princeps optimus, si aliquo peti, aut expugnari telo pertinax eius impietas posset; ea fore epistola pulsandam, atque expugnandam. Sed quantùm Andreæ scriptioni neruorum, ac ignis inerat, tantundem circa impotentissimæ Reginæ pectus erat chalybis; vt pertingere verba ad medullam animæ minùs potuerint; ac maior profectò erat regiæ, perditæque mentis caligo, quàm vt vnæ litteræ erudirent. Continuatum porrò Raynutij in Auellinum studium ad supremum vsque vitæ spiritum: nam, vt ait Franciscus Boluitus, Vir è nostris eruditione, ac stylo clarus, qui Andreæ vitam accuratè iuxta, ac disertè contexuit, cùm iam profundè Vir sanctissimus Neapoli consenuisset, ac spem omnem Parmensis Princeps eius ampliùs viuendi, alloquendique abiecisse videretur; mitigando desiderio eius effigiem expetijt. Luculentum planè id est obseruantiæ testimonium, imaginem colere: venerari nanque virtutem ipsam impensiùs videmur, quando ad eius lineamenta ita afficimur. Impetrauit porrò Auellini simulacrum Raynutius ingenti cum optimi, ac modestissimi Senis lucta: cui, nisi potius omninò fuisset Moderatorum imperium; eò adduci nunquam potuisset, vt viuerent in tabula, ac Aula eius vultus.

Cui & Raynutius addictissimus.

Vt in Belgium concedens, frequentes eius litteras postulauerit.

Quæ penes nos extant. a Neap. Paul. in Tabul.

Quarè vnam efficacissimã Angliæ Reginæ Raynutius misit, Vt eius animum expugnaret.

Sed obstinatior fuit Reginæ mens.

Mulcendo desiderio Andreæ effigiem petijt Raynutius.

Mittitur non sine Auellini fensu.

Farnesianum in Andream studium longiùs ab hoc anno, in quo versamur, calamum prouexit: nunc ad rerum seriem reuertamur. Fertilis omninò hic annus excellentium capitum accessione, ac numero Ordini fuit. Sub hoc etenim tempus, aut inire institutum, aut nuncupare solenni ritu vota præstantissimos Viros contigit; quotum pauca hìc nomina ad egregiæ virtutis specimen adnotauerim. Facem cæte-

Institutum plerique præstantes Viri capessunt.

Ioannes Scorcouillus.

cæteris prætulit Ioannes Scorcouillus, Sipontinus, Vir ad omnemoris, habitusque modestiam factus; vt in externo statim cultu, gestuque occurreret intuentibus eius sanctimoniæ species, quæ emendatissimos plane mores, animumque condecorabat. Sexennalem posteà totius Ordinis Præfecturam ita egit; vt rexisse rem communem prudentia ipsa, & caritas viderentur. Exornabit hic porrò suis actibus non semel Annales nostros. Dedere item nomen Leo Casalis, Ariminensis. Theatini moris seruantissimus. Iulius de Ponte Neapolitanus, ex ijs, qui grassante Genuensi lue, intrepidè pro aliorum salute caput deuouerunt. Laurentius Valentius, Treuius, Erminij Cardinalis Valentij patruus; & Margaritæ Austriacæ, Caroli Quinti filiæ à secretis; vt Aulæ olim apprimè sciens, ita austerioris postea disciplinæ tenacissimus. Augustinns Paparus Neapolitanus ad regularis obseruantiæ amussim exactus. Paulus Neophytus à Retio, Laici quidem Ordinis, at non infimæ planè virtutis; qui exactam per omnes disciplinæ numeros in Congregatione vitam præclara morte cumulauit. Nam, vt [a] Valerius Paganus narrat, cùm supremo spiritu luctaretur, legereturque morienti sacra de more Christi Domini Passio; ad ea verba, Hodie mecum eris in Paradiso: animam efflauit. Ceu tùm quidem patuisset ad Cælum aditus, ac dicta ipsi ea Saluatoris verba fuerint. Sequitur lectissima hominum manus, qui Ordinem hoc anno capessiuere, omnes postea, vt sua virtute, ita Infulis, externaque dignitate clari. Nempe Vincentius Tufus Oriæ Episcopus, Basilius Pignatellus Aquilæ, Hilarius Cortesius Policastri, Hippolytus Riba Stabiarum, Syluester Tufus Motulæ, Summorum Pontificum, Regumque Hispaniarum munificentia ad Episcopales Sedes prouocati, raptique. Quæ sanè tot Infularum commemoratio, ac concursus poscere videtur, vt breui, nec quidem intempestiuo, inutilique excursu explicemus, cur ab ipso nascentis Ordinis exordio nulla cautum lege sit, vt à dignitatibus nostri homines abstinerent. Præsertim cùm consilium semper fuerit, Sodalitatem minimè amplificari, ac proindè intra paucos Theatinam disciplinam contineri: quorum si numerus externa Ecclesiarum procuratione minueretur; eneruari quidem, ac suo veluti exhauriri sanguine Institutum oporteret. Et verò vt Religiosas familias, primæuumque earum spiritum, ac virtutis contentionem afficiat collata identidem dignitas scio, disertè admodùm plerosque docuisse. Illa in primis, si momentis suis expendantur, persuadere honorum fugam in Religiosorum Cœtu affirmant. Breui suis viribus sacras familias destitui; ac truncum veluti corpus, inutiles reddi; nobilioribus nempè membris, atque opportunioribus eo ad honores delectu diuulsis: tùm priuatis etiam virtutibus noceri: perstringit nanque facilè, capitque aliorum animos Infularum is fulgor; quanto verò cum morum, religiosæque probitatis detrimento illi docent, quos semel pulsauit, transuersosque egit ambitio. Neque profectò exiguam illam esse communis rei fraudem, ac damnum. Erecti nanque dignitatum cupiditate, ac spe viri, quas impendere amplificandç Reipublicæ curas deberent, in suum quisque commodum peragendum confert; communisque amor in priuatam degenerat vtilitatem. Ad hæc, concepta quadam vulgi opinione inuri toti Ordini luculentam labem, exploratum esse. Enimuerò cùm adiri ab Ascetis dignitatum gradus plerique viderint; dilapsam in eo Cœtu Christianam humilitatem, fouerique vniuersim ab omnibus ambitiosiores Præfecturarum cogitationes putant. Quo fanè minui communem in Ordinem existimationem, amoremque contingit. Quid? quòd in eorum facilè inuidiam incurrimus, qui detritam lacernam explendescere intimè dolent, Religiososque homines nec superiores vellent, nec pares? Quid illorum questus, ac odia, qui præceptas sibi ab ijs honorum appellationes, prouentusque molestiùs ferunt? Quid illa? Principum Aulas terere, vt assequantur? Sinceritatem cùm in dicendo, tùm in agendo omnem corrumpere; ne si candidior sensus explicetur, inchoatas spes suas lædant? Regularis obseruantiæ contentionem remittere, vt in conceptum, voratumque spe Magistratum incumbant? Hęc, quæ nos perstrinxisse leuiter voluimus, magnificè quidem, ac disertissimè plerique amplificant; nec sanè in speciem, aut minùs verè; si non dignitates ipsas, sed appetentium indolem; non Infulas, sed ambitionem, non

Leo Casalis. Iulius de Ponte. Laurentius Valentius.

Augustinus Paparus. Paulus Neophytus.

[a] Cat. Cl. Reg.

Abijcitē Infulis postea conspicui. Vincentius Tufus. Basilius Pignatellus. Hilarius Cortesius. Hippolytus Riba. Sylnester Tufus.

Cur nō olim cautū à Nostris, ne Infulę acceptarentur.

Nam lędunt primæuum spiritum honorum tituli.

Et eneruatur Sodalitas, si boni extrahantur.

Subrepitque ambitio.

Et quisque priuatę rei vtilificant.

Et laborat Ordinis fama.

Et in aliorum odia incurrimus.

Et corrumpitur animi candor.

Sed hęc ambitionis vitia, non magistratuum.

non graduum celsitudinem, sed prauarum mentium præcipitia inspiciamus. Appetere siquidem speciosos eiusmodi sacrorum Dominatus, studere Aulæ, glorieque, hoc demum est extrema Sodalitatum pernicies, regularis disciplinæ lues, Religiosorum crimen, ac vberrima seges superbiæ. Cæterùm si præclara isthæc munera ex se quidem expendantur; cùm altius quid spirent, ac spectent, nempè rerum diuinarum incrementum, religionum administrationem, proximorum salutem, fidei orthodoxæ amplificationem, ac tutelam: ijs vacare, vt honestissimum, ac sanctissimum; ita vigiliarum, ac laborum plena res est; ac nescio, an quis diuinius, ac operosius exercere officium possit. Certè [a] Diuus Thomas ita vniuersim ex [b] Augustini sententia de honoribus statuit: indecenter quidem illos appeti; superbique omninò, ac nimium arrogantis ingenij esse, vltrò sese muneri offerre, quod ipsis est Angelicis humeris formidandum. Verùm, cùm in communem Christi fidelium vtilitatem, bonumque Ecclesiæ Sacerdotia, ac Infulæ conferantur: recusari omninò, ac præfractè, absque criminis alicuius nota minùs posse; quando & lædi humilitatem, si imperium detrectetur; & refragari caritati oporteat, si publica mortalium salus contemnatur. Neque sistendi hic ex Annalium memoria illustres Viri, qui præclaro exemplo moneant, honores anxiè fugiendos; quando & eosdem acquieuisse Maiorum imperio scimus; ac postquàm dignitates aliquandiù detrectauerint, easdem tandem alacriter capessiuisse, atque administrasse. Eiusmodi fuere Augustinus, Nazianzenus, Chrysostomus, Fulgentius, aliaque egregiæ sanctimoniæ, atque eruditionis nomina: quos enimuerò præstantiùs in munere acceptando, quàm in deprecando, recusandoque modestia commendauit: vt latuerint quidem cum laude, ne cogerentur; at maiori cum hominum plausu publicæ sese luci dederint, vt præessent.

Qui diuinum quid respiciunt.

[a] 22. qu. 185. ar. 1. & 2.
[b] De Ciu. Dei lib. 19. c. 19.

Priscorũ Antistitum exempla.

Iam verò, vt ad Religiosorum Ordines propiùs accedamus, etsi infirmari quidem, debilitarique disciplinæ videantur, cùm earum vires, ac firmamenta, hoc est, egregij Viri, aliò distrahuntur: nihilò tamen minùs, cùm is præcipuus Religionum scopus sit, laboranti communi Ecclesiæ adesse, morum instaurationem, eruditionem fidelium, mysteriorum, sacrorumque splendorem accurare: quando ad Episcopatus Religiosi homines prouocantur, vrgere institutum suum videntur; idque eò excellentiùs, quòd quæ priùs veluti Antistitum administri, atque adscititio quodam opere procurabant; postmodùm suo ipsi officio, ac iure peragunt. Neque exhaustas indè vires, medullamque præclari corporis dicas. Nam quæ à sacris Ordinibus in Catholicæ Ecclesię commodum impenditur virtus, non aliò planè distrahi dicenda est; cùm nihil conferri ab illis in commune publicæ rei Christianæ bonum possit, quod non in priuatum etiam eorum emolumentum, ac decus cedat. Præterquàm quòd non adeò abbreuiata manus Domini est; vt cùm vnum, aut plura è Congregatione quapiam capita, iuuandæ, moderandæque Ecclesiæ suæ accipiat; non illa continuò reddat cum fœnore, atque, vno auulso, non multiplex renascatur euestigiò, exornando Ordini, aureus è stirpe ramus. Id siquidem beneficentissimi Numinis proprium, donum centesima veluti fruge rependere. Porrò, verissimum illud est ex omnium sententia, Episcopatum perfectionis statum esse, non quidem acquirendæ, quod est hominum religiosorum; sed exercendæ, alijsque impertiendæ. Eapropter accersiri Episcopi non aliundè conguentiùs poterunt, quàm ab Religionum schola; vbi per rudimenta virtutum ad omnem probitatis laudem eruditos, asciuisse illam morum perfectionem facile est; quam in eo subindè celsitudinis gradu & ipsi exerceant, & alijs cumulatè communicent. Id quod quàm optimè superiorum temporum cùm in Oriente, tùm in Occidente vsus probauit: cùm nunquam, aut sanè rarò nisi ab Asceterijs ordinari Antistites contingeret. Persuasum nanque habebant Maximi Pontifices, & quibus renunciandi Episcopos ius erat, benè, ac sapienter illos administrandis Infulis admoueri, quos regularis disciplina, corporis afflictationes, assidua rerum diuinarum contemplatio, mortalium contemptus, ac litterarum studia egregiè instituerant. Et verò, vt Ecclesiarum, ac temporum monumenta euoluenti perspectum abundè erit, ex Antistitum censu, qui officij sui dignitati impensiùs studuerint; qui Ecclesiæ fines, fidemque zelo ardentiore

Neque eneruantur Ordines.

Quando in Ecclesiarum rectione institutum suum vrgent.

Et rependi à Deo capita possunt cum fœnore.

Peti ab Asceterijs Episcopi debent, vt perfectionem exerceant.

Is olim in Ecclesia vsus tenuit.

Ex Episcopis Religiosi diligentiores.

 tiore

tiore promouerint; qui infensam publicæ religioni Principum, ac Cæsarum potentiam generosiùs fregerint; qui in populorum mores acriùs inuexerint: ij profectò fuere Præsules, quos vota antea paupertas, ac religiosa humilitas, pronumque in doctrinarum præsidia comparanda studium inter Cœnobiorum septa educauerant. Atque hoc quidem argumentum illud statim excipit non absimile. Nam cùm feracissimus omninò sit Religionum campus; ac passim in eo sanctitas, eruditio, ac omnigena virtutum ornamenta floreant: quonam Ecclesiæ fato tot viri in omni disciplinarum genere laudatissimi, tot nata moderandis sacris prudentissima sanè capita, tot humanæ, diuinæque sapientiæ mystæ latuerint? Quid lucens paucis, ac veluti sub modio virtus? Cur non sublimi è Sede deriuandæ in ampliorem animorum fructum opes animi? Certè non ijs vigilijs, excellentique industria fraudanda Christiana Respublica est; quin cogendi, extrahendique in lucem homines, quos, quæ est Religiosorum indoles, ac terrenorum despectio, non species illa, ac maiestas sacrorum, non spes commodi afficit, aut ludit; sed iuuandæ communis pietatis, morumque studium inflammat. Neque ea hic dissimulanda ratio est: quòd cùm successores Apostolorum Episcopi sint, vt disertè [a] Tridentina Synodus docet, ac Sanctorum Patrum mens est; nescio quanam ratione detrectari Vicaria ea Apostolorum potestas ab illis possit, quibus proposita Apostolorum vita est. Sustinuere illi quidem operosa dignitatum officia, hoc est, pondus diei, & æstus; quæ, illis quiescentibus, nisi succedaneo quodam munere subirent Christiani Hercules, Apostolorum præcipuè sectatores, ac Religiosi Viri; labi, ac subsidere, nullo fulciente, rem Christianam necesse est. Exploratum porrò est, Apostolorum Collegium ijs omninò legibus, ac votorum sacramentis excitatum, vt nihil ad absolutam Religiosæ disciplinæ formam desiderari posse videretur; quos tamen non institutum retardauit, quominùs gratia Orbis excolendi, amplificandæque religionis omnes abirent in Episcopos. Quæ quidem, aliaque rationum momenta nostri Ordinis Conditores, ac succedentes præstantissimos deindè Patres mouere, ne aditus omninò nostris ad honores, atque Episcopales Cathedras intercluderetur. Suasitque magis, ac magis eius tempestatis conditio, ac vitium; cùm Rectores animarum, quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi; titulos, fastum, opes, luxumque decerperent à dignitatibus; labores verò, curasque, ac onus ipsum Episcopi auersarentur; atque interim in grauissimum adducta discrimen res Catholica videretur, moresque Christianorum syluescerent. Quarè vt laboranti ab Antistitum desidia religioni opem pro sua virili parte ferrent Nostrates; & hanc complecti muneris, etsi longè periculosissimi, partem voluere. Idque sanctissimorum exemplo Ordinum, quos & tùm quidem, & omnibus retrò seculis condecorasse, atque emendasse Infulata virtute Christianum Orbem probè nouerant. Nos verò dixisse hæc aliquantò fusiùs voluimus, vt Religiosorum industriam, ac probitatem quàm opportunissimè in rem Catholicam Ecclesiasticis muneribus, officijsque imponi commonstraremus; ac præclarè quidem de Republica Christiana Sacros Ordines mereri, qui regendis Sacerdotijs, ac publicis animorum curis administros sufficiunt. Monitos interim Nostrates, atque Ascetas omnes peruelim, non perindè laudabile esse, Religiosas familias Episcopales vigilias subire, vt liceat ipsis adfectare. Meminerint, Episcoparum, vt ait Apostolus, bonum opus esse; hoc est, ex [b] Augustino, & [c] Hieronymo, appellationem operis, non dignitatis. Cogitent, splendida inesse pericula Tiaris, Infulis, clientelis. Præclaram quidem, speciosamque rem esse, eminere; sed non omnibus in sublimiore eo situ constare caput, ac mentem. Adnumerari infinitos penè Antistitum casus, eorumque ruina nobilem honorum celsitudinem esse. Erudiri proindè alienis malis studeant; proscriptoque fastu omni, gustuque gloriæ, nisi inuitos rapi ad ea dignitatis subsellia non sinant. Demùm ad eam se legem componant, quam sapientissimè in hæc verba [d] Leo Imperator sanxit: [Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes: tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.] Ac de acceptandis, recusandisque Infulis satis. Historiam nunc repetamus.

Neque par est, vt lateat excellens Religiosorum virtus.

Qui succedere Apostolis debent in Episcopali munere.

a Sess.23.c.4. apud Alph. de Cast. adu. haeres. lib.6.

His adducti rationibus Nostri, Infulas ne excluderent.

Et poscebat tēporis ratio,

Et exempla præstantissimorū Ordinum suadere,

Adfectare magistratus indecorum.

b De Ciu. Dei lib.19.c.19.

c Epist.83. ad Ocean.

Pretiosa pericula Tiaræ.

Leonis Imperat. monitū.

d L.31. cod. de Ep. & Cler.

Attulit

Attulit annus secundus, & septuagesimus vertentis seculi Romana Comitia: in quibus, moderante Capitulum Asaphensi, cùm plura in Congregationis rem sanxerint Patres; tùm illud in primis decreuere, vt Visitatores Ordinis deligerentur, qui ad auctam iam domorum, atque hominum numero Congregationem certis quibusdam legibus, atque authoritate inuiserent. Id quod statuerant quidem antea, ea tamen conditione, si cæterorum consensio accessisset, ac institui Visitationem domus ipsæ vellent: quod sanè periclitari, ac tentare rem fuit, an succederet. Hoc autem anno re maturiùs in consultationem vocata; vt singulis annis lustraretur omninò Ordo, cautum lege fuit: quo quidem nescio, an quid ad regularum obseruantiam, religiosamque tuendam disciplinam sit opportunius. Accidit nanque interdum, vt Rectores, quorum partes sunt, curas in exactam instituti, morumque obseruantiam contendere, remissiùs ipsi agant; cùmque satis esse putent, quæ maioris momenti sunt, curari, parua negligant; quorum contemptu quantum vitij pręclari passim Ordines fecerint, quotidiano experimento, vsque admonemur. Pernecessaria proindè eiusmodi inspectio; quæ si quid indulgentia peccauerit, sedulò emendet; ac tùm subditos, tùm moderatores ipsos in officio contineat. Et planè in confesso apud sapientes omnes est, tandiù leges, atque instituta maiorum duratura; quandiù non tralatitia quidem, sed strictior, ac seuerior isthæc Visitatorum censura Cœnobia inambulauerit; caueritque, ne langueat primæua Patrum virtus; qua sospite, integra omninò, ac sospes factarum familiarum res est. Ergò hoc etiam nostro Instituto accessit robur, ac firmamentum: præscriptusque etiam modus, quo obire Visitatores munus suum debeant, medicorum nimirùm industriam imitando; quibus id est propositum, vt & curent præsentia, & futuris caueant; ac leuia quidem non dissimulent, ne excrescant; grauiora verò citò, ac seueriùs aggrediantur, ne contumax postmodùm malum remedium, ac artem ludat: tùm, potiones; ac pharmaca mille diluant; ac vniuersim morbos, non ægrotos petant, ac oderint; Quas sanè medicorum partes obiuere egregiè Vincentius Massus, & Hieronymus Ferrus, quibus datum à Patribus id muneris fuit, vt Congregationem lustrarent: auspicati quidem ingenti cum disciplinæ fructu opus: nisi quòd ob locorum distantiam, & quòd peragranda tota fermè Italia esset, laboriosiorem omninò prouinciam hanc esse existimarent, quàm vt binis Visitatoribus peragi commodè posset. Quarè consequenti anno quatuor legi oportuit: qui diuiso ex æquo munere, duo quidem rem Romanam, ac Neapolitanam inuiserent; duo verò Galliam Cisalpinam.

Romæ Comitia an. 1572.

Visitatoris munus instituitur.

Quàm ad regularé disciplinam necessarij Visitatores.

Eorũ partes.

Quas impleuere egregiè Massus, & Ferrus.

Et accessere duo alij cõsequẽti mox anno.

Porrò agitatum in his etiam Comitijs fuit de Genuensi domo; placuitque nobilissima in Italiæ Vrbe peramplum aperiri nostris hominibus, eorumque vigilijs theatrum. Planè, iam inde ab anno huius seculi tertio, & trigesimo Ioannes Baptista Saluagus è Genuensium Patriciorum ordine, Vir nostri moris, ac prǽcipuè Episcopi Theatini studiosissimus, hoc ipsum, vti aliàs commemorauimus, datis Venetias litteris, tentauerat. At non is erat tùm Ordo, vt deduci in Vrbes alias Coloniæ possent: idque contendere Nostrates videbantur, vt antequàm in liberiorem veluti aërem spargerent sese, ramosque diffunderent; secreto virtutum exercitio, atque intra paucos, altiùs radices ageret disciplina. Verùm enimuerò, quod impetrare tunc Saluagus minimè potuit, confecit tempestiuiùs Cyprianus Pallauicinus, cuius inter decora haud suprema quidem erant generis nobilitas, ac Genuensis Infula. Splendidior quippè & stirpe, & dignitate virtus Virum laudatissimum honestabat. Studio in primis, zeloque suarum ouium tenebatur; accendebantque præclaram indolem vicina præstantissimorum exempla Antistitum, nempè Caroli Cardinalis Borromæi, & Pauli Aretij, Cardinalis Placentini, qui impigram, ardentissimamque suarum Ecclesiarum splendori, ac publicæ animorum saluti operam nauabant. Et quòd ille quidem Mediolanum, hic Placentiam iuuandis curis suis, excolendisque populorum moribus Theatinum Institutum euocauerant: cogitare id ipsum cœpit Pallauicinus: præsertim quòd non antè plures annos, cùm Pontificium Neapoli Nuntium ageret; nostrorum in communi religione amplificanda, procurandisque animis studium inspexerat: & quos perutiles Neapolitanæ pietati viderat, eosdem rei Genuensi promouendæ opportunissimos fore, putabat. Ergò aperire Principi,

Genuensis Colonia agitatur.

Quam olim tentauerat Saluagus.

Nunc Cyprianus Pallauicinus Archiepiscopus impetrat.

Cuius virtutẽ Borromęus, & Aretius inflammabant.

Inspexeratq; Nostrarũ industriam Neapoli.

atque inclyto Senatui mentem suam, docere Clericorum Regularium Institutum, mores, industriam: tùm frugiferas aliarum Vrbium, documento eorum, operas ostendere: quo facile quidem fuit, Genuensium Procerum suffragia impetrare. Quapropter cùm Romana Domus generale Capitulum eo anno repræsentaret; agendum illicò cum ijs Patribus duxit: rogauitque, datis litteris, prolixiùs, vt aliquot è sua disciplina Clericos Genuam fundando Cœnobio mitterent. Se quidem Ecclesiæ suæ bono id impensè expetere; adesse Principis, Procerumque nutum, ac vota. Destinatam ipsis Diuæ Mariæ Magdalenæ Ædem, domumque pro modo, ac tempore percommodam: cætera allaturum tempus, pronamque Genuensium pietatem. Optimi Antistitis studium probauere quidem Patres, ac se in laborum partem in illustri ea populorum procuratione vocari, gratulati ex animo sunt. Verùm, cùm adduci in Vrbes alias Congregatio nisi ex Generalis Capituli authoritate non posset; visum Patribus, ita Pallauicino de eximia in Ordinem voluntate gratias agere, vt oblatam vltrò Domum neque recusarent, neque acceptarent; sed rem ad Comitia, quæ nec longè aberant, differre.

Rem cum Senatu Fauste agit. *Tùm Romanis Patribus vota Genuensium aperit.* *Qui expectanda comitia statuunt.*

Contigere hæc exeunte anno superiore: quo interim tempore explorari omnia, locum præcipuè, situmque placuit; vt expediri postea sine mora à generali Capitulo negotium posset. Iussi igitur Genuam se conferre Marcellus Maioranus, & Saluator Caracciolus, quorum hìc Mediolani, ille Placentiæ agebat, Viri grauissimi, ac singularis prudentiæ; qui flagrantissimum Antistitis animum, studiumque Vrbis, atque excipiendæ Sodalitati domicilium coram cùm inspexissent; rem ita ad Romana Comitia detulere, vt adeundam statim Genuensem Vrbem, gerendumque præstantissimis ciuibus morem decreuerint Patres. Lecti religiosissimi quidem Viri, ac seduli; qui expectationi, quam nostrum institutum, moresque excitauerant, adamussim responderent: impositusque familiæ fuit Antonius Agellius, cuius animi solertia, ac doctrinarum ornamenta cùm domi, tùm foris insignem planè operam pollicebantur. Maturata à Patribus profectio, ac Maio mense, die quidem prima, & vigesima Genuam appulere: quod gratissimum Archiepiscopo Pallauicino fuit, excepitque aduentantes egregijs beneuolentiæ argumentis. Nec defuit aliorum procerum voluntas, ac munificentia; inter quos præcipuus planè fuit Raphael Raggius, eximiæ pietatis, magnæque Vir animæ: qui, vt erat nostræ disciplinæ, nescio quo secundæ famæ incitamento addictissimus; ita plurimam sanè operam posuit, vt deduci Genuam nostros homines contingeret: quibus benefica deindè, liberalique satis manu adfuit, fouitque ijs maximè initijs, quæ, vt difficillima plerunque sunt; ita in nostro præsertim instituto, quod vltronea pietate alitur, opportunissimè subleuantur. Et quidem, quòd pulcherrima ea sunt beneficia, quæ nunquam consenescunt; perennabit profectò in Theatinis Fastis Raggij memoria; qui & eius rudimenta domus, & translatum posteà splendidiorem in locum Ordinem, prosecutus insigni pietatis ingenio, ac beneficentia est. Quod verò ad Nostratum studia pertinet, inducta statim alia in illam D. Magdalenæ Ædem, ac Cœnobium facies, ac quidam de more nitor nouos confestim hospites, cultoresque adesse demonstrauit. Resonare nocturnis, diurnisque laudibus Odeum cœpit. Instillata sacris concionibus pietas, frequenti Sacramentorum vsu, ac mutatis in plerisque procerum moribus sese statim prodidit: nullis denique laboribus, curisque parcebatur; vt visa quidem fuerit optimi Antistitis, ac florentissimæ Vrbis spes Nostrorum industria nulla ex parte fefellisse. At enim, cùm angustior preclaris ijs cœptis, studijsque locus ille videretur; mutari non ita post multò oportuit, vt mox dicemus.

Interim inspicitur à Maiorano, & Caracciolo locus. *Quibus adprobantibus,* *Destinatur Familia Præposito Agellio.* *Quos beneuole, excipit Antistes.* *Raphaelis Raggij in Nostros beneficentia.* *Nostratû in eius Cœnobij rudimentis sedulitas.*

Narrationem nunc ad Cardinalem Aretium conuertamus, quem reformandis moribus, ac sacris Placentiæ strenuè incumbentem, instituere Romanum iter hoc anno oportuit; quòd acerbissimus planè nuntius conclamatam penè Pij Quinti sanctissimi Pontificis salutem attulisset. Id enimuerò inter arcana æternæ mentis consilia numerandum, citiùs, atque intempestiuiùs interdum eos decumbere, quos publica salus, atque Orbis consensio diutiùs viuere peroptasset. Et Pius quidem extexerat hoc maximè tempore Christianæ Reipublicæ spes; vt qui infensissimos Catholico nomini Turcas, fœderata Principum potentia, delere insigni planè ausu cogitabat,

Pontifex Pius Quintus grauiter decumbit.

Memo-

Memorabilem siquidem illam ad Echinadas cladem, quam anno præterito, profligata, triumphataque eorum Classe, intulerat Barbaris Christiana virtus, cumulare hoc anno statuerat: & iam Principum animos eadem fœderis sanctitate, nexuque coniunxerat; iam penè in anchoris per omnes Europæ portus stare ingens Triremium numerus, atq; ipsamet Europa inardescere videbatur; cùm laborare à calculo cœpit Vir in Christi fidei hostes incitatissimus; ac desperata statim eius vita præclaros eos impetus intercidit. Hoc, inquam, secretioris diuinæ mentis consilium est, ereptum tùm quidem Pium; cùm instare superbissimi Principatus ruina, amplissimo cum Romanæ religionis triumpho videbatur. At enimuerò hæc studiosiùs inuestigare humanæ menti, ac stylo nefas. Iam, Cardinalis Aretius vbi primùm ægrotare periculosiùs Pontificem inaudiuit; suarum partium duxit, Romam statim contendere; æquè daturum se grati, amantissimique animi specimen reputauit, viueret ille, aut excederet; salutis nempè studio, aut supremis officijs. Neque hìc dissimulandum, tentatum in ipso itinere magnificis Principum muneribus eius animum: atque ab Vrbinatum præsertim Duce allata splendidissima, ac peregrini operis aulæa; rogatumque eius nomine fuisse, vt acceptaret. Enimuerò quæ erat Aretij virtus, ac fama, putabant fore, vt erepto Pio Pontifice, in illum Patrum suffragia conspirarent; proindèque occupare eius animum, ac beneuolentiam donis curabant: quæ ille oblata magnificè, magnificentiùs respuit: quippè qui ab omni abhorreret luxu; religiosamque paupertatem vel in Purpura adamaret: suspectamque vsque adeò in eo itinere Principum humanitatem habuit, vt hospitium etiam recusaret, ac nonnisi ad Religiosorum Ædes diuerteret. Romæ verò à Principe quadam Purpura suis quidem ingratijs exceptus, adornata exquisito planè cultu conclauia visus omninò contempsisse; instratoque præsertim ambitiosiùs cubili vti noluit: ac ne summis quidem labijs delicias, quibus nunquam assueuerat, degustaret; carpere lignea in sella ea nocte somnum maluit: nempe qui sui imperio student, molliùs profectò in ligno cubant; quàm in purpura, aut rosa.

Quo tempore expeditionem in Turcas adornabat.

Romanum iter intendit Aretius.

Honestatur in itinere Principum muneribus.

Quæ respuit.

Romæ exceptus magnificè,

Lignea in Sella dormit.

Porrò, Pontificem superstitem quidem adhuc, sed qui ad exitum properaret, Aretius reperit: à quo id agnoscere liquidò potuit, pergratum sibi fuisse amantissimi capitis extrema in vita officium, ac memoris animi argumentum. Ipse verò, quæ eius erat aduersùs sanctissimum Pontificem obseruantia, ac debiti ratio; adstare morienti ad supremum vsque spiritum voluit, non sine acerbissimo commiserationis vulnere, ab ingentibus nempè calculi doloribus, quos ille insigni tolerantiæ laude tulit; & quibus tandem confectus, desijt esse inter mortales Kalendis Maij. Quo funere, ceu communi quadam clade affici vehementer vniuersus Christianus Orbis visus est; ductæque exequiæ nunquam planè luctuosiores, eius nempè, qui magna consilia insigni vitæ sanctitate cumulauerat; noneràtque & temperare pulcherrima pace rem Romanam, & frangere bello eius hostes. Vbi de successore agitari in Comitijs cœptum, non diù cogitandum Cardinali Alexandrino, extincti Pontificis Nepoti fuit, quem è sua ipse clientela ad supremum illud fastigium eueheret: obiecit namque sese illicò Cardinalis Aretij par magno Imperio virtus; reputauitque apud animum suum, spectatis eius moribus repræsentari maximè lucompatabilem elati Pontificis indolem, sanctimoniam, acerrimumque fidei zelum posse. At enim, vt nemo tanti muneris longè capacissimum Aretium non affirmabat; ita visum plerisque non eo fraudandas honore antiquiores Purpuras. Morem, institutumque amplissimi Collegij id esse, vt natu grandior Infula, vbi merita accedant, recentioribus præferatur. Ad hæc, metuere ab regularis instituti, austerioris que ingenij viro strictiorem viuendi formam visi plerique sunt: feruntque explorare quosdam tunc è Purpuratis eius mentem voluisse; arreptaq; occasione, de Pijsis morum reformatione seueritate sermones cum Aretio seruisse: qui vt erat zelo flagrantissimus; & magni Pontificis contentionem probauit impensiùs, & desiderari ea in te ardentiùs illius studium potuisse, constanter affirmauit. Quo sanè adaucta disciplinæ strictioris opinio; vt dicere non dubitarent, si Pontificatum iniret Aretius, fore, vt omnes ad Theatini moris normam exigeret: nec defuit, qui lepidè pronunciaret, se quidem, Pio Pontifice, Diœcesim vectum equo lustrasse: ac verendum maximè, si regnaret Aretius,

Gratissimus Pio V. eius aduentus.

Qui communi luctu moritur.

Dignus suprema dignitate Aretius.

Sed præripiuit antiquior Purpura.

Et seuerioris disciplinæ opinio intercessit.

Appellatur Pontifex Card. Boncompagnus.

Dictus Gregorius XIII.

Qui Aretij opera vtitur.

Aretius, ne pedibus inspiceret. Quæ sanè multorum persuasio cùm in alios facilè perauderet; contigit, vt in Cardinalem Boncompagnum Augustorum Patrum vota incumberent; lectusque is fuit secundissima suffragatione. Vir quidem virtute prius, quàm fastigio maximus, nuncuparique Gregorius XIII. voluit. Qui Cardinalem Aretium summo loco habuit; ac vri inter paucos eius statim opera, atque eruditione in publica Ecclesiæ administratione voluit. Enimuerò, quò faustè Principatum iniret, moribusque, ac religioni statim consuleret; Congregationem instituit paucorum quidem capitum, sed qui vi consilij, vsuque rerum, atque integritate in primis valerent. Fuere hi Carolus Cardinalis Borromæus; Gabriel Cardinalis Paleottus, Archiepiscopus Bononiesis; Ioannes Aldobrandinus, summus Pœnitentiarius; & Cardinalis Aretius: quorum nutu, ac prudentia niti res Romana omnis videbatur; vt quicquid hic Senatus decerneret, probaret Pontifex, iuberetque confici.

Placentiam cogitat Aretius.

Quem adesse Romanis cu. ris volebat Pontifex.

Eadem Card. Borromæo mens.

Et vnà discedunt.

Aretius quidem non indonatus. Aurumq; peregrinorum hospitio destinat.

Inter hæc Aulæ negotia dum Aretius versaretur, iuuaretque cominùs rem communem Christianam, pulsari priuato suæ Ecclesiæ commodo vehementius cœpit: præsertim quod cùm in eo, quem modò memorauimus, conuentu, Ecclesiarum vtilitatem, & compendia accuratè expendissent; nihil tuendæ publicæ disciplinæ, atque emendandæ populorum religioni tàm opportunum, ac necessarium esse Pontifici significauerant, quàm suorum Antistitum præsentiam. Igitur, cùm debitum suæ se Ecclesiæ impertiendi acriter ipsum soliciraret; rogatum Gregorium voluit, vt Placentiam abire permitteret; quando qui Ecclesiastica ea negotia Romæ regerent, non deessent præstantissimi Viri; cùm interim Placentinæ curæ Rectorem suum efflagitarent. Ea Viri prudentia, consilioque destitui molestissimum omninò Pontifici erat. Vt Ecclesiam abdicaret, suadere primùm cœpit; pollicitus prouentus alios, quibus vitam, ac dignitatem Romæ sustentaret. Quod cùm Aretio non sederet, ne legitima quidem sponsa relicta, nupsisse tenaciùs, atque ambitiosiùs Aulæ videretur: id tandem Pontifex iussit, vt ea super re Cardinalem Borromæum consuleret: cuius quidem allocutionis is exitus fuit, vt ambo consilium ceperint, Roma excedere; quòd Ecclesiarum zelus, atque administrandi sui muneris debitum parem vtrique facem subijceret: factaque à Pontifice facultate extremo Octobri huius anni ille Mediolanum, hic Placentiam discessit. Et Aretium quidem Gregorij liberalitas cumulatè honestauit. Nam præter quædam indulgentiarum, ac priuilegiorum, exornandæ Placentinæ Ecclesiæ, dona, elargitus illi est itineri conficiendo mille aureos: quos honestissimo quidem vsui statim destinauit. Nam qui hospitalissimus planè erat, noueratq; peculiare quoddam esse Antistitis officium, peregrinos liberaliter excipere; exædificare eo auro annexa Episcopali Domui conclauia cogitauit, quæ hospitibus paterent: visæq; statim publico aliorum cõmodo Ædes illæ exurgere, extantque hodieque ad beneficentissimæ caritatis argumentum.

Saluator Caracciolus.

Aperte Card. Gesualdo, Auunculo.

Immorandum adhuc Romæ narratione est. Impositus hoc anno Quirinali Domui fuerat Saluator Caracciolus; disciplinamque eo virtutum omnium exemplo, modestiæ in primis, moderabatur, vt Præpositi quidem solicitudines, curasque suas esse duceret; cœterum omnium se nouissimum teputabat: elucebatq; ea potissimùm in habitu paupertas, ac sui despectio, vt quiduis aliud, quàm Rector loci, videri poterat. Hanc ille Præfecturam strenuè cùm administraret; acerbissimo quidem cum animi sui sensu ad honores, quod oderat maximè, prouocatum, renunciari Archiepiscopum contigit. Siquidem Alphonsus Cardinalis Gesualdus Compsanum Sacerdotium cùm abdicasset; Saluatorem ex sorore nepotem, quem insigni cùm litteratura, tùm prudentia, ac probitate prædirum nouerat, inaugurandum, ipso inconsulto, ea dignitate Pontifici proposuit. Accersitus, ea quidem mente ad Gregorium Pontificem adijt, vt omni ope, conatuque Infulam recusaret. At enim quæ decreta semel æternis consilijs sunt, frustra luserit mortalium mens. Vbi in conspectum supremi Antistitis Caracciolus venit, ab ea statim maiestate, ac luce ita perstringi visus est, atque occulta quadam teuerentia, metuque consternari; vt explicare, quæ constanti cogitatione conceperat, minimè potuerit. Quocirca interclusa ad preces, ac verba spiritu, assentiri coactus est, cùm maximè voluntas, genius, institu-

institutum obluctarentur. Quo autem sensu hanc honoris appellationem acceptauerit, statim commonstrauit. Siquidem cùm monerent, rogarentque consanguinei, vt Cardinalem Gesualdum, splendidi eius muneris authorem, adiret, gratesque pro facultate ageret; adduci nunquam potuit, vt eo nomine Auunculum conueniret: quòd diceret, adeptum se specie quidem honoris gradum; re verò periculi, curæque plenam prouinciam: nec habendas ei gratias, qui in causa fuerat, vt è religiosa paupertate in eam se ipse seruitutem, aureasque compedes indueret. Inauguratus ritè ab eodem Iesualdo in Quirinali sancti Siluestri Æde fuit: & quòd peracres addetet stimulos Ecclesiæ, suarumque ouium amor; Roma statim discessit. Neapoli excipi in Paulina Domo à Nostratum germanitate, ac beneuolentia voluit: cùm non deessent Viro multis, ac peramplis affinitatibus claro splendida in consanguineorum Ædibus hospitia. Et quoad commorari Neapoli contigit, viuendi genere, cultuque Theatinus videri voluit. Nocturnas, diurnasque laudes in Odeo canere, statis orationis temporibus vnà cum cæteris commentari, communi in cœnatione vulgari cibo vti, nec veste alius planè erat; & domi quidem lacerna, vt nostris moris est, vtebatur, quam exosculari identidem consueuerat: vtque sartam, omninò, ac tectam disciplinam tueretur; admitti in cellulam, quanquam sanguine coniunctissimum, voluit neminem: sed cùm officij causa adirent viri nobiles; descendere ipse, nostratum more, ad Domus ianuam non pigebat. Ac coniectari profectò hinc est, quàm is religiosè suis legibus, institutoque obtemperauerit Clericus Regularis: qui Antistes iam, eaque solutus disciplina, illam adeò studiosè obseruaret.

Compsanus Archiepiscopus designatur initus. Exorari haud passus, vt Gesualdo gratias haberet. A quo ritè inauguratus, Roma statim discessit. Neapoli inter Nostrates degit. Theatino more, Et cultu.

Compsam mox se contulit, præeunte Antistitem excellentium virtutum fama: exceptusque ingenti gratulatione fuit, quam adauxit zelo animorum incredibili, studioque diuini cultus, atque egregijs pietatis argumentis. Enimuerò quam in sanctissimo, flagrantissimoque Cardinali Borromæo optimi Pastoris ideam contemplatus Mediolani fuerat, hanc exprimere pro modo Compsæ instituit. Cleri disciplinam non modò ordinationibus, legibusque instaurare, sed insigni etiam exemplo cœpit. Quo se componerent cultu, externoque habitu Clerici, sua statim modestia, ac grauitate docuit. Diuinis officijs assiduus aderat, canendique ritum ad exactam planè formam, suosque numeros reuocauit. Præter priuatas in conclaui preces, meditari publicè in Templo integram quotidiè horam consueuerat. Singulis diebus festis concionem ad populum habebat, admirabili dictionis contentione, ac fructu. In confessionibus passim, ac nullo delectu excipiendis totus erat: quo quidem in ministerio rudes instituere: ijsque mysteriorum, fideique capita tradere incomparabili quadam alacritate, animique constantia videbatur. Præclarum id Antistitis institutum, ac ardor Compsanos mirificè affecit; vt venerari iam supra hominem occœperint: & quoties obire illum ciuitatem contingeret; proriperent sese domo non modò viri, sed mulieres etiam nuptæ, innuptæque, atque ad eius pedes acciderent venerabundæ. At non diù hæc illis felicitas contigit, erepta nimirum intra annum; eo acriore desiderio, quòd degustauerint iam specimen præstantissimæ virtutis. Compsa vrbs est in Lucania ad Aufidi ripas, insalubri planè Cælo, proindèque infrequens; & æstate quidem, quòd grauior tunc aër, magna incolarum pars concedere in Oppidum, cui sancti Andreæ nomen, vicinum id quidem, solita est. At cùm non optimi Pastoris partes esse Caracciolus duceret, suo à grege, ac statione abesse: hærere Episcopali in sede per æstiuos eos calores voluit, vt in paucis ijs, qui remanserant, erudiendis, formandisque operam, ac vitam insumeret. Quapropter quà laborum assiduitate, quà noxij afflatu Cæli affectus, grauiter Nouembri mense decubuit: atque æstuante vehementiore mox febri, paucos intra dies exhaustus eo morbo, postquàm procuratus ritè sacris fuit, animam efflauit eo quidem integræ, piæque mentis affectu, vt ipse adhortamento esset, doceretque, quæ potissimùm monita insusurrari in aures vellet; & è sacris voluminibus quid priùs, quid posteriùs, legerent, qui supremis ijs officijs aderant. Id optimum Antistitem pulsare intimo quodam sensu videbatur, quòd non adesset morienti suorum corona fratrum. Et quidem vocati nostri homines non eò accurrere tàm citò potue-

Compsæ gratulanter excipitur. Qui ad Caroli Borromæi regulam formàt. In Odeo canit. Publicè horâ integram meditatur. Concionibus confessionibus vacat. Hinc ingens in illum veneratio. Et à labore supremus morbus, Ex quo moritur.

Vocati Nostrates, extinctū reperiunt.

potuere, quin properantiùs fata inuolassent; paulò siquidem antè, quàm peruenissent, expirauerat. Planè vt peracerba illis mors; ita peracri Ciuium mœrori, atque vberrimis eorum lacrymis interesse, quæ certa sunt cùm alienæ beneuolentiæ, tùm propriæ virtutis argumenta, iucundissimum illis fuit. Nimiùm breues amores suos Compsani querebantur: & iacturam quidem complorabant; sed quòd desperarent, succedanea virtute, ac vitæ sanctimonia reparandam; adaugeri vehementiùs doloris causam fatebantur.

Æquè illi nobile ingenium, ac genus.

Megistro Marinonio ad pietatem formatur.

Is fuit Saluatoris Caraccioli, Compsani Archiepiscopi, vitæ exitus; cui vt genus, ita prænobilis etiam fuit ingenij, ac morum indoles. Vel ab ipso ætatis flore formari ad omnem pietatem voluit, præceptore Ioanne Marinonio: qui vbi idoneam, pronamque rerum diuinarum studio mentem inspexit; iuuare præclaros animi impetus impensiùs curauit: ac breui cùm omnium virtutum, tùm orationis in primis desiderio incendit; cui quidem addictus iam tùm Caracciolus vsque adeò fuit, vt cùm diutiùs pijs sese commentationibus exerceret, vehementi laborare capitis dolore cœperit. Litterarum item studijs florentem, flagrantissimamque iuuentutem alebat. Latinè, & Græcè apprimè eruditus, non alio quidem magistro quàm Antonio Caracciolo Patre: qui amœnioribus ipse litteris, omnique disciplinarum genere insigniter instructus, quod rarum in illustri fortuna est, informare ijs Sobolem instituit; ac præter politiorem eruditionem, ac linguas, Philosophiam illi tradiderat. Hoc bonarum artium honestamento Religioni ingenti cum ardore animi, rerumque humanarum contemptu nomen dedit: in qua ea cùm virtutum, tùm studiorum rudimenta ad inuidiam expoliuit; vt lucem sibi inuicem facerent eruditio, & pietas. Quæ quidem animi decora breui hoc elogio transmissa posteritati inter [a] Paulinæ Domus monumenta Neapoli reperiuntur. [Saluator Caracciolus, Philosophia, Theologia, & omni doctrina clarus; nec non pietate, animi modestia, & omnium virtutum genere ornatus.] Cùm Mediolanum, vti significatum est, amandatus Maiorum nutu fuit; perspecta statim Viri virtus, ac doctrinarum præsidia Carolo Cardinali Borromæo fuere: spectatosque perindè mores, ac studia permagni fecit. Adhibere illum in ijs, quas instituerat ad morum formam, Congregationibus consueuerat: probabatque is vicissim Borromæo inter præclara Mediolanensis eruditionis nomina singularem prudentiam, doctrinamque suam. Fecit verò ad eius cùm probitatem, tùm cœteras animi dotes cognoscendas prolixior ea Pauli Aretij Epistola, quam supra laudauimus, ac suis litteris consignauit Tusus. Data ad Caracciolum ab Aretio fuit, dum hic Neapolitanum Oratorem Matriti ageret: ac nescias, ipsiusne Aretij spiritum, an egregias Saluatoris partes explicet loculentiùs. Ingenuè nanque, ac procul fuco Caraccioli indoles, ingenium, litteratura, pietas, regularis disciplina dilaudatur; vt nihil profectò honestius, aut illustrius fuerit, quàm ijs laudatissimi Viri, posteà amplissimi Cardinalis litteris appellari, ac magnificè commendari: & erat tùm quidem penè intra iuuentam Saluator: adoleuitque postea vt ætas, ita & virtus, ac eruditio, vt meritò amplissima de se iudicia promeruerit. Atque hæc de illo satis, cuius corpus conditum tùm quidem in Archiepiscopali Ecclesia; sed consanguineorum deindè opera, impetrato Pontificis diplomate, translatum Neapolim fuit, nostroque in Paulino Cœmeterio contumulatum.

Latinè, & Græcè doctus, præceptore Patre.

Qui, & Philosophiam tradiderat.

Quæ postea studia expoliuit.

a Patrum Catal.

Hac litterarum æstimatione percassus Borromæo fuit.

Pauli Aretij ad illum Epistola,

Eius virtutē egregie commendat.

Translatum postea Neapolim corpus

Franciscus Filagus Neapoli obit.

Insigni Vir animi demissione.

Ad annum voluentis sæculi tertium supra septuagesimum, quo è viuis excessit Caracciolus, excurrit iam stylus: quo item anno obijt Neapoli Franciscus Fillagus: quem, in loco memorauimus, Ochini olim fraude interceptum, ineundi nostri Ordinis propositum mutasse; sed versutiæ, dolique monitum à Ioanne Petro Carafa, multò quàm anteà ardentiùs eandem iterum mentem induisse. Is nullam humilitate excellentiorem virtutem ratus, in eius maximè cultu totus fuit: vt initiari sacris nunquam voluerit; & quæ abiectissima domi sunt, munia obiuerit ad supremam vsque ætatem, ac vitam. Reliquam eius virtutem liceat ab vna hac conjectari. Nam vt ab omni pompa, ac luce abhorreat humilitas; nihilò tamen minùs nobilissimo virtutum omnium famulitio, ac celebritate deduci non dedignatur. Ergò non ignauus planè senex; sed emeritis paupertatis, patientiæ, caritatis, obedientiæ

dientiæ stipendijs supremum diem clausit Filagus, absolutissimæ pietatis, ac disciplinæ famam. At enim professi hoc item anno nomen in Sodalitate plerique sunt; ceu rependere paucorum mortem maiore cum fœnore, ac multa sobole voluerit Numen. Qui verò ab eo numero floruere posteà insigni virtute, ac fama, fuere Augustinus Paparus, & Marcellus Tolosa, Neapolitani. Augustinus, ne præclaro religiosi instituti consilio, quod susceperat, obniterentur consanguinei, Neapoli ex improuiso Romam discessit; ibique in Ordinem cooptatus, solemnia postmodùm vota suscepit: eoque morum, strictiorisque disciplinæ cultu, ac prudentia valuit, vt formandis ad omne virtutum studium tyronibus, quæ præcipua in Religiosorum Cœtibus cura est, nemo illum exæquauerit. Tolosam celebrior per Italiam facundia, atque eruditio commendauit; vt quà Theologiæ splendore, quà vi concionum omnium in se oculos, animosque conuerterit, vt in tempore exponemus.

Congregationi se dant Augustinus Paparus, & Marcellus Tolosa.

At ne præterijsse omninò huius anni Comitia videamur, libasse ad huius libri calcem satis fuerit. Lectus à Patribus, qui Præsidis nomine, ac iure Capitulum regeret, Vincentius Massus: temperauitque sapientissimè. Cœptæ Mediolanensis Domicilij angustiæ agitari, quæ sanè sedulissimis Patrum curis, ac studijs non exiguo detrimento erant; ac iam tùm in Diui Antonij Ædem collimauerant, quam nonnisi quatuor post annos, adnitente Borromæo, obtinuere, vt dicemus. Dictæ insuper leges opportunissimæ cùm de comitijs ritè celebrandis, tùm de cætera Ordinis disciplina amplificanda. Et quòd instituti puritatem, ac Thearinæ paupertatis opinionem labefactare quodammodò videbantur emendicatæ à nostris ad aliorum inopiam subleuandam eleemosynæ; cautum seuerè est, ne quis pro quibuscumque tàm propinquis, quàm externis aliquid à quoquam petat. Enimuerò, etsi suadere id caritas videatur; atque eximia quædam sit pietatis laus, qui taciti nostram inopiam sustinemus, in aliorum necessitatibus vocales esse: attamen quòd facilè reputare apud se quisque posset, stipem nobis corrogantibus, alienum quidem nomen, atque egestatem obtendi, cæterùm nostris vsibus emendicare, ac ludi ijs artibus institutum; vetita istiusmodi pietas, ne vulgi iudicio detorta, fraudi nobis cederet. Inter alia verò scita illud seueriori obseruantiæ, communique regimini perutile scripsere, quod adnotare hic non pigebit. Nempè vt in litterarum scriptione, siue acceptione ita à Præposito subditus pendeat; vt nulla, eo inconsulto, scribatur epistola, nulla accipiatur, nisi resignet, aperiatque ille, ac perlegat. Quæ sanè vetustissima lex est, vt vel à primis ipsis religiosarum familiarum conditoribus originem suam petat. Certè Nostrates visi à magnis illis Latinorum, Græcorumque Ascetarum Patribus regulam expressisse, Basilio videlicet, & Augistino. Et [a] hic quidem sic asserit: [Quicumque in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat; si hoc vltro confiteatur, parcatur illi; si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundùm arbitrium Præpositi grauiùs emendetur.] Quibus consona omninò sunt, quæ in nostris [b] Constitutionibus statuuntur: eademque, vt videre in loco est, vtimur Augustini dictione, ac pœna. Basilius verò, vt [c] Smaragdus, vetus sancti Benedicti regulæ interpres refert, hæc habet verba: [Epistolas nemo monachus accipiat, nec dare sine iussione Abbatis cuiquam præsumat.] Hoc item occidentalis disciplinæ instaurator Benedictus suis præcipit; hoc Isidorus Hispalensis, hoc Fructuosus Episcopus Ascetis suis: & post autea sæcula, qui consecuti subindè sunt, sacrarum Rerumpublicarum legislatores cauerunt hoc ipsum accuratè. Et verò obedientiæ, atque aduersùs moderatores obseruantiæ id est maximè consentaneum, vt nihil eos lateat; neque enim Religiosorum Cœtus benè, ac prudenter quis rexerit, nisi dicta, facta, scriptaque subditorum omnia probè nouerit. Quòd si necessarium item est Præpositis, affectiones ipsas, propensionesque singulorum scire; id abundè è litteris consequetur. Est enim epistola imago quædam animi, quæ cuiusque indolem, sensusque intimos repræsentat. Ad hæc, cùm litterarum vltrò, citròque missione id præsertim fiat, vt ineptè interdum inutilia scribantur, hac Rectorum in aperiendis, legendisque

Capitulum Romæ anno 1573.

De Mediolanensis Cœnobij angustia agitur.

Ne pro externis eleemosynæ à Nostris petantur, lege cauent.

Quàm rationabili ex causa.

Item vt subditorum litteræ aperiantur à Præposito.

Priscorum exemplo.

a Serm. 3. de Com. Vit. Cler.

b 3. par. cap. 9.

c in cap. 14. Reg. S. Bened.

Et præcipit regularis disciplinæ ratio.

litteris censura proscribitur illa scribendi libido, ac vanitas; proindéque nec tempus hisce nugis exarandis, nec stylus teritur. Vt interim dissimulem grauiora, quæ furtiuis persæpè litteris creantur discrimina, ac mala: quæ innuit a Antonius Caracciolus in aureis nostrarum Constitutionum notis, Hieronymi, & Cassiani authoritate. Porrò ex nostris Præpositis, qui exactus in sui muneris administratione videri voluit; ne labefactari regularis hæc obseruantia contingeret, impensiùs curauit: præsertim cum iunioribus, quorum in litterarum scriptione, atque acceptione seuerior omninò disciplina apud nos est.

a Ad cap. 1. 2. part.

LIBRI DVODECIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DECIMVS TERTIVS.



ANNO sextidecimi seculi quarto, & septuagesimo, duo accessere Ordini domicilia, alterum Capuæ, Neapoli alterum, à Sanctis Apostolis nuncupatum, generalis Capituli consensione, nutuque, quod Romæ celebratum, hoc domorum incrementum, veluti opportunissimum probauit: vt scilicet adaucto capitum numero, collegia item adaugerentur; haberetque quò se latiùs explicaret Theatina industria, ac virtus, proximorum commodis intentissima. Igitur huius libri caput vendicat sibi Capuanus ardor, atque in nostram Sodalitatem propensio.

Fundantur Capuana, & Sanctorum Apostolorũ Domus.

Excitati siquidem eius Vrbis Proceres eo fructu, quem Neapoli Nostrates demetebant; iisdem & ipsi frui studiis, ac vigilijs peroptarunt. Eorum Dux Antesignanus Cæsar Argentius, Vir nobilis, ac in eo genere pietatis laudatissimus: vt qui excitandum Capuæ item Virginum Cœnobium non ita post multò curauerit, adductis è Neapolitano Diuæ Mariæ à Sapientia Collegio aliquot perspectæ obseruantiæ Sanctimonialibus, quæ nouam inibi disciplinam fundarent. Is, quòd nostri instituti mores, ac perutilem mortalium vsui Theatinorum operam Neapoli propiùs degustauerat; visus posteà igniculos, ac vota, quæ Capuani fouebant, vehementiùs accendisse.

Rem Capuanã vrget Cæsar Argẽtius.

Accessit & Cæsaris Costæ, præstantissimi Antistitis eximium in nostrum Ordinem studium; vt qui persuasum habebat, non minimùm quidem pietatis à Theatina disciplina Capuanis moribus accessurum; ac planè quàm optimè suæ vineæ consultum iri, si egregios eos ipse cultores adhiberet.

Et Cæsar Costa Archiepiscopus.

De statione, locoque, vbi exciperentur, agitatum primò est inter Archiepiscopum, ac Proceres; ac destinata Sancti Eligij Ædes; perampla ea quidem, & quæ situ Vrbis pulcherrimo cùm diuino cultui exercendo, tùm reliquis procurandæ proximorũ saluti studijs opportunior videri poterat.

Destinatur Patribus S. Eligij Ædes.

Ergò ne labi Comitiorum occasionem finerent, maturandum negotium putarunt; lectusque Argentius, qui correpto Romam itinere, cõmunia ea vota coactis inibi Patribus exponeret. Obiuitque ille strenuè munus; quippè quem & flagrantia Vrbis studia, & peculiaris quidam animi sui impetus, ac ardor disertum facerent.

Romam Argentius mittitur à Capuanis.

Et domus quidem, vt acceptaretur, decreuere communi suffragatione Patres; sed non antequam rem propiùs inspicerent, explorarentque accuratè an idoneus nostræ disciplinæ, ac functionibus locus esset; constaretq; Antistitis, ac ciuium beneuolentia.

Qui rem cõfecit.

Datum Ioanni Paulo Montorphano, & Marco Palescandalo, Viris grauissimis, id negotij fuit: qui inspecta perquàm diligenter loci opportunitate, situque, è re fore Sodalitatis, ac ciuium, eò immigrare, sedemque figere nostros homines, putauere: nec post multò inita omnium gratulatione, consignatisque publicis tabulis possessio.

Ac inspiciendo situi Montorphanus, & Palescadalus destinantur.

Qui probant.

Hæc Iulio mense peracta, sed non antè Septembrem immissa eò Patrum manus, qui incolerent. Enimuerò expoliri, adornarique cùm sacram Ædem, tùm Cœnobium oportuit, vt inuehi Theatini statim mores, & cultus possent. Ecclesię princeps ijs cura. Odeum, quod persoluendis diuinis laudibus in templi medio prisco ritu erat, ponè Aram maximam transtulere; obtentis nempe vtrinque velis, ne distrahi psalmodiam contingeret. Clatrata Aræ principis area, ne profanis pateret ad altare aditus. Destinatus, vt nostri moris est, mulierum pietati sepositus à virorum conspectu locus. Amota item sepulcra, ador-

Expolitur ad Clericorum Regularium normã Ædes sacra.

natumque extra Ecclesiam Cœmeterium: quod postea Costa Antistes vnà cum plerisque Episcopis, qui tum causa Synodi celebrandæ Capuam conuenerant, solenni ritu consecrauit. Hæc, aliaque ad Ecclesiæ nitorem, ac dignitatem; quæ quandam ciuibus reuerentiam visa planè ingenerasse. Cœnobio item opportunè, ac pto modo consultum. Annexum siquidem excipiendis peregrinis Xenodochium, vt expedita, ac laxior esset Patribus domus, aliò translatum. Tùm publico ære, ac munificentia coempta amplificandis Ædibus attigua domus, hortique peramplì; quos quidem via, quæ ad Arcem ducebat cùm à Cœnobio disiungeret; tùm Patrum vsui, tùm substructioni, cui destinauerant, reddebat minùs opportunos. Accidit verò commodùm, vt Antonius Perenottus Cardinalis Granuellanus, qui Neapolitanæ tùm rei vices administrabat, lustraturus equestres eius Regni copias, Capuam per eos dies adiret: cùmque se ad D. Eligij contulisset, vt Missæ sacro interesset; arrepta Capuani proceres occasione, rogatum Cardinalem accessere, vt quæ via hortos à Cœnobio disiungeret, Patribus donatam vellet. Id neque Vrbi, neque Arci incommodum; quando munire ipsi communi vsui viam aliam pollicerentur. Granuellanus, qui peculiari quodam affectu complecti nostrum Ordinem videbatur, te statim suo accessu, diligentique inspectione explorata, Capuanæ Vrbis postulatis, ac Nostratum votis eximia quadam animi alacritate annuit. Quo postea loco, ac area excitatum pulcherrimum ædificium: ijsque Patres opportunitatibus cùm ad publicam pietatem impensiùs excolendam vterentur; effecere, vt minimè pœniteret Capuanos collatæ in eos beneuolentię, ac liberalitatis. Et verò nullis vnquam laboribus, curisque defuere domi, ac foris nostri homines, vt eius ciuitatis ordines demererent: ægrotantes summos, infimos mu sere; morientibus, nullo quidem delectu, assiduò adesse; adhortari, consolari interdiù; noctùque; non vigilijs, non hyberno cælo parcere; inueteratas simultates exscindere; recentes componere; terrere publicis declamationibus; Sacramentorum vsum asserere. Hæc statim Nostratum studia; quæ consecutus non mediocris planè fructus. Nam cùm ea esset Capuanæ gentis indoles, vt mutuis statim odijs, armisque, ac cædibus exardescerent; commutasse magnam partem mores compertum est: exemplorum nimirum, concionumque efficacia, ac mysteriorum frequentia reuocatis ad pietatem, frugemque ingenijs. Quam quidem nostri Ordinis industriam, & quæ inde extitere in publicam rem Capuanam commoda meminit cum laude [a] Michael Monachus, Vir ex eius Vrbis Canonicorum Ordine eruditissimus, ac insigniter pius: qui nō vno quidem in loco sui Sanctuarij appellat honorificè nostros homines, præclarumq; eorum institutum, ac vigilias insigni cum vitutis commendatione contestatur.

Id quod & probauere confestim ciues ipsi eximia quidem munificentia, ac studio. Etenim cùm statim ab eius Domicilij institutione incumbere strenuè in communem animorum vtilitatem Patres illos cernerent; alere quotidianam industriam diurna item beneficentia cogitarunt: Romamque eius seculi anno supra septuagesimum octauo, quatuor nempè non ampliùs post eius Domus erectionem annos, viros nobiles allegarunt; qui cum Gregorio Pontifice Tertiodecimo transigerent, vt quam ipsi cuidam operi pecuniam erogabant, Theatinæ inopiæ subleuandæ, alendisque fructuosioribus nempè curis impenderent. Quod, datis Apostolicis litteris, ineunte eiusdem anni Iulio mense, impetrarunt; perduratque piissimæ Vrbis erogatio, ac liberalitas, ea quidem perennitate, constantique affluxu pietatis; vt fuerit, qui carpendæ nostræ paupertatis studio affirmare non dubitauerit, in Capuana Vrbe lapsos vetere nos instituto, ac primæua paupertate, annuis prouentibus victitare. Non hæc ille profectò affirmasset, si accuratè; ac ea, quæ scriptorem Apologeticum decet, iudicij lance æstimasset; inspexisserq; Apostolicum Gregorij XIII. Diploma: in quo & Capuanorum pietatem in eroganda ea Nostris eleemosyna commendat prolixè Pontifex; & nostri etiam instituti meminit, cuius est, vltronea fidelium beneficentia, ac Cælo niti; & quod vtiq; ipse sartum, ac tectum vellet. Atq; hę quidem Pontificiæ litteræ, quæ penes nos extant, signatę horū redituum tabulæ suntquę planè nec ius nobis pensionem exigendi tribuunt,

Et Cœnobiū

Cui amplificando coempta domus, ac horti.

Cardinalis Granuellanus interpellatur à Capuanis.

Qui distrahentem à domo hortos, viam Patribus donat.

Nostratum in Capuanos studia,

Quæ censet Michael Monachus, Capuanus.
a Sanctuar. Capua Kal. 5.

Et probauere Capuani ciues,

Erogata continenti stipe.

Quam in reditus annuos detorquet scriptor Apologetici confidentia. Qui confutatur.

stituunt; nec eius Vrbis perindè fidem obligant, vt cogi à nobis possit; sed earum duntaxat concessione, affluit Capuana liberalitas, intrà spontaneæ eleemosynæ leges, ac modum. Hactenus de re quidem satis explotata.

Alteram nunc Neapoli Domum repetamus, quæ in iisdem huius anni Comitijs Patrum consulto recepta, adiri non antè insequentem annum potuit. Occasio Domus congeminandæ ea fuit. Sanctorum Apostolorum Ædes, ac Parœcia frequentiore Ciuitatis situ celebris quorundam Religiosorum hominum animos ceperat, vt accedere suæ disciplinæ peroptarent, ac tentare iam successum videbantur. Addicti maximoperè nostro Instituto erant patricij ordinis Viri, è Capuana sede, in cuius regione sita ea est Ecclesia; & vni cuidam ex illis Viro primario filius etiam erat inter Nostrates non obscuræ virtutis: qui vbi resciuere, id Cœnobium agitari; cogitare illicò cœpere, facturos se rem nostro Ordini gratissimam, ac perutilem, si illi sacras eas Ædes attribui curarent; quòd cernerent, excreuisse iam Paulinam familiam; ac maiorem esse Neapolitanorum Patrum numerum, quàm vt vnum eos domicilium caperet. Et quando latiùs patere egregia Theatinorum nauitas nouo eo Cœnobio poterat; non exiguo id cessurum Vrbi emolumento existimabant; & maiore quidem, quàm afferre illa alterius Ordinis familia posset, quæ locum illum affectabat. Ergo Paulinis Patribus significato, probatoque ab illis consilio, vrgere Viri proceres negotium cœpere; vt re constituta, haberi subindè à Capitulo generali consensus posset. Vetustissima ea est Ecclesia ante mille, ac tercentum annos à Constantino Magno exædificata, vt mox dicemus; tractu verò temporis in ius Gentis Caracciolæ abierat; spectabatque iure, vt aiunt, Patronatus ad Vici Marchiones: ac tùm quidem eius erat Ecclesiæ, ac Sacerdotij Rector Cæsar Ragonius, Vir egregiè pius, ac litteris non mediocriter instructus. Igitur, vt en situ nostri homines potirentur, accedere horum consensionem oportebat: quo nihil promptius fuit. Enimuerò Ragonius, qui statim animo comprehendit, quo cultu nituisset à Nostratum cùm munditijs, tùm sacrorum tractatione Sanctorum Apostolorum Ædes, facilè annuit. Fuitque Marchionis Vici voluntas pronior. Is erat Nicolaus Antonius Caracciolus, Theatini nominis percupidus, ac optimè de Sodalitate meritus: qui quanuis Venetijs tunc temporis moraretur; aderat nihilominùs Maria Iesualda, ornatissima Coniux, Alphonsi Cardinalis soror, pietate, atque in Nostrates studio planè singularis; suæque tunc conscientiæ expiandæ Ioannis Galenti, Paulini Cœnobij Præpositi, Viri spectatissimi auribus, atque opera vtebatur; quæ vbi hæc agitari, ac necessarium rei conficiendæ Coniugis nutum inaudiuit; gratulata vehementer sibi, suæque domui occasionem hanc Patribus gratificandi, datis Venetias litteris, Virum monet, agi rem Theatinam; proindèque consignatam publicis tabulis approbationem, consensumque de ineunda Ecclesiæ possessione statim mitteret. Qua voluptate, sensuque id acceperit Marchio beneuolentissimus, confestim commonstrauit; siquidem cùm à febri decumberet, quo tempore perlatæ ad illum litteræ fuere; eò perfundi lætitia visus est, vt subleuatus morbo, penè conualesceret. Itaque publica testium fide, facta pijssimæ Coniugi facultate, rem vt suo nomine perficeret, cumulatissimè permisit. Hæc quidem statim expedita; ac interim coacti celebrandis Comitijs Patres summam negotio manum imposuere; scito nempè decreto, vt Collegium acceptaretur. Ædibus pro instituti ratione componendis, Ecclesiæque quà sarciendæ, quà exornandæ insumi hic annus debuit: tùm deducta à Paulino Cœnobio colonia, Ioanne Capycio Galeota Præposito, qui tùm quidem D. Pauli Præfecturam expleuerat. Planè, gratulata magnoperè ea sibi vicinia est commutatam extemplò sacram eam Ædem; inuectumque splendidum, atque exquisitum Numinis cultum, nocturnam, diurnamque psalmodiam, conciones, Sacramenta, celebritatem. Nostris verò difficilis principio domi res fuit: domicilium præsertim angustissimum, opere plerunque ligneo; quoad coëmpto identidem situ, laxari paulatim cœperit. E quibus posteà angustijs in eam piorum munificentia amplitudinem, augustumque ædificium euasit, vt cùm pleraque Neapoli sint Religiosorum hominum excitata magnificè Cœnobia, nescio an vllum percommodam, nobilemq; Sanctorum Apostolorum substructionem exæquet. Descripsit eam quidem ex nostris

Neapolitanû Sanctorum Apostolorû domicilium.

Nostratibus proponitur.

Et annuunt.

Vetustissima ea Ecclesia.

Marchionû Vici Ius patronatus.

Cæsar Ragonius Rector; Vt nostris Templum addiceretur, assentit.

Et Maria Iesualda agente;

Accessit Marchionis Vici coniugis consensus; Ea voluptate vt à morbo conualesceret.

Designatur familia Ioanne Galeota Præposito.

Angustissimum primò domicilium.

Tùm augustissimum.

Franciscus Grimaldus delineauit. Franciscus Grimaldus, Vir in ea ædificiorum peritia ingenio planè admirabili. Et sanè visus in peramplis harum ædium fornicibus, conclauijs, cœnatione, peristylio, retortisque in cochleam gradibus non tàm instituti modum seruare, quàm periclitari artem suam, ac studium voluisse. Atenim Virum præstantissimum pleraque etiam per Italiam ab eo descripta illustrium operum, atque ædificiorum schemata satis commendant. Et Neapoli quidem præter insignem aliam nostri Ordinis Basilicam, Diuæ Mariæ Angelorum nuncupatam, quam aliàs commemorabimus, extat dicata à Neapolitana pietate, ac magnificentia Diuo Martyri Ianuario, eius Vrbis Protopatrono in principe Ecclesia Ædes; quæ dum hæc scribimus, post diuturnam, ac operosam plurium annorum molitionem, absoluta penè suis numeris, data hoc anno est publicæ admirationi inspectanda. Sumptuosi operis amplitudinem licet æstimare ab auri vi, Ordinis, ac Populi nomine insumpta: ferunt nanque supra ter centum, ac sexaginta aureorum millia ad inclytæ molis substructionem, cultumque effusa; omninò supra Cœsarum, Regumque animum. At cùm augusta planè omnia in ea sint, marmora, signa, columnæ, statuę, aurique, ac gemmarum fulgor vibrans: tùm ipsa Ædis descriptio, ac forma spirare nescio quid grandioris elegantię, ac maiestatis videtur: atque hanc sibi laudem Grimaldus noster vendicat, qui delineauit.

A quo plura per Italiam ædificia.

Præcipuè dicata Diuo Ianuario Neapoli Ædes, sumptuosissima.

Nunc Sanctorum Apostolorum Ecclesiam stylus repetat; cuius antiquitatem, atque ex interuallo instaurationes, ac nouam deniquefaciem libasse hic, non abs re planè fuerit. Magnum Constantinum illam excitasse, nulli putamus dubitationi locum esse. Enimuerò Anastasius, qui exædificatam à magnificentissimo eo Cæsare Neapoli Basilicam memorat, etsi cui potissimùm Diuorum nuncupauerit, non explicet: eius nihilominùs contemporaneus [a] Ado Viennensis, fuisse in honorem Sanctorum Apostolorum, ac Martyrum constructam, discertè tradit. Id quod & Matthæus VVest-Monasteriensis apertè item pronunciat; signatque Christi annum, quo excitata ab eo Imperatore fuit, scilicet quarti seculi anno tertio supra trigesimum. Habes hæc apud [b] Antonium nostrum Caracciolum in Monumentis Ecclesiæ Neapolitanæ, qui fusiùs, atque accuratè rem de more prosequitur: probatque Constantini hoc opus à Templi columnatione; hac enim facie extruere ille Basilicas consueuerat. Quarum quidem columnarum duæ præaltæ, striatæque absidem hinc, inde fulcientes: & illud excitati ab eo operis indicium habebant, nempè Constantiniani labari Characteres X. P., Christi nomen repræsentantes, in summo earum scapo insculptos. Atque hinc erroris prosectò eorum narratio conuincitur, qui ab Sotere Episcopo Neapolitano hanc Basilicam constructam pronunciant. Vetustior nanque Sotere est, qui Sedem Neapolitanam ab anno reparati Orbis octuagesimo primo supra quadringentesimum vsque ad secundum, & quingentesimum procurauit; emensus Maximos Pontifices Hilarium, Simplicem, Felicem. Quòd si Ioannes Diaconus id affirmat, de Parœcia, à Sotere huic Templo adiuncta esse intelligendum eruditè notat idem Caracciolus: qui addit Idolorum olim Fanum eo loci fuisse, non quidem Saturni, aut Iouis, vt aliquorum fert opinio, sed Mercurij, vt eius Numinis Caduceo insculpti lapides, non longè ab eo Templo effossi testantur: vt meritò nunc proculcata mendacij Internuntij facundia, ac vanitate; ab impietatis ruderibus veri Dei Nuntijs, & Apostolis exurgat magnificè religio, ac Ædes. Porrò locum, nomenque Principis Ecclesiæ hanc Sanctorum Apostolorum Basilicam aliquando tenuisse, non omninò improbandum. Affirmat Petrus de Stephano, & quem supra meminimus, Cæsar Ragonius, eius Templi Abbas, peruetustis id litteris legisse se, non semel asseruit, teste Caracciolo: qui tamen, quæ eius est in eiusmodi rebus fides & candor, adstipulari non audet; sibique persuasum habet, non aliud olim fuisse Neapoli Episcopium, quàm Sancti Saluatoris AEdem, quæ hodièque à Diua Restituta nuncupatur: ac scire se, ait, Neapolitanos Canonicos, Diui Saluatoris Canonicos olim appellatos; nullis verò litteris, aut vetere memoria constare, dictos aliquando Canonicos Sanctorum Apostolorum. Hoc autem in loco anno huius seculi, in quo nostra narratio versatur, quinto, & quinquagesimo, rudimenta posuisse laudatissimum periclitantium puellarum opus, scire lectorem minimè pigebit:

Sanctorum Apostolorũ Templum Constantini opus.

[a] In Chron.

Adstipulatur Antonius Caracciolus. [b] Cap. 41. sect. 3.

Arguuntur, qui Soteri tribuunt substructionem.

Mercurio olim dicata fuit.

Et fuisse olim Maiorem Ecclesiam, sunt, qui asfirment. Non probat Caracciolus.

Periclitantiũ hic olim puellarum Collegium.

bit; vnde crescente postmodùm earum numero, ad Diui Georgij, ac demum ad Spiritus Sancti Collegium translata ea pietas fuit; constructo inibi, impulsore Ambrosio Saluo, Neritino Episcopo, è Dominicana Familia, ad pudicitiæ tutelam amplissimo Domicilio. Et verò, quòd hinc puellæ magrauerint; diuini profectò Numinis instinctus fuit, vt nostræ disciplinæ cederet deindè locus: cuius vt firmior esset possessio, Philippus Caracciolus, Vici Marchio, Patris munificentiam, concessionemque publicis tabulis ratam habuit: voluitque luculentiore quidem monumento in ipso aditu supra ianuam Templi maximam extare ad posteritatis memoriam rei testem, marmor. Fuit is Sodalitati, nostrisque vitæ rationibus cum paucis addictissimus; vt adoptari inter Nostrates aliquando effla gitauerit. At, quod tunc vno ipso illustris, ac florentissima pace, belloque Marchionum Vici Domus niteretur; adduci Patres minimè potuere, vt annuerent. Abrumpenda nihilominus prænobilis ea Marchionum linea in ipso fuit; concessit nanque fato sine virilis sexus liberis, relicta Maria Caracciola, lectissima filia: quæ Troiano Spinello, Oliueti Principi nupta; vt opes, ita vim, potestatemque eius Sacerdotij conferendi in Gentem Spinellam importauit.

Translatum postea ad Spiritus Sancti Cœnobiu. Sanctorum Apostolorũ concessionem firmat Philippus Caracciolus, Nostri Ordinis studiosissimus. Eius Ecclesiæ Sacerdotiũ inuexit in Spinellos Maria Caracciola.

Erat porrò, quod nostris In ea Ecclesia non minimum negotij facesseret, nempè Parœcia, quæ interturbare regularis disciplinæ rationem, modumque videbatur. At Gregorij Pontificis Tertijdecimi nutu, ac diplomate non ita post multò amota, adiuncta ad Metropolitanam Basilicam fuit: Quo explicati onere, curaque Patres; toti in instauranda, concinnandaque Ecclesia fuere; ac semel, iterumque laxiorem ad formam cùm exegissent; tandem à fundamentis erectam, ad omnem elegantiam, splendoremque exornarunt. Pulcherrimo operi sumptum splendidissime suffecit Isabella Carafa, Cerciæ Maioris Ducissa: quæ postea ad Dominicanam disciplinam in Monasterio Sapientiæ aggregata; præclaro illustrium fœminarum exemplo, vitæ rationes, nomenque commutauit, appellata Maria Magdalena. Testatam singularem clarissimæ fœminæ munificentiam in primario ædificij lapide voluere Patres: qui quidem duas habuit inscriptiones, alteram in ipsomet lapide insculptam; alteram charta exaratam, quæ plumbeo in loculo inclusa, apposita ad eundem Lapidem fuit. Libet hic vtramque adnectere: ac prior sic habet.

Translata ad Principem Ecclesiam Parœcia. Ornant magnificè Templum Patres. Isabellæ Carafæ ære. Quæ Monasterio Sapientiæ nomen dedit. Testatamque voluere munificentiam in primario lapide.

✠ IHM. ✠ XPM. ✠ LAP. ✠ ANG. ✠
FRANCISCVS S. EVSTACHII S. R. E. DIAC. CARD.
BONCOMPAGNVS ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS
CLERICIS REGVLARIBVS HVMILITER PETENTIBVS
IN FVNDAMENTO ECCLESIÆ SS. APOSTOLORVM
POSVIT.
ANNO DOMINI M. DCXXVI.
DIE IV. MENS. NOVEMB.

Altera verò inscriptio sic loquitur.

Anno Domini MDCXXVI. Indict. IX. Vrbani Octaui P. M. Anno IV. Francisco S. Eustachij S. R. E. Diac. Card. Boncompagno Archiepiscopo Neap. Ferdin. Secundo Austriaco Imper. Philippo IV. Rege, Clerici Reg. antiquam Sanctorum Apostolorum Ecclesiam à Constantino olim extructam, & aliàs non semel reparatam, in ampliorem, & augustiorem formam instaurandam curarunt; ad id opus piè, & liberaliter collata pecunia ab Isabella Carafa, Ducissa Cerciæ maioris; quæ terreno sponso viduata, sua omnia Ecclesijs, & pauperibus; se verò ipsam, Mariæ Magdalenæ assumpto nomine, Christo cælesti Sponso in sacro Monasterio S. Mariæ de Sapientia æterno connubio dedicauit.

Est porrò, cur in hoc Templo diutiùs immoremur; & excurreret planè stylus, nisi historiæ leges monerent officij scriptorem. Quæ verò non omninò dissimulanda sunt: Exculptum nuper cum Odeum, tum reliquum Templi cælum excellenti pictura Ioannis Lanfranchi celeberrimi nominis, famæque artificis. Effecit is arte, ingenijque admirabilitate, vt nihil ad oculorum fine illecebram; fine fran- dem

Exornatum elegantissimè Templũ.

Tabernaculũ Eucharisticũ in eo magnificentissimũ.

dem desiderari pulchrius possit. Alterum in hac Æde spectatu dignissimum, illud
est: nempè ad seruandum diuinæ Eucharistiæ Sacramenrum Tabernaculum, ma-
gnitudine, forma, pretio longè superbissimum; non vno quidem anni cursu, aut
vnius artificis contentione desudatum. Surgit sectis è gemmis segmentata pretio-
sissimè moles hæc; augetque lapidum venustatem tùm forma, tùm aurum, quo il-
ligantur. Planè, is est omnium sensus, quotquot aut populares, aut exteros inspi-
cere augustum hoc opus contingit; nec ditiorem alibi concinnari Eucharistico Nu-
mini Ædiculam posse, nec elegantiorem.

Et Card. Philamarini Sacellum.

Porrò, quod hìc insigni planè ornamento adauget loci gratiam, ac dignitatem,
id est; excitatum nuper nobiliore quidem situ, ad dextrum nempè latus; salutatæ
ab Angelo Virgini Sacellum longè nobilissimum ab Ascanio Cardinali Philamarino,
Archiepiscopo Neapolitano: cuius peropportunum hìc esset primo loco, antequàm
hæc eius externa describamus; partes, opesque animi egregias, publicam in primis
virtutem, qua præest alijs; priuatam, qua sibi, commemorare. Sed parcimus, ne
simul & imminuere styli facultate amplissimas laudes, quod inofficiosum; & lenoci-
nari auribus videamur, quod Scriptori indecorum. Quarè sat fuerit, præclaram eius
animi pietatem, magnificentiam, ac præstantis vim iudicij ab hac Æde, veluti ab
vngue repræsentari: in qua quidem describenda, aliquantisper, eundo per partes,
immorari, pretium profectò erit; vt præstantissimi operis imago quædam prostet
legentibus; ac non vno calami ductu perstrinxisse videamur, in quo diutiùs insu-
datum.

Itaque dedicandæ magnę Matri Ædis mentem ante plures annos concepit Car-
dinalis Philamarinus; videlicet, vbi primùm à legationibus ad Hispaniæ, Galliæque
Reges, in quibus prosecurus ipse fuerat Franciscum Cardinalem Barberinum, Lega-
tum, Vrbani Pontificis Octaui Nepotem, Romam postliminiò redijt. Ac rem qui-
dem, vti animo destinauerat, accurare illicò instituit: descriptoque schemate, exa-
ctæ partes eius omnes ferè ad vmbilicum Romæ fuere, antequàm inter Augustos
Patres adlegeretur; vt dici planè debeat, iam tùm gestasse illum dignum Purpura
ac magna fortuna animum, quando tàm magnifica sibi proposuisset. Enimuerò,
etsi vt profitetur passim ipsemet, longè sumptuosiùs, amplissimis postea Infulis, ac
Neapolitano auctus Sacerdotio, Ædem hanc exornasset; nihilò tamen minùs ea nunc

Quod magnã fortunam exęquaut.

est mole sua, cultuque elegantiæ, vt exæquasse splendorem Purpuræ, ac Sacerdotij
amplitudinem videri possit. Porrò eius formam, ac speciem celeberrimus quidem
Architectus, vt modò dicemus, excogitauit: verùm, vt Pario, candentique è mar-
more excitaretur, author fuit ipsemet Cardinalis: idque vt dignitati operis quæ-

Æternitas Card. proposita in eo excitando. Eius familiare symbolum a Cal. Rhodi. lib. 17, c. 24.

dam etiam accederet æternitas, à materia videlicet quàm solidissima. Quam qui-
dem æternitatem adeò propositam habuit, vt cùm nihil non immortalitate dignum
faciat; tùm id expressum immortali flore, nempè amarantho voluit, quo ipse fami-
liari symbolo vtitur; iussitque ad memoriam, votumque sempiternitatis inter Sa-
celli cælaturas insculpi, non sine vetustatis imitamento; a quam compertum habe-
mus, monumentis, atque aris suis solitam amaranthum appingere.

Iam verò, materiam opus ipsũ graphicè exculptum longè superat; quippe cui
exornando insigni cum industriæ certamine, atque ambitiosiùs excellentium artifi-
cum ingenia desudarunt, quotquot ea Vrbani Pontificis tempestate Romæ floruere.

Sacelli partes Romę effictę.

Romæ nanque, vti modò significauimus, elaboratum ferè totum fuit; vt dici pro-
fectò queat, translatitiam hanc Ædem esse; exædificatam quidem Romæ, asportatam
subindè veluti à fundo Neapolim. Exemplar, ideamque operis Franciscus Borro-

Exemplar à Francisco Borromino.

minus Mediolanensis, celebrioris famæ Architectus, descripsit; planè supra commu-
nem artis laudem, ac normam; vt cùm nihil non absolutissimum, atque augustum
in eo sit, tùm maximè formam ipsam, ac speciem admirabilis quædam venustas, ac
dignitas commendant. Præcipua Sacelli pars, ac sanè spectabilior sunt musiui ope-

Musiui operis Icones.

ris Icones omninò septem, ad miraculum effictæ: quas excellenti primùm penicil-
lo duci, oportuit; atque indè in vermiculatas eas tabulas subtili imitatione referri;
ac Deiparam quidem, quæ primaria est Icon; tùm quæ circa ipsam est, virtutum
quadrigam Guido Rhenus Bononiensis, in hac pingendi arte summus, delineauit:

Cardi-

Cardinalis effigiem Petrus à Cortona praeclari & ipse nominis; Scipionis verò germani fratris Valentinus, homo Gallus, ab hac item facultate laudatissimus, depinxit. Qui verò eas omnes segmentatio elaborauit, is fuit Ioannes Baptista Calandra Vercellensis, quocum & enatam hanc artem, & simul denatam affirmari iure potest. Etenim, quamuis occupauerint istiusmodi opificij laudem, eiusque autores nuncupentur prisci homines: quo tamen studio, ac concinnitate assecuti id fuerint, quae è temporum naufragijs eorum nunc extant tabulae, commonstrant; rudi nanque ea opere, tesserulis neque minutioribus, neque perbellè inter sese cohaerentibus, illigantur: quas Calandra, attenuatis ad delicatioris ingenij limam segmentis, ad exactam quandam gratiam, venustatemque perduxit; vt lineamentis, argutoque penicillo agere, proindèque tenuissimi eius operis autor videri meritò potuerit. Hoc dolendum, fuisse eam artis solertiam adeò precarij spiritus, ac breuis aeui; vt immortua suo autori sit, ac nullus modò extet tanti patrimonij haeres. Quod autem ad nostras hasce tabulas spectat, perennat in his maximè egregij artificis gloria; qui vt admodùm paucas, ita nullam hisce elegantiorem perfecit. Nam quae Vaticano in Templo D. Archangeli Michaelis effigies est ab ea manu, etsi pulcherrima illa quidem; nihilominus, quod quaedam irrepsere in eam menda, minimè duraturam putant: estque praetereà quà magnitudine, quà effictorum capitum numero, quà concinnitate, ac diligentia his nostris longè inferior. Quarum sanè pretium, ac laudem, vt etiam reliqui Sacelli, illud potissimùm auget; quòd cùm eximiae quidam notae Antistites, ac Viri proceres contemplati ea fuerint, incidissetque postmodùm apud Vrbanum Pontificem de ijs sermo; in ipsa rerum commendatione id Pontifici seriò inculcarunt, ne sineret praecipuum, ac tot elegantiarum opus, cuiusmodi nec viderat antea Roma, nec visura postea esset, aliò transferri. Quod etsi pernegauerit Vrbanus; illud enimuerò ab hoc praestantium hominum iudicio didicimus, excrescere Romanam magnitudinem, splendoremque ab his opificijs potuisse: & quae Vrbs tot passim iactat ingeniorum monumenta, artisque miracula; inuidisse Neapolitano Cardinalis Philamarini Sacello effigies, ac caelaturas. Quas quidem effigies postquàm eximius artifex lucubrauit, fertur desijsse statim esse inter homines: ne post immortale hoc opus, quid faceret ea laude inferius: deberi nanque, ait [a] ille, maximo operi hanc venerationem, vt nouissimum sit.

A Ioanne Baptista Calandra.

Virorũ procerum de Sacello iudicium.

a Plin. Panegy. Traian.

Delibandae nunc raptim reliquae Aedis partes. Est sub Mariana Icone principe, insculpta Lunensi è marmore tabula. In ea Aligerùm Chorus, qui vt spirant ab arte; ita citra aurium iudicium ad numeros etiam disertè concinunt. Faciebat Franciscus Flander, qui in ipso flore aeui euaserat iam ex omnium sententia in Michaelem Angelum Bonarotam; cuius & inumbrasset nonnihil famam, si frui diutiùs hac vsura lucis contigisset. Caetera passim ornamenta, ac parerga à caelo Andreae Bolgi habes. Viri in effingendis istiusmodi artis corollarijs planè eximij. Aram non quidem in communem morem efformatam geminus Leo è marmore item sustinet. Iubata illis horridè maiestas; & vt viueret regium hoc animal effecit Iulianus Finettus, statuaria cùm Romae, tùm Neapoli nobilis; cui praesignem famam nominis conciliarunt ea praesertim ex aere simulacra, quae in editissima D. Ianuarij Aede, quam Thesaurum vocant, Diuis suis Tutelaribus Ciuitas Neapolitana dedicauit. Implent praetereà loci maiestatem quaternae peregrino, solidoque è marmore columnae, praegrandes, ac strijs nobiles; inestque is ijs candor, ac nitor, vt pellucida ex crystallo diceres. Par laus columellis, balaustia appellant, quae Sacelli aream definiunt, clathrantque: luditque in ijs pulcherrimè schematis nouitas, ac quidam curuaturae modus ad omnes elegantiae leges. Est verò, quod in harum contextu partium, quas recensuimus, postremò, nec perfunctoriè quidem admiremur; nempè marmorum ipsorum ligamentum quoddam inobseruabile. Nam quamuis connexorum inter sese lapidum complexio quaedam ea sit; luditur nihilominùs tàm bellè oculus, vt nullibi nexus ipsi, ac commissurae cùm appareant; non plura, sed vnum quoddam, solidumque efformatum in Aedem marmor putes; ac veluti montem quondam marmoreum, elegantissimè insculptum. Atque haec quidem externa, atque aspectabilis loci facies; cui non minimùm splendoris vmbra addit, quam modò

Aedis caelaturae.

Ara.

Columnae.

Columellae.

appin-

appingimus. Monumentum nempè, quod sibi, ac suis infra eius aream, ad eandem scilicet loci mensuram, opere concamerato, ac tectorio inductum, expolitumque faciendum Cardinalis curauit. Extabat perantiquum Philamarinorum sepulcrum in Basilica S. Georgij Maioris, vnde translati Maiorum cineres à Ioanne Philamarino longè antè annos ter centum in Principem Ecclesiam fuere, exædificato inibi Sacello; quod quia D. Ianuarij Ædi posteà cesserit, consulendum noua substructione suorum mortalitati, ac suæ duxit Cardinalis; quo simul testatam Deiparæ obseruantiam suam voluit, nuncupata Virgineo Numini Æde, quam descripsimus: in qua quantum ipse auri insumpserit, cùm in ornanda Tutelari sua oppidò liberalis fuerit, nec expensi vnquam rationes subduxerit, ita est incompertum; vt plures excessisse aureorum millium decadas facilè sibi quisque persuaserit: præsertim cùm ex ijs pleraque refici pluries iusserit acerrimus rerum suarum censor Cardinalis. Siquidem cùm præclaræ eius ideæ minus responderent artificum studia, ac manus; non reuocari vtcunque ad limam, sed aboleri penitùs res, ac refici oportebat: quod cùm iterùm, ac sæpiùs ille imperaret; vt non exquisitæ cuidam diligentiæ, ita nec immodico sumptui, auroque parcebat. Quo quidem studio ad apicem quendam magnificentiæ, ac artis hoc Sacellum euasit; eritque summo Neapolitanæ Vrbi splendori, ac famæ, vt olim elegantissimo Praxitelis Cupidine nobilitatę fuere Thespiæ. Nos verò Clerici Regulares cùm nostræ Sanctorum Apostolorum Ecclesiæ præclarum opus, tùm vniuersæ Congregationi insignem beneuolentissimi Cardinalis benignitatem gratulamur; qui relicto Pontificali, suoque Templo, nostrum delegerit, in quo manes suos deponeret; id quod, vt serò contingat, vouemus. Sed de hac Basilica hactenus.

Philamarinorum sepulcrum.

Sumptus in Æde exornāda.

Patauium excurrendum, vbi hoc item anno mutari Ecclesiam, ac domicilium contigit. Enimuerò, vt in loco significauimus, angusta non minimùm S. Saluatoris Domus cùm esset, id etiam torquere vehementiùs Patres videbatur; nempè sepositus ab Vrbis frequentia locus, vbi vrgere ex Instituti ratione sacris concionibus, ac Sacramentorum vsurpatione mortalium salutem minimè poterant. Ergò nacti commodiorem Sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudæ Ædem, adiecere eò animum: breuique procerum quorundam beneuolentia, ac opera, qui nostram disciplinam amplificari ea in Vrbe peroptabant, potiti sede, in illam sese illicò, relicta priore, transtulere. Quo quidem situ vltronea postmodum piorum liberalitate extructa à fundamentis Ecclesia est; inusitata quidem, sed eleganti admodum specie; nempè octilatere. Incubat supernè Tholus, magnumque Hemisphęriumquod quantum Templum est, ambit, tegitque. Ipsa verò interior figura, ac facies, excurrentibus in orbem pilis, Aedem ineuntibus totam simul repræsentat. Illam iacto angulari lapide faustè est auspicatus Federicus Cardinalis Cornelius, Episcopus Patauinus; absolutam Archiepiscopus Vrbinas inaugurauit. Vt inscriptus in hæc verba testatur lapis;

Commutatur Patauij domicilium.

Immigrant in Simonis, & Iudę Templum Patres.

Pulcherrimū eius Templi schema. Quod auspicatur primario lapide Federicus Card. Cornelius. Consecrat Archiepis. Vrbinas.

HANC AEDEM, CVIVS PRIMVM LAPIDEM
FEDERICVS CARDINALIS CORNELIVS,
EPISCOPVS PATAVINVS IECIT,
ANTONIVS IANNOTIVS VRBINI ARCHIEPISCOPVS
DEO, EIVSQVE APOSTOLIS SIMONI, ET IVDAE CONSECRAVIT
X. KAL. NOVEMB. MDLXXXVIII.

Adnexum & percommodum huic Aedi Cœnobium, spontanea item ope, magnuque Patauinæ liberalitatis. Qui verò munificentiùs operi adfuit, Aloysius Cornelius fuit, eiusdem Vrbis Antistes, Francisci Cardinalis Cornelij germanus frater; cuius planè magnificentiæ, ac pietatis transmissæ in posteritatem laudes, nunquam non erunt in hæreditaria Nostratum gratitudine superstites.

Cœnobij ædificium auxit Aloysius Cornelius.

Romæ sub hoc tempus impigra Episcopi Asaphensis virtus externo operi destinata; & qui domi regularem obseruantiam, vti meminimus, mirificè excolebat: ne Infula interim vacaret, impositus foris publicis functionibus fuit à Iacobo Cardinali

Sabel-

Sabello, Pontificis Vicario: qui cùm diligenti quidem peruestigatione Antistitem nauum, ac doctum quæreret, qui Romana Sacra suo nomine administraret, ad Asaphensem animum appulit, quem nouerat apprimè eruditum, sacrorumque præsertim rituum consultissimum. Is Vicariam eam prouinciam, suffraganei, vt vocant, nomine complexus, intensusque in omnem officij partem; incredibilem quandam diligentiam, ac concinnitatem præsetulit. Admirationi planè erat intuentibus, in assiduis, ac prolixioribus ijs curis nunquam defatigari grauiore iam senio virum; in cæremonijs verò obeundis preces non ex libro, sed memoriter recitare, atque omnia perquàm expeditè peragere. Pontificalium rituum Codicem, quo vti solitus erat, suis identidem notis emendauerat, ac illustrauerat: eumque posteà sacrorum rituum Congregationis Patres anxiè efflagitarunt; placuitque eo vti ad veteris Romani Pontificalis emendationem: ac planè satis multa ad Asaphensis Episcopi trutinam, sensumque fuere in eo expensa, ac restituta. Venitque hic deindè Codex in Cardinalis Montis Realis manus, à quo tandem Nostris iterum donatus, repositusque, ceu pretiosa quædam supellex in Sancti Syluestri Sacrario. In hoc verò eruditionis, ac studiorum genere versatissimus item è nostro Ordinè fuit Marcellus Maioranus; cuius etiam manu Romanum Pontificale plerisque in locis eruditè expurgatum, auctumque reperitur; illi omninò consonum, quod posteà Clementis Pontificis Octaui iussu editum Romanis typis fuit. Iam quæ coniuncta cum priscorum rituum peritia est, sacrarum historiarum, piæque antiquitatis eruditio inerat potissimùm Maiorano: atque hoc præsertim anno cùm recognoscere Gregorij Pontificis Tertij decimi iussu Romanum Martyrologium contigit: præclarum sanè eiusmodi studiorum specimen dedit. Adnotauit siquidem ea super re pleraque cùm ad historiæ fidem, tùm ad exactam rerum gestarum, locorumque, ac temporum seriem: quæ prisci æui scientissimis, sacræque Congregationis Patribus visa quidem oppidò opportuna, atque ad præstantissimi cuiusdam iudicij momenta expensa. Id quod Michaelis nostri Ghislerij testimonio non dissimulandum, præstitisse hoc etiam tempore Vincentium Massum, rerum Ecclesiasticarum, sacrorumque annalium apprimè gnarum; qui & Pij Quinti Pontificatu sedulam Romani Breuiarij, ac Missalis emendationi operam nauauerat.

Romæ publicis sacris præficitur Asaphensis.

Obitque strenuè munus.

Romanum Pontificale eius notis auctum,

Seruatur in S. Syluestri Sacrario.

Maioranus Sacrorum rituum scientissimus.

Operam in expurgando Martyrologio posuit.

Valuitque in his etiam studijs Vincentius Massus,

XV
At enim, quando expleuit hoc anno Andreas Auellinus demandatum illi à Capitulo generali Visitationis in Gallia Cisalpina munus; pretium, puto, erit, modum, quo hanc ille prouinciam obiuit, breuiter adnotasse: vt præclaram Visitatoribus nostris Ideam, exemplumque proponamus; habeantque qui eos moneat, qua mente, quoue regularis disciplinæ zelo fungi grauissimo eo munere debeant. Magni profectò ponderis ad instituti præsidium, ac munimentum ea est domorum inspectio, vti aliàs explicauimus: nempè si obiri persanctè, rectèque contigerit; secus verò, nihil inde frugis ad rem communem. Ergò id Auellino in eo potissimùm officio peragendo propositum, vt priscus ille Patrum, legumque vigor, ac sanctitas in posterorum moribus perduraret. Nùm regulæ exactæ obseruarentur? studiosiùs peruestigabat: neque præcipua tantùm curæ erant: sed parua etiam, ac minuta vindicare actiter videbatur: gnarus, minima gradum ad maiorum transgressionem facere; ac ingentium ruinarum rudimenta esse parua, si contemnantur. Si quem laborare animi morbo inaudiuisset; intempestiuam indulgentiam omnem, aut conniuentiam putabat: foueri his malum, atque inueterascere cum aliorum etiam pernicie, ac fraude, siuerat: eaque propter nil timidè exequi, nil remissiùs: non humana quadam facilitate, ac metu errata dissimulare: monere statim, increpare: aberatque fauor, aut odium. Censuram, rigoremque temperabat, citra omnem disciplinæ iniuriam, caritas. Insectari maximè otium, virtutum luem; negotium item seuerè proscribere, si quod Deum, salutemque animorum minùs respiceret. Quod verò caput est, consentiebant omnino cùm censorio eo munere vitæ rationes. Compositus nanque ad omnem Theatini moris obseruantiam, non tàm voce emendare disciplinam, ac fratres, quàm vita ipsa videri poterat. His artibus singulari quadam authoritate prouinciam inibat Auellinus; absoluebat verò ingenti cum domorum compendio, ac fructu. Lustrationem hanc porrò cùm obiret, illud

Visitationem explet Auellinus.

Eius inspiciendi Ordinis ratio.

Exemplo præsertim emendabat.

insi-

Patientiæ specimen inter lustrandum.

insignis patientæ documentum dedit, quod hic non prætereundum. Equum ad iter conscendebat, cùm subito ille impetu percitus, proripuit sese præcipiti fuga, cursumque intendere per abrupta loca cœpit. Implicitum, pendentemque vnà secum Andream pertrahebat, discerpendum vtique inter saxa, ac salebras. Vt autem accursu turbæ sisti equus potuit; commiserari illum omnes, raptatum eo impetu, quassatumque: cùmque exanimem penè, ac consternatum vnus quis inter alios crederet, ad eum facturus animos accessit. At ille incredibilem quandam fronte, vultuque præse tranquillitatem ferens, Age, inquit, Dei beneuolentiam, amoremque mihi gratulare. Exoratus à me nanque prolixiùs in altaris sacrificio, vt perpeti pro eo triste aliquid hodie dignarer; voti compotem fecit. Quem ille ardorem animi demiratus; benè est, ait, mortales cuncti leuari malis anxiè cupimus, petimusque: Tu verò, Pater, illa tibi deposcis? Conectari hinc illi licuit, haud quidem vulgaris notæ hominem illum esse; magna siquidem ea est virtus, cui aspera, ac dura sapiunt.

Romæ generale Cap. an. 1575.

Excutitur res Genuensis.

Propè fuit, vt ea Domus desereretur.

Cuius causā suscepit Marcus Palescandalus.

Vocat nunc scriptionem res Genuensis. Celebratum de more Capitulum generale consequenti anno Romæ fuit: excussisque eius domus progressionibus, nil propiùs fuit, quàm vt deserendum Genuense Collegium Patres statuerent. Enimuerò, qui optimus est rerum monitor, vsus, ampliari in ea Vrbe situm, rem esse impossibilem commonstrauit; proindèque nil frugis in ijs loci angustijs colligere Nostrates suis vigilijs posse. Id quod Antonius Agellius, qui triennium eam Præfecturam procurauerat, cùm disertè Patribus retulisset, aliaque indè incommoda, atque angustam rem familiarem, nec lætiores in posterum spes memorasset; penè cuicerat, vt stationem desererent. Aderat Comitijs Marcus Palescandalus, cuius aliàs mentionem fecimus, qui perorare pro virili eius Cœnobij causam cœpit. Initia, inquit, rerum plerunque aspera, ac minùs læta: quæ si patientia, ac virtute vincantur; affulgere, ac ferre meliora Numinis prouidentiam. Nos quidem ideò consilium profectionis capere, quòd procurari commodè sacra, ac salus proximi non possint: at non hæc rei facies: dabimusque vulgò obloquendi materiam; atque ea erit communis criminatio, ac vox, Theatinos homines incommodis deterritos, abijsse. Quid obfirmatis in Dei obsequio, educatisque in summa paupertate Clericis iniuriosius? Plura in hanc sententiam Palescandalus: valuitque adeò eius authoritas, ac dictio, vt retinendam omninò domum Patres decreuerint. Illud verò statim inter ipsos conuenit, vt quando autor ille fuisset, ne Cœnobium dimitteretur; eiusdemmet administrationem capesseret, consuleretque prudentia, ac tolerantia sua ijs malis.

Eiicitque, ne dimitterent.

Renunciatus ipse eius domus Præpositus.

Mutandum locum esse.

In Diui Syri Templum collineat.

Cuius Rector Cardinalis Iustinianus.

Rei conficiendæ peridoneus Card. Moronus.

Prouinciam haud grauatè subijt Palescandalus; renunciatusque eius Domus Præpositus, Genuam statim à Comitijs venit. Obseruare accuratè domicilium cœpit: quod sanè vt in prænobili Vrbis loco situm cognouit; ita quòd præcipua circum nobilitas habitaret, aduertit. nil esse difficilius, quàm vt laxari à Nostris posset: statuitque secum ipse, id esse reliquum, vt mutaretur situs. Ædes Genuæ erat Diuo Syro nuncupata, perampla ea quidem, ac populorum frequentia celebris. Sacra hic, quod Parœcia Vrbis erat, suus Curio ministrabat: curabantque Ecclesiam, ac Cœnobium quidam clericali habitu Monachi, qui à sua quisque disciplina pridem desciuerant; permissumque illis Pontificis indulgentia, ac litteris fuerat, vt eò conuenirent. Eius autem Sacerdotij, Templique Rector tunc erat Vincentius Cardinalis Iustinianus è Dominicana familia. In hanc sedem, qua potiri plerique alijs Religiosi viri frustra tentauerant, quòd concinnari ad omnem cùm sacrorum, tùm regularis disciplinæ vsum magnificè poterat, animum intendit Palescandalus: diuinaque fretus prouidentia ingentem in spem venit, fore, vt Clericorum Regularium Instituto addiceretur. Opportunam negotio transigendo Ioannis Cardinalis Moroni authoritatem putauit, qui tùm quidem Genuam appulerat; factumque diuinitùs credidit, vt eò tunc allegaretur. Enimuerò cùm excitatæ sub id tempus ciuiles quædam turbæ inibi essent, atque ea inter veterem, recentemque nobilitatem odia exarsissent; vt dubitari de grauissimo incendio cùm in ea Vrbe, tùm per reliquam Italiam cœperit; occurrendum tempestiuè malo Gregorius Pontifex putauerat; eòque Cardinalem Moronum, Apostolicum legatum miserat, qui dissidia, priusquam in aperta ani-

animorum diuottia, ac bella erumperent, consopiret. Igitur adijt ad Cardinalem Palescandalus, quid de Sancti Syri Æde conceperat, aperuit: futurum id quidem non exiguo Theatinæ disciplinæ commodo; ac non minus Templo illi dignitatis inde accessurum, quando & petagi diuina studiosiùs, & curari, celebratique Ecclesia splendidiùs posset, quàm Monachorum is conuentus faceret, quos non vnum institutum, nec vnanimes planè mores necterent. Complexus insigni beneuolentia rem Cardinalis Motonus, fauere Ordini in animum induxit suum; authoritatem, fidemque abundè pollicitus. Et incendere mox acriùs eius voluntatem addita item præstantissimorum Virorum officia, ac studia. Nam Dominicus Pinellus, qui posteà ad amplissimam Infulam euectus, augusti Collegij Decanus fuit, nostræ Sodalitati cum paucis addictus, cùm Genuæ tunc ageret; vrgere & ipse negotium apud Moronum instituit; occupatis multorum item procerum animis, ne cœptis refragarentur. Inter hæc allatæ & Cardinalis Aretij litteræ ea de re Legato fuere, quæ inflammandæ eius voluntati plurimùm valuere; faciebat nanque plurimi vt virtutem, ita postulata Aretij Moronus. Neque verò momentum negotio attulit minimum Hieronymi Ferri Genuam aduentus. Is non ita pridem Moderatorum nutu Neapoli Mediolanum concesserat; cùm vt insigni virtute, studioque disciplinæ rudimenta in ea Domo iuuaret; tùm vt pro Hieremia Isachino, quem, vti aliàs significatum est, expleta Mediolanensi Præfectura, Venetias repetere oportuit, Cardinali Borromæo operam, eruditionemque suam in eius Ecclesiæ curis commodaret. Et verò vsque adeò litterarum præsidia, rerum vsum, fidemque, ac suæ vim mentis probauit Borromæo Ferrus, vt breuì eius sibi gratiam conciliauerit; ac nullæ haberentur publicæ, priuatæque in commune bonum consultationes, quin ipse audiretur. Obortis autem Genuensibus hoc anno turbis, adlegatoque ijs sedandis Cardinali Morono; pleraque submittere Legato magni ponderis monita Borromæus voluit, quæ ad successum legationis facerent, ac restinguendis partium discordijs maximè conducerent. Hæc monita Genuam qui ferret, neque prudentiorem, neque eloquentiorem Hieronymo Ferro habuit: qui quidem, dum magni Cardinalis iussa summa fide, ac laude apud Apostolicum Legatum exequitur, rem etiam Theatinam egregiè peregit. Etenim, cùm tùm maximè de S. Syri negotio ageretur, addidit opportunè preces suas: quæ vt ab eo, qui Borromæi nomen, ac gratiam repræsentabat, beneuolas, facilesque Legati aures offenderunt. Igitur incensum per se Cardinalem Moronum, incitauere hæc simul officia vehementiùs. Nec sanè explicari facilis res erat. Primò siquidem cum ijs, quos diximus, Laico-Monachis luctandum. Tum eius loci magna pars publico vsui Reipublicæ erat: grandiora siquidem in eo conclauia, quà conficiendis, quà seruandis nauium armamentis, & commeatibus adhibebantur. Ad hæc, Viri Proceres quoddam sibi in Ecclesiam, ac Sacella ius vendicauerant, quo cedere oportebat: Postremò, Rectoris nutus, quem diximus Cardinalem Iustinianum, impetrandus. Moronus singulari in Ordinem affectu, ardoreque animi aggredi simul omnia, explicatisque strenuè, quæ ad Senatus, ac Procerum siue commoda, siue authoritatem spectabant; Rectorem monet, S. Syri Ædem, primariam quidem in ea Vrbe Parœciam; proindèque haud æquum esse, ab incolentium studio, cultuque sordescere. Monachos ibi degere exleges; quibus nulla sacrorum, ac Templi cura. Esse verò Clericos Regulares, quorum ea erat potissimùm mens, ac scopus, vt niterent Templa, Deique cultus reflorescerct. Ecclesiam si illis benignè concederet, nihil se facturum suæ dignitati magis consentaneum, nihil ad Basilicæ decentiam, splendoremque opportunius, ac suæ Vrbi gratius sciret. Se quidem id precari anxiùs, sibique ab eius zelo, ac beneuolentia beneficium illud polliceri. Consulere eius Ecclesiæ dignitati posse cum ea in Cardinalem Moronum voluntate, ac tanto cum Clericorum Regularium commodo, gratissimum Iustiniano fuit. Quapropter ita ad negotium adiecisse animum visus est, vt eius statim rei ius omne Cardinali Legato permiserit; impetratis etiam Pontificijs litteris, vt confici maturiùs, ac suprema cum potestate res posset. Quibus ille acceptis, nil habuit antiquius, quàm Palescan-

Precaturq. Palescandalus, vt faueat.

Qui negotiũ complectitur.

Accessere Dominici Pinelli officia,

Et Card. Aretij.

Hieronymus Ferrus,

Genuã à Borromæo allegatus,

Moroni studiũ incitauit.

Qui rẽ factu perdifficilem

Strenuè aggressus,

Litteras ad Card. Iustin. dedit,

Qui rem Moroni fideicõmittit.

lescandalo significare, impetratum Cœnobium, Ædemque sacram; amotis nempè
Difficultas à Laico-Monachis. Monachis, quibuscum postremum nihilominus certamen fuit. Tueri nanque
suam causam coram Legato ardentissimè occœpere; ac lamentari acriùs, eripi se-
dem, ac abijci. Quibus perquàm modestè Palescandalus: Etsi liberum esset Pon-
tificio Legato, mouere illos loco; non eam tamen esse Ordinis mentem, vt abirent.
Si morari vnà vellent, habituros domicilia, ac Sacrorum, Templique vsum; sin
minùs, persoluturos se, quoad ipsi vixerint, census annuos. Visi æquissima hac re-
sponsione questus deferbuisse. Illud tantummodò addidere. Se quidem oblatam
Qui tandem annuunt; vltrò pensionem probare; verùm cùm nullis niterentur opibus, ac patrimonio Pa-
tres, vnde illis exigendi securitas? Aderat Raphael Raggius, cuius in Sodalitium
Soluta annua pensione, Raggio fideiussore. propensionem, ac beneficentiam meminimus; atque in medium sese illicò prori-
piens, vadem soluendæ in annum pecuniæ se constituit. Quo perorara omninò cau-
sa; statimq; immissi, consignatis publicè tabulis, in eius Cœnobij possessionem Patres
fuere à Cardinali Legato; cui plurimum debere se nostra Sodalitas hoc maximè no-
mine profitetur; viuetque nostris in litteris, animisq; eximiæ beneuolentiæ recordatio.

Immigrant in S. Syri Patres. Contigere hæc Augusto mense, immigratumque in Sancti Syri Cœnobium die
eius septima, & vigesima; relictis Diuæ Mariæ Magdalenæ Ædibus, in quas immis-
si posteà Somasceni Patres fuere. Id autem constitutum, cautumque, vt Parœciam,
quam administrare haud è re esse regularis disciplinæ, Nostrates putabant; secula-
ris Sacerdos ad Præpositi nutum procuraret. Atenimuerò, tristia item, ac difficilia
Aspera omninò eius Cœnobij initia. eius domus exordia fuere: vix enim aliter res bonæ, aut magnæ auspicantur. Nam
præter angustam rem familiarem, qui datam Theatinis eam sedem minùs proba-
uerant, vt non omnia vnquam placuere omnibus; ij diuexare, atque insectari acri-
ter, malisque artibus Nostros cœpere; eo nimirùm consilio, vt victi dictorum, fa-
Quę constantia superātur. ctorumque insolentia, loco facesserent. At non is erat Palescandalus, ac reliqua
Domus, qui ignorarent, superandam omnem fortunam ferendo esse: neque ea illis
impotentia, ac imbecillitas; vt non conniuere, ac sorbere omnia egregia mentis fir-
Et assiduis sacrorū studijs. mitate, ac præstantia scirent. Contumelias, ac maledicta nihil pensi habere, atque
officijs etiam compensare; demerere assiduis laboribus, pijsque in Templo exerci-
tationibus gentis studia: Domi strictiori cuidam obseruantiæ insistere. Interim
quę officere disciplinæ, religiosæque libertati, ac decentiæ videbantur, strenuè amo-
ta. Vrbani milites, qui graui cum Patrum, reique domesticæ incommodo præci-
pua Cœnobij conclauia occupabant, militatique licentia miscebant domi omnia;
aliò translati: auecta nauium instrumenta: interclusæ, conficiendæ, adseruandæ-
que triremium annonæ apothecæ: in Æde verò sacra vondicata, quæ Viri proceres
sui iuris fecerant, sacella: disiectus noctu chorus supra principem Templi ianuam;
vbi quæ ad Ecclesiam adibant puellæ, recipere sese non sine morum licentia, ac la-
be, ac sacrorum iniuria consueuerant. Quæ sanè omnia cùm fieri intrepidè, atque
ex inopinatò cernerentur; irritabant, incendebantque acerbiùs æmulorum inui-
diam; ac proscindere clam, palàm cùm Institutum, tùm Patres non dubitabant; in-
concusso quidem, atque imperterrito Præposito Palescandalo: qui in eas curas, ex-
poliendamque cùm Domum, tùm Ecclesiam eò generosiùs incumbebat; quò sci-
ret, vbi res Numinis agebatur, nullam hominum siue potentiam, siue impoten-
tiam præualere. Effecit plane hic prauorum hominum liuor, vt non statim res
Angusta domi res familiaris. Theatina eo loci coalesceret: neque enim explicare sese bonorum beneuolentia,
affectusque in nostros homines potuit, flante eo turbine: declinabant quippè no-
stram plerique consuetudinem, suæque parcebant beneficentiæ; ne eadem &
ipsi subirent aduersariorum odia. Eapropter extrema pati oportuit. Vndique
angusta Domi res; incredibilis quædam in vestitu, victuque paupertas; ac pa-
Atro pane vitam tolerāt Patres. nis quidem furfuraceus omninò, ac sordidus; vt Visitatores, Viri alioqui absti-
nentiæ laude clari, ac paupertatis amantissimi, qui Galliam tùm Cisalpinam lu-
strabant, circumferenda per reliquas domos despicatissimi panis frusta duxerint,
vt monerent Genuensis ærumnæ, ac inopiæ Patres: valuitque adeò apud ipsos
commiseratio, vt opem pro modo tulerint. Exercuit ea persecutio diù viros,
quos

quos ad omnem patientiam firmabat sapientissimum Numen; cui eorum periclitari modestiam, ac tolerantiam mens erat, domumque magnificentissimam ijs iam ærumnis fundabat.

Et verò, cùm à suis studijs, ac pietate minus cessaret Patrum solertia, neruosque magis contenderent in excolendis, iuuandisque mortalibus; ita sibi posteà Genuensium animos deuinxere, vt triumphata inuidia celebrari Templum mirificè cœperit; certatimque ad vsurpanda in eo mysteria, sacrasque conciones audiendas confluerent. Et Palescandali quidem perspecta singularis prudentia, ac eruditio fuit, eratque in omnium oculis, ac veneratione; vt non modò triennium in ea tùm præfectura absoluerit; verùm vt præcipuæ nobilitatis votis fieret satis, anno iterum voluentis seculi octuagesimo tertio impositus eidem Genuensi rei, illam moderari alterum triennium est iussus: adauxitque vsque adeò Procerum in se beneuolentiam, vt præfici tertiùm oportuerit; rexitque Domum ingenti cum rei communis compendio. Et quidem vt Ciuium animis demerendis singulare quoddam illi à natura, ac virtute ingenium fuit; ita dilaudandus maximè eius in tuenda disciplina zelus; atque efficax quidam animi vigor; vt nullo distrahi ab inceptis metu, nullis periculis, ac difficultatibus terreri, nullo etiam sumptu potuerit. Quo loco illud breuiter commemorandum, ne desideret hic aliquis; quod à Tuso fusiùs narratur. Puteus in Cœnobij atrio erat, aquarum perennitate, & copia longè opportunissimus. Hucomnes, veluti ad commune aquæ caput confluebant; vt non minimo quidem labore arcendæ mulieres fuerint, quæ vetere hauriendi consuetudine aditum conuicijs reposcebant. Molestissimæ verò erant aduentantes è triremibus, ac nauibus aquatum turbæ; quæ incondito quidem clamore, strepituque Patrum studia, commentationes, psalmodiam, disciplinamque omnem interturbabant. Permagno incommodo vix erat remedio locus; vsitata, ac publica iam cùm Ciuium, tùm nautarum àquatione. Ergò inijt ingenti ausu consilium Palescandalus, alterum extra Cœnobij septa communi vsui aquarum conceptaculum effodere; communicato nimirum, è domestico eo fonte, per aquæductus perenni riuo. Quod sanè dispendium quàm esset nostra inopia maius, statim intellexit inclyti Senatus prudentia; luctandum siquidem excauandis tubis, præduris omninò cum saxis erat. Quarè deriuandam in communem opportunitatem ære publico venam statuit, cœptumque statim opus. Verùm, quod miraculo proximum fuit, vbi ad Sancti Syri ianuam ventum excauando est, scatere ibi, atque ebullire vim aquæ vberrimam deprehendunt; ita vt contracto non minimùm sumptu, progredi vlteriùs, ac domesticam aquam ire imminutum, opus minimè fuerit. Qua quidem vena, percommodum in locum deducto, extructoque pulcherrimo fonte, prouisum abundè cùm vrbanæ, tùm maritimæ vtilitati fuit; atque inducta in Cœnobium quies, ac regularis obseruantiæ tranquillitas; ardore nimirùm Palescandali, qui difficillimum opus, nullo quidem sumptu territus, excogitauit.

Quantùm verò inclytæ eius Vrbis in Nostrates obseruantia, ac liberalitas subindè excreuerit, libet ab ædificiorum substructione coniectari. Cœnobium nanque, ac Basilicam si spectes, nescias, vtrum splendidiùs alibi Deus, aut Religiosi viri habitent. Domum ipsa loci iniquitas nobiliorem fecit. Nam; quæ surgere à tergo rupes videbatur, erudita ad hortorum amœnitatem, ipso etiam prospectu maris, domesticas, præsignesque delicias concinnauit. Templo autem nihil sumptuosiùs: amplissimum id quidem: fulcitque pendentes arcus nobilis hinc inde Lunensi è marmore columnatio: quæ indè magnificentior, quòd binæ pulcherrima quidem serie, ac specie procurrant columnæ. In reliqua Aede nihil non Pario marmore excultum. Sacellis cultus illustrior, quæ certatim sibi adornarunt Viri nobiles; splendentque ambitiosiùs ab auri, ac peregrini lapidis, gemmarumque pretio. Iam, quod ad eius Ecclesiæ vetustatem pertinet, antiquissimam fuisse, ipsa omninò docet ruina; labotantem siquidem, labentemque æui senio refici à fundamentis oportuit. Meminit illius Gregorius Pontifex Magnus; fueratque iam ante annos circiter quatuor centum à Patriarcha Hierosolymitano cum Genensi Antistite, alijsque Episcopis ritè consecrata; vt quæ in Sancti Syri Cœnobio

Mutata mox rerū facie cōmuni studio celebratur Templum.

Procerum in Palescandalū beneuolētia.

Vt admoueri muneri fescūdùm, & tertiū oportuerit.

Eius animi vigor, ac magnitudo.

Puteus regularis disciplinæ tranquillitatem turbat.

Deriuare alio aquam aggreditur Palescādalus.

Quid deinde acciderit.

Splendidissimū à Ciuiū munificentia Cœnobium.

Et Templum.

Quod antiquissimum.

Diuorū in eo lipsana.

Quæ memorat Baronius. a Die 29. Ian.

publicæ asseruantur tabulæ testantur. Quod autem est in ipsa Ecclesia pretiosissimum, ea est vna cum Sanctorum Felicis, ac Romuli, Genuæ Vrbis Episcoporum lipsanis, æqua Corporis Sancti Syri, Genuensis item Episcopi, ac loci tutelæ, portio; altera parte in Templo Maximo S. Laurentij reposita. Quæ quidem, eorumque inuentionem memorat in Romano Martyrologio Cardinalis a Baronius, ex acceptis videlicet à Marco Palescandalo historiarum monumentis: libetque eius verba recensere; vt tanti Viri honorificum cùm de nostro Instituto, tùm de Palescandali virtute iudicium Lector intelligat. Habet verò sic: [Syri Episcopi. Hunc S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 53. appellat Martyrem, dum agit de eius Ecclesia, quam vetustate collapsam, his diebus Clerici Regulares in augustiorem amplitudinem restituerunt, addideruntque nobile Cœnobium; vbi sicut & alijs præcipuis Italiæ Ciuitatibus, pristinam illam Apostolicam viuendi formam ex integro redditam, sanctè, pièque colunt. Ab eorum Præposito R. D. Marco Palescandalo, Viro singulari eruditione, ac vitæ integritate spectatissimo, de Sancto Syro, & alijs Sanctis, eius Ciuitatis Episcopis, hæc antiquitatum digna monumenta, inde missa percepimus: eademque testata publici Notarij fide, cuius autentica scriptura expressum habetur. [Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio die octaua Ianuarij cùm ab Ogerio Abbate eiusdem Ecclesiæ primarium restitueretur altare, quòd eius mensa lapidea perfracta esset, tres loculi distincti reperti sunt, in quibus Sanctorum Corpora recondita erant. In eorum primo plumbea lamina, quid intus lateret, his descripta litteris significabat. { ✠ M. S. Hic requiescit Corpus Sancti Syri, Episcopi Ianuensis. Obijt tertio Kalen. Iulij, filius Æmiliani.] In secundo autem loculo alia plumbi lamina sic inscripta inuenta est. [✠ M.S. Hic requiescit Sanctus Felix Episcopus Ianuensis, qui vixit annos LXX. Rexit Episcopatum XX. Recessit VII. Idus Iulij. } In tertio autem loculo nulla erat inscriptio, sed vt habent eadem publica acta, Corpus illic positum existimatur esse Sancti Romuli, eiusdem Ciuitatis Episcopi. Accepimus autem ab eodem eiusdem Sancti Syri acta quædam, sed pauca ex his, quæ desiderantur.]

Antonius Agellius emendandis sacris Biblijs adhibetur.

Quod silet nonnemo. b Script. Vit. Card. Bellar.

Hæc de fundato Sancti Syri Cœnobio, dicturi infra Nostratum in Genuenses promerita, prout sese dabit occasio. Nunc ad Antonium Agellium orationem conuertamus; qui Genuensi defunctus præfectura, vti diximus, Romæ à Maximo Pontifice Gregorio admotus hoc anno præclaro operi fuit, nempè sacrorum Bibliorum correctioni. Quod quidem eò hìc libentiùs, ac disertiùs enarrandum, quod scimus, non defuisse b scriptorem, qui cùm eius emendationis mentionem faceret, dissimulato Agellij nomine, integras eas curas, laboresque alteri tribuit. Id quod stomachum omninò fecit Michaeli Ghislerio, Viro ex nostris eruditissimo iuxta, & grauissimo, qui Romæ tunc aderat, studiorum, curarumque Agellij conscius. Quocirca vt eius famam vindicaret, quem nouerat in sacris Scripturis Summorum Pontificum iussu, atque hoc maximè tempore, emaculandis, restituendisque egregiam præ omnibus operam posuisse, eius rei testem, scriptum ad posteritatis documentum concinnauit: in quo haud sua niti memoria tantùmmodò voluit, sed sciscitatum se ab ijs insuper fatetur, qui superstites adhuc confirmare candidè, ac certò verum poterant. Extat hæc Ghislerij lucubratiuncula penes nos; cuius testimonio, ac fide in asserenda doctissimo Viro sua laude vtemur. Itaque cū à Scripto Dei Verbo Orthodoxę religionis instituta, Christianæ Reipublicę pręsidia, humanarum, diuinarumq; rerum cognitio, sacramentorū mysteria, animorum salus, ac virtutum omniū documenta extitĕrit; ea princeps Ecclesię, Romanorumq; Pontificum cura semper fuit, vt suus illi constaret candor, ac puritas; ne siue mali dæmonis inuidia, siue eius administrorum fraude, siue temporis, aut præli vitio corruptum, ac depravatum, præsentissimum inde malū, ac luem pro salutari remedio fideles ebibant. Cauit accuratè huic diuinarum scripturarum nitori sacrosanctum Trid. Conc. ac iuxta eius decreta Pius Pontifex V. ad omnem Christianæ rei laudem egregiè animatus, illarum correctionem est aggressus: cùmq; in eiusmodi sacrorum Bibliorum eruditione, ac litteratura insigni tunc laude floreret Romæ Agellius, linguarum maximè peritia instructus: agi de ijs grauissimæ rei momentis non potuit, quin ipse inter paucos consuleretur, adhibereturque operi.

Sed testatur scripto Ghislerius.

Eximia Pontificū cura in emendando Verbo Dei Scripto.

Pius V. in id operis incumbit.

Igitur, vt testatur ipsemet data ad Latinum Latinium, Viterbiensem, amicissimum caput, epistola, cuius autographum in Romano Sancti Syluestri Domus Tabulario asseruatur, demandatum hoc illi negotium fuit vnà cum viris doctissimis, Mariano Victorio, Episcopo Reatino, Paulino è Dominicana familia, & P. Emanuele Societatis Iesu. Sublatoque è viuis Pio; qui successit Gregorius Tertius decimus, visus in id operis adiecisse vehementiùs animum; habitaque cum Purpuratis Patribus consultatione, commendatum munus fuit Antonio Cardinali Carafæ, Bibliothecario Apostolico, qui sub Pio Quinto hanc etiam prouinciam capessiuerat; vt cui peropportuna ijs vigilijs instrumenta inerant, multiplex eruditio, ac sacrarum litterarum studia, linguarumque, Græcæ præsertim cognitio; ad hæc, ardor quidam, atque indefessus animi vigor. Conquisiti in primis intentiore quidem studio ab eo fuere ab omnibus Europæ, Christianique Orbis partibus, ac bibliothecis cùm vulgatæ, tùm Septuaginta Interpretum editionis antiquiores, atque emendatiores Codices; quorum exemplaria inspersos, excusosque antehac in Sacris Biblijs errores expungerent. Tùm acciti vndique, adsciti que in laboris partem Viri in omni doctrinarum laude celeberrimi, atque in sacris præsertim linguis, rerumque diuinarum studio versatissimi; quorum diligentia, ac studio operosum, atque vtilissimum omninò consilium perduci ad exitum posset. Ex eo numero, quos ipse meminisset, ac agnouisset, fuisse, ait Ghislerius, Lelium, ipsiusmet Carafæ Cardinalis Theologum, ad Narniense postea sacerdotium, ac Infulas euectum; Fuluium Vrsinum, Lateranensis Ecclesiæ Canonicum; Petrum Morinum, Gallum; Doctorem Valuerdium, Hispanum; Robertum Bellarminum Societatis, Franciscum Toletum eiusdem Ordinis, vtrumque in amplissimum Cardinalium Collegium postea adscriptum; & Antonium nostrum Agellium, Episcopum postea Acernensem. Et quidem in ea parte, in quam est primò ingressus hic præstantissimorum capitum Senatus, nempè in correctione versionis Septuaginta Interpretum, præ omnibus desudasse curis suis Agellium, exploratum habet Ghislerius, testis ipse oculatus. Enimuerò incredibili quadam laboris contentione complurium Græcorum codicum textus contulit, ad lectionis nimirùm Hebraicæ fidem, aliarumque vetustissimarum versionum, ipsorumque Septuaginta Interpretum, prout diuersimodè ab antiquis referrentur Patribus, examinatos. Quæ quidem omnia cùm in Conuentibus, qui coram Cardinali Carafa ea super re habebantur, ab eo in medium producerentur, atque accuratè expenderentur; quæ postea retinenda, quæ expungenda lectio esset, tot sapientissimorum hominum iudicijs definiebatur. Quas Agellij vigilias testantur liquidò græci codices duo Septuaginta Interpretum, quos in nostra Quirinali bibliotheca asseruamus. Alter quatuor distinctus tomis, ad cuius margines multiplicem videre est diuersorum textuum interpretationem, prout ille probabat, eius manu, Græcis quidem notis adscriptam. Alter Romanis typis excusus, atque ad antiqua exemplaria emendatus; ad cuius primæ paginæ extremum, hæc leguntur Cardinalis Carafæ, vt putamus, manu: [Ab Antonio Cardinali Carafa Antonio Agellio pro suis laboribus.] Quòd si in ijs versionibus colligendis, quæ adnotatæ post singula capita in correctis Codicibus reperiuntur, Petri Morini studia laborauerint; constat nihilominùs & in ijs non minimùm desudasse Agellium: cuius etiam egregijs curis non exiguam sanè partem tribuendam esse eius Latinæ versionis Septuaginta; quam Flaminius Nobilius, linguarum, rerumque diuinarum consultissimus Sixto Pontifici Quinto subindè obtulit; testimonio Ioannis Baptistæ Bandini, Viri grauissimi, Diui Petri Canonici, affirmamus. Atque hæc de Bibliorum emendatione iuxta versionem Septuaginta, quæ Sixti Quinti Pontificis iussu, atque authoritate Græcè, Latinèque lucem aspexere.

Vtitur Agellij opera.

Hoc ipsum opus vrget elato Pio Gregorius XIII.

Ac præficitur negotio Ant. Card. Carafa.

Qui rem aggreditur, petitis vndique codicibus,

Ac viris celeberrimis.

Inter quos Agellius,

Qui in Græca versione Septuaginta præ omnibus laborant.

Hæc eius studia testantur codices duo,

Partem etiã sibi vendicat in Flaminij Nobilij versione.

In instauranda verò editione, quam propter antiquam eius authoritatem, vsumque vulgatam, siue communem appellamus, & Diuo Hieronymo à plerisque adscribitur, laboratum profectò impensiùs ab eo Cœtu, quem diximus, præcipuè ab Agellio. Enimuerò cùm conferri vetustissimi codices cum Hebraico textu, ac versione Septuaginta, ac singula locorum momenta, atque interpretationes agitari in commune, atque excuti accuratè ad prisca ea exemplaria deberent; exploratum habe-

Præcipuus ice eius labor in repurganda vulgata editione.

Cuius loco alia Biblia iuſ, ſit Sixtus V.

Quibus corrigendis vocatur iterum Agellius. Interruptuſq; hic labor, quo ad perfecerit Clemẽs VIII.

habemus, Agellij in eo labore principes fuiſſe partes, ac curas; ita vt cùm aliorum, tùm eius maximè ingenio, ac vigilijs perducta ad ſummam manum veteris, nouique Teſtamenti emendatio fuerit, ac Sixto Quinto Pontifici à Cardinali Carafa oblata. Huius autem abſolutiſſimæ correctionis publicatio interturbata, atque eius loco excuſa Vaticanis formis alia quædam fuit: quam quidem diuinitùs factum eſt, vt neque promulgari contigerit, elato nimirùm Sixto, qui ſuo marte concinnauerat. Elimanda ſiquidem, ac repurganda intentiore planè ſtudio fuit Gregorij Pontificis eius nominis Quarti decimi iuſſu. In quam curam euocatus, iterum cum pleriſque alijs Viris doctis Agellius fuit, temperante ea ſtudia Cardinali Columna; qui erepto tùm quidem è viuis Carafa, impoſitus à Gregorio grauiſſimo illi muneri fuerat: ſuccedebatque ex ſententia labor; ſed quæ magnorum conſiliorum conditio eſt, ſæpè intercipi; abrupit item eas curas Pontificis fatum. Nempè reſeruata præclari operis gloria Clementi Octauo fuerat: qui complexus egregio planè ardore, ac ſtudio negotium, reſtitui, imprimi, euulgarique vulgatam iuſſit. Et verò quanuis confeciſſe rem penè totam viſus fuerit Franciſcus Cardinalis Toletus, cui vnà cum Cardinalibus Veronenſi, ac Borromæo demandatæ ex Bibliorum curæ tunc fuere: nihilo tamen minùs compertum eſſe, ait Ghiſlerius, vſum Toletum clarorum Virorum, quos diximus, Agellij præſertim laboribus; atque ex ijs ſuas lucubrationes, correctioneſque adornaſſe.

Probãtur hæc Agellij curæ ipſius teſtimonijs.

Porrò hæc Agellij ſtudia, præter Græcum codicem Septuaginta Interpretum cum notis Agellianis, & alterum ab Antonio Cardinali Carafa dono datum, quos modò laudaui; eiuſdemmet Agellij non vno quidem teſtimonio probantur. Etenim in Commentarijs ad primum Cyrilli librum de Adoratione, quem in Latinum tranſtulit; cùm locum capitis decimi noni Geneſeos verſaret, ait [Quem dudum nos in Græcis codicibus veteris Teſtamenti correximus.] In Præfatione item ad Scholia in Hieremiæ Threnos, [Hoc, ait, in Lamentationem Hieremiæ non continuata opera, ſed ſæpiùs interrupta confeceram; cùm in corrigendiſ vulgatæ editionis libris occupatus eſſem. Præterea in epiſtola ad Paulum Pontificem Quintum, quam Commentarijs in Pſalmos præfixit, hæc inquit: [Romæ ætatem omnem in ſacris litteris emendandis, vt Sanctiſſimorum Pontificum iuſſis obtemperarem, exegi.] Hæc ipſe Agellius, qui ſuam fidem mendacio nunquam dehoneſtauerit. Ad hoc, ſunt qui pro eius rei teſtimonio dixere Viri probi, ac docti, Romæ tunc temporis agentes, qui vſurpauere ipſi oculis tùm Agellij cum Antonio Cardinali Carafa congreſſus, tùm ſeceſſus Zagarolam cum Cardinalibus Colmna, & Alano, & ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtro, & Bellarmino: qui poſtremus rem etiam luculenter, ac citra fucum teſtatam voluit Vincentio noſtro Riccardo, Viro pereruditoſ cuius ille opera, cùm eſſet in Purpura, in editione Conciliorum vtebatur. Cùm enim Agellij mentio incidiſſet; faſſus ingenuè eſt, ſe quidem in diuinorum Codicum emendatione Theologum egiſſe; vt ſi quæ ſuborirentur dubia, ad Sacræ Theologiæ ſenſa enodaret: cæterùm quod ad germanam ſcripturarum notionem, fontemque pertinet, Agellium inſtar omnium fuiſſe. Neque diſſimulandus hic Maldonatus, quem conqueſtum ſæpiùs ſcimus, euocatum è Gallia ſe, ab acri nempè cum hæreticis conflictu; quando in nauanda ea Bibliorum correctione abundè eſſet Agellius. Poſtremò laudatiſſimas eius vigilias planè euincunt Acernenſes Inſulæ, quas illi Clemens Pontifex Octauus detulit, vt publica extarent collati ab eo in rem Chriſtianam laboris argumenta. Quanquam qui maiora Epiſcopatu promerita, atque eruditionem putabat; pro inſigni de illo exiſtimatione maiora moliebatur optimus Pontifex; ampliſſimaque illum dignitate coboneſtaſſet; ſi is aulicis ſeſe accommodare pauliſper moribus ſciuiſſet. Sed de his, affectuque Pontificis ſuus erit dicendi locus. Interim hæc adnotaſſe ſatis fuerit, vt ſtet Agellio ſua laus, quam aliorum ſcripta diſſimulant.

Et oculatis teſtibus.

Et Cardinalis Bellarmini dicto.

Et Maldonati.

Et collatæ illi Acernenſes Inſulæ.

Recenſentur eius opera.

Iam verò, quando ſtylus in præſtantiſſimam eius eruditionem, ac ſtudia ingreſſus ſemel eſt, erit profectò pretium, alias item eius vigilias, ſcriptorumque monumenta hic percenſere. Factus nanque ad otia litterarum nunquam non in peruolutandis, conſcribendiſq; libris occupatiſſimus fuit. Ergò præter Bibliorum correctionem, egregiam

egregiam itidem operam collocauit in Psalterij, appellati ad vsum Gallicanum, emendationem; cuius adhuc vsus in Sancti Petri Basilica Vaticana perdurat. Opus perfecit, expoliuitque ad limam vnà cum Mario Alterio, Canonico Vaticano, eiusque Capituli Theologo; Viro clarissimo, ac oppidò erudito; qui ad illum in Quirinali Cœnobio adire, eiusque vrgere, ac iuuare studia solitus erat. Extatque Psalterium hoc Vaticanum, Agellij manu emendatum in nostris Sancti Syluestri Aedibus. Desudauit autem Infulatus iam præclaro quidem, atque vtiliore in rem communem Christianam conatu in œcumenicorum Conciliorum emendatione, iisque è Græco in Latinum transferendis: in quam curam, etsi plerique ex amplissimis, ac sapientissimis Patribus, multique è doctiorum virorum censu incubuerint; Agellio tamen præcipuæ partes delatæ: expleuitque eximia planè cum eruditionis laude, ac plausu. Psalterium ad vsum Gallicanum emendatum. Et Conciliorum œcumenicorum corpus.

Quas verò suo inscriptas nomine, ingenti cum Ecclesiæ, ac posteritatis fructu, luci dedit lucubrationes, & in quibus posthuma nunc immortalitate fruitur Agellius, eæ sunt in Psalmos Dauidicos vniuersos, & Cantica illa, quæ in Romano recitantur Breuiario, commentationes. Opus planè absolutissimum, ac supra omnem inuidiam, ac studium expolitum; quod viuet inter manus, laudesque doctiorum, quoad psalmi ipsi viuent. Cuius quidem lucubrationis pretium non alio commendauerim testimonio, quàm Cardinalis ipsius Bellarmini: quem cùm aliquando Antonius noster Caracciolus, qui hæc narrabat, conuenisset; legentem Agellij psalmos, qui non ita pridem lucem aspexerant, reperit: opportunè quidem, vt doctissimi Viri de præclara ea scriptione iudicium exciperet. Nam dilaudata Bellarminus Scriptoris longè præstantissimi eruditione, stylo, ac linguarum peritia; ad extremum decreuisse se, inquit, Psalmos suos, quos iam absoluerat, nisi aliter suæ Societatis Moderatori, cuius nutibus obtemperabat, placuisset, prælo minimè committere: quando Agelliani ij Commentarij ita omnem sibi vendicarent litteratorum laudem, ac plausum; vt nullus præterea esset aliorum commendationi locus. Huic attexendus Martinus Del-Rio, qui in sacris Adagialibus nunquam Agellij psalmos sine præstanti quodam iudicij, atque eruditionis elogio memorat; vt signatis plerisque locis Franciscus Boluitus in Scriptorum nostrorū Syllexi accuratè adnotauit. [Vnus Ioannes Lorinus ad eximiam illam doctrinæ lucem, qua ipse commodùm fruitur, adlatrat. Nec satis est Viro egregio, non suis interdum opibus nitere, nisi & alienum etiam ingenium inumbret. At detractis Agellio exuuijs, nescio, an triumphet adhuc Lorini infarta ea scriptio, numero quidem, ac mole voluminum grandior. Qua de re eruditorum iudicium esto.] In Psalmos Dauidicos Commentarij. Cardinalis Bellarmini de Agellianis psalmis iudicium. Et Martini Del-Rio laudes. Notatur Lorinus.

Nunc ad reliqua Agellij opera pertranseo. Habentur Cyrilli Alexandrini de Adoratione in spiritu, & veritate, eiusdemque libri contra Nestorium, ac duarum epistolarum ad Successum Episcopum, & libri Procli ad Armenos, è Græco in Latinum ab eius calamo translationes. Versio item Catenæ Græcorum Patrum in Hieremiæ Threnos, quos & scholijs illustrauit. Proprij præterea Commentarij in Vaticinia Abacuch prophetæ. Excidere autem versio Catenæ Græcæ in totum Lucæ Euangelium, & Collatio elocutionum noui cùm vetere Instrumento iuxta versionem Septuaginta: & quod maximè dolendum, in Prouerbia Salomonis vigiliæ, quas vidisse se ad vmbilicum perductas, testatur Ghislerius: ac iustè conqueritur, ex integro quidem corpore, contextuque operis vix pauca quædam fragmenta, siue officula reperta in eius scrinijs fuisse, quæ penes Vincentium nostrum Riccardum modò sunt. Ablatos nimirum præclaros eo labores post Autoris obitum, nemo est, qui dubitet; vsitato profectò mortalium more, maximè cupientium alienis opibus ac pompa splendescere. Cyrilli Alexandrini, & Procli versiones. Et Catenæ Græcæ cū notis ad Threnos. Lucubrationes in Abacuch. Quæ eius scripta exciderē.

Extant quoque Romæ hæc eius MM. SS. Opusculum de mensuris, & ponderibus. In Isaiam prophetam à capite vigesimo ad finem. In Danielem expositio. In duodecim Prophetas annotationes. In Epistolas Pauli, & Catholicas annotationes Græcæ, & Latinæ. In tria priora capita Apocalypsis. Selecta ex Rabbinorum commentarijs in Iob. Rabbi Branatellus in Abacuch Latinè. Scholia in Dionysium Quæ Romæ extant eius MM. SS.

Areopagitam Græcè I. Phraseologia Demosthenis, & Nazianzeni Græcè. Denique nihil librorum est, quod non percurrerit Agellius, nihil non scripsit, vt potè cuius nunquam feriatus calamus est, assiduus quidem in legendo, adnotando, commentando; vt præterea, quæ enumerauimus, docent exaratæ in omni doctrinarum genere sua manu schedulæ, ac paginæ, quæ allatæ ab eius excessu in nostrum Quirinale Cœnobium fuere. Extant penes nos earum census, in quo confecta diligentissimè aduersaria, schediasmata, collectanea, miscellæ, farragnes: tùm ad res difficillimas faculæ, ac notæ. Cœptæ, abruptæque lucubrationes quàm plurimæ; quædam non vltra initium explanata; quædam ducto à medijs initio delibata: nihil in sacris scripturis intentatum; nihil non à Græcis, Latinisque Patribus excerptum: nullæ non adnotatæ principum linguarum dictiones, notiones, phrases. Theologica, Philosophica, Mathematica etiam opportunissimum in vsum concinnata. Dispar profectò, ac multiplex membrorum congeries; quæ vtinam coalescere in vnum corpus potuissent: haberent profectò ingenia quid à Viro eruditissimo adhuc discerent. Atque hæc de Episcopi Acernensis litteris commemorasse fuerit satis: opportunè quidem; quòd hoc potissimùm anno, in quo nostra scriptione versamur, desudasse Gregorij Pontificis iussu in sacrorum Bibliorum correctione cœperit.

Eius in omni doctrinarum genere monumenta.

Occurrunt modò, qui Religionis votis hoc anno initiati, adauxere excellenti virtute Ordinem. Inter primos fuit Paulus Tolosa, Pauli Tolosæ posthumus, ac visus profectò non alium nouisse Patrem, nisi Deum: eximia quidem in illum pietate, quæ princeps in eo virtus; vnà cum illibata morum, vitæque innocentia. Floruit præsertim publicæ, sacræque eloquentiæ fama, vt illum cum Marcello fratre, quem supra memorauimus, in eadem facultate præstantissimum, aliquandò admiratus Franciscus Panicarola, vtrumque, Boanerges, hoc est, tonitrui filios appellauerit. Quod clarissimi Viri encomium suspensæ ab eorum facundia probauere passim eruditæ, piæque per Italiam aures. Certè dissidium excitare germani fratres inter hominum iudicia videbantur, cui nempè dictionis palmam tribuerent. Marcello vis quædam ardens, ac neruus inerat, vt misceret theatrum, concionemque vehementissima oratione. Paulus vnà cum ineluctabili efficacia, incredibilem gestu, vultu, totoque corporis habitu gratiam, venustatemque præseferebat: ac fulminis quidem ille ignem, ac impetum; splendorem hic sibi vsurpauit: vterque magno cum animorum assensu, motuque sæpissimè lacrymis perorabat. Paulo præter honestissimam famam, Infulas, honoresque etiam sua peperit eloquentia, vt enarrabimus. Infulis item posteà honestati suscepere solennia hoc anno vota Gregorius de Sanctis Neapolitanus, & Philippus Bilis Eugubinus. Ille Salaminus primùm, tùm ad Belcastri Sacerdotium translatus; hic Caliensis Episcopus: sacris vterque litteris non mediocriter instructus; insigni præsertim pietate, ac disciplina morum clari, quibus Tiaram, atque Episcopale munus condecorauere. Dedere item nomen Marcellinus Santagatha, Genuensis, summa cum ingenij laude non minus in humanioribus studijs, quàm in diuinæ, naturalisque Philosophiæ spatijs versatus; & Iustinus Barnaba, seuerioris Vir indolis, ac vitæ; priuata quidem facundia singularis, vt in tractandis, erudiendisque ad pietatem mortalibus valere diuina quadam vi dicendi videretur.

Dat se Religioni Paulus Tolosa.

Eius cum Marcello fratre comparatio.

Gregorius de Sanctis. Philippus Bilis.

Marcellinus Santagatha.

Iustinus Barnaba.

Sequitur par hominum seculari prudentia, graduque spectabilium, quos & natalium lux, & munerum, rerumque publicarum administratio, & seculi fuga, initumque eodem anno Religionis consilium, & ætas grandior, & secuta statim, eodemque tempore mors pares, aut similes omninò fecit. Fuere hi Christophorus Magnus, Mediolanensis, & Iacobus Surianus Patricius Venetus; de quibus, quòd altero à solenni professione anno è viuis excessere, breuiter hic dicendum, ac primùm de Christophoro Magno. Is genere clarissimus, ciuilique litteratura, atque in rebus peragendis solertia cum paucis nobilis, Ticinensem Præfecturam administrauerat, honestatus item alijs ab Catholico Rege prouincijs; ac demùm Aduocati, vt aiunt, fiscalis appellationem consecutus Mediolanensi in ciuitate fuerat. Honorificentissima ea quidem toga, ac munus; vt quod Regij patrimonij, causarumque

Christophorus Magnus. Iacobus Surianus.

Magni genus litteræ, munera.

rumque capitalium negotia moderatur. Dum igitur dignitate, famaque apud suos floreret, velificaretque secundissimè honoribus, ac commodis, reflante diuino spiritu, sistere institutum cursum oportuit. Enimuerò iniecta repentè diuinitùs mens alia ita hominem affecit, vt sorderit statim toga, authoritas, nomen, ac omnis honorum illecebra. *Collustratus superiore lumine.* Humana quidem omnia nihil habere præter imaginem, quæ mortales ludat; neq; ea omninò esse, quæ Deum, veramque animæ felicitatem concilient; sed quæ distrahant, ac diuellant à complexu, vsuque virtutum, cogitauit. Quare subducta ratione, commutandam vitam duxit, ac subducere sese mundo, eiusque insidijs statuit, antequam altiùs prouectum, luctari periculosiùs contingeret. Religiosæ cuidam disciplinæ dare nomen optimum factu iudicabat; sed cui se potissimùm addiceret, deliberare sine Caroli Card. Borromæi ductu, instinctuq; noluit. *Remittere mundo nuntium statuit.* Pendebat ab eius nutu Magnus, vt cuius eximiam cùm iudicij vim, tùm vitę sanctimoniam nouerat. Ergò probata ab illo etiam atq; etiam præclara Viri generositas, & consilium fuit; agnouit nempè, vt difficillimum omninò est, inter fortunæ arridentis, ac vulgi studia, triomphare ambitionem, gustumque glorię; ita egregium Christophori propositum non esse nisi à Numine. *Borromæum consulit.* Opes nanque, ac tituli malis plerunque artibus habentur; relinqui sine Deo, impulsuque virtutis nunquam possunt. De eligenda autem Sodalitate cùm consuleretur Borromæus; nostram statim disciplinam obiecit, commendauitque à tacito quodam vitæ cultu, insigni cum proximorum studio coniuncto; quam ille cùm tanti Viri testimonio, atque approbatione, tùm suamet opinione, genioque impensiùs probauit. *Qui nostrum illi Institutũ proponit.* Illud autem statim Borromæus tuendæ bonæ menti addidit; vt quando distrahere ab incœptis Patria, consanguinei, amicorumque officia poterant; solum patrium, popularesque suos relinqueret; ijs vsus verbis: Egredere de terra tua, & de cognatione tua. *Suadetque Patria cedere.* Re cum nostris transacta, missus Romam Christophorus, vt in Quirinali Domo tyrocinium poneret. *Romam concedit.* Neque verò facilè sibi quisque persuaserit, vt confestim vnà cum dignitate, ac munere forenses etiam, inductosque vsu mores, ac vultus exuerit. Ingenti quidem Nostratibus admirationi erat, ea olim authoritate, ac clientela virum tàm studiosè paupertatem, modestiam, ac cæteram disciplinam colere. *Tyrocinium cũ omni virtutum laude auspicatur.* Mediolanenses, qui Romæ tunc aderant, Antistites, ac proceres, quem in amplissimo Magistratu viderant; addictum tunc seuerioribus ijs vitæ rationibus intueri sine virtutis commendatione, ac reuerentia minùs poterant: inuisitque illum persæpè Franciscus Cardinalis Alciatus, admiratus egregium popularis sui institutum; eoque exemplo morum affici mirificè sentiebat. Planè non exiguo fuisset ornamento Ordini Magnus, abdicata præfectura maior, si diutiùs vixisset. Visa profectò affulgere Sodalitati quædam splendidior, at breuis lux. Siquidem suscepta vix ritè ab eo fuere Religionis vota, cùm lento correptus morbo, diffluere tabe cœpit: *Sed correptus tabe,* elusaque medicorum arte, id ceptum consilij, quod est in istiusmodi mali contumacia præsentissimum; nempè vt mutaret cælum. Romà moderatorum iussu Neapolim petijt; indè Herculanum, cuius Oppidi salutaris omninò tabidis aër iam indè à Galeni temporibus habebatur; *Neapolim, mox Herculanum petit.* & Galenus ipse in ea medicinæ arte summus, curandæ tabi ad hanc aëris clementioris salubritatem amandare Roma ægros suos consueuerat. Hic expertus quidem Hostiliani Principum beneuolentiam, qui eius loci Domini, inibi tunc temporis morabantur. *Hostiliani Principum beneuolentiã expertus,* Viri siquidem sanctimoniam, ac innocentiam vt non seriùs agnoscere; ita & iuuare illum singulari munificentia, & eius vti consuetudine cœperunt, pijsque sermonibus oblectari. Quæ verò complexa incredibili reuerentia, affectuque Christophorum est, Isabella Gonzaga, Piscariæ Marchionissa, Ferdinandi Francisci Aualos, ac Aragonij ornatissima Coniux, fuit. *Et Isabellæ Gonzaghæ.* De vultu, famaque prudentiæ norat illum Mediolani, cùm Insubriæ Vir eius supremo imperio moderabatur: mutatoque ea cum pietatis laude habitu, ac homine, mirum quanta illum prosequi obseruantia cœpit. Interuisendum suo nomine quotidie curabat; salutis eius oppidò solicita, vt nulli parceret officio, ac beneficentiæ. Atenim quando commutandi cum Cælo terras instabat tempus; non illa soli, Cælique mutatio altiùs

affecto

affecto iuuit: morbusque inualescens monuit supremæ horæ, satique aduentantis. Expectata diù pijssimo Viro mors venit; ac visus eo nuntio vultum exhilarasse, ceu festinandum illi esset in sinum felicitatis. Nullum non exemplum, specimenque pietatis dedit; ac vitam, quam breui absoluit, pulcherrimo quidem exitu, ac compendio quodam virtutum omnium compensauit, exornauitque. Tolerantiam in primis suam probauit, acerbissimis, quibus diuexabatur, cruciamentis maior. Diuino se, iustoque iudicio vehementiores eos dolores pati, aiebat; quòd in torquendis reis olim seuerior, commiserationem minus exercuerat. Ergò acriore eo morbo absumptus, insigni cum patientiæ documento Neapoli spiritum posuit in Cœnobio Diui Pauli, die vigesima mensis Iulij; abstersitque Patrum mœstitiam certa spes vitæ melioris.

Morti propior.

Virtutũ omnium, tolerãtiæ præsertim specimen dedit.

Ac piè moritur.

Alter qui hoc anno Religioni se dedit, ereptus item sequenti anno, vt meminimus, fuit Iacobus Surianus è Patricio Venetorum Ordine, qui maiorum famam non minimùm adauxit sua indole: functisque publicis pro Republica muneribus, Senatoriam dignitatem, ac Infulam grauissimi mores, ac vis quædam singularis prudentiæ contulerant. Legationes cùm ad Romanum Pontificem, tùm ad Gallorum Regem egregiè obiuerat: momenta rerum maximarum suæ fidei commendata cum laude explicauerat: Equestri item appellatione honestatus; vt nihil iam desideraris in summo Viro ad honestamentum, ac decus nominis posset. Inter hæc, superior quædam lux erudire, ac monere vtiliùs Virum cœpit: Esse nempè adhuc subliniora, quæ sectaretur; ac ipsamet dignitatum, ac titulorum ornamenta, quæ adeptus iam fuerat, posse quidem reddi spledidiora, atque omninò magna, si sperneret. Ergò intentis ijs allocutionibus aures, animumque facilè dedit Surianus. Æternotum agitare conditionem cœpit: mortalia quò celsiora, eò casui, ruinæque proniora; nihilque in illis solidi, vt quæ nostra fragilitate niterentur. Quapropter qui tanta cum animi contentione, ac fama solertiæ operam Reipublicæ nauauerat, præclariùs se factutum existimauit, si eidem se, ac honoribus subduceret; dicaretque Deo, ac humilitati reliquam vitam. Complecti nostrum institutum voluit; exceptusque à Patribus est ingenti cum omnium Ordinum admiratione, ac laude. Quo studio, ac diligentia publica olim negotia pertractauerat, arripere diuina visus est; ceu resarcire dispendia temporis, exactique inter mundi curas æui intentiore quadam sui disciplina vellet. In instituti, ac morum cultu, in orationis studio, domesticis in officijs obeundis præire ipse cæteris: vt non ponere regularis vitæ rudimenta, sed maturam, prouectamque iam attulisse virtutem Ordini diceres. Admirabilis autem in eo maximè erat humilitas. Etenim, vt esset grandi natu, & genere, ipsaque oris dignitate spectabilis; non ab ijs tamen abhorrebat vilioribus operibus, atque exercitationibus, quas obire domi, siue in Æde sacra iuniores Clerici solent. Et accurrebant è præcipua nobilitate, atque è vulgo viri ad Tolentinatem Ecclesiam eo operæ fructu, vt cernerent Virum Senatorium, tot persunctum legationibus, ac tot Principum amicitijs clarum, purgantem, adornantemque Aras; lychnos concinnantem, vertentem pauimenta, atque istiusmodi ministeria insità quadam grauitate; animique demissione peragentem. At institum hoc strenuè iter citiùs profectò absoluit Vir religiosissimus. Statim nanque ab emissa solenni professione, hoc est, Maio mense insequentis anni, vitam cum morte commutauit. Testatusque abundè est insignem eius virtutem tùm Nostratum luctus, tùm commune Venetæ Vrbis, Senatusque desiderium. Omnium verò persuasio, ac sensus is fuit, adeptum immortalitatem, gloriamque Surianum, agnouisse illicò, quanto cum fœnore abdicati, spretique magistratus prouenirent.

Iacobus Surianus functis Reip. muneribus clarus.

Superna voce monitus.

Nostram disciplinam complectitur.

Insigni cum exercitatione virtutum

Modestiæ præsertim.

Qua obiecta quæque munia obibat.

Ex cessitque è viuis communi luctu.

Adiungimus his tertium laici quidem Ordinis, at spectatæ pietatis Fratrem, qui simul & nostro Ordini, & Cælo nomen dedit; statim nempè à nuncupatis votis vita functus, præmatura morte. Fuit is Achilles Neapolitanus, qui Romam superiore anno ea æternæ Vrbis sanctitate prouocatus, hanc ibi diuiniùs mentem hausit, vt remisso rebus humanis nuntio, seculi fugam adornaret. Subdiditque hanc illi potis-

Achilles Neapolitanus Philippi Nerij monitu.

simum

simum facem Philippus Nerius, qui Romæ tunc florebat sanctimoniæ fama, veræ virtutis eximius cultor, & censor: cuiusque in primis ea erat cura, vt quorum præclaram indolem, factosque ad regularem disciplinam mores agnosceret; illos acriore quadam vi ad eiusmodi vitæ rationes capessendas incitaret. Quodnam verò à regularibus Institutis probare maximè videbatur, noster Ordo erat: ad quem amandare plerosque consueuerat. Ergò Achillem, eiusque pronam pietati mentem conspicatus; commutandum illi vitæ genus indixit, atque ad Theatinam potissimùm disciplinam aggregandum. Quod ille executus illicò est; atque à Romanis Patribus Neapolim missus, exceptusque in Paulina domo, audire Maurus cœpit. Id inter cęteras virtutes in eo pręcipuum, ac planè admirandum; assidua quędam ęternorum contemplatio: vt cùm pro suo statu spargi in externa domus officia, vitamque actuosam oporteret; nunquam à Deo, ac cœlestium commentatione deflecteret. Atque hęc quidem illi festinatę nimium mortis causa. Enimuerò affixa constantissimè meditationi mente, cùm corpori, eiusque officijs minus vacaret animus; pallescere statim vultus, ac prolabi vires occœpere. Exhaurit nanque cùm à vultu colorem omnem, tùm ab ossibus medullam, ac succum intenta nimis commentatio. Magister, quòd ab ea contemplationis contentione grauiorem illi morbum, ac tabem metueret; temperare prudentia indolem, atque impetum tunc animi, effusasque adducere habenas studuit; iussitque, modum orationi poneret, mentemque abalienatam ad externa reuocaret. Obsequentissimus licet Maurus, imperare sibi nihilominùs sobrietatem in commentando non potuit: trahit sua quemque vel nolentem vehementior voluptas: & vt vitium, ita virtus animo dominatur, vbi vsus in naturam concesserit. Igitur vbi non remissa contemplationis consuetudo, intendi malum oportuit: ac breui è viuis excessit: quod mense Ianuario accidit in Epiphanię feria, ac ipsa Dominici diei nocte; quo tempore cùm instare mortem diuinitùs intelligeret, expiare quàm breuissimè conscientiam voluit, refectus manè sacro Christi Corpore. Tùm è laicis nostris fratrem, eius custodię destinatum, Virum cùm paucis pium, nomine Iosephum Montanarium, precatus enixè est, vt quando propiùs abesse extremam horam persentisceret; iret ipse, ac consalutata Deiparę imagine, quę domestico in sacello erat, propitiaret sibi magnam Matrem. Fusa oratione Ioseph dum reuertitur, expirasse Maurum reperit. Visusque profectò est dormienti, quàm extincto similior; ea quidem oris serenitate, perinde ac si in complexu Deiparę animam efflauisset. Notat hìc [a] Castaldus eruditè, eodem mortis genere extinctum Sanctum Leobardum inclusum, amandato nempè à se socio paulò antequam è vita migraret: atque adeò quod de illo Gregorius Turonensis piè dixit, aptari perbellè Mauro posse: [Vnde, inquit, factum est manifestum, eum ab Angelis susceptum, qui homines adesse noluit suum ad transitum.] Hæc de Mauri virtute, ac exitu.

Nostrum Ordinem capessit.

Vocaturque Maurus.

Affixus plus nimio cœlestium contemplationi, Morbum concipit.

Ex quo moritur.

Misso priùs socio Deiparam suo nomine consalutatum.

[a] In Monum. Vir. Illust. Cl. Regul.

Quod accidit D. Leobardo.

Quod verò Iosephum Montanarium, qui sub hoc ipsum tempus professionem emisit, meminimus; eius profectò haud dissimulanda vocatio est, quæ non sine graui quodam Cœli monitu, instinctuque Numinis fuit. Amissa is vxore, quacum diù vixerat; cum inter duos filios, quos ab illa susceperat, amabatq; vnicè, quadam nocte cubaret; repentino quodam turbine, ac tonitru excitatus, ardere, ac serpere propè se fulmen videt; ac dicto citiùs, hinc vnum, mox indè alterum peti, atque absumi ab cœlesti eo igne filium, se quidem intacto. Hominem fulgur simul, ac peracerbus filiorum casus perculit, consternauitque; ac postquam restitutus suæ menti est, altius quid adstrepere auribus, ac animo sensit, lucemque oboriri sibi ab eo fulmine. Reputare siquidem secum ipse cœpit. Dei vocem procul dubio illam fuisse; ideoque seruatum se incolumen propiore filiorum interitu, vt vitam institueret sanctiorem. Nec mora: compositis domesticis vtcunque reculis, Neapolim ea mente concessit, vt Religiosam familiam deligeret, cui reliquam ætatem dedicaret: expensisque Ordinum institutis, inscribi in nostros homines summis precibus postulauit. Perspecta Viri constantia, etsi maturior quidem æui videretur, admissus à Nostratibus fuit. Et verò huic Dei beneficio egregiè respondit. Fuit illi in viridi, crudaque senecta

Ioseph Montanarius.

Casu fulminis ad Religionis frugem vocatus.

A Neapolitanis Patribus exceptus.

necta

Virtutum omnium exercitio spectatus fuit.

necta iuuenile in obeundis laboribus robur; atque in capessenda potissimùm seueriore virtute incredibilis quidam animi vigor, ac ardor; disciplinæ ser uantissimus; humilitatis, ac patientiæ apprimè studiosus; erga maiores obedientia nihil promptius; caritate in fratres nihil actuosius. Planè documento esse poterat, quantum interdum virtutis, ac cælestium munerum abiectæ, humilique conditioni impertiat Deus; apud quem æquales cùm sint mortales omnes, pulchriùs persæpè expolit rudiores. Porrò vitæ innocentiæ par exitus fuit; clausitque supremum diem anno huius seculi tertio supra nonagesimum, grauis senio, ac meritis, communique persuasione vitæ melioris.

Romæ Capitulum generale. Anno 1576.

Monet nunc temporum series rei communis nostræ Congregationis. Celebrata anno sexto, & septuagesimo voluentis seculi Romæ Comitia fuere. Latæque leges opportunissimæ. Præcipuè quod est Religionis Ordinibus amplificandis, tuendæque eorum disciplinæ perneceßarium, ac sæpius in commune agitauere nostri homines; de exacta spiritus, morumque disquisitione, antequam in familiam quisque adscriberetur, cautum est. Ad hæc, qui admissus semel constantiam non retinuit, is iterum ne recipiatur, scitum communi consensione est. Docet nanque magistra rerum experientia, ac ipsamet alterna arrepti, desertique instituti pœnitentia, naturalem quandam animi leuitatem eiusmodi desertoribus inesse; vt tarò ad solidam frugem, constantemque virtutem euadant. Decretum prætereà, vt quem cuiuspiam Domus Patres repulerint, is ne ab alia domo reciperetur: expedit nanque, vt quando vna, eademque omnium domorum disciplina est; vnanimi item sententia quid probent, aut improbent; cytharas imitantes, quæ sibi inuicem oppositæ, mirificè inter sese conueniunt; eodemque concentu, ac numeris adsonat altera alteri. Demum cùm nostri Instituti mos esset, vel ab ipso nascentis Ordinis initio à Maioribus inductus, vt qui admissi ad Sodalitatem fuerint, quadrimestri ante annum probationis vt hospites haberentur, constitutum nunc est, vt per id tempus alio à tyronibus habitu vtantur; nempè vt meminerint eo vestium discrimine, nondum aggregatos se ad familiam, sed contemplandis nostræ vitæ rationibus id tempus dari. Quod enimuerò rei grauitati, ac dignitati apprimè est consentaneum; vt non temerè, ac impetu, sed gradu quodam, ac mora de vitæ genere consulatur. Deliberare siquidem maturiùs, ac peculiari experimento quis debet, an Religiosi instituti tyrocinium deponat, austeriore mox disciplina informandus, ac facturus integrum annum cùm sui, tùm Ordinis periculum. Hæc benè, ac sapienter in Comitijs Patres.

De Nouitiorū receptione statuuntur plura.

Pestilentia Italiam inuadit.

Porrò hoc anno communis calamitas nostrum etiam Ordinem innoluit. Atrox nanque lues Italiam peruasit; afflixitque ea internecione, vt nullis retrò ætatibus plures simul mortales strauerit crudelior pestilentia. De initio, ac causa, vt in eiusmodi contagione plerunque accidit, dubitatum. Quidam adscripsere astris malum, infenso tùm maximè Italiæ cœlo, malignitate quadam syderum. Aduectum ab Oriente vnà cùm salutaribus, pretiosisque mercibus morbum, plerique sensere. Ea nihilominus persuasio, & constans fama apud omnes fuit, aduentantium ad Iubilæi celebritatem exterorum frequentiam tantam creasse perniciem; exeunte superiore anno; quæ cùm resedisse per hyemem visa fuerit, tepente mox vere excitata; ac tandem acrioribus veluti stimulis vrgente æstatis sydere irritata, ad Italiæ solitudinem, supremamque cladem efferbuit. Vulneri patuit primò id Venetæ Ditionis latus, quod propius Germaniæ est. Patauium præcipuè simul afflatum, simul absumptum funestissimo eo morbo videri potuit. Summos; infimos sors eadem exæquabat, lusa medicorum arte; extinctisque integris penè vicinijs, sufficere iam frequentissimo funeri viuentium pietas, ac studia minus poterant; vt Patauinæ luis scriptor, Alexander Canobius fusè narrat. Haud quidem segnis nostrum hominum in eo rerum discrimine virtus fuit. Quo acriùs ardere pestilens malum conspexere; eò ipsi generosiùs vouere pro communi salute caput suum visi sunt. Egregiam domi; forisque operam nauare; diuinis, humanisque subsidijs iuuare decumbentes; morientibus adesse; vt breui dum ardentiùs in id ope-

Eius causa incerta.

Vulgò exterorū accursus ad annum secularem factum.

Patauium impetit

Multiplici strage mortalium.

Nostri caritati operantur,

rum

rum incumbunt; inducta in Cœnobium communis ea lues, penè omnes fanciauerit. Planè cùm exiguus esset eorum numerus, ac pars maior pestilentia laboraret; illa erat anxior omnium cura, ac mœror mutuo sese præsidio destitui, nec posse alterum in alterius opem laborem, viresque impendere. Allata vix Patrum calamitas Venetias Hieremiæ Isachino fuit, qui Venetæ domus Præpositus, rem etiam Parauinam administrabat, cùm exulcerari vehementiùs caritatis stimulis sensit. Venetias nondum pestis inuaserat, proindèq extra aleam, securusque morbi, spectare velut in theatro luctantes grauiter suos, nefas putabat. Ipsa animi generositas partem sibi periculi, gloriæque deposcebat. Vrgebat verò maximoperè obligatio, & caritas, qua adstringi se dicebat, vt commendaris suę fidei fratribus præsentem, si quam posset, opem afferret. Ergò obnitentibus Venetis Patribus, qui certo sese exitio exponi Isachinum intelligebant, Patauium inuolauit Vir ardentissimus. Miserandum planè eius oculis spectaculum sese obiecit: affixi nanque lecto pletique Patrum supremis malis laborabant. Ipse, quippè cui post caritatem incolumitas erat; contempta sui cura, inseruire peramanter: ac sedulò ijs cœpit potiones sua manu propinare, apparare, ac inferre cibos, nocturnas agere vigilias adhortari ad tolerantiam; ac postquam conclamata salus fuit; cælestia illis adiumenta conferre, ac procurare sacris incredibili sanè pietate, zeloque studuit. Septem ex eo sodalium numero oppetere piè mortem tùm contigit, quorum corpora, effossa ipse humo pio funere cohonestauit. At enim præclaro operi secuta statim merces: quippè post nauatam egregiam hanc fraternæ pietati operam, eadem se peste contactum sensit. Familia cùm partim deposita iam esset, partim ab ea lue decumberet; vnus quidam è Laicis Fratribus reliquus erat, Felicianus nomine, Mutinensis, Vir planè integerrimus, ac sanctimoniæ laude inter paucos spectatus, diuina quidem Numinis prouidentia superstes ac integer; vt esset, qui manus, opemque Isachino commodaret eadem animi constantia, qua ille aliorum saluti, mortique excubauerat. Et sanè nulli officio Felicianus defuit; interdiù, noctùque hærere amantissimo Patri videbatur: suprema potissimum sacramenta, quibus ille ardentissimè expiari, munirique postulauit, vt in tempore afferrentur, curauit. Porrò, in eo rerum articulo optimo Viro id præcipuè indulsit Deus, vt quod in hoc mortis genere perrarum, sui compos ad extremum vsque spiritum esset. Ergò cùm imminere exitum intelligeret, componi strenuè, mortemque singulari quadam vultus, animique firmitate complecti visus est. Librum Feliciano tradidit, vt nouissima verba, atque adhortamenta morienti sibi ritè pronunciaret. Ille, vt legere, vt manare vberrimis lacrymis cœpit, exulcerato doloris acerbitate affectu. Quod vbi aduertit Hieremias: Hem, inquit, nimiam animi tui commiserationem, ac indulgentiam; cedò librum: & vna quidem manu sacrum ipsum codicem tenens, altera verò pendentis è Cruce Redemptoris signum; legendo, affixumque Numen identidem alloquendo, non tam opperiri mortem, quàm gradum corripere ab beatam vitam videbatur. Atque hoc quidem corporis habitu, hoc inrrepidæ, piæque mentis affectu ad ea verba: In manus tuas commendo spiritum meum; spiritum efflauit. Et cùm Nostrates, ac Venetos in primis Patres, qui iacturam animo prædiuinauerant, incredibili quodam mœrore perculerit ea mors; tùm Vrbem ipsam Venetias, proceres, ciues visa peracerbo quodam vulnere consternasse: quippè insigni illum veneratione, ceu sanctissimum Virum prosequebantur, colebantque veluti communem Patrem, vti aliàs significauimus. Quo in luctu excitatæ magis, magisque Hieremiæ laudes, mirum quàm secunda admurmuratione per vulgi, ac Ordinis ora ferebantur; communisque ea erat omnium persuasio, non sine martyrij laurea flagrantissimum Patrem occubuisse, qui vt filiorum saluti consuleret, vltrò sese grassantis pestilentiæ furori obiecit; cuiusmodi sanè caritas perindè, ac fides martyres, non quidem vocabulo tenùs, sed reipsa consecrat: quæ est grauissimorum hominum sententia, & nos alibi breuiter adnotabimus.

Concipiunt luctu.

Isachinus eò Venetijs inuolat iuuandis fratribus,

Quorum septem morbo exhausti,

Post quos decumbit Isachinus,

Cui Felicianus Mutinensis adest,

Qui cum inter legendum lugeret,

Isachinus, accepto ipse libro, & Cruce seque ipsum adhortando,

Spiritum piè posuit,

Cum Nostratum, & Venetorum Procerum luctu,

Qui martyrij laudem illi tribuunt.

Isachini studia, & linguarum peritia. *Et efficax eloquentia.* *Quo apparatu concionaretur.*

Porrò de Hieremia Isachino sparsim plura, non tamen omnia, in hoc opere diximus; neque verò par est, reliquam eius indolem silentio præterire. Ingenio, ac litterarum studijs, non sine linguarum, Græcæ præsertim additamento, apprimè instructus. Non is tamen erat, qui doctrinam, ac linguas ambitiosiùs ostentaret. Quocirca, vti supra monuimus, facundia illi in concionando, non quæ altiùs erudiret, sed quæ propiore quodam telo medullas ipsas mortalium peteret, robusta omninò, ac simplex. Quo quidem concionandi munere ritu quodam Apostolico, nulloque apparatu fungebatur. Solus, vitreum dumtaxat horarium manu gestans, in pulpitum se inferebat; solus recedebat: abstersoque vix sudore, qui ab orationis contentione, æstuque copiosiùs promanabat; communes labores, chorumque repetebat; nec vnquam diurnæ, nocturnæque psalmodiæ pensum visa hæc dicendi ad populum assiduitas abrupisse.

Sacra monumenta de genu legit. *Ab abstinentia ossa, & pellis vix supererant.* *Somni parcissimus.* *Nocturnis horis vacat precibus.*

Sacras litteras, sanctorumque Patrum monumenta nonnisi de genu peruolutabat; vt perhumili eo corporis, mentisque habitu proniore quadam diuinæ sapientiæ affusione ingenium foecundaret. Frangere motus animi asperiore quidem vitæ cultu impensiùs consueuerat. Abstinentiam in primis coluit; adeò vt ab assiduis ieiunijs, quod de Basilio Magno legimus, quem ipse peculiari obseruantia prosequebatur, vix ossa, ac pellis defecto corpori supererant. Circumscriptæ huic victus rationi, ac parsimoniæ vigilias addebat. Non sat Viro vigilantissimo canendis antelucanis precibus cum alijs assurgere; anteuertere statam horam, detractumque necessariæ somni mensuræ voluit: quo quidem tempore aut sacræ lectioni vacabat; aut rerum diuinarum commentationi, ac orationi, quæ nunquam profectò eloquentior, quàm in eo noctis conticinio: & audiebatur persæpè, aut leuia identidem suspiria ducere, aut submurmurare quid secum tacitè. Inerat autem eius precibus sua vis, ac efficacia; vt fusæ non sine aliorum vtilitate, ac fructu sæpè fuerint. Documento hæc erunt, quę mirum planè est, non excidisse in tàm alto, ac seueriore Nostratum, rerumque nostrarum silentio [a].

Quę efficaces cum Solario. *a Valer. Paganus in Commentar. M.S.*

Ioannes Baptista Solarius nostri Ordinis sacerdos exin iè pius, pleuritide periculosè laborabat, vt desperaret penè saluti medicorum studium. Ægrotum ab oratione conuenit Isachinus, solatusq; opportunè est: tùm interrogauit, quam maximè corporis partem doloris vehementia discruciaret. Ostendit ilicò Solarius: at ille efformato inibi salutari Crucis signo, vt suauissimum Iesu nomen pronunciaret, iussit: quo dolor mox, morbusque euanuit.

b Castaldus in Quinq. in eius vita. *Et cum quodam è nostris Clericis.* *In ægrotantes caritas.* *Morum suauitas.*

Alterum, quod eius efficacitatem orationis probauit, id fuit [b]. Vexabatur Clericus quidam itidem ex Nostris dolore capitis peracuto; læseratque ipsum oculorum lumen acerrima mali vis. Adijt ad illum Hieremias; affectumque caput vbi inter orandum complexus manu est, ceu præsentissimum remedium admouisset, dolorem prohibuit. Ac in ægrotos præcipua illi caritas fuit; anxiùs inuisere, solarique consueuerat; aderatque sua etiam ope, ac manu. In reliquam familiam, cùm communi rei præerat, singulari quadam humanitate, ac modestia vtebatur; vt ipsamet imperandi ratio facillimum redderet, quod imperabat.

Laudabilior in eo, quòd natura austeris. *Nunquam risit.* *Aut vix semel.*

Quæ sanè morum commoditas, ac suauitas eò laudabilior in illo erat; quòd ad seueritatem sua sponte, grauitatemque factus omninò videbatur. Frons illi, orisque habitus contractior: fertur, nunquam risisse; nisi Mediolani semel, ac tùm quidem parcè, ac vix, cùm Matthiam Bellintanum è Capuccinorum Ordine, popularem suum, Christiana facundia ea tempestate clarum, ac sanè probum, offendit: cæterùm sui similis, eademque illi semper vultus constantia, ac rigor fuit: cùm qua quidem naturæ indole facilitatem, opp rtunamque vsui benignitatem coniunxisse, ac nihil vnquam subasperè, aut cum supercilio locutum, magnæ cuidam virtuti adscribendum prudentię præsertim, qua se, moresque suos aliorum consuetudini attemperabat.

Harum virtutum nomine Paulo IV. carissimus.

Hæ porrò animi dotes, vitæque in primis sanctitas effecere, vt Paulo IV. sapientissimo Pontifici, ac peracri morum æstimatori commendatissimus Hieremias esset; vt sicuti commemorauimus, euocauerit illum Romam, suoque cubiculo addixerit, & cum eo Potificatus consilia, curasque omnes communicauerit. Qua verò floreret apud Pontificem gratia, præter ea, quæ sparsim adnotauimus, illud etiam testa-

testatur, quod [a] Iacobus Thuanus narrat. Nam cùm Henricus Secundus, Gallorum Rex grauissima quædam Philippi, Hispaniarum Regis Secundi, consilia interturbare apud Paulum Quartum conaretur, Philibertum Bambourn, Episcopum Engolismensem, Oratorem suum, monuit, vt per Sacerdotes Theatinos, quos valere plurimùm apud illos fama in Gallia euulgauerat, id efficeret. Intelligebat sanè Hieremiam Isachinum, qui tùm à secreto Pontificis cubiculo, arcanorumque omnium particeps, Romanæ aulæ in se oculos conuerterat. Nempe cùm eorum, qui Pontificia in Aula agebant, authoritatem apud Pontificem accuratè æstimasset Henricus; neminem rei magni momenti conficiendæ opportuniorem fore reputauit, quàm Isachinum. Cuius etiam prudentia, ac zelo vsus est Paulus Quartus in memorabili ea Nepotum animaduersione, qua nihil Pontifici gloriosius: quando superanda naturæ vis fuit, & qui in homine grandæuo consenuerat, consanguineorum affectus. Quo quidem grauissimo in negotio ea fuit Hieremiæ dexteritas, ac iudicij sanctitas; vt à Pontificia seueritate nulla ipse inuidia laborauerit: planè contra communem morem: Principum nanque asperitas in ipsos Principum intimos publica vulgi criminatione plerunque refunditur. Effecit id porrò eius vitæ sanctimonia, vt nullus omninò neque Carafæ ipsi adduci in suspicionem potuerint, quidquam, nisi suis moribus consentaneum, gestum ea super re à Viro integerrimo fuisse. Et à Carolo quidem Cardinali Carafa id etiam eius prudentia, atque existimatio euicit. Nam qua die Paulus Pontifex agere inter homines desijt, Romam Carolus venit, vt supremo saltem eo vitæ spatio impetratis Patrui auribus, aut dilueret coram sua crimina; aut excitato quodam naturæ igniculo, placauisse quoquo pacto magnam animam, antequam excederet, videretur. Ergò Vaticanas Ædes ingressus Carolus, planè Pontificis conclaue inierat: cùm Hieremias ægrotantis cubiculo dilapsus, obiecit se illi intrepidè. Pontificem, inquit, iam conclamatum, ac penè cum morte luctari; si adiret, fore vt eius animi angustias suo aspectu adaugeret, mentemque supremæ vacantem pietati non minimùm perturbaret. Non id esse opportunum negotiorum, aut conciliandæ beneuolentiæ tempus: consuleret proindè laborantis Patrui tranquillitati, neque experiri offensum eius animum vellet. Hæc ille ad Carolum Cardinalem, ea quidem authoritate, ac modestia, vt mutato is consilio retulerit confestim gradum; nil quippe dubitans, moneri candidè, sanctèque ab Isachino, cuius fidem, ac prudentiam perspectam ptidem habebat. Certè singularem Viri laudatissimi virtutem quòd non præcipuò quodam dignitatis authoramento honestauerit Paulus, eius animi demissio effecit; vt exacuere non semel facundiam contigerit, vt efficaciùs recusaret. Attamen cùm in honorum contentione, titulisque deprecandis non semper triumphet humilitas; elato Paulo Pontifice, repertus inter secretiores schedulas Cardinalium index, quos propè diem renunciaret: inter quos adscriptus Hieremias erat. Quod ille vbi resciuit, in ea statim verba, non quidem in speciem, sed quæ ingenuitas ipsa pronunciauit, erupit: se quidem electurum potiùs, errabundum, profugumque peregrinari per ignota Orbis climata, quàm in Purpuram consentire. Quæ sanè vox nisi à peregrina, magnaque virtute concipi minimè potuit: quippè rari omninò inter mortales sunt, qui exilium, quàm Purpuram mallent. Commendatam porrò posteritati hanc morum laudem plerique Scriptorum reliquere: præsertim [b] Ioannes Baptista Adrianus, qui communi approbatione, consensuque hominum Hieremiam à vitæ sanctimonia, atque innocentia in suis commentariis laudat. Neque hic etiam Sixti Pontificis Quinti, magni nominis, de spectata eius virtutum indole testificatio prætermittēda. Enimuerò cùm Summus Pontifex renunciatus reuertentes à Venetis Comitijs Nostrates gratulabundos exciperet; dilaudato primùm pro eximia benignitate Ordine, in Hieremiæ deinde laudes descendit: agnouisse se Venetijs de vultu, moribusque memorauit, Virum absolutissima prudentia, atque egregiè probum, dignumque, cuius vestigia posteri impleant. Splendida quidem commendatio: quippè à Maximo Pontifice, & quem non adulatio, & fauor eò impulerit, sed quædam vis meritorum, ac sincera virtutis æstimatio. Atque hoc summi mortalium iudicio, ac elogio, explicandæ Isachini indolis finem facimus.

Floruitque apud illum summa authoritate, & gratia.

Eius opera vti cogitat Henricus Gallorum Rex.

[a] hist. to. 2. lib. 20. in fin.

Isachini prudentia in Nepotum mulcta.

A qua nullū ipse odium subit.

Carolum Card. Carafam, ne Pontificem adiret, monuit

Dignitates auersatur.

Post Pauli IV. fatum in Cardinalium schedula reperitur.

Quid Isachinus, vbi resciuit.

Adriani de eo testimonium.

[b] lib. 5. ann. 1558.

Et Sixti V. Pont. Max.

De quo tamen, veluti auctarij loco, illud addimus, quòd cùm plura de morum conformatione, atque expoliendæ pietati Vir religiosissimus lucubrauerit, dolendum maximè sit, omnia penè excidisse. Scriptiunculam eius vnam autographam inter antiqua Nostratum monumenta offendimus, quam sanè haud æquum est cum cæteris perire; putamusque nostris in litteris conseruandam, veluti flagrantissimi eius spiritus reliquias; atque hîc quidem opportunior locus, vt post eius vitæ rationes, quas enarrauimus, fructuosissimarum etiam lucubrationum specimen demus. Planè cùm quotidianas hominum actiones, diemque totum instituat, haud ingratum profectò erit legentibus, præscriptam, habere perbreuem quandam vitæ formam, ac modum, quo singulis actibus exercere piè, ac perutili commentatione mentem possint. Ergò opusculo Christiani hominis Speculum nomen fecit. Sic verò nos ex Italico in Latinum transtulimus.

Excidere eius lucubrationes.

Quarum vna hic attexitur.

Quæ quotidianas actiones instituit.

Tres omninò cogitationes sunt, quæ excitare Christianum hominem debent, vt quæ inutilia sunt eius opera, honestatem, pretiumque induant: ac sorde abstersa, digna sint, quæ purissimi instar sacrificij diuinæ Maiestati sistas. Quarè quotidianum exercitium instituimus ad communes quidem, ac magis vulgares vitæ actus informandos; ex quibus in alios ipse, atque alios vicissim excurras, prout pietas, atque animi studium monuerit. Itaque prima cogitatio confusionem excitabit, altera gratiarum actionem, tertia petitionem. Initium à matutino tempore, atque ab ea, quæ princeps est in hominibus actione.

Cùm indutui amictum manè accipis. Confusio. Cur hoc tibi induis vestimentum, quando nudus pro te Saluator in Cruce pendet? Gratiarum actio. Gratias illi ingentes habeas, quòd mortalitatem induerit nostram, nostræ non ignarus ingratitudinis: & quòd postquàm pretiosam gratiæ vestem scidimus, ac dilacerauimus, perbenignè adhuc nos vestibus foueat. Petitio. Ergò cùm te vestiendo, nudum vestiat; id enixè roges, vt hac misericordiæ opera eius tunicæ contumeliam compenset, qua indutus in Domo Herodis fuit.

Mane cùm induimur.

Templum petendo. Confundi par est, ea te otis infantia, ac pollutis adeò labijs ad templum adire, persoluendis Deo laudibus, quem scis cælitum psalmodia, ac laudibus celebrari. Gratias verò eo reddas nomine, quòd cùm toties te tuorum peccatorum merito domo sua eiecerit, excipiat te nihilominus: stetque ad ostium, & pulset. Demum petas, vt pro eximia caritate, qua Dei Mater offerri, ac sisti Filium in templo voluit, in templo ipse excipiaris, fiasque habitaculum Spirtus sancti.

Cùm templũ petimus.

Cum oras. Confusio ea erit, si dicas cum publicano, Deus propitius esto mihi peccatori; proponasque tibi ob oculos tuorum numerum peccatorum; tum gratias Christo persoluas, quòd orare ipse voluerit, vt à suarum precum efficacia, ac dignitate haberent tuæ preces, vt impetrent. Id demum petas, vt orationis merito, quam pro peccatoribus fudit, quæ ipse postulare nos beneficia in Dominica oratione iussit, ea benignè indulgeat, eandemque Dominicam orationem semel dicas.

Cùm oramus.

Rei sacræ tempore. Pudeat, nullo te apparatu, atque ardore spiritus ad venerabile Sacrificium accedere; gnarum, vsu apud te viluisse, quod reddi ipsa continuatione debuit pretiosius; quippè quòd ab immensa Dei caritate promanauit. Totus verò sis in gratiarum actione, quòd te parem Angelis faciat, si fide profitearis, quod mente adoras. Id siquidem est Angelorum munus, ante altissimi Dei thronum adstare, Diuinamque Maiestatem summis laudibus celebrare. Roges verò, vt quoniam eius, quod semel in Ara Crucis immolatum fuit, exemplar, ac monumentum est hoc Sacrificium; fusi tunc sanguinis partem expiandis peccatis tuis impetres; ac interim pro sanguine lacrymas fundas; ac moriatur in te vetus homo, vt cum Saluatore rediuiuo alius resurgas.

Cùm sacrum facimus.

Ad mensam. Confusio. Quòd panem eius cùm comedas, tu, Iudas alter, proditionis sis reus, tot eius beneficijs ingratissimus. Gratiæ, quòd aluerit diutiùs hostem. Petitio, vt qua cordis benignitate fatigatis in deserto turbis annonam ministrauit, eadem te nutriat, pane videlicet gratiæ, quæ gratia sit panis noster quotidianus.

Refectionis tempore.

Cùm

Cùm animarum negotijs vacas; decet te suffundi verecundia, quòd persecutus Deum cùm fueris; admittat te nihilominùs ijs negotijs procurandis, quæ tanti momenti sunt, vt Filium suum vnigenitum ad eorum tractationem allegarit in mundum. Gratias autem agas, quòd cùm istiusmodi animorum lucris minimè indigeat; optet ea nihilominùs perindè, ac si indigeret. Petas vt propter eam caritatem, qua dixit, In ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse, permittat, vt in curanda proximorum salute totus sis; tuaque in grauissimo negotio opera vtatur ad sui tantummodò honorem, & gloriam. *Cum proximorum animas procuramus.*

Vespertinæ orationis tempore. Confundere quòd locuturus cum eo sis, quem tremunt Dominationes, & Potestates. Tùm gratias agas, quòd dans ipsemet animos, iubeat, vt postules. Petas vt per exactam illam voluntatem, animique subiectionem, qua Patri inter manantes sanguinis riuos dixit: Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu; merearis ad diuinæ voluntatis legem, ac normam exactè componi, seu viuere contingat, siue mori. *Ad preces Vespertinas.*

Ad Cœnam. Confusio: Actum iam diem, admissasque in eo noxas cogitans, intimo cum animi sensu panem comedas, Prophetam ijs vocibus imitatus: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Gratiarum actio. Dei Maximi benignitatem prolixiùs commendes, quòd cùm prandij beneficium haud memori, gratoque satis animo acceperis, cœnam addat. Petitio: vt per ineffabilem amorem illum, quo seipsum generi mortalium in cibum dedit, ita nos formet, ac præparet; vt & discumbere ad cæleste conuiuium cum humilitate, & coniungi caritatis nexu cum eo possimus; sitque ipse in nobis, & nos in ipso. *Sub Cœnam.*

In oratione ante cubitum. Erubesce, Christum cogitans in lectulo Crucis tanta cum amoris, dolorisque contentione pro nobis orantem; te verò amoris, dolorisque sensu omni expertem esse. Gratias agas, quòd ideò in Cruce expirauerit, vt tu viuas. Petas, vt per acerbissima cruciamenta, quæ tulit moriens; ac per altissima amoris vulnera, quibus ad morientis Filij aspectum confecta est eius Mater, hora tuæ mortis recordetur suæ; ac per illam gratus, acceptusque sit æterno Patri tuus exitus. *Ante cubitū.*

Vestes positurus. Cur indumenta abigis, vt commodiùm cubes; cum tunicatus dormierit Christus; nec habuerit, vbi caput reclinaret suum? Gratias deindè agas, quòd perlatæ ab eo ærumnæ, ac vulnera vetere te homine exuerint. Petas, vt per eius doloris acerbitatem, quam tulit, cùm appressæ sauciato corpori vestes detractæ illi fuere, vt Cruci affigeretur; prauis ipse moribus exuaris, expoliatusque terrenis omnibus conuoles in sinum Crucis; vt Christo immortuus, digneris nuptiali veste, quæ promissa à Deo est diligentibus se. *Cum vestes ponimus.*

Hæc ab egregiæ cuiusdam pietatis mente Hieremias excurritque hæc eadem lucubratio per innumeros hominum actus, fingitque quàm breuissimè mores ad vitæ Christi amussim; vt omnia planè dicta, factaque, ac cogitata, bona, malaque aliorum, nostra instituat, emendet, dirigat ad eam normam. Sed hæc libasse abundè erit, ne, vti significauimus, totus perijsse Hieremiæ stylus videatur; extetque eorum specimen, quæ commentari piè solitus erat.

Conuenire modò Placentiam Cardinalem Aretium haud quidem pigebit: qui cùm nunquam non esset curandis suarum ouium commodis intentissimus; tum hoc maximè tempore incumbere Placentinorum profectui videbatur; indictis videlicet Iubilæi, ac sæcularis anni ferijs. Peracta Romæ iam fuerat communis ea Christianorum celebritas, ac anni faustitas anno præterito; vtque sacris ijs functionibus, comparandisque munificentissimis indulgentiarum donarijs adesset, ac peregrinaretur peregrino cum Christiano Orbe Aretius, in Vrbem concesserat: exceptusque non splendida quidem in domo fuerat, sed Quirinali in Cœnobio inter Nostrates; vt peculiari quadam religione, remotusque ab omni Aulæ fastu, ac procul officijs, illam sanctioris anni partem fructuosiùs celebraret. Et verò insignem, vt cum maximè, pietatem Romæ tunc adprobauit. Supplicationibus eo tempore fieri solitis, statisque sacrorum solennitatibus nunquam defuit. Consignata lucrandis indulgentijs *Placentiæ Iubilæum instituit Cardinalis Aretius.* *Qui anno seculari sacro Romam conuenerat;*

Ibique publica ea sacra religiosissimè celebrauerat.

templa vnà cum familia obiuit pluries, & quidem pedibus; præscriptis, quæ inter eundum recitarentur, precibus; eaque oris, incessusque modestia, vt singulari omnibus exemplo essent; ac potius instructum Religiosorum hominum agmen, quàm Cœtus aulicus videretur. Præter hæc, & alijs virtutum studijs vacare plus solitò cernebatur: ieiunijs præsertim, vitæque, ac cultus asperitate genium fraudabat: peregrinis inseruire, eorumque, ac vrbanæ inopiæ angustias subleuare, solenne illi erat; reliquas per Vrbem Ecclesias insigni obseruantia, ac frequenter adibat; vt sanè eius anni momenta decurrerint nulli sanctiùs. At enimuerò; quod est optimi

Easdem has seculares indulgentias Placentiæ impetrat.

Antistitis officium, non suò tantùm fructui, sed ouium etiam commodis prouidere; id effecit, vt qui petere è sua Diœcesi Romam, vsurpandis lustralis anni indulgentijs, minimè poterant; ijs in Patria, ac domi frui liceret. Ergò supplicatus ea de re Pontifex, perbenignè Cardinali Aretio annuit: facta nimirùm facultate, vt indictis de more supplicationibus, Templisque designatis, amplissimum Ecclesiæ thesaurum Placentina in Diœcesi ad animorum opulentiam publicaret. Reuersus is est eo quidem anno Maio mense Placentiam; sed distulisse Iubilæum in consequentem hunc annum voluit, peractis nempè Romanis sacris; ne ad Vrbem iter, frequentemque ad illam aditum imminueret. Proposuerat sibi porrò, vt quàm sanctissimè, ac suo potissimùm ordine, communique cum fructu effusa ea Romanarum opum largitio celebraretur. Eapropter datis publicis litteris, monere primùm

Quas datis litteris euulgat.

incomparabilis beneficij populos voluit, ac oblatum vltrò munus, eiusque dignitatem, ac pretium amplificare; in quibus & qua pietate, cultuque animi excipienda ea sacra, vt mores emendandi, vt eluenda crimina, eruditè, ac piè docuit. Tùm ad omnem rei benè gerendæ rationem animum appulit. Decretæ de more supplicationes, tempus, Templa, concionesque ex interuallo. Exponi item sacros Diuorum cineres iussit, adornarique sumptuosiùs Ecclesias, ac in ijs fœminarum pie-

Ac rebus opportune constitutis;

tati diuortia. Implorata Parochorum nauitas, excipiendisque confessionibus auctus Sacerdotum numerus, atque excitata sedulitas. Peregrinorum insuper commodo prouisum; ac viris quidem sterni in Pontificiæ Domus atrio, ac Aula mensas iussit: fœminis verò nobilium quarundam matronarum ædes designauit; struique de suo epulas, nec quidem parcas voluit. Hæc vbi composuit, ordinauitque Aretius; Iubilæum in Æde Principe, solenni ritu Infulatus, faustè euulgauit. Dixit inflammandæ multitudini quàm aptissimè: adauxitque concionis amplitudinem Octa-

Faustè auspicatur.

uius Dux Parmensis, ac Aula, & vniuersus nobilium Ordo; cum quibus Cardinalis, vbi perorauit, supplicationem ad præscriptam inter cæteras Ecclesiam incredibili omnium studio, ac pietate instituit. Vt verò exemplo esset alijs, mirùm quàm ad omnem obseruantiam compositus obire reliquas Ecclesias cœpit. Illas aut cum

Præscriptasque ipse Ecclesias obit, nudis pedibus.

domesticis, aut facto cum suo Clero agmine inuisebat; idque frequentissimè: & quod planè admirandum, nudis semper pedibus; vt coniectari hinc liceat exerto veluti ab vngue, qua mentis sanctitate sacras ille Basilicas lustraret. Et valuit profectò ea exempli efficacitas, ac vis: nam procerum nonnulli, & pleræque etiam nobilium fœminarum terere nudis item vestigijs vias, atque Ecclesias occœpere. Confluere Placentiam ad cælestia ea munera, ac Iubilæi condonationes integra penè op-

Oppidanorũ ad ea sacra affluxus,

pida, ac pagi videbantur; excipiebatque in Templo Maximo sanctissimus Præsul aduentantes: quorum postquàm animos verbi Dei pabulo, suisque adhortamentis refecisset; recreari epulis corpora perscriptis in Cœnationibus iubebat; breuique

Quibus ministrabat cum humilitatis laude Aretius.

præcinctus linteo ministrabat ipse mensis insigni cum laude modestiæ: cum interim admirarentur planè omnes, ea dignitate, atque æuo Virum nec horrere ministerium, nec assiduo labore defatigari. Illud in eo accursu populorum semel accidit, quod non hic dissimulandum; præsertim cùm iurata testium fide [a] constet. Diuæ

a Process. Placent.

Mariæ à Campania, destinatum Iubilæo Templum, inibat Cardinalis; cùm misceri strepitu quodam Ecclesia, ac celebritas cœpit. Diuexata siquidem malo dæmone fœmina, quæ Transpadana è regione aduenerat, nullum faciebat vociferandi

Liberatur eius precibus energumena.

finem. Ille, facto confestim gradu, intentaque ad mulierem energumenam manu, silentium indixit: quæ statim tacuit, ac prouoluta in genua, visa ad Aram Deiparæ

silentio

silentio orare. Aretius, concepta paululùm prece, iterùm ad illam; ac benedictionem impertitus, abijt. Peruasit verò ea omnium animos opinio, ac constans deinde fama peruulgauit, vendicatam ab ea inferni genij tyrannide fœminam pijssimi Antistitis oratione, ac merito.

Inter has tàm salutares, sacrasque voluentis anni ferias, & vrgere, quæ semel statuerat, & nouis item institutis consulere suorum bono, opportunum ducebat. Prudentiæ illa præcipuè laus est, tempestiuo vti tempore: cùmque ea anni sanctitas proniores excipiendis monitis, religionique excolendæ mortales redderet; plura per id tempus sapientissimus Antistes inuehere ad morum cultum, ad pietatis incrementum, ad exempla virtutum videbatur: vt quam animi vim, studiumque amplificandæ Placentinæ rei multis retrò annis ostenderat; cumulare tùm maximè niteretur. Quæ quidem studia mox interpellata, pulsauere Aretium eò acerbiùs, quò minùs putabat, ab eius se Ecclesiæ diuulsum, ad alias fore Infulas, curasque prouocandum. Itaque excessit hoc anno Septembri mense Mariua Carafa, Neapolitanæ Vrbis Antistes, qui vndecim omninò annos insigni cum prudentiæ, ac probitatis laude amplissimum Sacerdotium administrauerat; visus profectò disciplinam Cleri, ac populorum non seruasse modò, verùm etiam egregiè amplificasse cùm suæ virtutis præstantia, tùm excellentium Virorum delectu, quorum eruditione, ac consilio vtebatur. Gregorius Tertius decimus Pontifex in id statim curæ incubuit, vt nobilissimæ Ecclesiæ Rector non impar contingeret: & cùm Aulam, ac mores hominum lustrasset, æstimassetque; vnus occurrit, qui multis partibus cæteris anteibat, Cardinalis Aretius; ætate quidem grandior, quæ in maximis muneribus moderandis, plurimùm conciliandæ authoritati valet: tùm incorrupta morum sanctitas ingenti procurationi opportunior videbatur; neque in postremis numerabantur doctrinarum ornamenta, rerum vsus, ardens animorum zelus, atque incredibilis quædam sedulitas. Ad hæc, Neapolitanis percarum fore Paulum non ex vano existimabat Pontifex; quippè cuius sapientiam, ac indolem forum olim probauerat; fueratque insignis eius virtus, abdicata togæ dignitate, ab sæculi fuga abundè perspecta. Nec minimam sanè prudentiæ, ac dexteritatis famam ab Hispanica ea legatione collegerat, quam communi eius Vrbis suffragio, consensuque susceperat. Consilium vbi è re diuina, eiusque Ecclesiæ bono fore apud animum suum Gregorius reputauit; apud augustos Patres aperuit, frequenterque in Senatu Archiepiscopum Neapolitanum Cardinalem Aretium renunciauit, die decima nona eiusdem mensis Septembris, qua D. Ianuarij, principis Tutelæ Vrbis Neapolis, memoria celebratur: vt videri planè potuerit, sanctissimus ille Episcopus, ac Martyr eius virtutis, ac sanctimoniæ Antistitem commendatæ suæ fidei Ciuitati impetrauisse; vt scilicet, quam ipse Patrocinio, suoque præsertim Capite tutabatur; illi non deesset præclarum Caput, à quo sapienter membra regerentur. Romæ summa cum Pontificis, eiusque iudicij laude probata electio fuit. Neapoli verò cùm primùm allatus est rei nuntius, mirùm quanta cum Ciuium gratulatione, plausuque exceptus; pauci quippè cùm essent, qui Aretium de facie non agnoscerent; omnibus erat fama virtutis commendatissimus; communisque lætitia prædicabat, rem cecidisse omninò ex voto; ac nihil accidere pietati, ac Sedi Neapolitanæ felicius potuisse, cuius rectioni tantarum partium Pontifex accessisset. Idem & Marchioni Mondexari, qui Regnum tùm summo iure moderabatur, sensus fuit. Quippè cùm perspectum haberet Philippi Regis in Aretium studium; probatum iri ab eo consilium putabat, non sine fausta Aulæ totius admurmuratione; in qua vigebat etiamnum Viri nomen, ac probitas. Placentinis molestissimum id accidit, quibus allatus rumor, fore tantæ virtutis, curarumque fructu destituendos, improuisum quoddam veluti telum, ac fulmen fuit. Ea planè boni conditio est, vt æquiore animo non assequaris, quàm amittas; experientia siquidem acerbissimam plerunque iacturam facit. Profligasse optimum Pastorem prauos mores, bonosque induxisse; Clerum, Ciues præclaram institutione, cultuque disciplinæ adornasse; pauperum, viduarum, pupillorum inopiæ, ac solitudini egregiè consuluisse; Ecclesiæ iura, eiusque commoda intrepidè propugnasse; adauxisse religionem, cæremonias, rituſ-

Vtitur anni sanctitate emendandis moribus.

At mutare mox Infulam oportuit.

Elato Mario Carafa Archiepiscopo Neapolis.

Cogitanti de Successore Pontifici

Occurrit Card. Aretius.

Gratissimum Neapolitanis futurũ putat.

Illumq; publico in Card. Senatu Archiepiscopũ renunciat.

Die D. Ianuarij sacra.

Pontificis iudicium excepti cum plausu Romæ.

Affecitq; supra modum Neapolitanos

Et Proregem

Nuntius Placentinis percussus.

Multiplex mœroris causa.

ritusque Ecclesiarum ad omnem elegantiam, nitoremque expoliuisse; Sodalitates, Collegia, Cœnobia, scholas fundasse; nullum denique non mortalium genus officio, opibus, adhortamentis non demeruisse, quædam erant flagrantissimi amoris, atque obseruantiæ in Episcopum incitamenta; atque in causa quidem erant, vt tanti Antistitis iactura vehementiore quodam ictu populorum affectus, animosque sauciaret.

Nulli acerbior Infulæ commutatio quàm ipsi Aretio.

Nulli autem grauior hic nuntius fuit, quàm ipsimet Aretio, cuius animi demissionem Neapolitanæ in primis Ecclesiæ amplitudo, ac splendor non minimùm affecit: ac longè grauius impositum humeris pondus, curæque prolixiores terrebant. Verùm quod acrius diuexare illum videbatur, is erat in Placentinam Ecclesiam, primam nempè, ac lectissimam sponsam amor, studiumque in ciues omnes, quorum longo sibi vsu beneuolentiam conciliauerat; & intentiore quadam cura, assiduisque vigilijs pietatem, moresque formauerat. Igitur cùm diuelli ab sinu sponsæ, affectuque amantissimę Ciuitatis sine doloris sensu peracerbo minùs posse videretur; aperire Pontifici reluctantem omninò animum statuit, ac Sacerdotium recusare. Exaratæ in eam sententiam ab eo litteræ. Non esse in præsenti causas, cur in Neapolitanam Ecclesiam, relicta Placentina, ipse transiret: cùm non deessent genere, ac virtute prænobiles viri, qui ad id amplissimi muneris officium legerentur. Se quidem grandiorem natu esse, ac impares cùm animi, tùm corporis opes peramplæ, operosæque Diœcesi allaturum, quando vegetas, robustasque omninò æui vires ea posceret procuratio. Amorem porrò suarum ouium strenuè luctari, ac prorsùs abnuere: neque verò æquum esse, vt exculti omni ope, ac industria earum mores, eo à se tempore desererentur: cùm indigere maximè ad bonam, perfectamque frugem cultoris manu, ac laboribus videbantur. Id postremò persuasum habere se, plurimum sanè commodi, si abiret, Placentinæ rei detractum iri; parum Neapolitanæ ab effœto iam sene accessurum. Hæc, aliaque ad Gregorium Pontificem Aretius. At Neapolitani Proceres, gnari, eam esse eius indolem, vt nihil splendidi, honorisque acceptaret, nisi inuitus; & quòd sciuerant iam, rennere illum, atque hærere Placentiæ peruelle: occupare Pontificis animum decreuerant; eiusque implorare imperium, ac præcepti vim, vt beneficij, quod semel pro eximia benignitate in Neapolitanos contulerat, compotes fierent; nec præpostera Cardinalis Aretij modestia, aut timor fraudaret tot populorum vota. Litteræ, quibus ea de re appellatus à Septem-Viris Neapolitanis Pontifex est, quòd in eximiam Cardinalis Placentini laudem cedant, dignæ planè sunt, quas hìc in Latinum translatas vsurpet lector. Sic verò habent.

Amore in Placentinos.

Recusatque datis ad Pontificem litteris.

Quem occupant, vrgentque Neapolitani.

Scripta ad illum epistola.

Sanctissime, ac Beatissime Pater. Si exprimi abundè sensus animi, stylo, manuque possent; aut Dei operibus amplificandis satis esset mortalium lingua, ne ingrati pro acceptis beneficijs videremur: profectò haud difficile nunc esset orationem lætitiam exæquare, qua perfusa vniuersa hæc Ciuitas est ob allatum nuncium, lectum iam à Sanctitate Tua Archiepiscopum Neapolitanum Cardinalem Placentinum. Digna sanè lectio altitudine iudicij tui, quo Christianum Orbem æterna cum laude moderaris; & magnis illius Præsulis meritis, quibus gentium omnium amorem, suique desiderium excitauit. Neque item difficile omnino esset, accommodatam reperire dictionem, dilaudando primùm Numini, quòd hanc tibi, qui eius in terris vices dispensas, mentem indidit, vt hunc nobis Pastorem, ac Patrem indulgeres; tùm habendis Clementiæ Tuæ gratijs, quòd tam singulari Vrbem hanc nostram beneficio supra spem cumulaueris. At enim, cùm perexigua facultas nostra soluendo minimè sit, compensabit apud Sanctitatem Tuam virium tenuitatem ingens grati animi testimonium: illudque prolixè deprecamur, ne à suscepta semel sententia honestandæ huiusce Vrbis sinas Te Cardinalis Placentini precibus dimoueri; cuius modestiæ non defuturas in speciem excusationes, probè scimus. Verùm cùm deceat Te & diuinæ voluntatis rationem habere, quæ huic illum Sedi penè miraculo destinauit; & nostræ expectationis, quibus eo regi Capite optatissimum: & firmitudinis, quæ inesse tuis beneficijs debet; vt illum ad hoc munus ad Dei gloriam, nostrumque commune commodum capessendum. Antecessoris Tui exemplo pro

impe-

imperio cogas, rogamus etiam, atque etiam. Nobis verò pro debiti qualicumque solutione illud erit semper in votis, vt ad Christianæ rei tranquillitatem, felicitatemque viuas quàm diutissimè: ac interim genibus suis aduoluti, Sanctissimos pedes exosculamur. Neapoli die 13. Octob. 1576.

His ad Pontificem litteris, vt vim etiam ac pondus Septem-Viri adderent, vrgerentque rem vehementiùs, compellare item epistolis Cardinales quatuor decreuere; nempè Philippum Cardinalem Guastauillanum, Philippum Boncompagnum, Cardinalem Sancti Sixti, quorum hic ex fratre, ille ex sorore Pontificis nepos erat, Scipionem Rebibam Cardinalem, Pisanum; & Iulium Sanctorium, Cardinalem Sanctæ Seuerinæ; quorum planè authoritatem, atque officia vt valere plurimùm non ignorabant, ita quæsitissimis precibus rogarunt, vt voce, affectuque apud Pontificem agerent, iuuarentque publica flagrantissimæ Vrbis vota. Tum Ioannem Franciscum Caietam ex Patricio ordine Neapolitanum, Romæ tunc commorantem, cui tùm ad Pontificem, tùm ad Cardinales litteras dederant, efficaciæ, ardorisque ea in re monuere. Narrata hæc distinctè voluimus, vt quanta esset in omnium existimatione Aretius, & quodnam sui desiderium Neapoli præstantissima Viri virtus excitauerat, cognosci liquidò possit. Cæterum hic apparatus continendo in suæ sententiæ constantia Pontifici, superuacaneus fuit. Enimuerò qui maturè, ac supremo quodam lumine adflatus, deliberauerat, nouerat que communem omnium approbationem, ardentemque præsertim, atque vnanimem Neapolitanorum expectationem; anteuertere officia statuit; perscripsitque Aretio, vt inito semel de se, nouaque Infula consilio, acquiesceret; nullas præterea motas, aut excusationes alias necteret, quas sciret minimè probandas. Romanum proindè iter quàm primum institueret, Neapolitanam inde prouinciam petiturus. Harum porrò Pontificium litterarum exemplar libet hic exscribere.

Appellantq; & Cardinales alios litteris.

Neapolitanorum studia anteuerterat Pontifex,

Litteris efficacioribus.

Dilecto filio nostro Paulo, tituli Sanctæ Potentianæ Presbytero Cardinali,

GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper eximia, singularique prudentia, virtute, dexteritate, & exemplaris vitæ, quibus præditus es, ornamentis adducti, Te à vinculo, quo Ecclesiæ Placentinę tenebaris, authoritate Apostolica absoluimus; & ad Ecclesiam Neapolitanam tunc vacantem, transtulimus: Teque illi in Archiepiscopum pręfecimus, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesię Neapolitanę Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo: ad quam volumus, vt quàm primùm te conferas: neque excusationem, & rationes, quas tuis die vigesima septima mensis preteriti datis litteris ad nos præscripsisti, admittimus; sed Nobis certò persuademus, Te huic nostræ firmæ, & vltimæ deliberationi omninò parere, atque obedire debere; cùm pro omnipotentis Dei seruitio hoc maximè intersit. Datum Tusculi sub anulo Piscatorio die quinta Octobris 1576. Pontificatus nostri anno quinto.

Ea est humilitatis indoles, vt qua animi subiectione dignitatum Infulas detrectat, eadem induat, si imperium accedat; estque sublimiore in loco demissa, quia paruit; ita vt quæri iure possit, humilior ne vir ille sit, qui præclaro se oneri proripit, an qui ex imperio subit? Vt igitur Maximi Pontificis constantem, tenacemque propositi animum intellexit Cardinalis Aretius; ad eius se continuò nutum composuit eadem, qua recusauerat mentis siue altitudine, siue modestia. Affectus verò suos diuinæ voluntatis persuasione egregiè cùm temperasset; pulsari se nihilominus Placentinæ Vrbis studijs, ac mœrore sentiebat: qui sanè eò actiùs exarserat, quòd erecti spe populi sibi persuaserant, fore, vt Cardinalis preces Romæ anditentur. Iam, quò obsequentior Pontificis mandatis videretur, compositis mox Placentinæ Ecclesiæ rebus, discessum maturiùs adornauit. Proficiscentem Principum Farnesiorum studia, qui tanti Pontificis desiderium quàm molestissimè tulere, omni officiorum genere cohonestatunt. Vrbs verò tota, que

Quibus paruit Aretius,

Maturatq; Neapolitanũ iter.

Inter Principũ Farnesiorum officia, Et mœstissimę Vrbis,

ta, quo abeuntem debita amoris, dolorisque significatione prosequeretur; ac vicissim benedictionem ab optimo Parente impetraret, ea quidem frequentia confluxit; vt opus planè fuerit, ne opprimi à multitudine Antistitem contingeret, subitario quodam opere cancellos excitari. Hinc citra iniuriam, securusque sui, consalutare supremis officijs populum, eique benè precari potuit; manantibus nempe vbertim, atq; vtrinque lacrymis, mutuæ beneuolentiæ testibus: ostuennis nanque eius vineæ cultura tanto cum animorum bono, ac consensione populorum abrumpi sine quodam animi vulnere, fletuque oculorum minimè potuit. Romam Octobri mense appulit: ac Nouembri ineunte, cùm quædam è re cùm Placentinæ, tùm Neapolitanæ Ecclesiæ negotia explicauisset; Neapolim iter intendit. Transeundum Patria fuit, ac biduum apud Iulium Aretium Nepotem egit: quod ideò commemorauimus, quia insigni virtutum exemplo non caruisse Hospitium, ac moram scimus. Nam cùm ad Diui Francisci sacris operaturus adijsset; fortè inibi eius oppidi Primicerium offendit, qui vetere quadam simultate Genti Aretiæ infensus, cùm eius Purpuræ splendorem, honoremque familiæ ferre ab ea animi impotentia non posset; ne aspicere, aut aspici cogeretur, occultare sese in angulo studuit: at non perindè id contigit, vt latere Cardinalem potuerit; qui rectà ad illum, complexusque animo, & perhumaniter, vsque adeò ea animi modestia, ac benignitate hominem fregit, vt iniecta statim pœnitudine pertinacis illum odij dispuduerit; reconciliatusque Aretijs, perpetuus etiam Cardinalis sanctimoniæ præco fuerit. Quæ sanè in amplissimo Viro humilitas incredibilem omnium, qui aderant, quique auersum diù Primicerij animum nouerant, admirationem excitauit: nec vulgarem eam esse Purpuram existimarunt, quæ in vulgaris, infensique hominis complexum conuolauerat. Illud etiam hìc magni, pijque animi documentum, Itrij editum, litteris consignandum. Domum à Sacro reuertebatur, cùm Sacerdotem obuium babuit, honesto quidem loco natum, ac sua etiam virtute spectabilem; sed quem, quæ est rerum humanarum inconstantia, ac lusus, è commodioris fortunæ gradu lapsum summa paupertas exceperat; vt pingui lacerna, ac centone pro tunica vteretur. Inopiam, ac dignitatem Viri commiseratus Cardinalis; vt vnà secum domum adiret, iussit. Ibi inducto secretum in conclaue Sacerdote, detractisque sibimet suis ex panno fœmoralibus, inductum illum voluit: tum domus Præfectui, vt quàm primum honestiore is toga conuestiretur, præcepit. Plures certè ex antiquitate repetes, qui sua veste pauperes amiciuerint: & verò nonnisi ex sanctioris cuiusdam virtutis schola, & censu: triumphare siquidem caritas nunquam poterit, quàm suis met delatis in pompam exuuijs. Et Aretius quidem, qui angi vehementer visus est, cùm Insulam, ac Purpuram primùm induit; gauisus nunc est maximoperè, cùm tegendæ Sacerdotis miseriæ sua sibi detraxit vestimenta. Hæc adnotasse in itinere sufficiat.

Arcendę multitudini strui cancellos oportuit.

Romam appulsus.

Mox Neapolim iter intendit.

Itrij biduum moratur, non sine laude virtutis.

Oppidi Primicerũ insigni humilitate fregit.

Et suis indumentis honestum Virum vestit.

Neapolim vbi aduentare Archiepiscopum percrebuit, accendi studia Ciuium occœpere, vt venientem quàm possent splendidiùs exciperent, ac deducerent. Mos nanque obtinuit, vt illustri apparatu suam inferatur in Sedem Antistes, vt testentur populi amplissimis lætitiæ documentis reuerentiam, cultumq; in Patrem, ac Principem. Id quod vt gradui, ac Sacerdotio exhiberetur, etsi pati Aretius, recepto iam vsu, poterat: nihilò tamen minùs, ne quod tribui dignitati sciret, sibi arrogasse videretur; aut reliqua ambitionis, gloriæque aura animum adflaret: excipi publica ea gratulatione, ac plausu recusauit. Quo quidem conceptus ille honestandi Purpurati Præsulis ardor deferbuit. Attamen non perindè temperandum pompę plerisque è nobilitate visum est, vt non saltem conatos se ostenderent. Quarè explorata diligentiùs via, ac hora, quas ille clàm haberi peruellet, vt ostentationem, ac studia flagrantissimæ Ciuitatis luderet; honestissimo quidem equitatu, Cœtuque Procerum in eius se conspectum dedere, Et sanè habuere statim, vnde suum Antistitem, eiusque moderationem, ac sanctimoniam admirarentur. Etenim vectum mula, penulatum, ocreatumque, ac modico Comitatu, communem in viatorum morem offendere. Priscæ probitatis exemplar, aut aliquem è sanctiore æuo Patrem, ac Præsulem intueri sibi visi sunt; gratulatique, nihil externo cultui, totum nudę virtuti obsequium impendere,

Neapolitani excipere magnificè Antistitẽ cogitant.

Quod recusat.

Expediunt tamen honestissimũ equitatũ Proceres.

Offenduntq; vulgari cultu Archiepiscopum.

dere eo proniore veneratione consalutarunt, quòd nulla alliceret maiestas, ac splendor. Ille circumuentum se ijs illustrium Virorum officijs non minimùm doluit: at singulari quadam humanitate, postquàm gratias persoluit, abire omnes iussit: scirent nimirùm, nunquàm fore exorandum, vt prænobili ea deductione, honoreque Neapolim iniret. Quod vbi sinceriore, obsirmataque dici mente intellexere; obtemperandum bono Antistiti duxere: rati, satis pompæ secum afferre, cui id virtutis inesset. Ad primas verò faces, tenebris se iam intendentibus, Pontificias in Ædes vnà cum familia quàm modestissimè sese intulit Archiepiscopus Neapolitanus. Postera luce, quæ ritè in possessione ineunda mos est obire, solenni quidem cultu, ac faustè Principe in Templo præstitit inter populorum acclamationes: qui cum insignem quandam in functionibus peragendis dignitatem oris, grauitatemque aduerterent; non hominem, sed Angelum ad se missum admurmurabant.

Qui officia respuit.

Et primis tenebris Ciuitati succedit.

Initq. possessionem solemni ritu.

Iam priuata sui, suorumque viuendi ratio, & cultus non alius Neapoli fuit, quàm Placentiæ fuerat. Nihil quæsitę, curiosæque supellectilis domi: nullum in sellis, aut lecto sericum: nudi parietes; oppansa tantummodò, excludendo exterorum aspectui, ex panno vela. Quæ sanè tantò maioris admirationis adeuntibus erant, quantò splendidiùs iam ornari ea conclauia pro dignitatis, ac census amplitudine, conciliandæque maiestati consueuerant. Ac ea quidem erat omnium persuasio, haud potuisse à moribus discrepare supellectilem; reputabantque benè iam esse communi inopiæ, quam scilicet conuestire, quàm domesticos parietes mallet præstantissimus Præsul. Publicam verò administrationem, vt qui longo iam vsu regendarum Ecclesiarum rationem, eiusque articulos omnes nouerat, admirabili quodam ardore animi, ac prudentia instituit. Nihil illi antiquius, quàm Cleri mores, ac disciplinam inuestigare; eorumque vitia exscindere, si quæ irrepserant: vt ab eo in reliquum vulgus exempla, ac leges manarent. Lustrare accuratè Templa voluit, vt ceremonijs, nitorique sacrorum, quæ principes Clericorum curæ sunt, consuleret. Ne sacramenta indecorè tractarentur, explorare administrorum peritiam, ac mores studuit. Iustitiam in primis, quam persanctè administrari ab Ecclesiasticis decet, curauit. Auaritiam, conniuentiam, præsentissimas fori pestes, mirum, quo zelo est aggressus. Quò moras præcideret, cuncta ad se negotia deferri iussit. Ipse pro iudicij, atque eruditionis præstantia iugulabat statim causas: non infimæ sortis homines aditu excludebantur, obuius, opportunusque singulari benignitate omnibus. Planè nihil sanctius, nihil diligentius, aut ardentius eo statim initio videri potuit. Qui verò incredibilem eius contentionem, studiumque temperandæ Neapolitanæ Ecclesiæ adiuuabant, excellentis cuiusdam doctrinæ, ac probitatis Administri erant. Quorum Placentiæ perspectam sedulitatem, atque integritatem habuerat, hos Neapolim transferendos curauit. Inter quos fuere Viri tres, qui postea admoti & ipsi regendis Insulis fuere: nempè Gaspar Filingardus, eius Vicarius, spectatæ prudentiæ, ac iure vtroque consultissimus, Episcopus primùm Ripatransonus, mox Mutinensis: Ioseph Mascardus, qui Vicarias item partes Placentiæ obierat, Marianæ postea in Corsica insula Episcopus: & Comes Hieronymus Bentiuolus, Montisfaliscorum Episcopus. Accessit par hominum præstantissimorum, Ioannes Baptista Eugubinus, ex Eremitarum Diui Augustini Ordine, eius Theologus; qui eam doctrinarum, ac prudentiæ famam collegerat, vt ad supremum sui Ordinis Magistratum propositus vnà cum alijs duobus à Gregorio Tertio decimo Pontifice nominatim fuerit: Et Nicolaus Mortonus, Diui Petri olim Pœnitentiarius. Neque prætermittendus Alexander Borla, è Diui Philippi Nerij Cœtu, integerrimi moris, compertæque virtutis sacerdos; quem cùm Placentiæ, tùm Neapoli curare præfecturam Domus Arctius voluit, vt qui & regere singulari diligentia rem domesticam, & temperare mores domesticorum insigni exemplo sciret. Viros prætereà Neapoli reperit laudatissimos, quorum nauitas permagno quidem adiumento gerendis rebus fuit: inter quos numerantur Paulus Tassus, & Carolus Baldinus, eius tum Ecclesiæ Canonici, vterque postea ad Infulas euecti, hic Surrentinas, ille Lancianenses. Vsus item Nostrarum opera est; quorum fidem, ac studia cùm magni faceret; credere illis momenta rerum, eorumque adhiberę in negotijs explicandis consilia, curalque videbatur; vt fecisse etiam Pla-

Domus, ac sui cultus Neapoli.

In Cleri mores incumbit

Ac Sacrorũ cultum.

Studet iustitiæ.

Negotia per se ipse peragit

Eximiæ probitatis, ac doctrinæ eius Administri.

Gaspar Filingardus.

Ioseph Mascardus.

Hieronymus Bentiuolus.

Io. Baptista Eugubinus.

Nicolaus Mortonus.

Alexander Borla.

Paulus Tassus.

Carolus Baldinus.

Visus ijsdem Nostratum opera. Ioseph Barbulia Seminario præficitur, Quod fundauerat Marius Carafa.

Placentiæ non pœnitebat. Et quidem cùm alia alijs permitteret, Iosephum Barbuliam, Sacerdotem nostri Ordinis absolutissimæ virtutis, quem Placentino in Collegio, quod ipse excitauerat, educandæ, formandæque adolescentiæ admouerat, impetrata Maiorum facultate, idem hîc mouere saxum iussit. Enimuerò instituerat Marius Carafa Archiepiscopus è Neapolitana iuuentute Seminarium, vt imbuti bonis artibus, ac moribus adolescentes ad eius Ecclesiæ cultum, curamque succrescerent. Quod vbi Collegium lustrat Cardinalis Aretius; labefactaram, lapsamque omninò Rectorum vitio disciplinam aduertit: cùmque ea de re cum Viris prudentissimis sæpius, atque accuratè consuluisset; id instaurandæ communi rei remedium opportunum fore deliberatum: vt quando latiùs peruaserat viuendi licentia, ac laxitas; dimitterentur Iuuenes illi omnes, noui inducerentur; fundato penè iterum Collegio. Regendæ nouæ Soboli, positæ olim apud Placentinos laudarissimæ operę experientia, poscitur à Cardinali Aretio Barbulia; nec abnuere Rectores nostri, vt morem Optimo Antistiti gererent: probauitque statim Præfecti pietatem, institutionem, industriam alia adolescentum educatio, ac vita. Inerat Barbuliæ incredibilis quædam vis eloquentiæ, qua nihil fingendis moribus aptius: trahebatque volentes, nolentes ad amorem virtutis; ac planè audire capi erat. Nec pigebit vnum hîc obiter inter plura ad hanc dictionis efficaciam explicandam exemplum denarrare. Quidam ex ea Seminarij pube præfracti ingenij Iuuenis; vt non tota semper Societas proba est, ac persæpè adnascitur bonæ frugi lolium; indignatus vehementer Rectori est, qui inuehere in eius mores cœperat, vt emendaret. Ergo cùm id solenne improbis sit, vt cùm succenseri suis vitijs debeant, censorem oderint; vindicare acriora Magistri monita, inflictasque opportunè pœnas, in animum induxit; affixitque publico loco libellum, nullis non contumelijs, ac conuicijs optimi Viri famam dilacerantem. Ne cæteram Iuuentutem exemplum, aut impunitas corrumperet, mulctari facinus cùm vellet Rector; reperiri qui illud admiserit, nulla vnquam inquisitione potuit. Quarè periclitari dicendi facultatem statuit: ac planè valuit experientia. Quippè festo die communicaturi Christi corpori adolescentes omnes, cùm ad mysteria conuenissent; sacram ipse Eucharistiam manu tenens, eo ardore dictionis in crimen inuexit, exorsus ab ijs verbis: Vnus ex vobis diabolus est: vt statim à Missæ sacro cùm laniari facti conscientia non ampliùs ferret reus: ad ipsum adierit; procumbensque in genua, multo cum gemitu veniam postulauerit, ac impetrauerit. Sed de Iosepho Barbulia suus aliàs erit dicendi locus. Interim coniectari liceat, quàm benè Ecclesiæ Neapolitanæ esset, quam Cardinalis Aretius non modò sua prudentia, exemplisque virtutum; verùm etiam adscita egregia administrorum, quos modo memorauimus, ope, ac virtute procurabat.

Sed labefacta, cum reformauerat statim Aretius.

Vis dicendi in Barbulia.

Exemplo comprobatur.

Prorex Neapolitanus Marcelli Maiorani opera vtitur.

Iam, quod ad nostros attinet, non Ecclesiasticam modò rem, sed profanam etiam curare eo tempore videbantur; quippè quorum studio, ac opera non modò Cardinalis, verùm etiam Prorex vteretur. Enimuerò qui tùm Neapolitani Regni fasces moderabatur, Ioannes Mendoza, Mondexari Marchio, laudatissimus planè Princeps, Marcellum Maioranum, quem aliàs meminimus, secunda tunc litterarum, vitæque fama apud Neapolitanos florentem, singulari quadam obseruantia prosequebatur; admotumque suæ conscientiæ, in publicis etiam negotijs consulere consueuerat, permagno quidem cum publicæ rei fructu. Nunquam enim non frugiferæ Principis curæ cùm non ad humanam modò prudentiam, sed ad religionem etiam exacta; bonorum consilia in animum demittit suum. Sanè, Principum, Regnorumq; momentis immisceri Religiosos homines, haud satis laudabile vnquam fuit. Aliud nanque eorum institutorum cùm sit; saltare extra chorum, aut monere vltra crepidam videntur. Ascetæ fui, diuinorumque contemplationi assiduò cum vacent; qui sciuerint regendorum populorum artes, quę in Aula, ac in ipsamet rerum tractatione condiscuntur? Quocirca alterutrum contingat, necesse est; aut grauissimis negotijs malè esse, cùm inexpertus consulat; aut regularem disciplinam labefactari, frequenti vsu Magnatum, attactuque aulicorum. Atque hoc postremum persæpè quidem accidit: cùm rarò melior ab Aula vir Religiosus redeat, corrupta plerunque, ac sensim indole pestilenti afflatu ambitionis. Hoc potissimùm cauisse suis Religiosorum Patres compertum

Aulis Viros Religiosos assuescere haud decorum.

tum est, qui iuuandas publicas curas orando ad Deum potiùs, quàm apud Principes perorando, monuere. At enimuerò, nemo est, qui iure negauerit, audiri interdum Religiosos viros, si præstantes virtute, doctrinisque sint; opportunitates publicis rebus, earumque Rectoribus afferre quàm plurimas. Cæteros ambitio, aut studia partium vitiant, reguntque; vt quanuis vi iudicij, atque experientia valeant; publicam causam posthabentes, suę, suorumque voluntati studeant, ac lirent. Religiosis libera omninò mens, rogatique sententiam ad equi, rectique lancem expendunt; vt quid prosit Principi, non quid placeat, constanter pronuncient: quibus si quid insuper rerum vsus accedat, nihil sanè ad Reipublicæ incolumitatem, felicitatemq; opportunius. Iam, Marcello Maiorano non id erat ingenium, vt sua se sponte Regni negotijs pertractandis insinuaret, instituti memor, ac retinens: accitus verò à Mendoza Prorege illud sibi propositum habuit, vt non grauiora auribus, aut genio Principis, sed veriora diceret, incorrupta quidem mente ac fide, ac nulla ex aulæ consuetudine côcepta animi sorde. Extat modò regijs in Ædibus eius pietatis, studijq; pręsertim diuini cultus monumentum. Autor nanque fuit, vt commoda, decentique in earum parte Sacellum functionibus peragendis, celebrandisq; mysterijs excitaretur. Antea siquidē in ipsamet communi aula, erecto tralatitio, ac pro tempore altari, diuina celebrari consueuerant, non sine eorum iniuria; quando subitaria in ara carere suo cultu, instrumentique munditie sacra oportebat. Hanc autem Ædiculam Antonius Henriquez, Castellæ Almirantes, Regni Neapolitani Moderator, ad regiam nuper amplitudinem laxari, exornarique sumptuosissimè curauit, auro supernè illuminatam, picturisque egregijs cultam, admirabili quodam magnificentiæ, ac pietatis nexu.

Quorū partes sunt ad Deū orare.

Etsi iuuēt interdū publica negotia, si dirigant.

Maiorano recta omninò in consilijs expediendis mens.

Autor, vt regia in Domo Sacellum excitaretur.

Quod Castellæ Almirātes ampliauit, exornauitq;

Porrò, vt virtutis opinione, curisque in proximorum salutem intentis spargi latiùs nostræ disciplinę fama videbatur; ita & augeri operarum numerū contingebat: umq; fatis multi Sodalitati hoc anno nomen dederint, illi pręcipuè eminere supra alios visi sunt, quos Infula subindè condecorauit, ad Ecclesiarū rectionem prouocatos: vt postquam Ordinem domestica virtute exornarint, publica administratione cæteros mortales iuuarent. Fuere hi Ioannes Baptista Milanus Venetus: Thomas Mont us, & Vincentius Capycius, Neapolitani. Et Milanus quidem primus fuit, qui in nostrę Côgreg. Præpos. Gen. euaserit. Cùm mutata Maximi Pontificis Sixti V. nutu regiminis forma, alia fuit inducenda, eaque opportunior adultæ iam Sodalitati moderandæ, vt in loco explicabimus. Is postquam Ordinē aliquandiù cum laude procurauit, ad Bergomensem Cathedrā destinatus à Clem. Pontifice VIII. fuit: quā diutiùs tenuit, rexitque vsq; ad ætatis suę annum nonagesimū, singulari exemplo integerrimę virtutis, euiq; gradioris. Montium, & Capycium Maiorum quidē splendor prępnobiles fecit; sed sua eos virtus ad Infulas euexit, hunc Corronēses, illum Callipolitanas: cùm antea ad virtutis sese austerioris palęstrā in Ordine diù, ac nauiter exercuissent: vt inculparę vitę exemplis forma fierent gregis. Quibus addēdus Dominicus Ridolphus, Oriç Episcopus, qui ad supremā vsque ętatem vixit. Eodem hoc anno vota nuncupauit in Neapolitana D. Pauli Æde Paulus Tufus, Neapolitanus, ex Iensani Marchionibus, Ioannis Vincentij filius, matre Cornelia Carafa, ex Ducibus Mataluni. Hunc ad Romanā Aulam pater destinatum, instruere ijs bonarum artium, opumque instrumentis studuit, quæ illi ad honores viam sternerent. At ipse vota, ac spes Patris, conceptosque dignitatū gradus ludens; dicere religiosę paupertati sacramentum maluit: capessiuitq; magna mente Theatinum Institutū, ijs verbis vsus, quę postea vsurpare in reliqua vita solitus erat: Elegi abiectus esse in domo Dei mei. Effloruere in ipso statim tyrocinio animi dotes, quę solidam virtutem promitterent; interq; pręsertim ea moribus, orique modestia, ac elegantia, vt Angelo quàm simillimum diceres. Singulari quadam obseruantia colere D. Gregorium Magnum cœpit, sueque illum veluti Magistrum vitę proposuit. Quocirca intra probationis annum totos ipsos quinque, & triginta moralium libros diligenter excurrit: excerpsitque ad virtutum vsum, progressionemque, quæ in aureis ijs voluminibus sententiæ, ac monita exarata diuino planè calamo fuere: formauitque egregiè ijs præceptionibus mores suos, de quibus aliàs memorabimus.

Institutū pleriq; capessūnt, Infulati, postea.

Io: Baptista Milanus.

Thomas Môtius.

Vincentius Capycius,

Milanus primus Ordinis Præp. Gen. Mox Antistes Bergomensis.

Institutum itē capessit Paulus Tufus.

Romanæ Aulę destinatur.

Patris consiliū ludit.

Eius modestia.

Et in D. Gregorium Magnum pietas, Cuius moralia excerpsit.

Qui verò, susceptis publicè votis, Sodalitatis hoc anno censum illustriùs adauxit, nobilitauitque; is fuit Franciscus Olympius, exercitatione virtutum, ac pręstantiore

Franc. Olympius adoptatur in Ordinē

quadam sanctimonię nota pręsignis; suoq; maximè cognomento sublimior, vt cuius elata semper in Deum assiduo orationis studio mens fuit. Vitam ad supremam vsq; senectutem produxit: communique sanctitatis persuasione, ac experientia, magna,

Eius fama sanctitatis apud Neapolitanos

quoad vixit, apud Neapolitanos summos, infimos in veneratione habitus fuit: elatusque est anno huius seculi, in quo viuimus, nono, & vigesimo; ac mirum qua celebritate, ac sensu ductum funus; vt gratulatio videri posset, non iusta exequiarum; ceu receptum iam Cælo spiritum adorarent, adeptique nouam apud Deum tutelam, ac

De qua cepta iam confici acta.

patrocinium fuerint. Continuata subindè est ea iudiciorum consensu vitę sanctioris fama; vt muniendæ illi ad honores publicos viæ, confici iam de eximia eius virtute Neapolitani Archiepiscopi authoritate acta cœperint. Iam quod ad eius vitam attinet, libare hìc breuiter natales, atque adolescentiam consilium est; cuius grandiorem ætatem, virtutemque reliqua deindè dabit historia.

Eius natales.

Natus is est Neapoli anno supra sesquimillesimum nono, & quinquagesimo, Augusto mense, sacra illibatæ Virginis niuibus die. Lustratus baptismo, ex imposito multiplici nomine Horatij appellationem retinuit: quod ille, vbi ratio, ac virtus illuxit, tulit molestissimè; ceu sacris nominibus dilabentibus, profanum steterit. Pater illi

Parentes.

Tyberius Olympius, è Patricio Ordine Capuanus, Vir frugi æquè, ac doctus: qui quòd in capitalium causarum patrocinio, quod susceperat, asserere è custodijs feliciore quadam facundia obnoxios consueuerat; vulgò Sanctus Leonardus audiuit.

Opes paternę

Mater fuit Isabella à Leo, ornatissima fœmina. Fratres indole, ac numero floruere;

Mox paupertas, quā ipse ostentabat.

lautissimo præsertim patrimonio, quod Pater legauit: vt planè cùm opibus, tùm claris cum Neapolitana nobilitate affinitatibus inclaruerit Domus; quam ipsemet Franciscus posteà ab ea diuitiarum amplitudine ad extremam prolapsam inopiam vidit, singulari quidem animi firmitate, exemploque virtutis. Nam qui luculentas suorum fortunas, splendoremq; dissimulare olim, atque auersari ab egregia mentis demissione visus fuerat; ostentare deindè paupertatem, ac veluti cum pompa producere solitus erat.

Porrò, vt ab ipsis lucis rudimentis adultum iam solem, ac cæterum diem metimur; ita quæ fulsit posteà in Olympio virtutis meridies, ipsa statim æui appetentis

Pudicitię studiū à puero.

primordia commonstrarunt. Adolescere præclaræ animi dotes cum puero videbantur: ac princeps illi cura mentis candor, ac pudicitiæ studium; ita vt delibasse à Sacris Deiparæ niuibus, sub quarum auspicijs editus in lucem fuerat, exin iam puritatem videri vellet. Et è fratribus quidem fuit, qui affirmaret, nihil vnquam se in Horatio aduertisse, quod commaculasse primigenium virginitatis florem dici potuerit.

Quo virginitatē seruauit. Loqui turpia, eo presente, adolescentes non audent.

Notus hic adolescentibus alijs pudor: ac semel accidit, vt cùm loqui turpia par iuuenum incœptassent, aliò statim præsentem Horatium amandarint; nempè quòd eo teste sermones serere prætextatos erubescerent. Et ille quidem, qui indecoræ iam orationis exordium in aures, vel inuitus, admiserat; quo sensu illorum licentiam, ac labem tulerit, testati obortis confestim lacrymis voluit. Et quod ad ingenuam item indolem, atque illibati pectoris honestatem facit: cùm denarrari hoc ipsum longo post interuallo è moderatoris imperio oportuerit; adduci nunquam potuit Vir castissi-

Nec adduci ipse poterat, vt pronunciaret non honestissima.

mus, vt vsitatis vocabulis vteretur: sed rem studuit ita conuestire, atque ambitu verborum describere, vt inhonesta locutos iuuenes intelligi vix posset. Adeò nimirùm à sua mente turpium imaginem, ac speciem omnem expunxerat; vt ijs vel decorè repræsentandis nec verba suppeterent: aut pertimesceret, ne quid linguæ adhæreret limi, ac sordis; si verbulum proferret non honestissimum. Nunquam sine multarum

Præcipuus in eo Dei timor.

partium, ac virtutum nexu morum hic candor. Inerat animo timor ille, ingenuus, ac optimus vitæ moderator: quo solicitus oppidò erat, non modò ne præcipuum hoc honestatis decus, quod modò diximus, fœdaret; sed ne vel leuissimè Numen læderet: adeò vt si cuius fortè sibi labeculæ conscius esset; nihil priùs haberet, quàm confessione detergere. Atque is quidem metus non modò pueritiam composuit; verùm, vt ipsemet affirmabat, visus ante ipsum rationis vsum mentem occupasse.

Vel ante rationis vsum.

Quod sanè nescio, an cuipiam contigisse, aliquæ prodant litteræ. Certè, præmaturi cuiusdam iudicij, atque anticipatæ probitatis argumentum est, culpam pertimescere, antequàm afflare mentem possit; ac nonnisi virtus est, quæ vitium exclu-

dit,

dit, ac timet. In parentes obsequium, supra ætatem, ac reliquorum fratrum obseruantiam fuit. Testata sæpiùs Mater est, nunquam se, vt improbuli, molestique sunt pueri, aliquid ab eo ægritudinis, aut incommodi accepisse, nunquam eius mores pœnitentiæ nomine mulctasse: semel admissæ à famulo culpæ pœnam ipse leui ictu luit: quæ quidem præpostera animaduersio id effecit, vt ingressus Lararium puer, solidum illum diem inter preces transmiserit. Peculiaris in egenos pietas, ac commiseratio in eo erat; declarauitque non semel, cùm petenti stipem pauperi, dum meridiaretur, suammet cibi partem erogauit. Id quod cùm senex posteà referret: dissimulare incredibilem illam, quam puer ab ea erogatione ceperat voluptatem, minimè poterat. Religionis, diuinique cultus præclarum in eo flore æui specimen dedit. Præcipuum illi studium, sacras ædiculas domi excitare, concinnare aras, Ecclesiasticas imitari pro modo functiones, ac ritus. In quo sanè sacrorum studio nihil illo posteà accuratius, aut elegantius fuit: vnde dicere solitum accepimus ea Prophetæ verba: Domine dilexi decorem Domus tuæ: addebatque pro singulari in Virginem obseruantia, & Matris tuæ: ceu pietate, cultuque pari Deum, ac Deiparam colendam existimaret. Et verò quòd dicata magnæ Matri die, vti significatum est, vitam, lucemque primam hauserit; prouocari se, aiebat, eo potissimùm nomine ad insignem quendam aduersùs illam affectum: colebatque enimuerò magnum nomen eo sensu; vt impar omninò esset egregię, adultæque pietati ætas. Precarium eius sertum pluries in dies singulos percurrebat; relictis, quæ alimenta pueritiæ sunt, lusibus. Quo die salutatæ ab Angelo Virginis solennia inciderant, totum deinde insequentem annum abstinere ab esu carnium consueuerat; rara in adolescentulis abstinentia. Nuncupatam Diuæ Mariæ à Carmelo Ædem, ad lignariorum viciniam, ac paternas propè domos, vulgò Carminellum Neapolitani vocant, mira quadam religione celebrabat, non sine eius studij pretio. Siquidem interceptus ipsi aliquando, currente rota, pes, protritus videri poterat: verùm quòd se Carmelitæ Virgini ex animo commendauerit: pertransijt currus, inoffenso, atque incolumi pede. Beneficia & alijs hoc merito impetrauit. Prolapsus ab alto puer, magnæ illi Virginis tutelæ vbi Horatius commendasset, breui conualuit. Claues nescio quas serua amiserat; vt vapulare strenuè pertimesceret. Commiseratus ille fœminam, ad eiusdem Templi perfugium, Virginem deprecaturus, conuolat; repertæque mox claues id loci, quo decidisse casu videri poterant, ne quid deditæ operæ suspicio oriretur: id quod rogauerat potissimùm Puer. Insignem verò in Marianum hoc Templum religionem retinuit posteà, aluitq; egregiè Olympius; vt postremis hisce annis pretiosis plerisque donarijs auxerit: Missasque inibi, amplificando cultui, celebrandas curauerit. Quo sanè excitata mirificè est populorum in eandem Ædem pietas, non sterilis ea quidem: nam intra annos non sanè multos antequàm Senex ille optimus mortalitatem exueret, ipso quidem impulsore, instaurando, ampliandoque ædificio, subductis rationibus, ad octo aureorum millia fidelium liberalitas erogauit: accurruntque eò nunc celebrandæ Virgini Neapolitani; eo præsertim titulo, quòd olim Olympius frequentauerit: vt gratulandum maximè sit eius nomini, quod adeò sit cum magnæ Matris cultu, ac veneratione coniunctum.

In Parentes obsequium.

Caritas in egenos.

Dei cultus in pueritia.

Et in Virginē obseruantia.

Deiparam à Carmelo præcipue colit.

Cum suo, aliorumq; fructu.

Eius Virginis Templū donarijs auxit.

Eiusq; exēplo impulsuque instauratum à fidelibus.

Iam tantæ indolis iuuenis, factus profectò ad regularem disciplinam videri poterat: eòque statim animum appulit, vbi per ætatem alias iam concipere viuendi rationes licuit. Dominicanum primùm Ordinem cogitauit; sed mutata dein mente, inijt Theatinum; planè non sine instinctu Numinis. Nam quo tempore addictus maximè præclaræ Prædicatorum disciplinæ videbatur: interrogatus à Nostratibus, an aggregari ad Clericos Regulares vellet; quanuis pernegare animus esset, atque omninò conaretur; annuere nihilominùs cogebatur, reflante nimirùm diuino Spiritu; vt velificationem commutaret: Deoque obsequeretur, qui insigni eius virtute cohonestare Theatinam familiam constituerat. Receptus Neapoli in Ordinem à Paulinis Patribus, amandatus non post multò in Sanctorum Apostolorum Cœnobium fuit: vt mutato post quadrimestre de more habitu, ac nomine annum inibi probationis florenti cum tyronum pube iniret. In quo quidem & illud memoratu dignum contigit. Nam quo die insignia Religionis, nomenque is induit, expergefa-

Religiosum Institutum concipit, Pręcipuè Dominicanum.

Sed mutato diuinitùs cōsilio Theatino se addicit.

Tyrocinium ponit.

Audit Franc. quod nomen Matri mirè in susurratur.

ĉta summo manè mater, cùm nec de habitu, nec de appellatione, eo die commutanda, quidquid vnquam inaudiuisset; adlabi ad aures vocem nescio quam, sensit, ac ter Francisci nomen disertè insusurrare: resciuitque posteà ingenti cum admiratione Horatium abijsse in Franciscum. Hoc porrò anno, in quo Religiosi moris propositum, mentemque periclitati oportuit, mirum quibus agitari fluctibus cœperit. Solitudo, recessusque inassuetæ, ac lætiori indoli grauior visa; vt ipsemet sæpiùs de constantia dubitauerit. Verecundia, tùm pronior Dei benignitas opportunè confirmando pectori adfuit: ac tantus deindè illi instillatus religiosæ disciplinæ amor diuinitùs fuit; vt nullus planè visus in ea complectenda, vouendaque alacrior. Documento fuerit, quòd cùm solenni in ipsa votorum nuncupatione schedulam perlegeret; à pio quodam, teneroque animi sensu oborta ea lacrymarum vis est, vt subsistere oportuerit, quoad fletus remiserit. Planè, vehementer tentari, non id est infirmæ, ignauæque mentis indicium; quando aut probat Deus ipse indolem, vt ab eo constantiæ experimento affusiore quadam gratia Virum fortem remuneret; aut malus dæmon, quòd grauiter sibi à magna virtute timeat, oppugnare magnis illam conatibus studet: proindèque egregiæ pietatis, aut prouentus, aut argumentum tentatio est. Atque hæc de Francisci Olympij vitæ, morumque rudimentis. Præludia ea quidem; quæ sanctior postea excepit pietas, & constans ad extremum vsque senium solidioris disciplinæ institutum. Aliam nunc stylo materiam, ac librum demus.

Principiò pulsari tentationum stimulis cœpit. Sed lusa impressione, Incredibili vi lacrymarum publicè profitetur.

LIBRI TERTII DECIMI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DECIMVS QVARTVS.



VNESTA omninò isthæc Italiæ tempora contigere; grassante nimirùm longè, lateque pestilentia, vti significatum est, ac mox dicemus, cùm eius iterum memoria recurret, eò acerbior, quod vires acquisiuisse consequenti hoc anno robustiores visa est: proindèq; cum ijs, qui in Gallia Cisalpina Patres erant, patere Romanum iter, ac aditus non potuisset; quæ celebrata Romæ sunt Aprili mense Comitia, restringi intra pauciores oportuit: permissa Neapolitanis, Romanisque Patribus communis eius negotij administratione; ne perutile Ordini celebrandorum quotannis Conuentuum institutum abrumperetur. Scita in hoc generali Capitulo multa, quæ ad disciplinam tuendam facerent; cautumq; præsertim, ne publica siue concionum, siue sacramentorum administrandorum munera nisi à peritissimis, & quibus præsidia litterarum suppeterent, obiri permitterentur. Interest permagni cùm publicæ rei Christianæ, tùm cuiusque Ordinis existimationis, tùm denique priuatę proximorum salutis, vt doctrinas, ac sacra optimi quique, ac scientissimi tradant. Errare siquidem in his sine animorum fraude, aut religionis iniuria cùm rarò contingat; cauendum maximè, ne administer peccet; sed in omni scientiarum genere instructus, suique officij consultissimus eruditas aures, ac linguam populis siue docendis, siue audiendis commodet. Ergò decretum sapienter est, vt qui ad sacras conciones destinantur, non anteà se publicis declamationibus exponant; quàm seueriore quodam examine, censuraque explorentur, an præter dicendi facultatem, ac naturæ instrumenta, sacrarum etiam litterarum, Theologiæ præsertim adiumenta accedant: ne qui erudire, inflammare, & concitare præclaros animi motus concionator debet; vmbratili quadam eloquentia, cui nullum à doctrinis momentum, ac pondus, auribus tantummodò lenocinetur, nullo prætereà operę pretio. Ad hæc, prudenter item sancitum, vt qui ad confessiones audiendas, siue ad sacros ordines suscipiendos approbari publico examine ab locorum Ordinarijs debent; ij domi primùm periculum priuatim faciant, ac districtè à nostris examinentur; vt nonnisi abundè idonei exponantur, aut initientur: ac ne perspecta interdum alicuius probitas, sed minùs adhuc erudita, decipiat; ita vt periclitari doctrinam immaturiùs contingat, non sine communis famæ dehonestamento. Prætereà, constituta suscipiendis singulis quibusque sacris Ordinibus ab emissa professione tempora: rum de Nouitiorum educatione, atque institutione decreta quædam opportunissimè. Ad extremum nostris defunctis prouisum, præscriptæque eorum manibus per Ordinem preces, ac sacra. Neque dissimulata hìc fuit à communi Patrum sensu, ac sedulitate Italiæ pestilitas: actumque inter ipsos cùm de Sodalitatis incolumitate, tùm de ratione, qua adesse nostri homines publicæ calamitati pro modo possent: ac quæcumque in rem fore communis rei, ac proximorum reputarunt, illicò cæteris domibus significarunt.

Romæ Comitia an. 1577.

Vt à peritiss. mis sacra ministrentur, consultum.

Explorata Concionatorum eruditio, ne.

Et Confessoriorum.

Decreta item alia.

Perstringenda hæc modò publica lues, ac vastitas. Venetias ea quidem omnium luctu, metuque inuaserat. Placentia item non minimùm ab ea laborabat: ac proindè totos in aliorum salute procuranda Nostrates esse oportebat. Nullibi verò impensiùs, quàm Mediolani, quod frequentissima iam funera compleuerant. Inuecta in celeberrimam eam Vrbem sub extremum exacti anni pestilentia mirùm qua fęuire contumacia, ac impetu in præsentiarum videbatur, immissa in confertissimam se-

Lues Mediolanensis.

getem falce, quæ nullo ordinum respectu vitas demeteret. Atrox omninò rerum facies; vbique luctus, ac mœror; occurrebantque passim per compita aut spirantia, aut confecta iam morbo corpora. Familiam vbi lues semel corripuit, totam exhaurijt, corruptis mutua contagione mortalibus; vt id nocere maximè videretur, quod in cæteris malis esse maximè auxilio solet, nempè affinitas, & contubernium. Actum profectò de principe ea Insubriæ Ciuitate erat, nisi Patriæ Pater, ac Vir sanctissimus Carolus, Cardinalis Borromæus, & occurrisset ipse prædicanda sæculis omnibus caritate pestilentissimo illi malo, & excitasset subindè ad eam opem præclaro exemplo alios. Quæsitum Cælo præsidium publicis supplicationibus: hostiam verò placando irato Numini non aliam, quam seipsum voluit optimus Præsul, nullo non afflictationum genere confectus; vt nec sanguini parceret. Fusæ opes, supellex, aulæa subleuandæ inopiæ; adire ipse ægrotos, adhortari strenuè, administrare Sacramenta: nec præcipitem, ardentemque pestilitatem pertimescere. Generosa hæc indoles cùm alios, tùm nostros homines, ex se iam pietati proniores, etiam, atque etiam inflammauit. Præerat Mediolanensi Cœnobio Basilius Pignatellus, quem genus, & virtus ad omnem præclari facinoris laudem egregiè animabant. Quædam in eo cum eximia caritate excellens coniungi prudentia visa est. Enimuerò Patauinæ calamitatis exemplo edoctus, in qua nostri penè omnes, percussi morbo, interierant; in id præcipuè curas intendit, vt commodarent quidem ipsi manus, conatusque omnes affectæ multitudini; se verò ab ea t be, afflatuque incolumes cautè conseruarent. Itaq; in Ecclesia nihil Theatini pensi prætermissum; persoluta statis horis psalmodia, audita mortalium peccata; mysteria petentibus distributa; conciones identidem confirmandis animis habitæ. Foris verò nullum non pietatis officium impensum; cùm priuatas domos, tùm publica adire Nosocomia, nullo quidem hominum, aut locorum discrimine; assiduas præbere ægrotantium confessionibus aures; moribundos prece, pijsque iuuare adhortamentis; discurrere huc illuc præsenti ope. Atque hæc quidem tàm cautè, eaque solertia ex Pignatelli præceptionibus obire, vt similem portenti rem dixeris, quòd cùm omnes in ipsa pestilentiæ cubilia generosiùs penetrarint, nullus ab ea contaminatus lue fuerit. Præsertim cùm non primis duntaxat curis velitauerint, ac in ipsa deindè vehementia, ardoreque mali comperto sese periculo subduxerint; verùm ad extremum vsque finem egregia caritatis contentione laborauerint: vt non anteà cessarint, quàm restincta omninò pestilitas, omnem metum à Mediolanensium animis excussetit.

Borromæi in eo discrimine caritas.

Nostrates vehementiùs incendit.

Basilij Pignatelli cautio domi, ac foris.

Qua incolumes seruantur Nostri.

Laborantque ad finé vsque pestilentiæ.

Perspecta hæc Ciuibus opportuna Patrum sedulitas; ac ne qui in aliorum salutem incumbere tàm nauiter videbantur, præsenti ipsi subsidio destituerentur, fuere, qui in tanta rerum, ac temporum difficultate insigni eos munificentia iuuarent. Inter primos patricij ordinis duo, Viri clarissimi, numerantur, nempè Ioannes Arcinuoltus, & Ioannes Baptista Blancus. Patriæ illi quidem amantissimi; quippè qui cùm vitandæ vrbanæ luis tota ferè nobilitas in villas, pagosque amœniores concessisset; deuouere ipsi pro communi incolumitate caput suum, Mediolanenses Curtij, non dubitarunt; publicasque cùm annonæ, tùm reliquæ tutelæ curas suscepere: quo sanè in munere cùm suam maximè Patriam demeruissent, tùm singulari quadam, diuinaque in nostram inopiam liberalitate nimiùm quantùm Theatina sibi studia, affectusque deuinxere. Aderant siquidem priuatæ rei nostræ, ac si vni illi vacarent, nec publica illis amplissimæ Vrbis commoda curæ essent. Quo planè nomine ingratæ omninò essent nostræ litteræ, si interire tantam beneuolentiam sinerent. Decet profectò, vt quæ collata semel in nostrum Ordinem beneficia fuere, posteritati ad æmulationem, gratique animi monumentum prostent.

Mediolanensiú in Nostros beneficentia.

Præcipuè Ioannis Arcinuoltij, & Ioannis Baptistæ Blanchi.

At enimuerò, cui maximè suam tunc solertiam, pietatemque Nostrates probauere, Cardinalis Borromæus fuit: qui cùm iuuare ipse laborantem Vrbem pro virili contenderet; gaudebat vehementer, quòd strenuam alij in ijsdem malis propulsandis operam ponerent. Tribuebat iam ille nostræ disciplinæ plurimùm, habebatque in honore, ac numero; sed inspecta propiùs in summa hac clade non vulgari quadam indole, quam non labor, non mors ipsa vinceret; maiorem omninò sua opinione eam virtutem esse existimauit. Atque id causæ fuit, cur sedem Nostri in locum longè nobilio-

Carolus Borromæus Nostrorú sedulitatem probat.

nobiliorem, atque opportuniorem transtulerint. Nam cogitare cœpit Borromæus, vberiorem quidem fructum fore ab insigni ea hominum industria, ac virtute expectandum; si nacti parem celebritatem, situmque fuerint. Extra Vrbis mœnia, vbi tum ij in Diuæ Mariæ ad S. Calimerum Cœnobio morabantur, quid randem frugis colligeret assiduus licet labor? Confluant mortales necesse est, vt capi eruditione, ac monitis possint; cùm id in primis efficiat rarus auditor, vt omnis confestim iuuandi ardor, animique impetus langueat. Ergò, vrgente rem Borromæo, actum de Diui Antonij Templo, ac Ædibus. Situs nobili quidem, ac frequenti in vicinia propè Templum Maximum, Thatinis curis, aliorumque vtilitati percommodus. Accessitque mox Marsilij Landriani, optimi Viri, Ecclesiæ Rectoris, Episcopi posteà Vigeuanensis voluntas: cui, distractis Diuæ Mariæ ad sanctum Calimerum Ædibus, compensatum pretij parte incommodum; eiusdem pretij parte altera nouo Cœnobio expoliendo, ac domesticis vsibus insumpta. Quibus peractis, ampliorem aperiri laboribus, ac cœptis suis campum gratulati nostri homines; relicto confestim priori Domicilio, in nouum commigrarunt: quanto quidem cum proximorum fructu, quantoque cum disciplinæ, diuinique cultus incremento declarauit statim Mediolanensium consensus, ac secunda per Vrbem admurmuratio. Et Borromæus quidem, cùm adeò successisse rem in commune bonum vidisset, lætatus maximoperè est: commendabatque persæpè apud exteros Nostratum industriam, ac præclara in omni pietaris genere studia, quibus ad animorum salutem in Diui Antonij Ecclesia nitebantur. Et verò, creuit subindè à laudatissimis Patrum curis vsque adeò populorum in ea Ecclesia concursus, vt cùm erudiendæ multitudini non satis iam esset operarum numerus; litteras ipsemet Cardinalis Borromæus ad Andream Auellinum Romam consequenti anno dederit, id enixè efflagitans, vt in generalibus Comitijs inibi propè diem celebrandis, adaugendum Mediolani capitum numerum curaret: quando ea iam esset seges, vt adiutrices plurimorum manus posceret. Epistola, quòd à Viro sancto missa ad Virum sanctum fuerit, ac disertè eius incrementa domus testetur; non hìc dissimulanda. Sic verò in Latinum transtulimus.

Eiusque operamutata Patribus sedes.

Impetrato Diui Vincentij Templo.

In quo maiori cum omnium fructu res agitur.

Adaucto populorum accursu.

Pater admodum R. Expertus ipse tot iam annos perutilem Patrum, qui in hoc Diui Antonij Cœnobio versantur, operam; & quo fructu studium ad horum populorum institutionem contulerint; compertum habeo, eò fructuosiores fore eorum labores, quò magis amplificari eorum numerus continget. Quocirca rogo te, vt in generali Capitulo, quod hisce Dominicæ Resurrectionis ferijs habebitur, id cures maximè, vt augeantur hìc Patres, qui tùm Confessionibus excipiendis, tùm quotidiano Odeo, tùm habendis publicè concionibus, erudiendisque etiam sanctimonialibus sufficiant. Ac tibi persuasum habeas velim, eiusmodi nunc esse ad sacram eam Ædem hominum conuentum, ac Mediolanensium in Patres obseruantiam; vt quàm plurimas amandasse huc operas, nunquam pœnitebit, ab ingenti nimirum spe messis, ac publicæ vtilitatis. Obstrictus & ipse hoc nomine Congregationi vestræ ero; cuius me precibus ex animo commendo: tibique diuinæ incrementa gratiæ precor etiam, atque etiam. Mediolani die 14. Aprilis 1578.

Vt plures operas efflagitauerit Borromæus.

Hæc Cardinalis Borromæus, cui nihil potius, quàm in omne ouium suarum commodum cogitationes intendere: factumque eius postulatis satis, adaucta Patrum familia, missoque ipsomet Andrea Auellino, qui Diui Antonij Præfecturam administraret. Cuius quidem muneris quando hìc iam meminimus, narrare hoc etiam loco non abs re fuerit, quam ille frugiferam, sedulamque operam in ea iterum Ciuitate nauauerit. Cardinalis in primis Borromæus, renouata, quam antea inierant, consuetudine, vsus eo est quàm familiarissimè; Viri mores supra communem virtutem admiratus, mortalium præcipuè contemptum, humilitatemque, atque indefessam in procuratione animorum industriam: quæ crebris etiam vsurpare sermonibus, ac dilaudare cum domesticis, exterisque solitus erat. Quo factum, vt ab ea plerique commendatione vehementiùs ad eius venerationem, amoremque accenderentur. Atque è Borromei familiaribus, qui Andream impensiùs tum coluerit, fuit Ioannes Baptista Talliaferrus, Abbas Sancti Archangeli, ob egregium ad omnem virtutem impetum, ac diuinorum gustum, integram profectò

Datis ad Auellinum litteris.

Auel-

Auellini beneuolentiam promeritus: qui ab eo, Viro cæteroqui longè modestissi-

Eius arcanorum particeps.

mo, & qui sacramentum Regis abscondere bonum esse, probè nouerat, id aliquando euicit, vt quæ illi Cœlestium spectacula, ac beneficiorum illecebras Deus indulserat, sibi familiariter, & candidissimè aperiret. Enimuerò cùm de contemplationis studio vnà agerent, ac delicias, quibus inundari commentantium animos frequenter contingit, Auellinus commemoraret, sereretque sermones alios ex alijs: in Saluatoris humanitatem supra omne mortalium decus spectabilem descendit; tum vim animi cohibere cùm iam minimè posset; communicare cum eo coactus est, olim se eo dignatum theatro fuisse, amotoque ceu velo pulcherrimum Christi Corpus diuina quadam luce irradiatum spectasse, eò prorsus augusti, venustique oris habitu, qualem ea Prophetæ verba delinearunt: Speciosus forma præ filijs hominum. Accensumque ad supernorum amorem ab ea luce vsque adeò, vt humana prorsùs cuncta deinceps sorduerint: ad hæc defixum diuinæ bonitatis admiratione obstupuisse, quòd tantùm mortalium generi tribuerit, vt ob eius amorem fœdandam, dilacerandamque formam suam permisserit: nec minore in Iudæos odio exarsisse; quorum adeò proiecta audacia fuit, vt vim, manumque Numini intulerint. Hæc Talliaferto haud siccis quidem oculis denarrauit; vt regustare tùm quidem eandem dulcedinem testarentur lacrymæ. Illud autem Mediolani famam

Paula Vicecomes Auellini opera mũdo renunciat.

illi non vulgarem conciliauit; mutatum videlicet Principis fœminæ vitæ institutum. Paula Vicecomes, forma, ac genere nobilissima, extincto Pomponio Cusano, Coniuge, Cardinalis Cusani fratre, Andreæ se clientelæ commiserat: ac breui ita eius adhortamentis flos omnis mortalis, blandientisque fortunæ aruisse in ipsius pectore visus est; vt remisso rebus humanis nuncio, arctissimæ Capuccinarum disciplinæ se mancipare in animum induxerit suum. Consilium acerbiùs tulere primùm consanguinei, qui florentem æuo, ac opibus Paulam alijs iam nuptijs destinauerant. Verùm vbi in capessendo seueriore eo instituto præclaram illius constantiam compertam habuere; non ausi egregiæ menti obluctari; quin singulari quodam obseruantia complecti Andream cœpere, qui propositum ingenerauerat. Et Cardinalis quidem Cusanus tanti deinceps eius sanctimoniam, ac prudentiam fecit; vt ani-

Hinc sibi Cardinalem Cusanum deuinxit.

mi, suorumque actuum rectorem legerit. Nihil eo inconsulto aggredi, nihil profequi consueuerat: quæ latere alios peruellet, Andreæ explicabat: rogabatque sententiam, ac mentem, veluti penderent ab eo supercilio, ac nutu sua omnia. Qui etiam

Qui audiendi vbique confessiones facultatem illi impetrat.

perspecta inexplebili in eo animorum siti, id illi à Romano Pontifice, obsignato diplomate impetrauit, vt vbique terrarum, ac gentium aures, ac operam quibuslibet cõfitentibus dare, ipsis inscijs, inconsultisq; Episcopis, posset: quo nescio, an quid Andreę iucundius, qui in sanandis mortalibus, ac in deplorata præsertim hominum vita

Aliorum itẽ in Auellinũ studium.

emendanda totus erat. Quod verò ad Ciues alios pertinet, nullum fuit Mediolani genus hominum, de quo non optimè meruerit. Nouerat ipse omnes, nouerant ipsum omnes iam tum ab ipsis nostri Ordinis in ea Ciuitate initijs. Ac plerique ita se illi instituendos tunc tradiderant vt assiduis postea ali litteris, cùm Placentiæ moraretur, oportuerit: quidam autem, cùm non muta epistola, sed voce, ac spiritu ipso formari cuperent; Placentiam vsque certis anni temporibus excurrebant: qui quidem cùm præsentem nunc denuò Rectorem suum haberent; certatim ad illum confluere videbantur, vt animorum cum eo æstus, vulnera, statumque, ac progressiones in palęstra virtutum communicarent. Atque ab hac quidem Viri, communis salutis flagrantissimi industria, eiusque sanctimoniæ fama aucta mirificè est

Diui Antonij Templi celebritas.

in D. Antonij Templo celebritas; quam succedentium postea aliorum curæ tueri vnà cum regulari disciplina visæ sunt. Accessitque subindè ad excitanda piorum studia externus quidam parietum cultus, ac nitor; exornata ad omnem magnificentiam,

Et cultus.

splendoremque Ecclesia; vt iam ab eximij operis elegantia, inductoque à summis ad ima auro, inter principes, ac sumptuosiores nostri Ordinis Ædes numeretur. Porrò cùm plures omnino Mediolani fuerint, cùm Viri honestissimi, tùm primariæ fœ-

Olympia Pallauicinæ in nostros beneficentia.

minæ, quæ nostræ disciplinæ, priuatoque eius Cœnobij commodo apprimè studuerint; visa profectò palmam præripuisse postremis hisce temporibus Olympia Pallauicina, Comes Triuultia: cuius in ornando Ordine studium haud vulgaris testata sem-

per

per est liberalitas, æquata cum opibus indole. Princeps illi cura pietas, quam Nostratum monita, curæque alebant; tùm pietati par amplitudo, qua rem nostram Mediolanensem magnificè fouebat; ita quidem, vt non intra eos terminos concludi, sed excurrere latiùs Neapolim voluerit: exornauitque non semel Paulinam Ædem, missis honestandæ sanctitati, ac Aræ Beati Andreæ Auellini, quem modò locuti sumus, donarijs, sumptu, ac opere planè regijs. Sed libasse Principis fœminæ laudes satis fuerit, quas stylus paulò fusior aliàs fortasse excipiet.

Æquensis Vici in Picentinis Domicilium fundatur.

Petentibus S. Luciti Marchionibus.

Nunc Mediolanensi huic domicilio, aliud, paruum id quidem, sed apprimè genio loci, & Magnæ Matris nomine venerandum attexímus Cœnobium; quod hoc anno fundatum putamus. Vicus Æquensis in Picentinis, interfuso modico maris tractu non longè ab Neapoli distat, benigniore quodam sydere, atque aeris salubritate amœnior. Degere hic Ferdinandus Carafa sancti Luciti Marchio, & Beatrix à Matra, ornatissima coniux, eius tunc Vrbis Domini, consueuerant: qui quòd addicti impensiùs Theatino instituto essent; præclarè secum, suisque cum subditis actum iri existimarunt, si eò Nostrates coloniam deducerent; quandoquidem & suam ipsorum pietatem fouere frugifera ea Patrum consuetudo potuisset, & formare eorum nauitas rudes populorum mentes; manassetque is insuper fructus ad villas, pagosque viciniores; quos frequentes quidem, nulloque animorum cultu sparsos alit Æquensis Vicinia. Conuenerat jam Ferdinandus anno superiore Marium Carafam, Neapolitanum Antistitem, germanum fratrem; vt sua ipse authoritate rem cum Patribus transigeret; quo vita functo, compotes esse eius voti pijssimi Coniuges minimè potuere. Quapropter vrgere hoc anno vehementer negotium cœpere: successitque ex animi sententia. Enimuerò, etsi probè intelligerent Patres, haud posse, integram eo loci familiam, salua nostrarum legum obseruantia, degere; opportunum nihilominùs contubernium illud putarunt, vbi tàm fructuosè operam ponerent; ac docere Christianum officium, ac morem incultum hominum genus possent. Quanquàm & eo visi etiam Patres collimasse: nam cùm saluberrimus is esset cœli tractus; optimum factu esse duxere, inibi locum figere, Neapolitanorum Patrum valetudini restituendæ. Ergò itum summa cum eius gentis, ac Dominorum gratulatione in eam sententiam, vt acceptarent. Destinatus illicò locus. Is fuit insigni religione celebris propè Ciuitatem Ecclesiæ, Deiparæ, cui nomen à Tauro, nuncupata; quam olim, ac deinceps, vt suo nomine, ità & præsenti virtute, ipsamet Virgo nobilitauerat: prona scilicet ad mortalium preces aure; editisque frequentibus miraculis, quæ famam, religionemque loco comparauerant: accurrebantque eò voti causa non finitimæ modò gentes, sed & tota latè regio, ac sitæ longiùs Vrbes certa beneficiorum persuasione; ac testantur etiamnùm luculenter pictæ, atque innumeræ pro parietibus tabulæ. Igitur sub magnæ Matris auspicijs successere Ædi, ac tecto Patres: statimque veterem religionem nouis rationibus pro loci conditione excolere; vt quanuis non omnia obirent disciplinæ munera; nihil tamen prætermitterent, quo & in diuinorum cultum incumbere, & iuuare ex instituto gentem viderentur. Planè, quod ad priuatum eorum commodum attinet, res benè cecidit. Nam quos alibi aut disciplinæ labor, aut aliquis morbus exhauserat; hìc aëris clementiam recreare, absumptasque vires reponere, euentus comprobauit. Quod verò ad aliorum salutem, profectumque, mirum quo cum pietatis incremento aduentus is Patrum fuit. Antea alta vbique barbaries, ac sacrorum ignoratio; nullæ Christiani officij partes; nullus virtutis sensus, aut cultus. At postquam iniuere locum nostri homines; quà suæ vitæ moribus, exemplisque, quà nitore Ecclesiæ, rerumque diuinarum, quà assiduis adhortationibus, vsuque Sacramentorum, mitescere agrestem indolem, aliasque inire viuendi rationes docuere: vt excitato mirabili quodam amore virtutis, non modò Vici Æquensis populum, sed & accolas, quorum rudiora planè ingenia, expoliuisse ad omnem pietatem videantur. Instaurata postmodùm, atque exornata elegantiùs Mariana hæc Ædes fuit; nunquam intermissa piorum celebritate, ac Deiparæ Virginis ope. Domicilium item nostro vsui accommodatum, laxatumque; subiecto mari, eiusque prospectu; tùm hortorum cultu longè amœnissimum. Fuere autem Nostratum percupidi cùm sancti Luciti

Fundando huic Cœnobio quæ causæ impulerint.

Ædes Deiparæ à Tauro nuncupata.

Miraculis celebris.

Cessitque ex sententia eius Domus institutio.

Cum eius gentis, & accolarum compendio.

Matthæus Capua Nostrarum studiosus. citi Marchiones, quos diximus; tùm Matthæus à Capua Conchæ princeps, qui successit: quorum vltronea liberalitas impensam ab ijs operam magnificè remunerauit magno quidem diuinæ Prouidentiæ documento, quæ vel in abrupta ea Æquensi rupe delicias excitauit, ac suos pascit.

Duo item oblata consequenti mox anno Sodalitati Cœnobia fuere. Cremonæ
Roma Comitia an. 1578. alterum, alterum Spoleti. Cremonense quidem nonn si altero post anno initum, vt in loco exponemus. Spoletanos verò, non vltimi planè nominis in Vmbria gentem, mirus quidam nostræ disciplinæ ardor ceperat. Quare in huius anni Co-
Spoletani Ordinem petūt. mitijs, quæ Romæ ex instituto habebantur, Patres inte pellarunt, vt flagrantissimam adire Vrbem, ac capessere apertam ipsorum virtuti aream vellent. Esse Spoleti Ædem Lauretanæ Virgini dedicatam, quæ exercendo instituto, excolendæque Ciuium pietati foret quidem opportuna: Domicilij substructioni non defuturos se: cætera expectanda à tempore, communique beneuolentia. Placuere ea hominum studia: responderunt verò neque nutu, neque renutu. Rem siquidem oculorum testimonio comprobandam putarunt; ac periclitandas accuratè gentis vires, & animos: ne minimè posteà facta promissis consentirent, ac serò admissi contuber-
Sed re prorsus inspecta, nij pœniteret. Et verò vbi inquisitum in loci siue dignitatem, siue commodum; visum rem minimè processuram; atque adeò complecti eius Vrbis vota, ac bene-
Non impetrant. uolentiam cùm non è re fore Sodalitatis ducerent; coloniam recusarunt.

At enimuerò Neapoli perutile suadere, & curare opus Nostratibus hoc anno
Nouum Neapoli opus. contigit: successitque sanè non exiguo cum secularium puellarum commodo. Operi animum, opesque appulit Ioanna Scortiata, nobili loco, ac pijssima cum
Ioannæ Scortiatæ opibus. primis fœmina, multæ, florentisque sobolis mater; quam ideò edidisse in lucem visa est, vt esset vnde assiduò doleret, continenti, acerboque carorum pignorum casu. Postremus, qui ex quinque virilis sexus filijs remanserat, excellenti Viringenio, ac patrocinando iure percelebris, Fabritius Brancacius extinctus hoc anno est, relicta cùm ampli quidem patrimonij, tùm incomparabilis cuiusdam tristitiæ hærede Matre. Commiserati peracre fœminæ desiderium Nostrates, iam olim ab ea domo, & à Ioanna in primis, cuius conscientiam moderabantur, obstricti beneficijs: & qui mederi vulneri assiduis adhortamentis curabant, offerri sibi ab ea solitu-
Ac Nostratiū Consilio. dine luculentam præclaræ cuiusdam institutionis occasionem sunt gratulati. Deesse Neapoli peculiarem educandis secularibus virginibus locum aduertebant; qui si excitaretur, communi puellarum honestati, pietatique optimè consultum iri persuaserant. Præsertim, quòd qui sanctimonialium Collegijs frequentes aderant, experientia eos docuerat, non mediocri impedimento, ac fraudi esse regulari disciplinæ eiusmodi secularium Virginum educationem: quippè quæ non modò non ipsæ strictiorem obseruantiam subirent; verùm quæ est consuetudinis, exemplique præcipuè in malum, vis, aliarum etiam laxare contentionem, ac bonam mentem quadam vitæ, ac cultus licentia videantur. Præstantissimum hoc opus, ac Neapolitanæ Vrbi apprimè frugiferum, aggredi nullam laudabiliùs posse, quàm Ioannam Scortiatam intelligebant; vt quæ ætate, ac prudentia grandior, opibusque abundè instructa, Collegium & fortunis excitare, & consilio administrare egregiè posset. Ad hæc eius solitudini medicinam commodùm fieri. Ea siquidem Virginum cura auocare à sensu vulneris affectam mentem videri poterat; aut veluti nouæ sobolis incremento filiorum iacturam compensare. Ergò insinuatum Ioannæ consi-
Qui propositio Scortiatæ Puellarum Consilio, lium, quod ipsi tùm laudi, tùm remedio foret: quod illa principiò, vtpotè quæ recenti adhuc filiorum tristitia conflictabatur, minùs probauit: ea potissimùm ratione, quòd quæ lectissimam prolem suam amiserat, adduci non posse videbatur, vt extraneam educaret: neque indè malo suo occurrendum, sed augendum maximè putabat, recrudescente singula in momenta earum aspectu Virginum filiorum desiderio. Verùm, cùm insisterent præclaro operi Patres, ac tùm eximiam Dei gloriam, quæ indè existeret, tùm insigne ab adolescentularum procuratione meritum,
Tandem impetrant. tùm prudentiæ tutelam, pietatisque incitamentum etiam, atque etiam inculcassent: tandem persuaderi passa est Ioanna; præsertim quòd iuuandæ institutioni adpromitterent illi suam operam; & si quod ad spiritum pertineret, pietatis, studioque disci-

disciplinæ adfuturos. Igitur suas ædes propter Paulinum nostrum Cœnobium sitas Virginum Collegio, ac formationi destinauit, dedicauitque; quæ in Templi nomen abiere, indita vulgò à Scortiatis appellatione. Adornata pro modo conclauia, admissæque plures cùm è patricio ordine, tùm ex honestissimorum ciuium censu puellæ, quæ opus initiarent. Et quòd nisi certis quibusdam regulis constare nullus mortalium conuentus potest; conscriptæ à nostris leges opportunissimæ fuere, quæ singulas in officio continerent; & quæ sedulò obseruanda, quæ fugienda essent, sancirent. Loci Præfecturam ipsamet, quæ instituti fundatrix fuerat, suscepit: cautum verò, vt ea elata, certis suffragijs noua Antistita legeretur, quæ vnà cum triumuiris, quorum primus è conscripta Neapolitanis Sedilibus nobilitate, alter è nobilibus extra Sedilia, tertius è Populi censu esset, temporalium administrationem, ac regimen procuraret. Spiritualia verò nostris hominibus curæ essent; quorum sanè temperatione, ac nutu ea statim inuecta in Collegium disciplina est, vt Sanctimonialium Cœnobijs, eorumque regularibus institutis minimè concederet. Nam recitari communi psalmodia ex Romani Breuiarij præscripto statis horis preces, expiari frequenter conscientias, vsurparique mysteria; tùm dari identidem pijs sermonibus aures cœptum; distributis rebus peragendis miro quodam ordine temporibus, ac locis. Eoque præclaræ eius institutionis, Templique fama percrebuit, vt primæ etiam notæ fœminę suarum Virginum indolem ijs informandam moribus traderent; è quibus non paucæ ad sublimiorem posteà pietatem erectę, Religiosi instituti mentem suscepere. Ad hunc cœtum Nostratum etiam consilio, præsertim Iacobi Torni, Viri ad absolutissimę cuiusdam virtutis normam exacti, aggregatum mox par Virginum præstantissimarum fuit, Augustini Papari, quem supra meminimus, filiæ, Aloysia, & Agatha: quę tacitis omninò, pijsque vitę rationibus iam diù vacabant; suisque in domibus hoc ipsum opus alendę tenuiorum puellarum inopię, ac virtuti occœperant; & iam ad septem in earum contubernio huiusmodi Virgines numerabantur, cum quibus, & cum Iulia nepte in Scortiatas transiere; quod sanè prænobile fuit eius Templi auctarium: accessitque Ioannæ à gemina sorore adiumentum non sanè paruum ad familiam procurandam, ac tenerumque puellarum indolem efformandam: quippè quę educatę olim inter Diui Hieronymi moniales, communis vitę mores, quos ipsę exercuerant, inducere in alias exemplo, ac pręceptionibus poterant. Et præstitere planè egregiè, quoad inibi coalita disciplina: rebusque ad religiosę cuiusdam obseruantię examussim compositis, aliam excitarunt familiam, iniecta etiam à nostris hominibus mente, vt inferioris notę Virginibus, quarum & honestas tutela, & cultu mores indigere plurimùm videbātur, prospicerent. Templum hoc ab earum cognomento indigitatum floret hodieque, perennatque in eo pijssimarum Virginum charitas, ac nomen.

Alia nunc scriptionem sibi vendicat fœmina, vt natalibus, ac fortunis, ita pietate etiam, ac virtute longè splendidior: digna profectò, cuius in hisce Annalibus inferatur, ac vireat recordatio; cùm & alumna nostri Instituti fuerit, & aluerit vicissim ipsa liberaliter nostrum Institutum. Ea est Constantia Carretta Auria, Marci Antonij, & Victoriæ Piccolomineæ, Melphitanorum Principum filia, Caroli Lanoyę Sulmonæ Principis, coniux, omni virtutum genere ornatissima, munificentia potissimùm principi fortunæ par: quæ cum in nostro Ordine honestando, fouendoque assidua, ac multa videri posset; tùm in pijs alijs operibus, quà exercendis, quà excitandis tota omninò erat. Atque hæc simul omnia hoc anno, cùm institui a Nostris cœpit, commemorabimus, ne si stylus diuidat per interualla, ac tempora materiam: non totam simul laudatissimæ Heroinæ imaginem, ac formam videas. Igitur Constantia extincto viro Lanoya, quicum quinquennium vixerat; certa non experiri alterius thori sortem, ad Patrem, qui ad Genuensem oram dominabatur, non ita pridem diuerterat: quo item è viuis erepto; cùm Zenobiæ primo loco genitæ sorori, quæ Ioanni Andreæ ab Auria, amplissimo maris Præfecto nupserat, Melphitanorum Principatus obtigisset, aucta ipsa paternis fortunis, ac luculentæ planè hæreditatis parte, Neapolim reuersa hoc anno est. Tantarum opum, ac partium Principi obsequium exhibere, eiusque admoueri conscientiæ, res erat plena omninò exi-

stima-

Appellatumque à Scortiatis.

Sanciæ in eo leges.

Eius institutio à Nostris.

Accedunt Aloysia, & Agatha Paparæ.

Quæ aliam postea perutilem disciplinam excitarunt.

Constantia Carretta, Sulmonæ Princeps.

Extincto Patre.

Neapolim reuertitur.

ſtimationis, & commodi. Ob eam cauſam certatę officijs Religioſorum familiæ: ac fuere, qui nihil differendo, vt eius animum, ac beneuolentiam occuparent; obuiàm aduentanti ad Inſulam vſque Ænariam proceſſerint. Quæ tamen diſſidium ſtatim compoſuit, adiudicata Theatinis lite: qui vt non obſequium magnificè oſtentauerant; ita neque diſſimulauerant omninò pro modo officium, ſuæ modeſtiæ, quàm magnę fortunæ ſtudioſiores.

Regendę cōſcientiæ Felix Barilius deligitur.

Lectus ab ipſa temperandis ſuæ vitæ rationibus, expiandoque pectori Felix Barilius: cui præter ſuæ gentis decora, propria, eaque præclara animi inerant ornamenta; egregium nempè pietatis ſtudium, doctrinarum præſidia, ac ſingulare quoddam prudentiæ genus, quo factus ad animorum tractationem, inſtitutionemque videbatur.

Vir moribus, ac doctrina commodiſſimus.

Et Conſtantiæ quidem nihil illo opportunius; vt quæ exacta, ac delicatiore quadam religione exagitari acrioribus conſcientiæ ſtimulis, ac dubijs ſolita erat; quibus ſedandis eius ab doctrina, vſuque authoritas valere plurimùm poterat: cùmq; illa generoſo quodam pietatis impetu prouocari ſe ad magna ſentiret; planè non aliundè iuuari magnanimi conatus ij poterant, quàm à Barilij conſilijs. Primum, quod eo impulſore magni animi documentum Conſtantia dederit, effuſa quædam erogatio fuit.

Conſtantiæ liberalitatis ſpecimen.

Enimuerò, cùm vim ſanè non modicam ſignati auri, argentique paterno ex ære Neapolim attuliſſet; in id ſtatim incubuit, vt pecuniæ ſummam, quæ non minùs quadraginta aureorum nummum millibus conſtabat, in pauperes, ac pia officia deriuaret. Negotium Barilij fidei commiſit; diuideret ipſe pro arbitratu, locorumque inopia, ac merito opes. Qua ille in re mentis verè aureæ ſpecimen dedit; oſtenditque eſſe ſibi ſupra opes, ac aurum indolem. Diuiſa nanque pecunia, cùm indicem confeciſſet; Paulinam domum, quam vberiùs inundari eo flumine Conſtantiæ mens erat, diſſimulauit: quò illa erga præſtantiſſimum virum, ac Ordinem ſtudium adauxit: & eò ampliùs, quòd cùm murato indice, addicere ipſa Cœnobio non exiguam eius auri partem vellet; renuit Barilius: permiſitque non ſine lucta, vt qua eius Templi parte ſacram obire confeſſionem mulieres conſueuerant, quòd anguſtior videretur, laxaret: quod factum, coempta attigua domo, excitatoque inibi remoto à virorum conſpectu ſacello, confluentium fœminarum pietati percommodo. Hiſce munificentię rudimentis initiari egregiam Principem voluit Barilius, quam regia quadam mente niti ad grandia geſtiebat.

Et verò nullo non exerceri pietatis genere curabat, ſecuturam proniore quodam animo, ac facilè quò vellet. Prænobilem in primis aream excolendæ pietati, animique demiſſioni illi aperuit: nempè inſanabilium Noſocomium, quod ſanè vetus

Inſanabiliū Noſo comiū

Noſtratum inſtitutum eſt ſuis iuuare curis, ac nullam de eo benemerendi occaſionem prætermittere: tùm quia omnigena inibi pietas gentium omnium ex ſe ſtudia promeretur; tùm verò quòd poſcit gratitudo ea in pijſſimum locum officia, quem; ſcimus noſtri Ordinis incunabula fouiſſe peramanter, vt alibi explicauimus. Complecti Conſtantia inſigni quadam affectus, ac liberalitatis contentione locum cœpit:

Subleuat liberaliter Carretta.

cumque ſubleuari mulieres omnes ægrotantes quotidiana ope, ac ſtudio peruellet; tùm ijs præcipuè, quæ ſupremo ſpiritu laborabant, prouidit. Nam cùm haud opportuna quidē pietate iuuari illas cerneret in eo vitæ articulo, quando indigere maximè præſenti auxilio videbantur, addicto perpetuo ære duas ad id officij mulieres oppidò idoneas conſtitui curauit: quæ cùm nec earum numero ſufficerent, quatuor item alias adaucto cenſu adiunxit: quarum partium erat, accire ijs ritè procurandis ſacra; pijſque officijs adeſſe moribundis, quoad ſpiritum efflarent. Cuiuſmodi pietas & viros etiam id loci tetigit, inſtituto annuo item vectigali pro duobus ſacerdotibus, qui in ſummo eo rerum diſcrimine laborantes precibus, ſacriſque iuuarent monitis.

Et Conuertitarum Cœnobium amplificandum curat.

Annexum huic Noſocomio, veluti eius corporis membrum, pœnitentium fœminarum Cœnobium eſt, de quo aliàs etiam meminimus: in quod, & ipſa incumbere pulchrum duxit: quippè cui præcipuę curæ erat, eiuſmodi venalitias fœminas ad ſui ſexus decus, frugemque reuocare. Eapropter quòd anguſtum omninò eſſe intellexit, eòque excludi interdum; magna cum pudicitiæ fraude alumnas ampliandum curauit: attexuitque Tyrocinij domum, non ignobilem planè Monaſterij appendicem; cui excitandæ ad duodecim aureorum millia de ſuo impendit: quo &

pruden-

prudenter consultum, ne cum professis tyrones agerent, quoad rudimentum disciplinæ ponerent; & amplificatum excipiendo maiori aduentantium numero Collegium est, cui posteà nouitiæ virtuti alendę, assidua, præsentique munificentia aderat; & quo perennaret pietas, annuos etiam prouentus non modica planè manu legauit. Barilij mente, nutuque isthæc omnia regebantur; accessitque Alexandri Borlæ studium, Viri ex Oratorij Congregatoine egregiè pij, Cardinalis Aretij, cùm Placentiæ, tùm Neapoli, vti significauimus, Domus Præfecti: qui sublato hoc anno Aretio, vt mox dicemus, ægrotantium se ministerio insigni cum pietatis laude addixit: ac Constantiæ hortatu, cui apprimè carus fuit, Incurabilium Nosocomij Præfecturam suscepit; quam summa cum solertiæ, zelique fama diù administrauit. Is quicquid Basilio autore moliri in ea Domo pijssimam Principem contingeret, exequi intentiore quadam cura, ac sedulitate videbatur; vt ab ea industria cùm valetudinario, tùm mulierum Collegio non minimùm sanè commodi, ac disciplinæ accesserit. Et quod ad pœnitentes fœminas attinet, visus opportunè solum subegisse, ac præparasse præclaræ sationi, siue institutioni, quam non ita post multò Ioannes Baptista Tufus ex nostris, Episcopus Acerranus induxit: qui iussus à Ioanne Zunica, Mirandæ Comite, qui Regni vices administrabat, vt id Cœnobium, regijs olim auspicijs fundatum, accuratè inspiceret, atque ad strictiorem quandam disciplinam ordinaret; præclarè quidem rem gessit; tùm plerisque ad loci dignitatem, atque obseruantiam opportunissimè constitutis, tùm maximè impetratis è Clarissarum Monasterio, quod Aquilæ in Vestinis præstantiore florebat viuendi disciplina, tribus omninò spectati moris, institutique monialibus: quæ non modò ad singularis cuiusdam obseruantiæ amussim Neapolitanum hoc Collegium conformarunt; verùm etiam, cùm prouocari se earum exemplo ad austeriorem vitæ rationem pleræque sentirent, instituto nouo cœtu, aliud excitari Monasterium oportuit, veteri annexum: vbi traducta olim inter illecebras tempora redimunt pijssimæ mulieres difficillimo vitæ cultu, curisque planè alijs, inter asperrimæ pœnitentiæ delicias. Atque hanc quidem adstrictiorem nouę disciplinę formam, quam delineauit Tufus, tueri posteà Borla egregiè studuit: & aderat auxiliatrix Carettæ pietas, vrgendis cœptis, ac mulierum inopię sustentandæ.

Barilij item consilio,

Et Borlæ studio.

Ioannes Baptista Tufus Pœnitentes mulieres instituit,

Et reformat;

Quarum disciplinã tuetur Borla. & Carettæ pietas.

Quam illa pietatem præstantiore quodam opere sub id tempus cumulauit, administro quidem eodem Borla, impulsore verò Felice Barilio. Monasterij pœnitentium, quo de loquimur, constans, ac præcipua lex ea est; vt nisi quæ publica stipendia in impudicitię castris fecerit, nulla omninò in eo recipiatur. Ergò cùm eò pleræque confluerent, libati quidem pudoris; sed quibus non adeò frons dispuduerat, vt publica corporis nundinatione aliquandiù vixissent: ex loci instituto excludi ab ea disciplina, cœtuque oportebat, quanto cum earum damno, neminem latet. Nam, vt fluxa omninò res est in fœminis pudicitia; ita vbi lapsa semel est, in vestigio consistere difficillimum, ac rarum. Ad hęc, extat Neapoli laudabile planè opus, quo id maximè curatur, vt prostiturarum filię, vbi adeò adulta forma, ac ætas est, vt timeri iure possit, ne domestica impudicitia corruptæ, matrum vestigijs insistant; ab earum contubernio auellantur, atque ad honestas nuptias in Gynæceo, à Spiritu sancto nuncupato, asseruentur; ea quidem lege, vt nisi virgines non admittantur. Contingebat porrò, vt distractas à matribus eiusmodi puellas, non paucæ cùm integræ putarentur; decerptas adhibita diligentia, lapsasque deprehenderent; proindèque maternam iterum in domum remittebantur: quæ mox matrum, suoque vitio improbę, prostabant. Cui planè malo si occurreret insignis quędam pietas; dignum immortalitate opus ob puellas seruatas, patraturam eam duxit Barilius: tum nulli, quam Constantiæ Carettę pietati, ac munificentiæ proponi opportuniùs rem eximiam posse apud animum suum reputauit. Ab hac etiam cogitatione non longiùs ibat Alexander Borla; ita vt communicata simul re, conuenire vterque Constantiam decreuerint, erectamque ad hanc laudem adhortari; vt quibus iam corporis integritas, ac dignitas defloruerat, maiorque à consuetudine timebatur pudori labes, consultum pro egregia sua pietate vellet. Quæ, vt orat

Quæ opus aliud eueodo pudori molitur.

Virgines Collegij Spiritus sancti.

Nouus puellarum prostitutarum cætus instituitur à Caraffa.

vt erat complectendo pio operi pronior, quàm alij suadendo alacriores; concepit illicò eam mentem; puellasque tùm quæ à Spiritu sancto, tùm quæ à Pœnitentium Cœnobio ex lege arcebantur, cogi in insanabilium Nosocomio iussit, in ea Monasterij parte, quam ipsam exædificandam curasse, diximus; sufficiebatque insigni planè liberalitate annonam, remque omnem domesticam: ac breui vsque adeò creuit earum numerus, vt quæri prouectæ ætatis, ac virtutis fœminam oportuerit, quæ in Cœnobij morem quadam viuendi disciplina regeret: aderantque formandæ earum pietati non modò Borla, & Barilius, sed plerique etiam ex Nostratibus, qui pijs identidem adhortationibus sedulam instituendis earum moribus operam nauabant, lætissimo quidem cum virtutum prouentu. Ar enim, cùm eo loci consistere non diù possent; excitarique præclarum, ac constans quoddam Neapolitana in Ciuitate ex eiusmodi decerptæ pudicitiæ puellis Collegium certis sub legibus consilium esset: datum Barilio negotium, vt fundando operi percommodam amplitudine, ac situ domum perquireret. Placuitque ad Capuanam Vrbis Regionem domicilium: quod illa coemptum ære suo, extemplò ad Religiosi cuiusdam contubernij formam concinnanndum, sacrisque exercendis Ædiculam in eo adornandam curauit. Quibus ita constitutis, puellæ numero non minùs nonaginta, instituto pulcherrimo quidem agmine, obductoque ob oculos velo, nouum in Collegium, cui à Refugio nomen factum, immigrarunt. Dictæ dein loco leges, ac Rectores constituti, qui rem administrarent; ipsosque prima ea vice à Paulinis Patribus, qui præclara quadam animi contentione in eo opere desudauerant, renunciari voluit Constantia: cumque vt statis ijs temporibus mutarentur, alijque alijs succederent, cautum esset; Alexander Borla, cui flagrantissimum eius excitandi Collegij studium fuerat, vt illud perpetuò temperaret, decretum: qui sanè quoad vixit, principe quadam cura, affectuque illarum puellarum Pater videri potuit. Qua verò benignitate prosecuta recentem, productamque à se sobolem fuerit Constantia, inexhausta quædam munificentia testata magnificè est; quæ supremo quidem spiritu, ceu moriens flamma, luculentiore planè luce resplenduit. Enimuerò, quod diù liberaliter fouerat Collegium, ad perennem posteà substentationem triginta aureorum millibus ex testamento cumulauit: quo censu, quæ pulcherrima inter virtutes est, honestati prouidit; transcripsitque in posteritatem, atque inter sydera aureis planè notis nomen, atque exempla pietatis.

Cui formando incûbunt Nostri.

Coëmitur in Capuana Vicinia Domus

Côcinnatum appellaturq; à Refugio.

Rector Borla cum alijs,

Legat non modicam auri summam Collegio Cõstantia.

Porrò, eius etiam liberalitati acceptum referri iure suo debet præclarum Institutum, quo aucta sub id tempus Neapolitana Vrbs est. Patrum nempè, qui infirmorum ministerio mancipati, toti in actuosiore eo munere communi cum mortalium commodo, plausuque versantur. Planè, cùm nulli non miserabilis fortunæ casus caritatem exulcerent; tùm illi præcipuè eius commiserationis, ac præsidio digni videntur, quos, afflicta valetudine, languere morbus cogit: vtpotè quibus nullum à sua facultate, aut corporis opibus adiumentum. His enimuerò opem ferre laudatissimum: proindeque singulare publicæ rei commodum; atque ornamentum attulisse Regulares eos Clericos, qui hanc sibi prouinciam, autore Camillo de Lellis, Viro sanctissimo, deposcentes; nullum virtuti suæ splendidius explicare theatrum voluere, quàm Xenodochia; satis se mortalium generi profuturos existimantes, si in ea corporum clade suis vigilijs, studijsque præsto essent; animosque etiam procurarent, vrgente præsertim supremo die. Cui quidem Congregationi excitandæ & nostri homines nonnihil non modò consilij sed etiam operæ contulere. Siquidem Vincentium Massum Virum ex nostris excellentis prudentiæ, quem sæpè memorauimus, familiaritate cum Camillo coniunctissimum, sua illum solertia in eo opere côficiendo iuuisse, testis nobis est locupletissimus noster Michael Ghislerius; qui & affirmare disertè rem solitus erat, & consignatam posteà suis litteris reliquit. Iraq; cùm eius spiritus, ac disciplinę viros ingenti quidem opportunitati fore Barilius reputasset, si coloniā Neapolim deducerent; hanc statim Constantię benè de re Neapolitana merendi materiam obtulit. Iuuaret ipsa suis opibus, manuque initia. Cæterùm tantæ caritati non defutura à piorum studijs subindè stipendia, quibus ad id præcla-

Cuius etiam opera Ministri infirmorum Neapolim inducuntur.

Eius instituti Autor Camillus de Lellis.

Non sine Nostratum ope.

Barilio,

præclari operis alerentur. Dixisse Barilium, approbasse Constantiam fuit; vt quæ nullam sibi præripi occasionem pateretur, qua propulsare fortunis suis hominum miserias posset. Eapropter quæ prima eius familiæ fundamenta Neapoli iecerit, illius liberalitas fuit; erogata cùm in domesticos vsus, tùm concinnandæ habitationi non modico quidem auro. Et nostri quidem homines, præcipuè Barilius, qui princeps deducendæ Neapolim eius Congregationis autor fuerat, quò peragi maturiùs res posset; locum, situmque excipiendis Patribus percommodum quæsiuere; ac parata illis pro tempore propè nostrum sanctorum Apostolorum Cœnobium domus fuit: vbi cùm vix spiritum collegissent, statim quam indolem, ardoremque magni pectoris Viri flagrantissimi attulissent, tùm publica Nosoeomia, tùm priuatis in domibus, infimæ iuxta, ac præcipuæ sortis homines agnouere. Ea siquidem virium, animique contentione dare infirmis, pietatique operam videbantur; vt diurnis exhausti laboribus, nocturnis vigilijs non temperarent; aderantque non magis corporibus ministerij sedulitate, ac mundicia, quàm animis ad omnem tolerantiam adhortamentis: vt gratularentur Nostrates quidem, quòd frugiferam eam pietatem Neapolitanæ Vrbi asseruissent; Constantia verò, quòd foueret. Quæ quidem, vt viuens ijs profuit; ita decessisse sine liberalitatis testificatione noluit; legata nempè ex testamento pecuniæ summa: vt finem quidem viuendi, non gratificandi fecisse beneficentissima Princeps videretur. Hi posteà ad eam viciniam, quæ à lignarijs nomen inuenit, translati, nobile inibi Templum excitarunt, insigni cum Neapolitanæ munificentiæ experimento, ac præsenti in primis ope Iuliæ à Castellis, nobilis perindè, & piæ matronæ: quæ singulari planè in Ordinem illum beneuolentia alterum ijs Patribus Cœnobium ad suburbanam eam Oram maritimam, quæ Lucullanum, Arcem ab Ouo nunc appellant, respicit, exædificandum ære suo curauit, non mediocri cum eius viciniæ fructu, ac Patrum commodo; quos ab assiduis operosi muneris laboribus defatigatos, illa salubrioris aëris, marisque amœnitas recreat. Porrò de Constantiæ Carettæ munifica indole cùm multa dicantur; longè quidem plura dicenda supersunt, quæ singula hìc denarrare longiùs profectò esset; ac describendæ magnæ menti satis hæc lineamenta videri poterunt: nam qua liberalitate nostram, sanctæ Mariæ Angelorum Domum Neapoli item fundauerit, suus erit dicendi locus.

Et Constantiæ eius familiæ initia Neapoli debentur.

Quàm fructuosa Neapolitanis eorum studia.

Adestq; munificè Iulia à Castellis.

Marcellum Maioranum, quem Mondexari Marchionis, Neapolitani Regni Præfecti confessionibus dare operam suprà significauimus, Infulæ hoc anno cohonestarunt, communi quidem, tristique cum Sodalitatis sensu; quæ præclaris Viri moribus, litterisque destitui, haud æquo ferre animo poterat. Quod & ipsimet Maiorano molestissimum accidit; vt qui studijs, & contemplationis otio maximè addictus, diuelli à sua disciplina, atque ad munus longè operosissimum prouocari, institutis vitæ rationibus, genioque dissentaneum, putabat. At nullum dignius laude obtemperandi genus, quàm id velle, quod velles minimè. Itaque elato sub id tempus Cotronensi Episcopo, satis illi Ecclesiæ accessurum ornamenti, ac dignitatis ab excellenti eius virtute cùm apud animum suum Prorex Mendoza reputasset; Philippo Secundo Regi Viri grauissimi institutum, scientiarum adiumenta, præstantesque animi opes significauit; monuitq; futurum Sacerdotio longè parem. Quo ille testimonio Maioranum Cotronensi Cathedræ destinauit: probauitque Gregorius Decimus tertius lectionem, vt quem singularis viri prudentia, ac probitas non latebat. Inhærere diù Romana in Aula noluit: sed ritè vix inauguratus, creditam capessere prouinciam statuit; vt manum excolendis ouium moribus admoueret, responderetque euestigiò muneri. Iam Cotronensem Vrbem eùm primùm Pontificali in Infula, ac insignibus iniji eo quidem corporis habitu, ac pompa spectandum sese præbuit, qua nullum vnquam Antistitum suam Cathedram inijsse, historiarum monumenta narrant. Enimuerò præterquàm quòd apparatum omnem, ac splendida lætitiæ argumenta, quibus testari obsequium æmulatio, ac studia populorum solent, recusauit; vbi aduenisse Clerum, ac cæterum de more agmen vidit, deducendo suam in sedem Episcopo; imposita humeris graui Cruce, pedes, grauatusque eo pondere principem ad Ecclesiam iter intendit; ibique exci-

Marcellus Maioranus.

Crucem humeris gestans Ciuitatem primò ingressus.

tam ad id spectaculi, defixamque admiratione populi frequentiam allocutus graui oratione est: Missum à Deo se, vt commendatas suæ fidei oues pasceret; ea verò Crucis gestatione voluisse, cùm se ipsum moneret oneris, curæque, quam tunc subiret; tùm sui muneris Ciues, quod aliud profectò non est, quàm ceruicem Christianæ legi submittere; ad cuius regulam, ideamque qui vixerit, næ ille Crucem, ac martyrium tolerauit; dicente Augustino: Tota vita Christiani hominis, si secundùm Euangelium viuat, Crux est, & martyrium. Plura, ac disertè in hanc sententiam non quidem in speciem; sed qui ipsa oris grauitate, sensuque dictionis eloqui videbatur, quæ intimè, ac serio mens conceperat, sibique ad laboriosi muneris administrationem, ad morum institutionem, ac formam, ad Ecclesiæ dignitatem, Deique gloriam proposuerat. Et verò, quæ dixit, comprobauit mox strenuè insigni quodam studio; quo complecti officij sui partes, ac splendidam illam Episcopatus Crucem visus est. Nam qui aliorum vtilitati, non suæ insigniri ea Infula passus fuerat; sibi quidem nullum à Sacerdotio commodum, aut otium voluit. Frugalissima quædam viuendi ratio placuit: elucebatque in cultu corporis modestia, quæ animum composuerat; ita vt induisse quidem Episcopatus insignia, non exuisse Religiosum virum videri posset. Cæterùm in omnem suorum opportunitatem intentissimus, instaurare, quæ obsoleuerat disciplina; bonos mores sensim inducere, prauorum fibras euellere; dignitatem, ac decus tùm Ecclesijs, tùm ijs, qui addicti sacris erant, restituere: si quid luxati, fractique esset in corpore, illigare, ac fouere, quà sui exemplis, quà monitis. Quæ sanè optimi Antistitis studia famam illi non vulgarem conciliare apud omnes potuere: translatusque mox ad Acerrarum Cathedram, acerbissimo quodam vulnere Cotronensium animos affecit; quibus ea virtutis indole, affectuque flagrantissimi Parentis destitui, molestissimum fuit. Sed hæc tempori.

Allocutus graui oratione populum.

Respondit; dictioni moribus, ac omni cura.

Nunc ad Paulum Cardinalem Aretium narrationem conuertamus: & quæ hoc præsertim anno glíscere visa est Neapolitanorum obseruantia in Deiparam à Sanitate, monet nos, vt concessam ab illo sub exacti iam anni finem Dominicanis Patribus Marianam eam Ecclesiam breuiter memoremus. Perantiqua olim Ædicula, Diuo Gaudioso sacra hæc fuit, in suburbana ea regione, quam à Virginibus appellant; sed illam vetustas, ac situs ita corruperant, vt profanus iam locus videri poterat. Adfuit multis post annis Viri pietas, qui illam repurgatam restituere suæ dignitati, ac religioni contendit: effecitque, vt Marius Carafa, tunc Neapolitanus Antistes de illa sacræ cuidam familiæ addicenda cogitauerit. Quod postea consilium, quia intercepit fatum, Aretius, qui successit, bono cum Deo confecit. Enimuerò hac ille de re certior factus, ac præsertim monitus, in principe eius Templi parte Magnæ Matris effigiem pulchrè efformatam cerni; inuisere Ecclesiam, & quæ eius erat in Virginem obseruantia, sacram illam potissimùm imaginem venerari non semel voluit; ibique diutiùs immorari, ac preces fundere consueuerat. Interea temporis nobilitare Virgo locum, ac sibi veluti asserere, patratis ad eam effigiem plerisque miraculis, visa est. In quæ Aretius inquiri summa fide, ac studio iussit: ijsque comprobatis; vt populorum religionem adaugeret, decreta solenni ritu publica supplicatione, cœpta flagrantibus votis, atque incredibili accursu populorum celebrari sacra ea Ædes, cui factum mox fuit à Deipara nomen: accessitque ipsi Deiparæ appellatio; nam vbi Antistes ab Ioanne Bernardino Longo, medico celeberrimo inaudiuit, saluberrimam eam esse incolis regionem, atque ob aëris, cælique temperiem Vallem à Sanitate olim nuncupatam; placuit illicò nomenclatio, transferendamq; faustè in Virginem duxit; iussitque D.Mariam à Sanitate appellari: id quod exceptum ingenti plausu à populis, quibus princeps ea cura est, vt incolumes, saluiq; seruentur. Et Deipara quidem consentaneum, aptumq; suæ benignitati nomen inuenisse, subindè ostendit; vt nō ab aëris clementia, sed ab salubriore eius ope, ac tutela pleriq; mortalium cœperint conualescere. Iam, vt loci pietati cōsuleretur, quærenda Religiosorum familia fuit, quæ addicta Ædi sacræ recentem illam erga Virginem Neapolitanorum obseruantiam exquisito Dei cultu, ac tractatione sacrorum aleret. Quare accersiti à Cardinali Aretio è Prædicatorum Ordine Patres fuere:

Sacra Diuo Gaudioso Ecclesia,

Deiparæ à Sanitate nuncupatur,

qui

qui oblatam vltrò Ecclesiam, & quicquid soli, ac ædificij ad illam spectaret, volentes, lætique iniere. Declarauitque statim Deipara frequentia miraculorum, percarum sibi fuisse eorum aduentum, ac pias curas. Et ipsi quidem excitata inibi præclara quadam viuendi ratione, ac strictiore legum obseruantia, nimiùm quantùm Marianis ijs auspicijs, disciplina, moribus, famaque virtutum floruere. Templum ad nouam quandam substructionis formam amplificarunt, cui Cœnobium adiunxere planè admirandum. Domito nanque abrupti loci situ, ac montis rupe intercisa, peramplum, ac ingens ædificium inter eas ipsas difficultates, quibus excludi domus videbatur, suspenderunt. Porrò extare publicè, atque ad æui memoriam hoc Aretij Cardinalis beneuolentiæ argumentum Dominicani Patres voluere, inscripto in hæc verba marmore:

Ac Dominicanis Patribus conceditur.

Excitaturq; ad ampliorē formam.

TEMPLVM SANCTVM HOC FÆDIS PVRGATVM,
DIVINOQVE CVLTVI REDDITVM,
VBI SOLICITVDINEM BEATISSIMÆ MATRIS DEI
DE SALVTE NOSTRA PALPABILEM HABES,
ILL^MVS ET R^MVS PAVLVS DE ARETIO
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS,
ET NEAPOLITANVS ANTISTES
ALMÆ DOMINICANORVM FAMILIÆ CONCESSIT
AN. D. M. D. LXXVII.

Hæc præterito quidem anno Aretius, qui in amplissima Neapolitanę Ecclesię area dum strenuè, ac supra senij vires hoc anno desudat, desijt esse inter mortales: cum diù quidem, si ætatem, rerumque gestarum seriem; parum verò, si publica mortalium vota spectes, vixisset. Prolusere huic fato languores quidam, deuexæ, tendentisque ad exitum ætatis comites. Nam laborare molestissimo quodam fluxu capitis, ac peracri tussi cœpit: quæ cùm nullis prohiberi medicorum consilijs, ac remedijs possent; in eam omnes iuere sententiam, vt solum mutaret; quo quidem nihil in istiusmodi affectionibus opportunius. Assuetus laboribus Aretij spiritus, atque ardens in rem Neapolitanam studium obniti vehementer videbatur: abrumpi nempè animorum procurationem, quorum saluti vel cum ipsa iactura corporis vacandum ducebat, hoc demum ardentissimo Præsuli molestissimum; reputabatq; genus quoddam morbi longè grauissimum, incitatum in aliorum profectum spiritum in otio contineri. Paruit nihilominus, præsertim, quòd Herculanum suadebatur, saluberrimi quidem Cæli Neapolitana in Diœcesi Oppidum; quod cum non longè à sua Sede abesset, regere indè facilè publica ea commoda, curasque posse, persuasum habuit. Et verò ita Herculanum concessit, vt Neapolim minimè reliquisse visus fuerit; ac quanuis non cernerent, sentirent suum Antistitem Neapolitani præsenti muneris temperatione. Eius autem Oppidi Ciues adesse inibi Præsulem, atque amantissimum Patrem statim agnouere: cùm is appellari loci Curiones iussit, eosq; de gentis moribus, de Christiani officij disciplina, de sacramentorum vsu diligenter interrogare, eorumque officia, curasque perurgete, acriùs cœpit. Quod quidem animorum studium externa etiam ope cumulauit. Summam nanque in oppidanis inopiam conspicatus, erogare effusè pietatem, aurumque depluere pro mensura egestatis visus est. Illud insigne caritatis specimen. Nam cùm penè nudam gentis paupertatem aduertisset, afferri Neapoli panni vim non modicam cærulei coloris iussit; tùm vestes confici, ac singulis distribui: quas dum, se præsente, quisque acciperet; monebat ipse efficaci oratione, vt animos virtutum habitu conuestirent, fouerentque Sacramentorum frequentia; cùm interim ab ea sanctissimi Cardinalis pietate non temperarent plerique lacrymis. Eratque posteà visu planè iucundissimum, ire agmen illud cæruleum, vestitu consimili, veluti ad nobile famulitium, ac pompam caritatis.

Card. Aretij supremus dies.

Qui præcessērint morbi.

Cælum mutat.

Eius Herculani pietas, ac munificentia.

Inter hæc studia adrepit innopinato quodam casu citior mors: ad quam, ceu tacito quodam animi sensu supremam horam prædiuinaret, comparare sese in eo

Festinata casu peracerbo eius mors. Herculani secessu videbatur. Rem sic accepimus. Solus in conclaui à prandio morabatur Cardinalis, cùm verberare vehementior ventus fenestras cœpit. Patet ea australibus ventis regio, iisque pulsari plus nimiò interdum solet: occurrunt populares ligneis fenestris, non quidem communem in morem bipartitis, sed integris; quas cùm accipere lumen volunt, ligno propellunt, ac fulciunt. Itaque ne incitatior auster officeret, vt fenestram adduceret bonus senex; seruis, quòd tùm quidem ad mensam accumberent, afferre incommodum haud æquum esse duxit; sed subducere ipsemet lignum, siue fulcrum voluit: quod cùm grauius omninò esset, quàm vt eius vires ferrent; vrgente præsertim vento, impetu quodam in coxam incidit, fregitque. Audito famuli strepitu, accurrere; afflictumque ad terram Cardinalem reperiunt, grauissimo quidem à vulnere penè exanimem; sed cui inter Dei laudes quædam inerat fronti hilaritas. *Neapolim reducitur.* Sparsam illicò rei famam omnium ordinum sensus excepit: reuersusque medicorum consilio Neapolim, non alio collocari lecto voluit, quàm quo vti ad Theatini instituti normam consueuerat; etsi tuendæ dignitati, occultandæque modestiæ splendidum prostaret in speciem cubile. Casus non is fuit, vt eius ætatis, affectusque grauiter morbis aliis senex etigeretur. Tentari febri mox cœpit; tùm crescente æstu, conclamata salus fuit. *Ac salute deplorata.* Monitus vicinioris exitus à Nostratibus, nuncium admirabili quadam animi, orisque constantia excepit. Testamentum publicis consignari tabulis voluit: tùm sacris rite lustratus, quæ afferri à nostris hominibus voluit; mirum qua religione, affectuque opperiri, inter feruentissimos amoris actus, optatissimam mortem visus est. Ad insigne verò humilitatis specimen, decedere sine culparum confessione, quas in administranda cùm Placentina, tùm Neapolitana Ecclesia Vir innocentissimus admisisset, noluit: qua peracta intimo cum animi sensu, inter Deiparæ, ac pendentis in Cruce Saluatoris imagines, quas locari hinc inde iusserat, ac identidem alloquebatur, supremum diem clausit, die decima septima mensis Iunii, ætatis anno septimo supra sexagesimum. *Piè moritur.* Parentatum publicis statim lacrymis piissimo Antistiti, dolebantque populi amores quàm breuissimos; communis nanque ea erat omnium vox, absolutissimam quandam ideam virtutis, ac Virum sanctum obiisse. Condi in Diui Pauli cœmeterio vnà cum carissimis suis fratribus, ac priuato omninò funere iusserat: sed cùm primum impetrauisset; alterum non modo non annuit pietas Neapolitana, verùm etiam splendidissimis supra communem pompam, ac ritum exequiis, insignis sanctimoniæ, famæque Archiepiscopum est prosecuta. *Communi cum persuasione sanctimoniæ.* Princeps Ecclesia, vbi triduum de more exponi exanime corpus debuit, incredibili populorum æstu efferbuit: concursumque adauxere vicina etiam oppida; quæ vt sanctissimum Parentem venerarentur, certatim affluxerant. *Ducitur in Templo Maximo splendidissimum funus.* Paulinum verò Templum, quò deductum magnificè funus, angustum omninò celebrirati fuit; vt opprimi planè flagrantissimorum populorum frequentia, ac studiis defunctum Antistitem contigisset, nisi receptum intra ferrea quædam clatra à confertissima ea multitudine eripuissent: adeò Neapolitanos sanctitatis opinio peruaserat, certabatque pro sua quisque pietate vultus inspicere, ac venerari, exosculari pedes, tangere precariis globulis corpus; quod fieri cum pretiosis Diuorum reliquiis solet. Tandem vbi peractæ exequiæ fuere, ac factum satis gentium votis; in eius Templi cœmeterio quàm modestissimè, vt ipse testamento cauerat, ligneo in loculo sepultus Pontificalibus cum insignibus fuit. *Ac in Diui Pauli cœmeterio sepelitur.* Quo postea à loco anno octauo, & nonagesimo, cùm laxari Ecclesiam, mutarique cœmeterium contigisset, translatum in Redemptoris Cruci affixi sacellum ad læuam Templi partem corpus fuit; quod iterum anno insequentis seculi quarto supra vigesimum, quo inquiri de præclara eius virtute ac sanctimonia, Decii Cardinalis Carafæ, atque Archiepiscopi Neapolitani nutu cœpit, in alteram reconditum Ædiculam fuit, vt decentiùs iacerent pii Manes,

Neque verò, quoniam obsignatas testamenti tabulas meminimus, luculentam, quam consanguineis reliquit hæreditatem, par est, dissimulare. *Eius testamenti tabulæ.* Hæredem quidem Iulium Aretium, Nepotem dixit, sed hoc in speciem factum professus est; scilicet vt ostenderet potiùs, quantùm eius fidei crederet; quàm vt illi aliquid indè emolumenti existeret. Declarauit siquidem, vt si quid præter scripta ex testamento familiaribus,

liaribus, pijsque locis legata, supereslet; iisdem id pro sua cuique parte accederet: non Iulio, cui nihil, præter paucos libros, anulosque, ac horologium contigit, quæ ex illo mutuò olim acceperat, eidemque restitui iussit; vnà cum lineis quibusdam, iisque detritis pannis, quorum se vsuram ex Marcelli Aretij testamento habuisse testatus est; proindèque pertinere iure suo ad Aretios. Atque hæc illis à Cardinali opes, ac latifundia: quanuis ab eius virtutum fama, ac splendore magni nominis hæreditas longè opulentior, ac lautior contigerit; quam non æui vices, scriptæque rebus mortalibus leges corrumpunt, aut minuunt. Porrò licet prouentus eius annui cùm ex amplissima Neapolitana Ecclesia, tùm ex alijs Sacerdotijs viginti aureorum millia excederent, suoque ipse vsui pauca expenderet; quę tamen legauit, duorum vix aureorum millium summam attigere: non enim, vt plerique sacrorum Principum, congesto in suorum commodum auro, diuitijs studuerat; neque pretiosa, curiosique operis supellectili vt nitiret domus, curauerat: sed qui vectigalem pauperum necessitatibus Infulam esse reputabat, censum, vix modico ad dignitatis, vitæque sustentationem excerpto, largissimè erogabat; nihil vt scrinijs, cultisque parietibus, aut peregrinis petistromatis adhæresceret.

Excessum hunc porrò præstantissimi Cardinalis, & qua micuit virtute in hac vitæ, rerumque caligine spiritus, qui tunc ad sydera euolabat, visum Cælum ipsum significasse. Enimuerò quo tempore mortalitatem is exuit, aduentare Neapolim externum quendam hominem contigit; cui simul ac obiecta ea Vrbs est, admirabilis quædam obiecit sese lux, qua latè circumfundi, atque illuminari Archiepiscopalis Domus videbatur. Occupauit ingens admiratio animum; exarsitque ab ea luce desiderium cognoscendi, vnde insolitus ille circa tectum splendor; resciuitque mox, Neapolim perueniens, excessisse tum quidem Cardinalem Aretium Archiepiscopum: licuitque ab eo prodigio coniectari pijssimi Antistitis sanctimoniam, cui Cælum parentaret sua luce; affirmauitque, haud prælucere cęlestem facem potuisse, nisi in Cælum eunti. Hęc ex Cæsare Campana, scriptore eius æui; [a] qui & sub idem tempus cometem prolixè caudatum, ac longè clarissimum ad Occidentem visum memorat; eoque vnà cum illustribus aliorum exequijs præmonitum etiam Aretij obitum fuisse affirmare non dubitauit; vt quem cùm amplissimis Infulis, tùm splendore virtutum, ac singularis sanctimoniæ laude illustrem, dignum existimabat, cuius mortem, Neapolitanis luctuosissimam, Cælum proloqueretur subitario eo sydere, quo præmonstrari insignium Virorum fata solent. Ad hæc quo potissimùm temporis momento animam efflauit, quadam diuini Numinis illecebra, pijssimæ cuidam Virgini innotuit. Euphrasia Aputia ea Virgo appellabatur, agebatque in Cœnobio, cui ab Angelis nomen. Fundebat hæc de more ad Deum preces, cùm compleri puriore quadam luce conclaue, eaque circumfundi se videt: tùm quà spissiores radij collucebant, scitissimum puerum conspicata, consternari primùm pio quodam horrore cœpit: at vbi animos resumpsit, interrogare, quis esset? Cardinalis Aretij spiritus sum, inquit, qui modò corpore expeditus in Beatorum Concilium vocor. Euanuitque his dictis. Protinus, ne luderet incautam species, ad Confessarium Euphrasia: ac dum, quæ viderat, narrat; demortui Antistitis obitum æs campanum monuit; cognouitque Virgo, pijssimam eam Animam tum quidem Cælum petijsse. Quod vbi in Monasterio percrebuit, adaucta apud reliquas sanctimoniales eius virtutis persuasio est; adeptumque iam illum æternitatem, gloriamque, pro comperto habuere.

Iam qui bonorum omnium animos virtutum suarum admiratione compleuerat, obitu intimè affecit; vt nullus non iacturam doleret, abiretque in laudes. Gregorius Pontifex XIII. qui parem Neapolitanis curis illum existimauerat, dignamque ampliori munere eius sapientiam reputabat; dissimulare peracerbum animi sensum minimè potuit; illumque singulari planè elogio apud Augustum Senatù publicè honestauit. Romanã Aulam is idem occupauit mœror, compertę integritatis, pietatisq; argumentum. Comitatus Philippus Nerius, Vir sanctissimus, communem luctum: qui cùm ad Alexandrum Borlam, suæ disciplinæ alumnum, ac Aretij

Mortem Cælum testari visum

Insolita luce.

[a] hist. lib 9.

Et Comete,

Scitumque à morte obæcit se cuidam Virgini Aretius.

Funus mœrore, & laudibus prosecutus Gregorius XIII. Et Romana Aula,

Et D. Philippus Nerius.

Domus

Domus Præfectum, vti diximus, litteras per Franciscum Mariam Taurusium, postea Cardinalem, daret; hæc inter alia in ea epistola habuit. [Eius Sancti Viri mortem non magis ob priuatam istius Ecclesiæ iacturam, quàm ob publicum Christiani Orbis damnum, ex animo doluimus. Nam, quæ est temporum, ac peccatorum nostrorum calamitas, rari nunc homines, qui sciant, velint, habeantque illum animorum, diuinique honoris zelum, quo Cardinalis Aretius præstabat.] At cùm alios eius mortis nuncius, tùm Placentinos maximè vulnerauit; quorum animis recenti quadam memoria obuersari sui olim Antistitis imago videbatur. Planè instaurati in ea Ciuitate mores, excisæ consuetudines prauæ, inducta vetus disciplina, inuectæ religiosorum hominum familiæ, excitata fœminarum Collegia, procurata orphanorum solitudo, subleuata pauperum inopia, instituta Clericorum Seminaria, expolitæ ad omnem dignitatem Ecclesiæ, vt peracre illius desiderium excitabant; ita eius vbique prudentiam, pietatem, munificentiam disertè deprædicabant. Certè eius Vrbis Clerus, quem propiùs tangere elati Cardinalis funus videbatur, amorem in illum suum, ac venerationem testatam voluit incredibili quadam tristitia, ac insigni exequiarum pompa; quam publicè, ac sumptuosiùs adornauit, vt immortalem eius memoriam, quibus posset beneuolentiæ argumentis celebraret. Ac demum breui quidem, sed luculenta rerum ab eo præclarè, ac sanctissimè gestarum commemoratione, consignata litteris vita, extare eas tabulas in Placentinæ Ecclesiæ fastis iussit, ad æui, gratique animi monumentum: quas adnotare hìc parcimus, ne Lectorem moremur.

Et Placentini

Qui extincto iusta magnificè persolurunt.

Illud hìc seriò, ac breuiter monendum, ideam, quam de Cardinali Aretio quisque tunc animo concepit, non vulgaris, communisque virtutis, sed præcipuæ cuiusdam sanctimoniæ fuisse: vt iam tum secreta nonnulli oratione eius cœperint opem implorare, eiusque sese tutelæ, fideique committere: ac plerique quæ eius olim vsui deseruierant, & auidiùs quærerent, & religiosè, ceu Diuorum reliquias, venerarentur. Impressæ item quàm plurimis typis effigies pietatem adauxere; fueruntque qui eas sibi certis precibus colendas proposuerint. Ad hæc [a] plerique non mi-norum gentium Scriptores in suis litterarum monumentis appellare illum cum elogio sanctitatis non dubitarunt: ac denique cùm ex humili cœmeterij loco refossum, translatumque in Paulini Templi Sacellum, vti modò innuimus, eius Corpus fuit; celebrari præcipua veneratione, colique, appensis pro pariete votiuis tabulis, ac cereis, cœpit. Quæ tamen, edito postea Vrbani Pontificis Octaui decreto, quo de Virorum, sanctitatis fama decedentium, cultu sapientissimè statuitur, reponi oportuit, quoad eius sanctitas Romanis suffragijs, censuraque comprobetur; ac publicæ populorum venerationi exponatur. Et quidem, quando adornata iam Maximi Pontificis authoritate de eius vitæ sanctimonia, ac miraculis acta, subiecta Romanæ Rotæ judicijs sunt; speramus, fore, vt breui consecrari eius nomen, atque in Beatorum Album referri contingat.

Priuata quorundam in illum pietas.

Et Scriptorũ laudes.

a Marc. Ant. Marf. Colum. de Vir. Illust. go. 15 p. 2. Giacc. Vit. PP. tof Gratian. 2. p. Von Tart. Cæsar Engen. Neap. Sacr.

Et dicatę sepulchro tabulæ.

Reliquum est, vt eius modò vultus spectandos proponamus. Et verò geminam hìc eius imaginem adumbrare animus est; alteram, quam externa oris lineamenta, corporisque habitudo efformabant; alteram, quæ præcipuis quibusdam virtutibus præclaram animi faciem, ac indolem repræsentabat. Illam breui styli ductu expediam: hanc autem, quoniam multa in cursu narrationis prætermisimus, atque huc conijcere oportuit, non quidem prolixè, sed accuratiore quadam opera, eundo per virtutum nomina, dabimus. Igitur, quod ad externum vultus, totiusque corporis habitum attinet; statura illi paulò infra mediocrem, respondebantque ex æquo membra. Facies rotunda: color, in æui quidem flore naturali quadam Purpura suauior ad formam exaugendam; sed qui à corporis posteà afflictationibus, atque abstinentia in pallorem degenerauerat: qui sanè non minimùm venerationis conciliabat. Caput caluitium honestabat: frons latior, quam tranquillabat hilaritas. Cærulei, ac mediocres oculi. Nasus decens, exactusque ad vultus mensuram. Barba spissior, nec promissa, intra Theatinum morem. In corporis temperamento valebat aliquantisper sanguis: hinc ardor nonnunquam in actionibus, ac vehementia, quæ materia virtutis in eo fuit; composuitque egregiè mansuetudinis vsu. Boni

Imago exterior.

Boni insuper habitus membra; constabantque illi vires, tolerandis magnis laboribus pares. Supremam verò ætatem capitis intemperies, ac vehementer tussis diuexauit. Atque hæc eius imago exterior, manum nunc virtutibus admouemus.

Imago interior à virtutibus.

Quas quidem auspicari ab humilitate par est: quæ vt nouissima omnium, atque obscurioi esse loco videatur; misceri nihilominùs, atque explendescere inter principes virtutes meretur: præsertim quòd nullum vnquam exurgat sanctitatis, nisi ab humilitate, fastigium.

Humilitas.

Et verò primas in Aretio partes demissionis, ac modestiæ studium occupauit; coluitque vnicè, antequàm regulari se disciplina authoraret. Rara profectò auis hæc virtus est extra Religionum septa; vbique ambitus, ac prensationes.

Honores refugit secularis.

At Paulus Aretius, tunc Scipio, ne supremi Neapolitani Consilij Insulam indueret; altissimum secessum, vti significatum est, petijt: vt ex fuga retractum, egressumque syluis vi cogi à Principe oportuerit. Nec minore planè laude posteà exuit, vt humilitatem regulari in disciplina profiteretur, ac cumularet. Illud sanè supra communem animi deiectionem fuit, hominem maturioris iam ætatis, tantæque eruditionis, ac nominis velle quidem ad Religionem aggregari, sed inter fratres Laicos; vt tutiùs in infimo eo ordine ingenium, prudentia, ingentesque animi dotes laterent.

Inter Laicos fratres admitti petit.

Id quòd impensiùs licet efflagitauerit, non impetrauit: verùm cùm minoribus initiandus sacris fuit, compelli, sistique Episcopo inuitus debuit, vt acciperet: quæ vis multò ardentiùs adhibenda à Moderatoribus fuit; cùm maioribus illum consecrari ordinibus voluere. Nam vsque eò obniti visus est, vt agere pro sanctiore, supremoque imperio oportuerit.

Ad sacros ordines vi trahitur.

At enimuerò hunc Laici ordinis statum compensare deindè vilitate exercitiorum, laborumque contentione voluit. Etenim in ipso statim tyrocinio, qui mitissimi planè ingenij erat, contendere nihilominùs in eo maximè, ac pugnare cum socijs acriùs videbatur, vt operosiora sibi, ac viliora quæque domus officia contingerent.

Viliora Dom. ministeria sibi deposcit.

Quod illi humilitatis certamen potissimùm cum Andrea Auellino, Viro item modestissimo, fuit: qui in eo posteà, quem de eius vita Commentarium lucubrauit, vt nos aliàs meminimus, disertè monuit, hanc animi deiectionem perpetuam, constantemque Aretij fuisse comitem, qua maximè superare in cursu virtutum alios studuit.

Certatque de humilitate cum Auellino.

Illum semel Domitius Caracciolus, Dux Atripaldensium, dum Paulinam fortè Domum inambularet, vilissimo vacantem muneri ad ægroti cuiusdam mundiciem offendit; substititque perculsus spectaculi nouitate, vtpotè qui eius authoritatem, famamque nouerat: ac nihil habuit priùs, quàm Viros alios principes conuenire, eisque ad eximiæ virtutis specimen narrare, quæ vidisse se in summo Viro contigerat.

Admirationi est Duci Atripaldensium.

Et verò, hoc continendi se intra abiectissima Cœnobij ministeria institutum retinuit subindè mordicùs: vt visus aliquando fuerit ipsemet non modò suas, sed aliorum etiam vestes, soleasque sarcire; idque dum Præpositum ageret, vt illustrior esset à munere humilitas.

Aliorum vestes sarcit.

Ad hæc, Vir licet sapientissimus, aliorum consilia petere; ijsque singulari modestia insistere, non dedignabatur. Id verò solenne illi erat: si quid fortè de se dici oporteret, quod verti in sui laudem cerneret; monere statim adstantes admissi à se in eo opere erroris consueuerat, eoque excitatum gloriolæ gustum humilitate illicò iugulabat.

Ab hac animi modestia nimiùm illi dignitatum fulgor inuisus; vt repudiata non vna Episcopali Sede, adigi ad Placentinum Sacerdotium supremis obedientiæ legibus oportuerit. Et ad Purpuram quidem non sine quadam animi contentione, ac lucta pertractum, testes habemus locupletissimos Petramellarium, & Marsilium Columnam. Archiepiscopatum verò Neapolitanum, quòd non minimùm lucis adderet, mirùm quo studio recusauit.

In deprecandis dignitatibus humilitas.

Quas quidem amplissimæ appellationis Infulas ornare moribus, ac ipsa præsertim humilitate abundè habuit. Cùm primùm ad Canonicos Placentinos litteras dedit, monuitque delati muneris; hac illas subscriptione obsignauit: Humilis, ac beneuolentissimus frater. Domi nunquam argentea supellectili, nunquam aulæis vsus. Præter Purpuram, suæ dignitatis insigne, nihil prætereà occursabat oculis pretiosi in eius Ædibus. Modico item, humilique cubabat lecto vel Cardinalis, vt diximus; fallebatque intuentes obiecto cubili decentiore: vt esset planè insigni ornamento humilitati, qua vili lectulo vtebatur, humilitas,

In ijs posteà cultus quam modestissimus.

qua

qua tegebat. At enim non est, cur hic reponamus, quæ aliàs expofuimus. Si vitam, resque eius gestas percurras; nunquam non egregia sese modestia, immixta factis omnibus objiciet; ceu primarum partium virtus, totiusque dominatrix theatri.

In ipsa humilitate authoritas.

Atque id quidem summæ admirationi fuit; tantam scilicet humilitatem tanta cum muneris authoritate coniungi: ita vt modestissimus quidem videri vellet, descenderetque singularem in sui demissionem; sed illibata prorsus Sacerdotij, siue Purpuræ dignitate. Planè Clericum Regularem id præstitisse, nihil est, cur admodum miremur; facile nanque inter eius disciplinæ molestiam, atque officij præfecturas intercedere fœdus potuit. Id omninò difficillimum, Infulam, cui maiestas, ac magnitudo inest, ita humilitati attemperare; vt sartam prorsus, ac tectam eius celsitudinem, authoritatemque retineret. Cuius quidem tuendę dignitatis studium Carolo Cardinali Borromæo strennè probauit. Vocatus ab eo nanque, vt Synodo, quam adornabat percelebrem, interesset; renuit, ne Placentini Sacerdotij à Mediolanensi potestate exemptioni, de qua lis agebatur, detractum iret. Dilaudauit consilium Borromæus: & ne Viri spectatissimi in eo Conuentu eruditio, ac prudentia desideraretur; adesse nihilominùs, veluti exemptum voluit. Neapoli verò nullus vnquam Antistitum regijs Administris carior, sed citra dignitatem, ac Purpuram; vt neque ipsa beneuolentiæ officia, deductionesque modum, aut gradum excederent. Illud summæ authoritatis aliquando fuit, Archiepiscopalem Crucem ad ipsam Proregis Aulam deferre: quod cum Salernitanus Regiæ Cancellariæ Regens, Vir grauissimus, cerneret; [En, inquit, quantùm integritas, ac opinio morum valet. Nullus hoc vnquam Prætorium tanta cum dignitate inijt, intulitque regias in Ædes Crucem.] Et quidem visus vel ipsi Gregorio Pontifici satis ausus in ea Crucis gestatione Cardinalis Aretius; qui vbi ea super re illum docuit, fertur dixisse Pontifex: Benè habet: æquam causam habet peritissimus Cardinalis. Illud item hac retinendi sui gradus laude dignum. Proregis Neapolitani Sedem excellentiore, quàm Archiepiscopalem, loco positam principe in Ecclesia, animaduertit: quod amplissimæ Infulæ dissentaneum putans, mutare confestim locum non dubitauit. Ac Viro quidem maioris Subsellij, qui Principis nomine ea de re cum ipso conquerebatur: Age, inquit, qui es iure consultissimus, an legem aliquam reperies, qua negatur Episcopo collocare suam Sedem qua parte suæ Ecclesiæ libuerit? Si illam in medium produxeris, do manus. Cui quidem dicto quid ille vicissim responderet, non habuit: ac Prorex ipse integerrimi Cardinalis tenacem suæ dignitatis mentem æqui, bonique consuluit.

Quam Carolo Borromæo probauit.

Et Proregi Neapolitano.

Morum benignitas.

Parcimus plura istiusmodi exempla numerare: atque ab hoc conseruandi sui muneris studio, quòd gestare discolorem humilitati habitum videtur, gradum ad propiorem virtutem facimus. Ea est clementia, ac benignitas morum; quæ eò in Aretio laudabilior, quò feruentior illi à natura indoles, vti monuimus. Composuerat ad omnem facilitatem ingenium; vt cùm asperior secum esset, cum alijs nihil esset illo benignius. Nunquam ita se negotiorum multitudine, aut mole opprimi passus est, vt mansuetudinem vinceret fastidium: neminem excludere; orphanorum, viduarum perfugium esse, eisque humanissimas præbere aures, nunquam mutato tranquillissimo frontis habitu videbatur. Domesticos perhumaniter appellabat, & nonnisi filiorum vocabulo. Inerat verbis præcipuè singularis quædam comitas, ac blandiloquentia, qua vti opportunè, ingentique cum fructu solitus erat; vt illa potiùs, quàm iudicij seueritate corrigere ad frugem homines semper visus fuerit. Hanc non modò Regularis Rector, sed Episcopus etiam vindicandæ noxæ viam tenuit. Semel illi renunciatum, Clericos quosdam impudicissimas tum quidem inire epulas, meretriculis nempè, earumque sord bus commaculatas. Ire statim iussit, qui moneret, vt mulieres dimitterent; ne illos tanto cum Ordinis dehonestamento in eo crimine lictores deprehenderent. Tùm ad se vocatos ea verborum benignitate impudicitiæ redarguere; vt accidere ad eius pedes visi illicò fuerint, veniamque fletu quàm vberrimo deprecari. Id quod & alteri Placentiæ item, altiùs quidem in eiusmodi cœno defixo, contigit. Inueteratæ consuetudini frustrà frequentissima

Verborũ præsertim comitas.

Qua mores emendabat.

aliorum

aliorum fuere monita; antequàm vti ferro, ac igne ad curationem constitueret bonus Antistes, experiri clementiæ vires voluit: accitumque secretum in conclaue Sacerdotem, deiectus incomparabili benignitate ad eius pedes, rogare peramanter cœpit, vt quæ existimationem, gradumque infamabat illecebra, abrumperet; nec prostaret tantum soluti moris, ac impudentiæ exemplum proximo. Victus ille incredibili humanitate dedit manus; fuitque pro seueriore disciplina blanditia sermonis. Illud autem adiungendum humanissimæ comitatis genus, quòd Benedictus Supranus, qui diù in Aretij familia fuit, postea Cardinalibus Austriaco, Sfortiæ, Gallo, operam dedit, narrabat: nempè si quos sciuisset voluptatibus implicitos, excipere domestico epulo solitum fuisse; eaque familiaritate, vsuque conuiuij conciliata sibi eorum beneuolentia, subijsse eorum animos, certo cum virtutis, morumque prouentu; adeoque ea clementiæ, ac bonitatis fama apud omnes valuit, vt cùm mulctari interdum vitia seuerè quidem pro eorum grauitate, ac mortalium documento oporteret; ipsimet, qui pœnas dabant, eas tanquam ab amantissimo Patre irrogatas, æquo planè animo ferrent; suumque dum incusarent crimen, ac contumaciam, dilaudare Antistitis benignitatem, æquitatemque cogebantur.

Excipiebatq; domestico etiam epulo quos ad frugem reuocatos vellet.

Porrò non ea erat indolis facilitas, vt non seuerè interdum in compertos criminis statueret; qui n rectæ cuiusdam mentis tenax, vbi æquitatis interetat, vindicare crimina, ac sententias ferre strictiores; adduci nunquam poterat non Principum gratia, non precibus, vt ab instituto eo consilio, ac iure deflecteret; litabatque præclarè iustitiæ; quam vbi suadebat ratio, attemperasse aliquando, violasse nunquam voluit. Et verò, quod ad æquitatem attinet; maximè aduigilabat, ne quam ipse adamabat, colebatque impensiùs virtutem, administri corrumperent. Vtque sua Curia auaritia, affectusque omnes exularent, nec fucum facerent recto, honestoque studia, ac partes, referri, agitarique coram se causas volebat, accedebatque lancibus a suo iudicio momentum, ac pondus. Cùm verò aberat, nunciari sibi per fidissimos homines iusserat, an iustitiæ benè esset. Dona omninò proscripserat; acriùsque animaduertebat in suos, qui acceptassent; vt qui sciret publici muneris æquitati non conuenire cum muneribus. Hinc qui iustitiam, ac publica commoda administrabant, vt integerrimi, ita exteri etiam vt essent, maximè curabat; ne amicitiæ, aut cognationis leges, & quædam è Patriæ affectu remissio transuersos ageret.

Annexa facilitati iustitia.

Quam ipse per se curabat.

Ac longè à muneribus & se, & suos volebat.

At enim quando iustitiam meminimus; religionem, quæ præcipua pars est iustitiæ, eiusque veluti flos, ac laus integra, par est, nunc prosequi. Eius munus est, cultum Maximo Numini, honoremque suum afferre: quod vt præstiterit Cardinalis Aretius, non est, cur hic prolixiùs narremus; cùm luce clarius sit, nullum vnquam impensius illi studium fuisse, quàm vt illibatus Deo cultus, quà rerum diuinarum æstimatione, quà ceremoniarum obseruantia, quà nitore Templorum exhiberetur: ac inter Nostrates quidem cùm maximè is cultus floreat, adaugere nihilominus pro virili studuit. Antistes verò adeò totus in eo fuit, vt instaurandæ religionis gratia impositus Ecclesijs videri vellet. Publicas functiones, cætera humillimus, mirum qua dignitate, ac maiestate obibat. Non adamatæ paupertatis rationem haberi, sed cuncta peragi splendidissimè volebat; ornatumque ipsum, ac syrmata singularem quandam magnificentiam præseferre. Quod item priuato in sacello præstabat. Siquidem, cùm, vt aliàs sæpè monuimus, nihil in domestica eius supellectili auri, argentique explendesceret; quæ ad sacrum instrumentum spectabant, æquare magnam fortunam volebat. Iulio Aretio Nepoti, quòd significauerat, inter Marij Carafæ, Predecessoris exuuias plura esse, quę forent sibi vsui, coemique minoris possent, respondit, quę ad Domus cultum, ac dignitatem spectarent, insuper habere se; neque id vnquam mentis concepisse, vt luceret domicilium: id verò seponeret, quę augere pretio, ac magnificentia sacrorum ornatum possent. Ab Ecclesiasticis vt compositè, ac ritè cęremoniæ peragerentur, anxiùs contendebat. Instituere ipsemet Clericos, ac Seminarij pubem interdum videbatur: docebatque in sacrorum ministetio incessum, orisque habitum, ac modum, quo genua concinnè ponerent. Iam, qua cura instaurari, expoliri, frequentari Templa,

Religionis in eo cultus.

Splendidissimus in Antistite.

Ecclesiasticis functionibus diligenter incumbit.

Instituit per se seminarij adolescētes.

pla, vt sacris concionibus celebrari, vt ditari Diuorum lipsanis curauerit, superuacaneum hic percensere existimamus. Vt verò ea coli summoperè gratulabatur; ita indecorè in ijs versari aduentantes, mirùm quo indignari supercilio videbatur. Graui quidem mulcta, censurisque cauit quàm seuerissimè in Templo ne deambularent; neue destinata mulieribus septa viri ingrederentur. Singularem in sacrario modestiam deprædicabat: exclusitque non modò risus, ac lusus; verùm vt ne loqui quidem auderent Clerici, non leui pœnę denuntiatione statuit. Honorem sacris Diuorum imaginibus cùm haberi maximum vellet: nihil ferre molestiùs videbatur, quàm illas indecorè, aut profanis in locis pingi: cauitque edicto, ne indecenter in triuijs pingerentur; atque expungerentur, si quæ iam prostarent. Dies item Cælitum honori sacros obseruantia, ac pietate coli, permagni interesse religionis ducebat. Sicubi inuectæ festis ijs ferijs nundinæ forent, transferri in consequentes dies curauit. Placentiæ, qui in Dominici Natalis peruigilio, ac festo mos inoleuerat, profana spectacula, choreasque, atque id genus ludos celebrandi; insigni contentione, studioque aboleuit: restituitque vagientis Dei cunabulis dignitatem, ac venerationem.

Templorum irreuerentiæ seuerè cauit,

Et sacrarum imaginum venerationi,

Et festorum dierum obseruantiæ.

Hæc, aliaque à præstantissimæ eius virtutis studio: cui annectenda nunc est rerum diuinarum contemplatio, quæ præcipuus religionis est actus. Enimuerò vel ab ipsa adolescentia contemplatricis, affixæque Deo mentis specimen quoddam Aretius dedit; vt accedente postea Ioannis *Marinonij* disciplina, præclarè sese in frugem induerit illa orandi, & commentandi indoles. Multus planè in Ecclesia Diui Pauli erat, vt beatis hisce otijs frueretur: quod valdè admirandum in viro, quem causarum patrocinium, ac togæ actuosissimæ negotia opprimebant. Cur in tranquillissimam Sodalitatis stationem se recepisset; ac luctari toties, ac tantopere voluerit, ne illam desereret: contemplationis profectò studium fuit: vt qui cerneret ab forensi eo strepitu auocari à cęlestibus mentem; ac rursùs cogitaret, fore, vt non eo ardore, studioque cum Deo ageret, si animorum administrationem capesseret. At enim, quæ est vis consuetudinis; quam exorandi Numinis rationem Religiosa in disciplina seruauerat, hanc ipsam Antistes retinuit. Nam præter constituta diuinarum laudum tempora, quas raro quidem Antistitum exemplo persoluere cum suis Clericis in Odeo frequenter contingebat: alias item publicis, priuatisque commentationibus horas destinauerat. Ac in Ecclesia quidem ante principem Aram, ac diuinissimam Eucharistiam duas minimùm horas quotidiè orabat; vt cogeret eo exemplo alios, inflammaretque ad precandi studium. Domi solitudinem sibi quandam exædificauerat, hoc est, paruum, secretumque conclaue, in quod circumactum, distractumque curis animum, colligere statis horis solitus erat, velut in portum, sinumque tranquillitatis. Obseruatumque à suis, cùm in hoc intraret sacrarium, adeo à se abripi, eleuarique mentem consueuisse; vt cùm ad refectionem, curasque alias vocaretur, sæpiùs moneri, ac veluti ab arctissimo excitari somno oporteret. Quo posteà è loco, cùm in conspectum sese hominum daret; dixisses redire illum à familiari quodam cum Numine congressu, vultu planè serenissimo, ac suauissimo, vt nec desiderari quidem etiam splendor videretur. Præter hæc, nullum vnquam aggredi opus Deo inconsulto visus est: præiuisse preces, id demum esse optimum rerum agendarum initium, ac omen, putabat. Cùm verò negotia ipsa agitaret; is erat oris habitus, eaque inerat verbis pietas; vt vel inter grauissimas eas curas coniunctum habere cum Deo spiritum coniectari facilè quis posset. His autem si fusas ad Deiparam, ac Diuos incredibili quodam, constantique studio preces, easque haud sanè breues, addas; eius profectò vitam continuam fuisse orationem dices.

Contemplationis studiũ.

In Ordinem Aretium propellit.

Cui impensiùs vacat Antistes.

Tùm publicè

Tùm priuatim.

Nihil Deo inconsulto aggreditur.

Iam assiduam hanc orandi consuetudinem, ac mentis otium si spectes: vix credes tantum operę, contentionisque in procurandis Ecclesijs adhibuisse Aretium: cùm tamen constet, in formanda, amplificandaque re Christiana eiusmodi fuisse eius animi ardorem, ac zelum; vt nescias, an præstantioribus vigilijs, curaque operosiore in ea quis laborauerit. In regendis Infulis duo sibi potissimùm actuosus hic Aretij zelus proposita habuit: fidei reformationem, ac morum. Fidem, etsi cùm

Placen-

Placentinam prouinciam, ac mox Neapolitanam adijt, non ea temporum labes affeceret; extare nihilominùs exacti æui, atque impietatis vestigia videbantur: vt nisi elidi ea semina Episcopi strenuè curarent; nil propiùs esset, quàm vt publico cum animorum detrimento in malam frugem exurgerent. Ergò in Concilij Tridentini vsurpationem, eaque potissimùm, quæ ad Christianam religionem spectarent, statim, ac pro virili incumbere: fidei professionem ab Curionibus, atque artium magistris palàm exigere: insectari acriùs, quos erroribus vel minimùm delibutos rumor ferebat. Id statim consignatis ordinationibus, atque excommunicationis fulmen interminatus, sanciuit; vt qui hæresis aut compertum, aut suspectum quempiam haberet, sciretque haud Christiano ritu viuere; illicò ad fidei Quæsitores deferret: monuitque seriò Principes, vt maximo operi opem ferrent; neue in suam Dominationem, nullo vnquam officij, aut artis prætextu, hæreticos, eorumque admissarios admitterent. Christianæ disciplinæ scholas aperuit, informandæ fidei rudimentis recenti puerorum indoli; quos ipsemet interdum instruere, non infra dignitatem, atque Infulam putabat. Id quod cum rusticis etiam præstare, quos interdum offenderet, nobiles officij sui partes ducebat. Placentiæ institutis certis temporibus, locisque concionibus, consultum Hebræorum contumaciæ, ac impietati voluit. Neapoli, vt mancipati procerum seruitio Turcæ asseri in Christi libertatem, assertique imbui Christianis præceptionibus ritè possent; piorum, doctorumque hominum Sodalitium excitauit: aderatque ipsemet persæpè inflammando operi. Et cùm expiandi fonte sacro essent eiusmodi catechumenis obire ipsemet munus singulari vultus, animique alacritate, ac solenni pompa consueuerat. Circumferri tantæ pietatis monumentum eius Congregationis Sodales voluere. Quippè in eo, quod in publicis supplicationibus gestare labarum soliti erant, non aliam pingendam imaginem curarunt, quàm Cardinalis Aretij salutari vnda catechumenos abluentis. Extatque hodièque hoc signum, cui vetustas, spirantisque Antistitis effigies pretium facit. A librorum eruditione propinari inter elegantias venenum nouerat; statuitque de ijs perseuerè. Censores instituit incorruptos iuxta, ac doctissimos, ac ne grauem eam animorum pestem nundinarentur bibliopolæ, acri eos mulctæ denunciatione deterruit. In ijs, quas de fidei causis celebrari sæpiùs solito Congregationes iussèrat, nunquam desiderari se inter accurata ea capita passus est; vt ferueret planè semper à suo zelo grauissimum opus. Semel Anglorum quædam nauis appulsa Neapolim est; ac veritus, ne cum cætera merce hæresis nauigasset, inficeretque Caluiniana lue populos: in vestigio temporis, qui de eorum religione accuratè cognosceret, misit. Neque frustra ea fuit inquisitio: vocatis nanque in examen nautis, corruptam gestare plerosque mentem compertum est; quos ad Romanam mox religionem exactos, eierare Caluinum, patriamque fidem iussit, magno cum pietatis incremento, suæque diligentiæ laude. Certè remensa pelagus est Anglicana ea nauis, adspirante meliore aura; feliciùsque enauigauit, deturbata è puppi impietate.

Sed de fidei zelo supersunt longè plura: abundè hæc ad specimen. Nunc morum censuram perstringimus; quam, vbi primùm vtrasque successiuè Infulas inijt, non per functoriè quidem, sed magnis conatibus, curaque intentiore instituit. Placentiæ, quòd abesse aliquandiù Antecessorem contigisset, non ea fuerat administrorum sedulitas, vt succrescentibus vbique prauis moribus occurrerent: eàque propter admouenda austerior manus fuit, vt exscinderet. Igitur inueteratæ impudicitiæ, vsuris, blasphemijs, sacrorumque contemptui, quæ inoleuerant, accersere à Synodis, ab edictis, à pijs concionibus, à metu remedium statuit. Qui primus cùm Placentiæ, tùm Neapoli casuum reseruationem in vsum induxerit, Aretius fuit; vt frœno esset restrictior absolutio, doceretque quàm grauia ea essent piacula, quę non omnes diluerent. Planè, vt insolens hoc remedium, ita excessisse hęc medicina modum visa aliquibus est; qui simul & continuare crimina, & securos se vellent, obuia vbiq; venia. At ille, qui maximum ab ea lege accedere morum reformationi momentum nouerat, vel inde medicinæ vtilitatem coniectabat, quòd ægroti dolerent. Porrò, quæ reliquum vulgus ad vtramque partem incitandi vim habet non minimam, ea est

Fidei zelus.

In Trid. Concilij vsurpatione totus fuit.

Scholas, erudiendis in fide pueris, instituit.

Hebræorum saluti cõsulit.

Instituendis Catechumenis Sodalitiũ excitat.

Quos ipse salutari vnda expiabat.

Extatq; eius rei monumentum.

Librorũ licentiæ cauit.

Congreg. de fidei causis interest.

Anglorũ nauim repurgat

Morũ censura

Primus casuũ reseruationẽ in morem induxit.

Clericos præcipuè emēdat

Ecclesiasticorum vita; quam sanè è morum disciplina, ac dignitate Placentiæ præsertim exorbitare, nimiùm quantùm dolebat Vir optimus; vt planè Clericos maximè respicere eius vigiliæ, curæque viderentur. Cæsariem, habitumque exigi ad mensuram, modumque iussit; vt illam quidem decurtarent, hanc verò decenter, ac pro dignitate ad talos vsque promitterent. Ornatum omnem, qui profanum præseferret cultum, proscripsit: publicas, priuatasque inspicere comœdias prohibuit: spectacula, ludos, venationem, arma interdixit: vt facinorosorum consuetudine abstinerent, neue cum mulieribus, vel consanguineis eodem sub tecto degerent, cauit. Quæ quidem ad Cleri emendationem, formamque decreuisse, non satis illi fuit; nisi vrgeret terroribus, pœnisque obseruantiam: vt breui instaurari priscus rigor, nihilq; à regulari disciplina exterior hic in Ecclesiasticis cultus, moresque differre viderentur. Quod verò maiorum insistere vestigijs pronior iuuentus occœperat, grauioremque disciplinæ labem promitteret; excitatis cùm Placentiæ, tùm Neapoli Seminarijs, illam quà bonis artibus, quà Christianis institutis imbui curauit. Quod enimuerò non minimum contulit, vt Ecclesiastica repubesceret disciplina: quando, vt plurimùm valet in eo flore ætatis educatio, absolutissima postea ab ijs contubernijs virtus manauit; quæ cùm populis documento morum fuit, tùm dignitati Clero.

Seminaria adolescentū instituit.

Neque omittenda hìc ea Pastoralis officij, curæque pars, quæ sanctior omninò est, ac tueri illam accuratiore studio Episcopi solent. Ea sunt sacrarum Virginum Cœnobia, quorum sanctitatem, ac florem exterior quæuis aura deuenustat, ac maculat. Ac desudauit profectò in asserenda, quæ defluxerat inter Placentinas, ac Neapolitanas Moniales, obseruantia: attemperauitque sese mitiori mulierum ingenio, vt reformationem quadam authoritatis indulgentia, benignitateque præscriberet. Et planè etsi pessum iam Placentiæ Sacrarum Virginum disciplina iuerat; insistendo nihilominùs, vrgendoque strenuè opus, visus illam postliminiò reuocasse: ita vt cùm Maximi Pontificis iussu ea posteà Cœnobia lustraret Episcopus Ariminensis; Aretij vigilias, exantlatosque in ea reformatione labores summoperè commendarit, nihilque addendum eius decretis existimauerit. Quæ quidem decreta non aliena, sed sua ipsius manu voluit exarata, vt accederet ad autographa scriptione pondus. Extantque nunc, ceu flagrantioris cuiusdam zeli monumenta, ac pignora. Neapoli verò cùm lapsam quibusdam in Monasterijs disciplinam redintegrauit; tùm duo præsertim Gynæcea, alterum à Diua Maria de Agnone, à Sancto Archangelo alterum nuncupatum, quòd reformari difficillimum duceret, abolenda putauit; aboleuitque constantissimè Romani Pontificis authoritate, distributis per reliqua Neapolitana Collegia Virginibus. Monasterium autem S. Archangeli illud idem est, pro cuius tutela Beato Andreæ Auellino dehonestata semel, atque iterum luculentis vulneribus facies fuit: vt iam tùm laborasse ea disciplina videretur, quæ conseruari sine contentione, ac sanguine minùs potuit. A quo cùm pleræque Virgines in D. Gregorij Armenij Cœnobium transierint; eò longè pretiosissimum Diui Ioannis Baptistæ sanguinem vnà secum asportarunt, Archiepiscopi nempè nutu: qui cùm alias alijs peruetusti Cœnobij Moniales, ac Diuorum reliquias distribuisset; locupletare Gregorianam illam Ædem ijs lipsanis voluit, quæ inter celeberrima Neapolitanæ pietatis monumenta numerantur. Colliquefieri nanque die Ioannis Martyrio sacra, vsitato quodam, familiarique miraculo cernitur, vt multum sanè debeant Cardinalis Aretij memoriæ sacræ illæ Virgines, pretiosa ea sanguinis Purpura vsque adeò nobilitatæ.

Monialium disciplinæ studet.

Laudata ab inspectore eius sedulitas.

Duo Neapoli Monasteria aboleuit.

Commendatū olim Auellino D. Archangeli Monasterium.

D. Ioannis Baptistæ sanguis in Diui Gregorij Cœnobio.

Nunc post ardentissimi Viri studium circa fidei, morumque normam; eius caritatē complectimur: ac primò quæ in Deum est, quam hæc ipsa, quæ modò enarrauimus, liquidò testantur. Tantus enim pietatis, disciplinæque instaurandæ zelus, nisi ab incomparabili Dei amore proficisci non poterat; neque tot prætereà labores, atque incommoda is vnquam subiuerit, cuius non singularis quædam Christi caritas vires confirmasset. Et quidem eo studio vigilias, curarumque complecti molestias videbatur; vt quæ intus flamma incitaret, vrgeretque, abundè ostenderet. Id quod cùm in omni vitæ cursu cernere erat; tùm maximè cùm obite Diœcesim contingeret. Enimuerò non viarum abrupta, non hyberni, æstiuique

Aretij in Deū caritas.

sideris

ſyderis ardores, aut hyemes peracrem illum vigorem animi in ſumma præſertim ſenectute edomabant; luſtrabatque non quidem lectica, ſed equo vectus: à quo deſilire inter eundum ſæpiùs cernebatur, vt obuium ruſticum exploraret ipſemet, an fidei rudimenta ſciret; edocebatque tùm quidem, quæ per tempus licebat. In ipſa verò locorum inſpectione vna illi quies, adinſtar flammæ, nunquam quieſcere. Siquidem cùm plures interdum horas Templis accuratè obeundis, aut etiam conſecrandis, Sacramentis conficiendis, publicæ habendæ concioni, iudicijs adminiſtrandis, ſedandis litibus, curiſque alijs laborioſiſſimis pro officio inſudaſſet: non quidem reſtituere quiete, ciboque abſumptas ijs functionibus vires; ſed alacri, inſtactaque corporis firmitudine, intendere in aliud ſtatim Oppidum iter cernebatur. Defatigatæ, ac penè fatiſcentes domeſticorum vires Antiſtitis conſtantiam commendabant. Ipſe animos cunctis ſufficere, adhortarique; ſua quidem ætate, communique contentione robuſtior. Id verò obſeruatum à ſuis fuit, imminutas eo labore opes corporis ſolitum illum orationis quiete admirandum in modum reficere. Nam vbi aliquantiſper collegiſſet ſeſe, atque in ea, quam inuiſebat, Eccleſia preces fudiſſet; exurgere vegeto, recentique ſpiritu videbatur; poſcebatque veluti à diuturno quodam otio nouam laborum materiam. Iam, ingentem eius in diuinum Numen amorem aſſidua de eo colloquia declarabant. Nullum planè illi niſi de Deo, vel ad Deum verbum excidit; ita vt ſi quando aberrare inſtitutus ſermo ab eo argumento videretur, reduceret ſtatim ad lineam: id enim lingua, ac ſermonibus fundi neceſſe eſt, quod ebullit, feruetque in corde. Ad hæc, frequentiores lacrymæ non leue quidem exæſtuantis in pectore cæleſtis ignis indicium erant. Nunquam non eius oratio immaduit. Rarò aliorum in Deum crimina audire, rarò reprehendere ſine fletu videbatur. Cùm diceret pro concione ad populum, in lacrymas tandem abibat ſermo; vt multò eloquentior ſemper eſſet oculorum vena, quàm linguæ. Verùm, cùm id ſolenne diuino Amori ſit, vt fuſus per omnes virtutum actus, eos impleat ſuo numine, incitetque; nihil profectò in Aretio, eiuſque actionibus fuit, quod non ſpirare vim quandam cæleſtis caritatis videretur; veluti ex eius præſcripto, impulſuque moliretur cuncta.

Ab diuinis amoris admimen o leues illi curæ.

De Deo ſermones amoris indices.

Et lacrymæ.

Altera porrò caritatis pars, quæ proximorum opportunitates, ac commoda reſpicit, haud minùs planè intenta, atque ardens in eo fuit. Peræqua nanque propenſione ferri in Deum, ac in mortales caritatis ſtudia perſpectum omninò eſt; vt quanto ille amor creſcit, tantumdem hic ardeat. Iam, emicuit præclara hæc vel in puero virtus; nam cùm cerneret domi pauperes, ſiſtere ſe Patri conſueuerat, eorumque patrocinabatur inopiæ; ea nimirum facundia, qua pietas infantium linguas facit diſertas. Quos verò identidem largitos ſibi à Patre nummos vellet, illos non ſuo quidem vſui, genioque, quæ puerorum eſt indoles, ſed egenis ſtatim erogabat. Quibus ſanè munificentiæ rudimentis proludere adultæ, magnæque cuidam caritati videbatur. Cauſarum patronus, ac mox à regijs conſilijs, non augere patrimonium, ac opes à ſtudijs, ac toga mens erat; ſed quæ ab ingenij facultate prouenirent lucra, ſingulari quadam pietate in pauperũ inopiam magnam partem deriuabat: iiſq; vt pro voto, nõ pro modo conſuleret; grauari ſæpiùs, vt alias meminimus, ære alieno contingebat. Locabat præterea illis operam, atq; induſtriam ſuam: vt ſi quæ miſerabiles viduæ, pupillique, ac orphani, aut quilibet ex infima pauperum ſorte in fori charybdim incidiſſet; admouebat illicò manum Aretius: eratque communis miſerorum tutela, ac perfugium. Id quod teſtati poſteà ſunt publici eorum queſtus, cùm Religionem is induit. Deſtitutos ſe nanque communi Parente, rerumque ſuarum firmamento lamentabantur. In Ordine verò vitæ rationes mutaſſe, non inſtitutum, ac mentem voluit: ac in proximorum ſubſidium eò ſublimiùs viſus incumbere; quòd eorum magis animos procurare, quàm corpora, fortunaſque contendebat. Tenebatur quidem contemplationis ſtudio; ſed inde ad externa aliorum commoda promptior, multuſque inſtruendis mortalibus, expiandis noxis, inuiſendis, adhortandiſque ægrotis, componendis ſimultatibus, cæteraque id genus pietati aderat. Et in audiendis quidem confeſſionibus non aſſiduus modò erat; verùm etiam vrgente caritate, ſuburbana etiam, quæ tribus circiter milliaribus Neapoli

In proximos caritas.

Vel à puero.

Cauſarum patronus,

Pauperibus maximè patrocinatur.

Totus poſtea in animorum procuratione.

aberant, adire perſæpè ſenex, ac pedibus non dubitabat. Effulſit hic porrò clariùs, ac latiùs proximorum amor; cum admotus Eccleſiæ adminiſtrandæ, ac poſitus veluti ſuper candelabrum fuit. Primas procurationi, ac tutelæ animorum dabat; quibus ſe præcipuè conſulendis prouocatum ad dignitatem nouerat: de qua quidem cura ſatis, cùm de morum reformatione diximus. Patrem ſe deindè pauperum ijs ſe Epiſcopi inſignibus, ac Infulis inauguratum reputabat: reſpondebatque

Antiſtes ſubleuandę præcipuè pauperta ti vacat.

adamuſſim muneri, ea quidem laude pietatis; vt conferri cum magnis Antiſtitum nominibus poſſit. Planè id vnum ſibi propoſuiſſe videbatur, vt aliorum commodis ſuæ Eccleſiæ vectigalia deſeruirent; earumque procurator, non dominus pios illa in vſus, cauſaſque conuerteret. Clericorum Seminaria, Religioſorum Cœnobia, mulierum Collegia non modò excitanda ære ſuo, coempto etiam ſitu, curabat; ſed quotidiana etiam ope, victuque iuuabat. Pauperiores virgines in matrimonium honeſta dote collocabat. Quos malè ſarta indutos togâ Sacerdotes aduertebat, decenter ſtatim, collata pecunia, vt veſtirentur, Præfectum ſuæ Domus monebat. Peregrinos Eccleſiaſticos excipi liberaliter iuſſerat, ne concedere publicum in Hoſpitium infra decentiam cogerentur.

Pauperũ eius in domibus frequentia.

Plena quotidiè ſtatis horis Domus atria, ac Aula ipſa pauperibus cernebantur; habebatque in delicijs, vt alia alijs ſunt oblectamenta, foueri ſuo cenſu ea agmina. Quo loco illud venit commemorandum.

Quid illi cũ Parocho quodã acciderit.

Placentinam Diœceſim luſtrabat; exceptuſque ab nobilis cuiuſdam Oppidi Curione, admirari aliquantulùm viſus eſt, ali in eius domo canes. Ille; venationi ſe, inquit, aliquando operam dare: proindèque educari honeſtæ exercitationis inſtrumenta oportere. Tùm Antiſtitem interrogare: an ipſe aleret domi canes? Ita, Aretius reſpondit, & quidem peregregios; videbis, ſi adire ad Vrbem, ac Ædes meas non pigebit. Adſuit in tempore Vir egregius, viſurus ſtrenuam canum ſobolem. Epiſcopus, vt pauperum gregem occupaſſe iam atria, accepit, eò Curionem duxit; &, En, inquit, canes, quibus ego alendis operam, opeſque impendo: an ſanctiore conſilio, ipſe iudices. Certè ijs ad honeſtiorem, atque vtiliorem longè venationem vtor. Tùm monere ſubaſperè, non ideò admotos officijs Eccleſiaſticos, vt canibus, genioque indulgerent. Eas eſſe muneris ſui partes; atque optimum animi laxamentum, fouere pauperes. Quo ille didicit, & quàm alia eſſent Antiſtitis ſui ſtudia; & quàm ipſe habere alia oporteret. Quam canum ſimilitudinem memini, à Beato olim Amedæo Sabaudo, Principe ſanctiſſimo, vſurpatam. Dicere nanque conſueuerat, inopes ſuos eſſe venaticos canes, quibus Cælum, ac ſydera comprehenderet.

Sua etiam è menſa epulis inopes recreabat.

Et quidem in egenorum cultu, ac pietate adeò multus erat Aretius; vt nullus vnquam reuerti ab eius domo viſus fuerit non abundè refectus: acciditque non ſemel, vt petenti eleemoſynam, dum ad menſam diſcumberet; appoſitas ſibi epulas, lancemque elargiretur. Quod de Stephano, Vngarorum Rege longè pijſſimo litteris proditur; vt ob hoc illi regiæ pietatis facinus nunquam aruerit manus, maior æuo, & puluere.

Pauperũ ſibi indicem confecerat.

Porrò pauperum, illorum præſertim, quos honeſtas natalium, ac morbus domi continebat, abſtinebantque à publica ſtipe, indicem ſibi confecerat: hos ſuſtentari ſua liberalitate, penuque, atque è ſua interdum menſa impenſiùs curabat: monebatque familiares ſuos, vt ſi quos alios eiuſmodi fortunæ viros reſciuiſſent; illicò edicerent, vt cenſum illum pietatis adaugeret.

Inſigne Aretij factum.

Illud ſanè dignum, quod hìc narremus, habeturque iurata teſtium fide in eius Actis. Accumbebat aliquando menſæ, cũ ſubijt animo inops quędam fœmina in ſyllabum relata, quam enixã proxima nocte puerum, omniq; mortalium ope deſtitutam, iacere fœno inaudiuerat, exigua quadã in domo ad Deiparã à Campagna. Nec mora: ire ſeruũ iuſſit, annonamq. mulieri deferre: qui cũ ſcire ſe domum negaret; diuina quadã mente Cardinalis, abire nihilominùs imperauit Marianum illud Cœnobium verſùs: tantũ linteolũ ſumeret, brachioq; imponeret; vbi ille cecidiſſet, ſciret ibi fœminã habitare. Hoc ille monito, facturus imperata, abſceſſit. At enim alia fortè cogitatione abreptus, oblituſq; linteoli, vltra per imprudentiã proceſſerat; cũ datam teſſeram recordatus, cognouit excidiſſe iam brachio, nec planè aduertiſſe. Quocirca rediens per veſtigia: lapſam illã propè oſtiolum quoddam vidit: quod ingreſſus, puerperam haud molliore cubantem in culcitra, quàm fœno, reperit: accepitque illa miſſum à Cardinali prandium, veluti è Cælo delapſum;

Conſi-

Consignata hæc tabulis, actisque vt diximus: qui verò pro testimonio dixit, hæc insuper addidisse voluit. Id se pro eximia Cardinalis sanctitate ita euenisse persuasum habere: præsertim quòd simile quid olim Beato Ioanni, Ferrariæ Antistiti, contigisse, ex eius vitæ monumentis non ignoraret. Atque eiusmodi quidem extemporaneæ beneficentiæ multa edere Aretius documenta solitus erat; vtpotè quem nulla lateret vrbana necessitas; intentusque in omnem hominum miseriam esset, vt suum veluti in locum opes confluerent: quibus si erogatum secretiore manu aurum ad suæ caritatis gustum, ac genium addas; iure quàm qui optimo dices appellatum ipsum communi consensione, [Patrem Pauperum.] Et admirationi profectò locum dedit, qui fundere tantum eleemosynarum, aurique posset, cui non adeò opulenti census essent. Enimuerò, etsi posteà amplissima, licet non omninò pietati, ac votis paria, accesserint è Neapolitana Ecclesia vectigalia; tamen Placentini Sacerdotij non is erat alueus, vt indè tot hauriri facultates, opesque possent, quibus communis egestas aleretur; ac non modò integris viduarum familijs, pupillisque omnibus, ac orphanis victus; verum etiam ad Cœnobiorum substructionem, piorumque locorum institutionem sumptus passim, peramplique sufficerentur. Hanc in primis concipere admirationem visi sunt Parmenses Principes: qui Insularum vires, atque Antistitis munificentiam cùm seriò conferrent; excedere hanc illas multis partibus mirabantur: eòque peruestigare diligentiùs soliti erant, vnde assiduis tot largitionibus, ingentique animo pares census. Quam sanè dubitationem cùm alij postea excuterent; in eam abire sententiam videbantur, vt dicerent, Deum ipsum occultis quibusdam rationibus patrimonium adaugere beneficentissimi Antistitis: vt quando ab eius liberalitate egenis, pietatique tam benè esset; affluerent illi diuinitùs, arcanisque venis opum riui. Propiores verò causas, cur maiores suis prouentibus sumptus ab eo fierent, eas putamus. Nam primò, cùm cœptis ipse suis, conceptæque liberalitati minùs sufficere videretur; interpellabat aliorum etiam opem; vt qui sua erogabat omnia, stipem deindè & ipse, continuandæ pietati, corrogare non dubitaret; gaudebatque in sinu & augere ipsum pia opera; & alijs benè de caritate merendi materiam præbere. Quod verò maximè amplificare census suos videbatur, ea erat domestici cultus ratio, ac parsimonia. Siquidem, vt in loco demonstrauimus, nihil splendidi, aut in speciem supellectili; nihil lautioris victus in mensa, aut vestitu, externoque apparatu, quod honori dignitatis seruiret. Indumenta, quoad per decentiam liceret, ad summam vsque vetustatem gestabat: sarciri calceos ipsos volebat vel Purpuratus. Atque ex hoc parsimoniæ fundo cùm non minimùm frugis prouenìret; elargiri in pauperum vsus largiùs, atque effusiùs quidem poterat. Qua quidem vitæ ratione, ac strictiore sui cultu vsos præclaros, ac sanctissimos Viros, præsertim Thomam à Villanoua, Episcopum Valentinum magni nominis, legimus; qui, vt crescerent egenis opes Sacerdotij, parcè victitabat, sarciendasque curabat vestes, vt pauperum centonibus consuleret.

Audit Pater Pauperum.

Eleemosynæ largiores, quàm census.

Quos diuinitùs excrescere multorum sententia fuit.

Crescebant verò maximè ab aliorum stipe.

Et à sua parsimonia.

Quanquam hanc ipsam circumscripti victus, ac domestici cultus tenuitatem non modò ab amore pauperum, verùm etiam ab amore paupertatis profectam pro comperto habemus. Quippè nihil vnquam Aretio pretiosius fuit, quàm paupertas ipsa; quam vt fouere in pauperibus studuit, ita ipse complecti vnicè visus est: vt propterea professurus in sacra aliqua familia nomen, non aliam delegerit; quàm quæ veterem, veramque Apostolicæ paupertatis laudem, obsoletam iam æuo, excitauerat. Et in hac quidem disciplina sic illam coluit; vt cariores illi essent vestes, quæ crassiores, & sua ipse manu sarciuerat: calceos nonnisi pluries refectos, etiam sua manu, gestabat: pileus, qui iam pluuiæ arcendæ, aut soli vetustate sua non esset causatus, ob leuitatem laboranti illum capiti peropportunum: libri in cella nulli, nisi quem in præsenti percurreret; vt non alium sumeret, nisi priorem absoluisset; ne voluminum numerus simplici paupertati detraheret. Lectus, tabula, scamnum, ac reliqua cellulæ supellex, exactæ huic paupertati consona. Fulsitque hæc postea virtus in ipsa dignitatis luce clarior; vt fuerit ne pauperior in Apostolica disciplina Aretius, an in Purpura, ac Infula? incertum. Sed de hoc eius insigni paupertatis studio sparsim, suisque in locis copiosè diximus; vt actum profectò agere videamur, si eadem

Paupertatis in eo studiũ,

Vel in ipsa dignitate.

Et in funere. si eadem nunc repetamus. Sat fuerit hic iterùm commemorasse, ad extremam vsque vitam paupertatem retinere, atque vnà secum, veluti contumulari illam voluisse. Enimuerò testamento cauit, ne solenni aliquo de more indumento extinctum corpus ad sepulturam cohonestaretur, neue pretiosior anulus fulgeret in digitis. Inferri in commune Theatinorum Cœmeterium iussit, nullo videlicet sumptuosi operis sepulcrali lapide, aut inscriptione; vt contingeret paupertati, quam tantoperè adamauerat, tralatitius, ac par tumulus.

Vitæ asperitas. Huic verò austerioris indolis virtuti, arctisque his vitæ rationibus, quandam etiam nec vulgarem disciplinæ asperitatem adiungebat; vt cohiberet duritie cultus molliores carnis appetitus. Corpus etiam senio, ac valetudine affectum atterere cilicio, pijsque verberationibus consueuerat. Perbreuis illi, vt lectus, ita & somnus; vt antelucanas etiam laudes anteuerteret. Ieiunia. Ieiunia, non modò quæ nostræ præcipiunt leges, sed alia item sanè multa, & quidem strictiùs seruabat; vt vel Antistes, & Cardinalis cùm modicam strui cœnam vellet, cùm ieiunabat; apponi subindè serotinum ientaculum prohiberet. Piaculum reputabat, vel grauiore ex causa stata Ecclesiæ ieiunia frangere. Semel cùm grauiter decumberet, abrumpi vernum Quadragesimæ ieiunium oportuit, idque medicorum vi, iniectaque religione: ac tùm quidem non nisi clam domesticis afferri, atque apponi alienos eos cibos iussit; ne manaret in vulgus indulgentiæ opinio, exemploque læderet suos.

Castitas. Qua quidem corporis afflictatione cùm cæteras sibi virtutes conciliaret, ac tueretur; tùm illam in primis, quæ nisi inter carnis detrimenta, pœnasque voluntarias nunquam floret: nempè castimoniam. Præcipuo illam studio coluit; vt nihil eius moribus, aut modestius, aut purius fuerit vel in ipsa adolescentia, ac iuuentute: quę eius maximè virtutis scopuli sunt, multorum planè ruina, ac naufragio nobiles. Consuetudines illi in eo lubricæ ætatis, aut persanctæ cum religiosis viris, aut nullę. Domi, ne quid peccaret oculorum libertas, clausis fenestris morabatur; extra domum verò deiectis ad terram oculis, qui corporis fenestræ sunt, incedere singulari quadam vultus modestia, ac verecundia consueuerat. Tentata semel, ac iterum. Tentata interdum acriùs, admotisque veluti machinis, eius pudicitiæ arx fuit. Dum regio in Consilio Senatorem ageret Neapoli; agitari coram eo inopis cuiusdam viduæ causam contigit, circa quam cardo familiaris rei vertebatur. Coemere fauorem, ac suffragium Iudicis constituit fœmina; venalem Aretium communem in forensium morem putans. Ergò pretium, ingens illud quidem, vltrò obtulit; nempè adultæ filiæ formam, atque honestatem; non ignara quantum inesset eiusmodi muneri potentiæ. At ille, etsi succenseri statim viduæ visus fuerit; attamen inopiam commiseratus, præclarum non modò castimoniæ, sed munificentiæ specimen dedit. Propulsato insigniter impetu. Etenim vbi validissimam impressionem, atque à fœmina impetum insigni pectoris firmitate propulsauit; cauere etiam Virginis pudicitiæ voluit: nam tantùm illi continuò pecuniarum est elargitus, quantùm satis esset, vt in Monialium Cœnobio Virginitatem cælesti Sponso dedicaret. Nec sanè illata minor illi vis veterano iam, atque in virtutum palęstra exercitatissimo Matriti fuit; dum Neapolitanam obiret legationem. Narrauimus quidem alibi ardorem animi, quo fœminam non expulit modò à conclaui, sed terruit; ijs verbis illibatum omninò mentis candorem, quodam abreptus zeli impetu, testatus: Nunquam, & nusquam suos vultus à mulierum vultu contactos. Qua verò Antistes mulierum consuetudines vt fugit. pudicitiæ laude Infulas condecorauerit, non est, cur hìc exponamus. Idea quædam inculpati moris videbatur: mulieres nunquam nisi publicis in locis allocutus: ac Neapoli quidem scimus domestico in Sacello, cunctis inspectantibus, ijs dare aures solitum, cùm negotij causa aduentarent. Semel ornatissimam fœminam, Cardinalis Alexandrini Nepotem, excipere Placentiæ Hospitio contigit: & quanuis laxior esset domus, vt capere ipsum etiam posset: cedere nihilominùs loco voluit, moratusque est cum Nostratibus, quoad illa abscederet: incongruenter facturum se honestati, ac dignitati putans, ibi consistere, vbi fœminæ habitarent. Id quod & suos Et vt Ecclesiastici fugerent, cauit. seruare quà priuatis, quà publicis decretis cauerat: iusseratque Synodi Consulto dari ab Ecclesiasticorum domo mulieribus, etiam consanguineis, missionem. Planè à

dicatis

dicatis Deo viris id in primis euincere conabatur, vt viuerent quàm pudicissimè. Si quorum fœdatam vitam, ac famam profanis amoribus nouerat; id illicò monitis, atque adhortationibus curabat, vt sua rediret ordini puritas. Quod sanè multò intentiùs à sacris Virginibus contendebat. Penetrasse nimirùm in ipsa pudoris castra solutos mores, nihil contingere acerbius studiosissimo castitatis, Deique honoris Viro poterat: eàque propter vallare diligenter, ac omni ope pulcherrima ea lilia videbatur: vtque iam memoratum est, quòd non alia iniri via poterat, qua inductam semel ingenti cum puritatis fraude licentiam Virgines emendarent; deleri funditus Monasteria, quàm non integrum ibi stare Virginitati decus maluit. Qui quidem eius in pulcherrimam virtutem amor id effecit, vt noua etiam Collegia exędificaret: quò ab impudicitiæ stipendijs transfugerent, veluti in sinum castimoniæ, fœminæ prostitutæ: vt non minori quidem cum honestatis fruge, & bono & extruxerit Monasteria Aretius, & destruxerit.

Sanctimonialium honesta. ti egregie cósulit.

Iam in aduersis fortitudinem, ac patientiam, in prosperis temperantiam, magnanimitatem, perseuerantiam, obedientiam, silentium, ac cæteram virtutum familiam percenseri hîc supersedimus: quas æstimare quis ab ijs, quæ memorauimus, poterit. Prudentiam postremo hoc loco perstringendam sepofuimus, vt agmen claudat, quæ princeps est in ea humanarum virtutum quadriga; atque omnium officiorum, morumque moderatrix. Et verò quæ maximè instrumenta prudentiam aut faciunt, aut expoliunt; nempè eruditio, ac rerum vsus; addo etiam pietatem, quæ illam omninò perficit, ac consecrat; fuere in Aretio absolutissima: vt existeret planè ab ijs excellens quoddam prudentiæ genus. Perspecta hæc eius in omni ætatis gradu virtus: præcipuè cùm in rerum publicarum tractationem ingressus; comprobare suis actibus cœpit, quæ inesset iudicio vis, ac pondus, & quam in agendo dexteritatem præseferret. Hanc in primis inspicere tribus summæ notæ viris contigit: nempè Petro Toletano, Bernardino Mendozæ, & Albano Duci: qui rem Neapolitanam successiuè pro Rege administrarunt. Hi, quæ grauiora publicæ rei negotia curari oportebat, ac summam exigere prudentiam videbantur, Aretio committebant. Ortam siquidem de Pontificio, Regioque iure grauissimam controuersiam, qui Romæ prudentissimè tueretur, ac dirimeret; eò non alium allegauit Mendoza, quàm Paulum Aretium: qui eius momenta rei expedijt quàm felicissimè, Pontifice Viri solertiam, ac præsidia litterarum deprædicante. Hac item singularis prudentiæ persuasione amandatus non ita multò ante à Petro Toletano Prorege Salernum fuerat, vt eius foetæ Principis puerperio adesset. Vulgauerat nanque rumor, vterum gestare eam Principem: & quòd timeri fucus poterat graui cum regij patrimonij damno; mittendus eò fuit Vir, non modò integerrimus, sed prudentissimus, qui Regis negotium summa cum dexteritate, suspensisque vestigiis curaret. Sed vterus fama, non fœtu percrebuerat: reuersusque ille est, Salerni Principum studijs commendatissimus. At Albano Duci nimiùm quantùm hoc nomine in pretio fuit. Renunciaturus, qui ijs, quas conficiendo Campano bello florentissimas copias adornauerat, suprema potestate ius diceret; Aretium legit: cuius ea tum fuit prudentissima agendi ratio; vt prouinciam quidem declinaret, recusaretque; Albano verò non displiceret. Vti profectò egregio consilio, atque in speciem excusationibus oportuit, qui Magistratum seuerà detrectabat; quòd ea militia Romanum Pontificem peteret: ostenditque, plusquàm ciuilem inesse ipsi prudentiam, quæ pietatis diuortium pertimesceret.

Prudentia.

Summis viris commendata

Atque in difficillimis negotijs.

Probauere adhuc præstantiora hominum capita, ac fastigia eius prudentiam, nempè tres Maximi sacrorum Principes, sapientissimi ij quidem, ac veluti maiorum gentium Pontifices. Fuere hi Paulus Quartus, Pius Quintus, & Gregorius Tertiusdecimus. Et Paulus quidem, perspecta cùm insigni litteratura, tùm incomparabili consilio, quo rem totam administrauit, cui conficiendæ missus à regijs administris fuerat; retinere illum Romæ voluit, commutatis in Romanam Infulam regij Senatoris insignibus. Pius, qui Placentinum Sacerdotium, ac Purpuram detulit, honestare non pietatem modò, ac studia; sed etiam vim iudicij, rerumque agendarum peritiam voluit: testatusque non semel est hanc de Viro grauissimo opinio-

Perspecta hęc itè prudentia Summis Pontificibus, Paulo IV.

Pio V.

opinionem. Tùm maximè, cùm appellatum ab eius sententia ad Romanum Pontificem fuit: quod semel omnino accidit, cùm eius temperata cum singulari clementia æquitas nulli vnquam molestiam attulerit. Ergo repulit Pius, qui Pontificiam authoritatem appellauerat: illud subindè affirmans, æquitati ipsi detrahi, quicquid Placentini Antistitis decretis detraheretur. Gregorius verò quanti Cardinalis Aretij prudentiam faceret, in ipso statim sui Principatus initio docuit. Siquidem, vti aliàs significauimus, Pontifex inauguratus, consistere illum Romæ iussit, vt pleraque magni ponderis publica Ecclesiæ commoda vnà secum communicaret, expenderetque. Tum instituto paucorum Cardinalium cœtu, quorum iudicio grauissimæ Christiani Orbis curæ niterentur; adscribi in eo Senatu Aretium voluit. Qui sanè cumulauit apud Pontificem suæ prudentiæ laudem; cùm missionem paulò post anxiùs petijt, ne suam destituisse Ecclesiam videretur: impetrauitque vnà cum Cardinali Botromæo: qui adscitus in eandem & ipse Congregationem fuerat; collatisque vnà votis, excedere simul Roma ad suam quisque procurationem decreuerat. Sed quando Borromæum meminimus, non hìc eius de Aretio opinio dissimulanda: nouerat nanque quibus ad eam dignitatem gradibus conscenderat; qua scientia, vsuque rerum instructus; vt Ecclesiam Placentinam instituerat, qua rectionis forma, ac modo; vt latæ ab eo opportunissimæ leges, ac sanctiones; vt exacti ad regulam mores; vt restitutum Ecclesijs, atque Ecclesiasticis decus. Ex quibus cùm intelligeret, nullum accedere suis Synodis, in quibus Mediolanensis rei summam constituerat, præstantius præsidium posse; quàm Placentini Cardinalis, atque Episcopi Sapientiam: adesse illum peroptabat, inuitabatque amicissimè. Et sanè Aretij nutu, ac consilio confecta in ijs Conuentibus multa, satis constat; præsertim circa Ecclesiasticorum pœnas, ne communi ij probro mulctarentur; atque vnà cum vindicatione haberetur gradus ratio. Multus nanque Aretius fuit in asserenda Ordinis dignitate; curabatque emendari, si quid derogare Ecclesiasticorum honori videretur. Recensere hìc obitet eius prudenter dictum non abs re fuerit. Mediolani vnà cum frequentiori Episcoporum cœtu celebrandæ Synodi causa agebat: discumbebantque simul omnes ad Cardinalis Borromæi mensam; cùm Vir Princeps, qui aderat, nobilem Episcoporum panegyrim intuitus; amplissima sanè, inquit, Mediolanensis Antistitis dignitas ea est, quæ tot sibi Episcopos subiectos habet. Ad hæc Aretius, incongruè quidem Episcopos sui Metroplitæ appellari subditos: fratres omnino esse, siue confratres, non subditos. Sententiam statim dilaudauit Borromæus; secutusque Infulatorum plausus prudentiam illam extulit; quæ extemporaneam, atque inconcinnam Viri locutionem in tempore redarguit. Sed de eximia sapientissimi Cardinalis sapientia satis hæc tantorum capitum testimonia videri poterunt: nam quæ in singulis ætatis, atque officij gradibus prudenter gessit, dixitque; suis omnia in locis inseruimus.

Greg. XIII. *Et Carolo Borromæo.* *Ecclesiasticæ dignitatis assertor Aretius.*

Quòd verò elucere clariùs vnius virtus solet, si cum alterius excellentissima virtute comparetur; ad extremum huius de Aretio narrationis poscit sanè locus, vt illum cum insigni aliquo sanctimonia, ac meritis Viro conferamus. Afferri autem in medium nullus profectò aptiùs poterit; quàm is, quem modò memorauimus, Carolus Cardinalis Borromæus. Eadem hos tulit, atque admirata est ætas; vt loco, atque Episcopatu; ita religionis zelo proximos: pares Infula, ac moribus: consentitque Purpuræ etiam in vtroque titulus; nam ille à Sancta Praxede, hic à Sancta Pudentiana, quæ sorores fuere, appellati. Certè, si recensere hìc singillatim praeclara eorum exempla animus esset; intelligeret Lector, quàm æqua fronte, ac gradu præstantissimorum hoc Purpuratorum par spatia virtutum decurrerint, velut in Olympijs: vt eadem vtrique studia fuerint, vt par emendandæ Ecclesiæ cupido, Catholici nominis zelus, Christianæ fidei censura, ac ardor, in reformandis moribus sedulitas, in fouenda inopia caritas, in Deum amor, ac pietas, in sui despectione modestia. Et quidem communis hæc omnium persuasio tunc fuit, cùm suas Ecclesias regerent, ornarentque duo hæc Orbis lumina. Quòd postea Andreas Auellinus, qui familiaritate, affectuque coniunctus cum vtroque laudatissimo Antistite fuerat, compositis ad Decium Cardinalem Carafam litteris affirmare non dubitauit;

Et cum Borromæo confertur.

tauit;

tauit; nec minimùm sanè hinc existimationis, famæque accedit Aretio: cuius cùm virtutes abundè iam dixerimus; admiranda, quæ contestandæ eius sanctitati Deus patrauit, exponenda nunc essent. Non pauca ea quidem, nec parui momenti, quæ in Actis cùm Placentinis, tùm Neapolitanis recensentur. Sed cùm non desit, qui ab ijs tabulis excerpserit, ac stylo accuratè prosequatur; illis denarrandis supersedimus, atque ad alia gradum facimus.

Amplificatum hoc anno, quo sublatus è viuis, ad meliores abijt Aretius, lectissima virorum manu Ordinem non dissimulabimus. Inter quos celebrioris prudentiæ, atque integritatis laude floruit Elisæus Nardinus a Capranica, sæpiùs in nostris hisce historijs repræsentandus; vt qui summam Præfecturam Ordinis insigni cum disciplinæ incremento administrauit. Agebat is in domo Cardinalis Tridentini honestissima doctrinarum, ac morum fama, vnà cum Matthæo Bencio Politiano; qui eodem ipso die, eademque in Quirinali Domo vota nuncupauit, vir in omni virtutum genere absolutissimus, Marcelli Secundi Pontificis Maximi ex sorore nepos, geminæque amplissimæ Purpuræ frater consobrinus, nempè Cardinalis Bellarmini, & Cardinalis Taurusij: cuius vt ineundi Ordinis consilium, ita & cæteram disciplinam aliàs commemorabimus. Nomen item professi sunt suum Hieronymus Buzaccarinus, nobili genere Patauinus, & Andreas Blondus; ille Patauij, hic Romæ; legum nostrarum obseruantia, ac morum laude spectatissimi. Ante hos autem, nempè superiore anno iniuerant Neapoli Ordinem Ioannes Antonius Angrisanus, & Marcellinus Oda, Neapolitani: quibus posteà temperare summo iure vniuersam Congregationem contigit. Et Angrisanus quidem singulari vi iudicij, ac solertia commendatissimus, post quinquennem nostræ disciplinæ magistratum, præclara cum Pauli Quinti Pontificis Maximi testificatione honestatus Surrentinis Infulis fuit: successitque muneri Oda. His addendus Andreas Lanfrancus, ingenio, scriptisque voluminibus clarus, & Petrus Caracciolus, non tam suorum splendore, quàm sua cùm in dicendo, tùm in agendo facultate conspicuus; & Ioannes Vitellius Caleni Infulis à Clemente Pontifice Octauo insignitus, mox Caput-Aquensium à Paulo Quinto.

Augetur Sodaliū numero Ordo.

Elisæus Nardinus, Matthæus Bencius.

Hieronymus Buzaccarin' Andreas Blōdus.

Io. Antonius Angrisanus. Marcellinus Oda. Andreas Lāfrancus. Petrus Caracciolus. Ioannes Vitellius.

Iam, Comitia, quæ consequenti anno labentis seculi nono, & septuagesimo habita Romæ fuere, Cremonensem Domum, de qua in Romano item exacti anni Capitulo interpellati Patres fuerant, acceptandam statuere. Qui rem flagrantiore quodam studio postulauit, is fuit Nicolaus Sfondratus, eius Vrbis Episcopus, qui posteà Cardinalis; ac demùm supremus Christiani Orbis Antistes, Romanorum Pontificum fastos impleuit, Gregorij Quartidecimi nomine. Commendauerat illi Nostratum operam, propen'asque in proximorum commodum curas Cardinalis Borromæus: & quòd Mediolanensi in Ecclesia experientia ipse nouerat; perutiles fore Cremonensium moribus, pietatique Theatinas vigilias deprædicauerat. Qua ille comprobatione excitatus; & quòd Placentiæ etiam, ac præcipuis iam in Italiæ Vrbibus impigram eorum industriam desudare intelligeret; inflammari etiam, atque etiam, atque agere cum Nostratibus cœpit, vt coloniam eo deducerent. Distulerant rem illi, quoad accommodatus in ea Vrbe exercendæ disciplinæ locus sese offerret. Vsu quippe didicerant, non eam polliceri sibi à suis curis operam posse; nisi opportunitas accedat, quæ labores iuuet. Quapropter instauratis hoc anno Cremonensium votis; ac proposita ab Sfondrato, cuius maximè postulata, ac prona in Ordinem voluntas, Patrum studia commouebant, sacra Diuo Abundio Nouocamensi Episcopo, Æde, non infrequenti in Vrbis loco sita; complecti negotium decreuere. Non amplum id quidem Templum, sed ad decentem quandam operis formam, ac delineationem excitatum, opportunum sacris ex instituto peragendis, ministrandisque videbatur: cui annexum percommoda substructione Cœnobium, ac in ea pulcherrima ex marmore columnatione peristylium, omninò ad regularem normam. Sedem hanc olim sibi Patres Humiliati exædificauerant: quorum cùm deleri penitus Congregationem, iusserit Pius Quintus; commendatum Archangelo Blanco, Cardinali Tianensi Monasterium fuerat. Is verò, quòd agente Cremonensi Antistite, fore sibi persuaserat, vt & religione sanctior, & cultu elegantior,

Romę Capit. Gen. an. 1579

Cremonensis Colonia petente Sfōdrato Episcopo.

Qui Patrum studijs sancti Abundij Aedem destinat

Humiliatorū hoc olim Cœnobiū ad regularem formam.

Et consensit Card. Tianēsis loci Rector.

tiot, à nostrorum hominum studijs redderetur locus; proindèque non mediocrem inde manaturam in populares vtilitatem, singulari quadam beneuolentia Theatinę illum disciplinæ addixit; domestico duntaxat horto excepto, & quibusdam ad atrinm cellulis, suo vsui destinatis. Ergò explorato eo situ, ac perspecta communi propensione, concessere eò Patres Septembri mense eius anni. Familiam duxit

Familiæ Dux Antonius Agellius.

Antonius Agellius: qui omnium complexione numerorum, ac regulari cum paucis disciplina spectabilis, fote non dubitabant, quin optimo Antistiti, atque vniuersæ Ciuitatis expectationi responderet; præsertim quòd non segnis, sed flagrantissima omninò illi adiuncta Patrum manus fuerat: quos Sfondratus excepit liberalissimè, retinuitque domi, quoad pauci quidam ex Humiliatis hominibus, qui suæ adhuc sedi hærebant, aliò commigrarent. Itaque vbi primùm licuit, itum à Patribus destinatam ad aream, ac Cœnobium. Concinnatum id quidem pro modo, instructumque: comparandum siquidem de suo Sfondratus iusserat, quicquid cùm domestici, tùm sacri instrumenti necessarium videretur; ita vt non detinere rei familiaris solicitudo eos potuir, quominùs mores suos, studia, sacrasque statim functio-

Cœptaque statim Theatina exercitia

nes strenuè exercerent. Præter chorum cœptum interdiù, noctùque suis psalmodiæ numetis frequentari; datamque audiendis, expiandisque mortalium noxis operam; institutæ ad populum fuere non modò in nostra, sed in principe etiam Ecclesia conciones plaudentibus ad frugiferum dicendi genus admirabili comprobatione, consensuque ordinibus. Neque hic omittendum, quod rarò omninò contigit; exceptam Cremonæ nostram familiam aliorum etiam sacrorum Ordinum

Dominicanorum Patrum in Nostros beneuolētia.

studijs, & commendatione, præsertim Dominicani nominis Patrum: qui de Clericorum Regularium institutione, paupertate, sacrorum cultu, atque intentissimis in animorum salutem curis, honorifica planè commemoratione plura in vulgus

Dilaudatque pro cōcione institutum Sfondratus.

sparsere. Quorum testimonio publicæ etiam Sfondrati laudes accessere. Nam cùm is pro concione ad frequentissimam multitudinem in Templo Maximo de more diceret; cumulare honestissimo elogio nostrum Institutum voluit: quo factum, vt cùm laudari Theatinas curas communi plausu Cremonenses cernerent; ingens concitata in ijs fuerit nostri expectatio; creueritque nominis existimatio, ac fama. Por-

Sublato Rectore Tianēsi accessere Patribus horti, & cellulæ.

rò intra menses omninò quatuor Cardinalis, quem nominauimus, Tianensis, eius Ecclesiæ Rector excessit è viuis; ac cessere Nostris, quæ sibi retinuerat, conclauia, ac horti. Et Gregorius quidem Tertius decimus, cùm alteri mox sancti Abundij sacerdotium Rectori concederet, obsignato diplomate; nullum omninò illi in Clericornm Regularium Cœnobium ius esse, declaranit: quò nil reliqui domi fuit, quod priuaram disciplinam interturbaret: accessitque latiùs crescenti mox familiæ contubernium. Quæ postea domus amplificata adhuc noua ædificiorum appendice fuit, vt sanè percommodè iam habitenr Parres. Ecclesia verò; quæ est nostri instiruti ratio, sacra maximè ad omnem elegantiam expolire; excalta subindè auro, ac picturis magnificè fuit; vt frequentandis in ea mysterijs, sacrisque concionibus alliciat

Extra Ecclesiam cœmeterium.

planè non minimùm loci cultus, ac splendor. Consultumque mox eius etiam nitori, ac religioni fuit, descripto extra Ecclesiæ septa communi cœmeterio. Tenuit nanque, vt aliàs adnotauimus, apud antiqnos mos, vt non intra Templum, sed extra, defunctorum cineres ob loci reuerentiam conderentur, Id quod & seruauerant, vel ab ipso Sodalitij exordio, nostri homines ob Ecclesiarum cùm sanctitatem, tùm mundiciem, ac decus. Continuandæ verò receptæ consuetudini, destinatus hic etiam extra sacram Ædem ad priscum, nostrumque morem consepeliendis mortuorum ossibus locus. Exornatum autem pulcherrimè Templum, quòd inauguratum nondum ritè fuerat, Hieronymus Buzaccarinus Præpositus, quem supra meminimus, vertente eius seculi anno nonagesimo primo, consecrandum solenni ritu

Consecratur à Cæsare Speciano Templum.

curauit ab Cæsare Speciano: qui elato ad apicem Pontificatus Sfondrato, vt Cremonensis Ecclesiæ Infulas, ita & prædecessoris Episcopi affectum, humanitatemque in nostrum Ordinem induerat.

Vt verò altera Diui Antonij Viennensis Ædes, huic propior, quæ Templariorum quondam Equitum procurationi, ac potestati suberat, nostræ disciplinæ accesserit, laxata nonnihil hortorum area, in loco significabimus. Iam quòd ad huiu-

sce

sæ Ædis sanctitatem, ac venerationem contigit quàm felicissimè; admiranda Virginis Lauretanæ effigies, atque Ædicula fuit: quam anno huius seculi, in quo viuimus, quarto, & vigesimo Ioannes Petrus Ala, Vir à litterarum studijs, ac pietate commendatissimus, ad celeberrimæ Marianæ domus, quæ in Piceno colitur exemplar, ac formam in nostro Diui Abundij Cœmeterio dedicauit. Probauere populorum studia expressam ad vnguem ab vetusto, sacroque eo Deiparæ Conclaui nouam hanc Cellam; & ipsamet Picena Virgo, editis miraculis, implere præsenti numine, sibique hanc loci religionem gratulari videtur: sed Lauretanæ huiusce pietatis exordia, progressiones, cultum, admiranda, quòd prolixiorem poscunt dictionem, reijcimus denaranda in loco: neque enim fas est, vt præripiat hic annus honorem, ac coronam anno, in quo hæc contigere. Hinc Cremona Genuam pergimus. *Domus Lauretana in Cremonensi Cœnobio.*

Tertiùm luctuosam oppidò Italicæ luis memoriam reperimus. Florentissimam, ac populosissimam planè Vrbem hoc anno corripuit, nempè Genuam: nec lento quidem gradu, at benigniore, quàm cæteram Italiam afflatu. Facto siquidem impetu, vt omnes metu præsentis fati perculit; ita plurimorum interitu formidinem vehementiùs adaugebat. Occurrere prudentissimi Senatus Patres consilio, ac ope studuere: ne si pergeret ea corporum strage malum, exhaurirent ciues edita passim funera. Et quidem præclarè corporibus cùm impigra procerum, atque administrorum sedulitas consuluisset; animorum incolumitati deesse præsidium minimè debuit. Insita Nostraribus in difficillimis eiusmodi palæstris rem benè gerendi cupido: iam enim ab Ordinis initio egregia priscorum Patrum virtus id fortitudinis haud degenerem in sobolem propagauerat; vt nullam vllibi locorum elabi occasionem siuerint: quin eò incredibili constantia insiluerint, vbi ardere vehementiùs pestilentia videbatur. Comprobata nunc Genuæ vel cùm maximè spirituum generositas; Patrumque vrgere, an temperare animos Paulo Pignatello contigit: illi nempè, cui grassante item Mediolani lue, vti iam diximus, & illud tunc moderari Cœnobium contigit: planè non absque diuina Numinis mente, ceu nullus esset grauissimis in hisce rerum difficultatibus Pignatello aptior, Viro forte iuxta, ac cauto. Ergo is ardor iuuandæ affectæ multitudinis inflammare vniuersim cunctos visus est; vt cùm non omnibus fieri satis posset, initum consilium, vt pulcherrimum obeundi perardui muneris certamen vrna dirimeret. Quarè scriptis, collatisque vnà nominibus, qui primus ea sorte, versante nimirùm Deo vrnam, donatus est, is fuit Cornelius Solarius, integerrimæ vitæ, famæque vir. Quod vt vidit Iulius de Ponte, incitatissimus in commune proximorum bonum Sacerdos, diuino quodam æstu, atque æmulatione incensus; veritusque, ne non faustè caderet talus, ac fallente sorte eo ægrotantium ministerio excluderetur; deiectus repentè in genua precari intentiùs Præpositum, ne torqueri se incertitudine, sed secundo statim loco extra sortem censeri permitteret: gestare nimirùm se flagrantiores animos, quàm vt dubio à casu penderet: perorauitque ea mentis celsitudine, ac vi dicendi, vt impetrarit. Quem deindè sors tertio loco renunciauit, fuit Ambrosius Baronus Biruntinus, de quo alibi memorauimus: tum Alphonsus Osorius, homo Hispanus, maiorum luce clarus, fama virtutis non obscurus, numerum impleuit. Lecti hi quidem ad egregium, ac plenum aleæ opus fuere: cæteris non sanè lætis, quòd periculum declinassent; promptique omninò videbantur, accurrere subsidiaria ope, atque implere primam hanc aciem, si fortè quis caderet. Cùm interim domi in omnem Christianæ pietatis partem intenderent; nec quemquam mortalium à sua ipsorum consuetudine excluderent, vbi aut adhortari, aut confessiones excipere, ac sacra administrare opus esset. Nihil siquidem aut consueto Dei cultui, aut publicæ erga fideles caritati imminutum domi voluit Pignatellus Rector. Et illi quidem, quos extra Cœnobij septa in solem, ac puluerem sors procurauerat, flagrare confestim vehementiore quodam studio, ac nullum officij genus in decumbentes prætermittere: cùm publica in pestilentiæ conceptacula, ac Nosocomia, tùm priuatas in domos innolare; neque sanandis modò animis, sed corporibus etiam vacare; si quod erat leuamento locus, incredibili sedulitate afferre. Incitamento profectò

Genuensis luei.

Cui occurrit prudentissimus Senatus

Impigra in eo rerum discrimine Nostratum opera.

Paulus Pignatellus, Genuensis Præpositus

Patrum studia forte dirimit.

Solarius omnium primus renunciatur.

Iulius de Ponte censeri extra sortem postulat.

Secuti Baronus, & Osorius.

Qui in difficilimam prouinciam alacriter insiliere.

fectò ijs erant, quibus inspicere tantùm roboris, ac animorum contingebat. At enimuerò quòd sæuior ea erat pestilentia, quàm vt illis parceret, qui propiùs accedere, illamque ceu prouocare videbantur; cadere in medijs conatibus oportuit. Is autem prior extinctus, qui cæteris vehementiùs exarserat; nempè Iulius de Ponte; qui ineluctabili contactus morbo, vbi adesse propiùs fatum intellexit; Saluatoris in Cruce pendentis pedes complexus, spiritum quàm generosè obtulit, tam piè deposuit; ad eius nempè pedes, cuius vestigia, moriendo pro animorum salute, impleuerat. Percussi eodem mox telo Osorius, & Baronus, eodemque exitu ad gloriam auspicatissimè euolarunt. Destinatus item eiusmodi ministerio laici Ordinis frater æquali eum laude constantiæ occubuit; Solario tantùm superstite, vt labores suos cumularet incolumi vita: visusque admirabili planè contentione caritatis vrgere opus vnà cum alijs è Nostratibus, qui se illi aggregauerant; quoad profligari, atque è Genuensium finibus arceri malum contigit: adiuncta etiam Parœciæ sancti Syri procuratione. Etenim contaminatus lue Curio, breuì eùm obijsset; complecti id munus Nostros, viciniam obire, circumcursare, nulloque delectu adesse Sacramentorum administratione oportuit: adeò vt præter illos, quos mortem opperijsse memorauimus, afflari pestilentis morbi aura & plerosque alios contigit: inter quos fuit Præpositus ipse Pignatellus, qui singulari Dei prouidentia, atque accurata medicorum industria, vt alij, ita & ipse conualuit: postquam diù cum teterrima ea vi pestilentiæ, ac morte decertauissent.

Iulius de Pōte primus occumbit.
Tum Osorius, & Baronus.
Solario superstite.
Qui vnà cū alijs opus pergit.
Pignatellus attactus lue, diuinitus Sanatur.

Neque hic porrò, cùm nimis angusta, atque aspera erat domi res, præsens quidam amor Numinis defuit: qui in plerisque è Nobilitate viris diffusus, eos domesticæ nostræ inopiæ monuit, illique subleuandæ mirificè inflammauit. Compensare insignem Nostrorum caritatem, quam suis ipsi oculis vsurpabant, insigni etiam caritate voluere. Factum nanque eorum munificentia est, vt non modò nullam sentirent rerum inopiam Patres; sed liberaliore quidem manu fundi annonam, aurumque conspexerint. Qui principe quadam beneficentia eminere inter alios visus est, fuit Hieronymus Serra, Vir opibus, affectuque in nostrum Ordinem amplus. Enimuerò præter cotidianam pietatem, elidere magnificè ipsa pestilentiæ semina in S.Syri Cœnobio voluit. Affigi nanque, atq; adhærere vestibus solet pertinax lues, indeque veluti ab insidijs recenti malignitate in alios ex alijs propagari; vt nisi porrò affecta linea omnis, ac lanea proijciatur supellex, neque tuti, neque securi esse vnquam possimus. Itaque, id anxiè curauit Serra, vt indumenta, lecti, culcitra, ac domestica res omnis vestiaria ablegarentur; tùm confici noua suo sumptu, atque afferri iussit; quo abrasa omninò contagio i communique incolumitati regia, ac satis prædicāda munificentia prouisum. Perennabit enimuerò ad imitamentum posteritatis liberalitas, quæ sine præsenti quodam augmento, ac præmio non fuit. Amplificari siquidem Serræ opes statim cœpere, quarum particulam tàm præclarum in vsum conuerterat: & qui successione, ac spe sobolis vsque dum caruerat; remuneratum se ornatissimæ coniugis fœcunditate, ac lectissima liberorum indole gratulatus est. Maiora nanque & æstimatione, & numero rependit nunquàm curta Dei bonitas; nec certius vnquàm lucrum est, quàm fudisse in pauperem sua.

Genuēsium liberalitate suffulti nostri homines.
Præcipuè Hieronimi serræ
Cuius pietas compensata abūdè à Deo fuit.

Sed à pretiosa hac insignium athletarum morte Romam auocamur, ad aliud præstantis viri funus. Excessit nanque hoc anno die Septembris prima, & vigesima in Quirinali S. Siluestri Cœnobio Ioannes Baptista Viualdus, nobili loco Salernitanus, sed nobiliore planè indole, ac singulari Vir innocentia. Neapoli Paulina in Domo Sodalitatem is inijt, Paulo Aretio Præposito, qui factum ad religiosos mores ingenium intimè cognouit, probauitque. Romæ verò tyrocinium deposuit, vouitque publicè: ac ibi reliquam vitam transmisit ea laude, vt eius viuendi rationem, virtutumque vsum si quis perspiciet; næ illum eximiam regularis disciplinæ ideam quandam fuisse affirmabit. Animum sacrarum litterarum studijs mirificè excoluit; quas, magistro Sirleto didicerat, dum ille in nostra Quirinali Domo ageret, antequam Purpuram indueret; à quo etiam Hebraicè, Græcèque edoctus, insignem linguarum harum peritiam cum Latini sermonis munditie coniunxit. Extantque Epistolæ eius Græcæ quàm plurimę in nostra sanctorum Apostolorum Bibliotheca

Io. Baptista Viualdus Romæ moritur.
Regularis obseruantię Idea.
Sacris litteris linguisq. instructus.

bliotheca M. S. His sacratum linguarum facibus illustrabat non mediocri planè luce sacros Codices, quorum adeo illi familiaris erat vsus, vt quæ diceret, aut scriberet; ijs non nisi ab eorum verbis, ac sententijs accedere ornamentum, ac neruos vellet. Vultu, totiusque corporis habitu incomparabilem quandam modestiam præse ferebat; qua vt ætatis florem ornauerat, ita & in reliqua deinde vita, ceu summum religiosi moris, ac disciplinæ decus retinuit. Rarum præcipuè in oculos imperium; humi perpetuò deiectos habuit; hoc ipso intuentium in se omnium oculos conuertebat, quòd ipse neminem intuebatur. Quo potissimùm externo oris habitu instituere tyrones suos contendebat, cùm eo munere fungebatur; vt fanè ad sui formam omninò exactos, non quidem adolescentes, sed Angelos cerneres. Orationi addictissimus fuit; eaq; se illi constantia, sensuque diuinorum affigebat, vt abreptum omninò sensibus, immobile aliquod simulacrum, aut stipem diceres. Fuit sane qui obseruauerit, æstiuo tempore, cùm maximè flagrabant muscæ, ac facto quodam impetu in eius certatim oculos inuolare, atque insistere mordicùs videbantur; nunquam illas Viualdum abegisse, aut leui motu, gestuque sensum aliquem præsetulisse: maior quippè ea erat diuina commentandi voluptas, quàm vt pertinax muscarum aculeus distraheret. Hæc eadem in persoluenda psalmodia attentio; erecto corpore, atque animo, suspensisq. veluti vestigijs Cælo interesse meliora sui parte videbatur. Vt autem efferri altiùs hoc orationis studio mens posset; carnem omni afflictationum genere edomare, atque opprimere conabatur; formabatque ad hanc maximè austeriorem virtutem tyrones; quorum animos abundè excoluisse reputabat, vbi illos mulctare assiduò corpus, ac sensus condocuisset. Ad hæc, humana omnia nihil pensi habere. Pecuniam nec aspectu dignabatur, quarum nec discrimen, nec pretium dignoscebat. Ab honoribus nimiùm quantùm abhorrebat. Raptus semel ad Quirinalem sancti Syluestri Præfecturam, accidere quàm modestissimè ad Patrum pedes, prensare, rogare prolixiùs, vt illam dimitteret; ac vix post biennem rectionem impetrauit. Nouerant quippè Patres maturiore licet nondum ætate singularem in illo solertiam, mansuetudinem, caritatem, ac cæteras optimi Moderatoris partes. Atque hac quidem virtutum omnium existimatione non modò inter Nostrates vniuersim omnes summo in pretio fuit; verùm apud exteros etiam; eosque primariæ notæ viros, quibus vti eius consuetudine aliquando contigit. Cuiusmodi fuere in primis Scipio Rebiba Cardinalis Pisanus, Antonius Cardinalis Carafa, & Guiglielmus Sirletus; quibus quà multiplici litteratura, excellentiq; eruditione, quà pietatis laude commendatissimus Viualdus fuit. At enim, penè intra iuuentam; nam quartum, & trigesimum annum non excesserat; festinato nimiùm cursu, viuendi finem fecit Vir egregius. Qua verò immortalis præmij opinione excesserit, tùm præclara vitæ ratio, tùm illud in ipso vitæ exitu edocuit. Enimuerò cùm extremo iam spiritu laboraret, visus extemplò, mutata oris specie, vltta modum expauescere, ac consternari. Quod sanè qui eius mores emendatissimos, atque inculpatæ vitæ innocentiam perspectam habebant, admiratione defixos renuit. Nec multò, componi iterum vultus, ac redire fronti securitas quædam, atq. hilaritas cœpit. Interrogare Patres, equid ipsi tum molestiæ accidisset? respondit, gratias se Deo habere, quod is opportunè ad uenisset, qui ipsum à periculo vindicauerat. Quo sanè significauit, periculosam tùnc illi cum communi hoste luctam fuisse, ac superiorem quandam tutelam, siue Angelus is fuerit, siue è Cælitum numero aliquis, adfuisse præsenti ope. Nec post multò diem obijt suum, vt diuturniùs viueret: ostenditque luculenter, quàm adamussim anteactæ vitæ respondeat semper exitus.

Eius modestia. — *Et Orationis studium.* — *Et humanorum despectio.* — *Eius virtus apud exteros in pretio.* — *Vitæ finis certa cum spe præmij.* — *Supremo spiritu lucta*

Est etiam Mediolani, quod breuiter adnotemus, vbi post impensam ægrotantibus à lue operam Nostratum fama cùm excreuisset, frequentiore ad illos accursu, amplior instituendi, expoliendiq. mortalium mores sese dabat occasio. Sed hoc potissimùm anno publicas Cardinalis Borromæi curas egregiè iuuarunt. Is nanq. instituta Ecclesiæ Mediolanensis inspectione, Michaelem à Consulibus, Virum ex Nostris ab omni studiorum genere instructum, Soranum posteà Episcopum, inter alios præstantis litteraturæ viros, qui vnà secum grauissimum obirent munus, destinauit. Qui sanè insignem sacrorum peritiam, ac cæteram Christiani officij scientiam sanctissimo Cardinali mirificè adprobauit: atque ad eius posteà disciplinam, ac normam eius-

Mediolani dant egregiè operam Borromæo Nostri. — *Præcipuè Michael a Consulibus.*

modi Inspectorum instructionem conscripsit, planè luculentam; quam interceptus fato reuocare ad limam, ac luci dare non potuit; subijtque erudita ea scriptio sortem, qua & alia eius ingenij monumenta periere.

Institutur S. Andreæ Cœnobiú Neap.

Nostratum opera.

Imus modò narratum institutum hoc anno Neapoli S. Andreæ Cœnobium, præclara sanctimonialium disciplina ad D. Augustini leges, ac normam, prænobile. Res quidem digna memoratu, & quæ ad nostram profectò historiam pertinet; quando insignium illarum Virginum, quibus ea mens fuit, non modò mores formarunt ab infantia nostri homines; verùm etiam ad hanc illas potissimùm laudem erexere; ac rem totam, impetrata Maiorum facultate, concinnato regularem in modum Monasterio, conscriptis legibus, explicatis, quæ comites sunt rerum maximarum, difficultatibus, prudenter adgubernarunt. Et verò quanuis Diui Augustini appellationem, moresque, ac habitum repræsentent; ad Theatinam nihilominùs disciplinam, quæ ad Augustinianas regulas magnam partem conformata omninò est, proximè accedunt; viuuntque ijsdem penè ordinationibus, & cultu: vt traducta à nostro Ordine in Virgines institutio videatur, floreatque veluti à sua stirpe ramus. Planè peroptassent eæ sanctimoniales, vt continenti moderatione locum Nostri regerent: at negarunt hi, quibus aliena semper ab istiusmodi rectionibus mens fuit. Id quod permissum duntaxat voluere Monasterio à Sapientia; quippè quod Maria Carafa, Pauli Quarti soror, fundauerat; ob cuius profectò communis, nostrique Parentis memoriam, procurationem eius *Gynæcei* suscepimus. Iraque præstantissimæ huic disciplinæ initium fecere Sorores quatuor, vt in eo consilio, ita in cætera virtute exercenda vnanimes. Pater his fuit Leonardus Andreas Palescandalus, commodis vir moribus, fortunisque abundè instructus. Mater Francisca Vespola, pijssima fœmina; cuius in sinu educata lecta illa Virginum manus, vt lucis ab ea, ita & virtutis hausere rudimenta. Ex tribus germanis fratribus duo nostræ se Sodalitati deuouere, Primo nomen Marcus Palescandalus, alteri Innocentius, quos aliàs meminimus; eritque frequens eorum mentio, Viri planè absolutissimi; vel ex eo non vulgari commendatione digni, quòd sanctissimum excitandæ nouæ disciplinæ consilium sororibus iniecerint, fouerintque, ac strenuè iuuarint curis suis. Iam optima indole puellulis accedere Nostratum monita, atque ad solidam virtutem institutionem pia mater voluit; & quæ Ioannis Marinonij, Viri sanctissimi, opera in expiandis animi noxis vtebatur, committere & eiusdem clientelæ sobolem voluit; vt flos æui, ac pietatis pulchriùs tanto sese Magistro explicaret, atque adolesceret. Et planè eo diuinorum sensu capaces aut reperit, aut fecit Marinonius; vt earum aliquas sacra Eucharistia reficere expleto vix septennio non dubitarit; sibique, nescio quid summi, ab adulta, ac præmatura ea primæ ætatis mente pollicebatur Vir sanctus; eòque studiosiùs effingendis earum animis vacabat: quò facilius sequebantur ingenia, artificis manu formanda. Visa ingenti quodam studio, ac pleno gradu promoueri quadriga illa Virginum, Rectore Marinonio; quo extincto, deuoluta ad Andream Auellinum cura, hoc est, à Viro sancto ad Virum sanctum; vt haberent in grandiore præsertim ætate flagrantissimæ Palescandalæ, qui ad eximium pietatis genus expoliret. Ab hoc, vbi aliò se transferri pro obedentiæ imperio oportuit, Iacobi Torni sese disciplinæ manciparunt; Viri quidem, qui nec Marinonio erat, nec Auellino, cùm in tradendis, tùm in vsurpandis, amplectendisque virtutum documentis inferior. Ergò ab successiua hac excellentium Virorum cultura demissus in earum pectora cælestium rerum amor, radices præaltas egit: vt cum humana iam sordescerent, floreretque tantummodò in animis pietas, vitam, suaque omnia dedicata Maximo Numini vellent; iamque de Cœnobio aliquo ineundo insigni quadam animorum conspiratione cogitarent. Vnus obniti frater videbatur, qui, rara erga sorores caritate, delibare numerum, vnamque ex ijs saltem despondere honestis nuptijs peroptabat. At is, quod eripere Deo sponsam attentasset, pœnam statim luit; & quidem non aliam ob causam mulctatum, res ipsa liquidò cōmonstrauit. Enimuerò, contractis ipse nuptijs, quo die adire sponsam debuerat, equo dilapsus, afflicto, fractoq; immaniter crure, non ita post multò occubuit. Acerbissimus planè fratris casus sororibus fuit. Sed inde aperta illis ad nouum quoddam viuendi genus via. Nam, quòd grandæuā iam matrem destitui, pietas negaret; domi vnà cum ipsa secretiorem

Initium fecere Virgines Palescandalæ

Marci. & Innocentij ex Nostratibus sorores.

Pia earum institutio Magistro Ioanne Marinonio.

Mox Andrea Auellino.

Deindè Iacobo Torno.

Quorū mox altiorem viuendi ratio nē concipiūt.

Punitus frater, qui vnius nuptias cogitabat.

quan-

quandam vitam, remotis arbitris, ac Cælo teste, instituere ex animi sententia decreuere. Quocirca occlusis pro modo ædibus, exclusaque virorum consuetudine, sanctimonialium in morem degebant. Sacerdotem, qui sacrum quotidiè domestico in sacello faceret, admittebant: patebatque Nostris etiam aditus, vt confessiones exciperent, sacrisq; adhortationibus ad studia virtutum identidem inflammarent. Remotiorem vitam regulari disciplinæ proludunt.

Prolusere hisce viuendi rationibus religiosæ disciplinæ, cuius desiderio intimè tenebantur; alueruntque id voti incredibili contemptu mortalium, pietatisque exercitationibus integrum nouennium, quoad excessit è viuis Mater. Ac tùm quidem Iacobo Torno impulsore, ac duobus germanis fratribus, non quidem vt in alieno Monasterio nomen profiterentur, sed vt suis opibus, propriaq; in domo nouam disciplinam inchoarent, mentem induere. Vtq; ad nostrum sese omninò morem accōmodarent, placuit Diui Augustini Institutum, ac nomen, ad cuius veluti normam Clerici Regulares conformamur: atque ad hanc potissimùm ideam, ritumque Theatinum, nonnullis ad Virginum vsum parcè detortis, leges fundando Cœnobio præscripsere fratres Palescandali: qui sanè rem omnem in se recipere, ac transigere eo exitu visi sunt; vt meritò quidem appellari eius Instituti conditores debeant; quo illos nomine communis iam monasterij consensus vocat, ac veneratur. Quam elata Matre instituunt. Nostra persimulem.

Itaque peracto Romæ negotio, Pontificias litteras impetrarunt, quibus vt paternam domum, ac fortunas suas regulari instituto dedicarent pijssimæ sorores, vtque eodem die & habitum induerent, & nuncuparent Deo solenni ritu vota, atque ad scriptas eas leges deinceps viuerent, aliasque ad suum numerum, ac Sodalitium aggregarent, permissum. Rem etiam Annibal Capua, Neapolitanus Antistes, cui inscriptę Pontificiæ erant litterę quàm accuratissimè recognouit: vtque institutionem, regulas, exactamque ad omnes planè numeros Sororum virtutem propiùs inspexit; non probare modò consilium visus est, sed maximoperè dilaudare; gratularique, quòd, ipso eam Ecclesiam administrante, eiusmodi Virginum cœtus, ac flos Neapolitanæ pietati accederet. Ergò clathrata ad Monasterij leges domo, sacraq; Ædicula canendis de more diurnis, nocturnisque Dei laudibus, sacrisque vsurpandis concinnata; dictus publico votorum sacramento dies, qui fuit Septembris vigesimus nonus, Diuo Archangelo Michaeli sacer: accessitque in tempore Annibal Archiepiscopus, qui ea exciperet. Celeberrimus planè fuit è primaria nobilitate cùm virorum, tùm mulierum conuentus. Manauerat nanque in vulgus iam olim ea præstantissimarum Virginum vnà cum Matre viuendi ratio, summoque iam in honore habebantur: vt earum consuetudinem princeps quæque fœmina adsectaret: inter quas præcipuo illas studio prosecuta est Constantia Caretta, Sulmonæ Princeps: quæ antequam illæ ritè vouerent, ac perpetuò clauderentur, id impetrauit, vt domesticis epulis exciperetur: tereretque, ad animi sui oblectamentum inter familiares, piasque allocutiones solidum cum illis diem. Atque hanc quidem, vt quam dignitas, ac viduitas summè cohonestabant, administram eius operis Antistes legit. Illo nanque inter solennis sacra nouas Moniales initiante, collata Constantia ope, functionem omnem iuuabat. Lauræ, quę princeps erat inter sorores, Maria mox appellata, capillos præcidit ipsa, quos pietatis ergo sibi voluit; domumque, ceu pretiosas quasdam exuuias, asportauit. Nostri verò homines instituto illic agmine, adstitere & ipsi Archiepiscopo concinentes identidem, vt res postulabat, ritè preces, perindè atque si nostræ disciplinę nomen, vitamque darent. Nuncupare tùm quidem & aliæ spectatæ, prouectæque virtutis Virgines vota, pro facta Pontificijs litteris facultate: vt adaucta commodùm familia, ac lecta in præsentiarum Domus Antistita, Maria Palescandala, quam antiquiorem ex sororibus diximus, inchoare statim regularem obseruantiam, recentemque disciplinam potuerint. Et auspicatæ eo spiritu sunt, vt nihil pręstantius. Paulinum nostrum Cœnobium, quod non longè aberat, temporum index, ac norma erat: vt qua hora antelucanis laudibus signum Nostri dabant, exurgere & ipsæ eodemque subinde monitore diurnum Odeum petere: atque admirabili planè concentu omnia diei, noctisque pensa, ac munera exigere ad nostram regulam gestiebant. Externa isthæc. Quod ad rem animorum, profectusque virtutum propiùs pertinet: statim ab institutione in eo præcipuè Nostratum

Impetratoq; Pōtificio Diplomate à fratribus Palescandalis.

Vota ritè nūcupant.

Adest Constantia Caretta.

Quæ capillos seniori præcidit.

Iuuantq; functionem Nostrates.

Dant statim religiosę obseruantię operam.

nauitas, atque industria tota fuit. Nam licet, vti supra innuimus, admittere loci administrationem recusauerint; excolendam nihilominùs earum indolem suscepere, ac nunquam vllis vigilijs parcere. Quocirca temperare animos, moresque studiosè occœpere; præscribere ad solidæ pietatis cursum rationem, ac modum; adesse, monere ardentiùs; vt ijs maximè initijs, quæ momentum rebus omnibus afferre maximè solent, imbueretur Cœtus præstanti, constantique quodam spiritu, qui diffundi in succedentium Virginum animos, atque in æuum posset.

A Nostris instituta.

Et verò hoc eorum studio, ac temperatione eò breui sanctimoniæ, famæq; euasit Cœnobiũ; vt inter præcipuas iam, sanctioresq; Neapolitanæ ciuitatis familias numeretur; remota præsertim à secularibus consuetudine, ac strictiore quodam recessu commendatissimũ: cùmque asperitas quædam vitæ minùs terreat, sed cum singulari virtutum, legumq; exercitio mitiorem, atq; attemperatam imbecillioribus, viuendi rationem coniungat: petiuere cõtubernium, habitumque è principe domo nobilissimæ certatim fœminæ, ac successiuè capessiuere disciplinam ex ijs quàm plurimæ: vt planè, cum regularis obseruantiæ cultu, ac innocentiæ laude nulli hoc Monasterium concedat; familiarum etiam claritudo, ac stirpium longè illustrissimarũ splendor satis superque nobilitet. Atq; hoc quidem familiæ incrementum effecit, vt de mutanda statim sede cogitauerint. Angusta nimirũ crescenti in dies numero ea erat domus, vt orta iam quædam in conclauibus confusio videretur; nec vllus seruari in cætero cultu ordo, ac nitor posset. Igitur qui suis planè curis laudabile institutum excitauerant Marcus, & Innocentius Palescandali; in id etiam animum intendere, vt extruendo Cœnobio laxior quædam area contingeret. Hoc enim prudentissimi Viri propositũ habuere, vt quando perpetuo ceu carceri sese Virgines mancipassent; ampliores illis Ædes, ac patentiores introrsùm essent, ac veluti magnifica solitudo; ne ab arcta ea custodia ad abdicatam semel libertatem iterũ adspirarent. Qua quidem in re Nostratum emicuit in eas Moniales caritas, atq; egregius quidam sui commodi cõtemptus, qui non hìc nobis prætermittendus. Enimuerò cùm paterno ex asse sua etiam portio Palescandalis nostris deberetur, atq; acquisita iam Paulino Cœnobio ea esset; collatis vnà votis Patres, illam sororibus ad Monasterij substructionem cessere; opportunum omninò subsidium, nec sanè modicum; vt iuuet quidem, Theatinos non suam dumtaxat operam ad excitandam præclaram disciplinam, verùm ad ædificij structram suas etiam pecunias contulisse. Huic igitur exædificationi occurrit percommodus planè situ locus, cæloque saluberrimus, ad eam viciniam, qua ad Deiparam à Constantinopoli itur propter D. Agnelli Cœnobium Canonic. Regul. S. Saluatoris. Horti hìc erant amplissimi Monialium D. Gaudiosi, sed quos ab eorum Monasterio publicæ viæ diuortium excludebat. Coempti non paruo; statimque descripta in ijs ad pulcberrimam quandam formam, ideamque, ac nitorem omnem domo; cœptum ædificium: quod Palescandali nostri, religiosi moris scientissimi, & quos sororum caritas perurgebat, diligentissimè curarunt; totiq; in eo erant, vt responderet examussim delineationi opus, succederetque omninò ad sacrarum Virginum gustum, & commodum. Vix intra triennium absoluta ea pars Ædium, ac peristylij fuit; vt eò transferri, atque ab ijs sese asserere angustijs Collegium posset. Ædes item D. Andreæ Apostolo, non ampla ea quidem, sed quæ Monialibus abundè esset extructa. Quapropter haud cunctandũ ratæ, anno voluentis eius seculi septimo supra octuagesimum, sacra D. Thomæ Aquinati die nouum in Cœnobiũ concessere. Mirùm quàm lecta, frequentiq; illustriũ fœminarum deductione, atq; omnium ordinum accursu celebrata ea migratio fuit. Adornata pridie eius diei à Paulinis nostris tyronibus Domus, quibus datũ munus fuerat cùm Ædiculam, tùm Cœnobium conuerrendi, expoliendi, concinnandi, ad nostram nempè formam. Euerricula ab ijs inibi relicta; quę pretiosi cuiusdam donarij loco pijssimæ eæ Virgines accepere.

Vt creuerit Loci fama,

Et nobilissimarum monialium numerus.

Curant ampliorẽ sedem fratres Palescandali.

Quorum ex paterno patrimonio pars ceditur monialibus à Nostris.

Horti Diui Gaudiosi nouo monasterio destinantur.

Quod à Diuo Andrea nuncupatur.

Immigrantq; eò maturiùs Virgines,

Cõcinnato à Nostris cùm Cœnobio, tũ Templo,

Adepta hac veluti arce pugnare confestim oportuit, vt immunem, tutamque seruarent. Siquidem, vt non semper vicinis cum vicinis conuenit, hinc à Canonicis Regularibus, quos diximus, S. Agnelli, hinc à Diui Gaudiosi Monialibus peti à fronte, à latere visæ sunt. Atque hæ quidem, quæ è regione erant, occupari nescio quid sibi luminis causatæ, ne porrò pergeret ædificium, curarunt. Verùm cùm Neapolita-

Lis illis à Monialibus Sancti Gaudiosi,

politanis in subsellijs causa cecidissent; dirempta pro Diuo Andrea lite, Romam appellauere: vbi quæ est Romana in controuersijs ratio, ac benignitas, temperamento vsi sunt Iudices, vt pergeret quidem substructio, sed ad certam quandam altitudinem; quo visum vtrique Cœnobio suffragari. Acrior fuit, ac diuturnior cum Canonicis disceptatio. Aperiri nanque fenestras ad eam sui Cœnobij partem consilium illis fuerat; vnde delibari loci libertas, ac decens Virginum solitudo eorum conspectu poterat. Cautumque antea signatis tabulis fuerat, ne id fieret. Depugnatum vtrinque Romæ, ac sæpius adiudicata ex facili Monialibus lite, sæpiùs ab illis, sed frustrà reclamatum; secundis semper Purpuratorum Patrum, ac Pontificis ipsius in Moniales suffragijs. Quæ quidem obsignata Romæ decreta suspendi pro regio iure Neapoli etiam curarunt; sed dirutæ eæ item machinæ. Et vt paucis: postquàm in tribunalibus non minus septem, ac vndecim omninò annos agitata causa est, tandem triumphatum: æquitatis in primis vi, quæ oppugnari quidem, expugnari nunquam potuit: tùm Neapolitanorum Procerum gratia, qui cùm Romæ, tùm Neapoli controuersiam impensiùs iuuarunt; postremò Nostratū studio, ac labore: qui vt sanctissimi eius Cœnobij dignitatem, ac sepositam omninò à conspectu mortaliū vitam tuerentur, ceu res Theatina ageretur, cōplecti negotiū insigni curarum contentione voluere; quoad perorata causa, ac profligata penitùs fuit.

Quę dirimitur.

Altera cum Canonicis S. Saluatoris.

Quę diu texuit,

Finemque tandem inuenit.

Porrò in extructam hanc recèns domum antequàm immigrarent, triennio nimirùm à disciplinę institutione, postrema ex sororibus Agnes Palescandala, olim Claudia, excessit è viuis incredibili cum sororum, ac omnium luctu. Assiduus quidam illam, & pertinax languor diuexauerat, cui vigore quodam animi obluctabatur; vt efficere is nunquam potuerit, quominùs in omni sese genere pietatis exerceret, ac religionis pręsertim munera exactè obiret. Hæret etiamnùm in omnium animis transmissus recenti quadam fama illibitatæ Virginis candor animi, ac morum suauitas, qua sibi affectum, amoremque omnium conciliauerat. Caritate insignis fuit, vt nec viribus, nec valetudini, qua acriùs conflictabatur, parceret, quin alienam sese in opem impenderet. Amore præsertim in Deum flagrantissima. Qui se penitùs in medullas diuinus ignis infuderat, ardere vultu ipso videbatur. Orationi verò addicta vsque adeò fuit, vt non quidem terris, sed Cælo semper hęrere meliore sui parte diceret, illam quicumque intuebatur. Ad hæc singularis animi demissio, ac modestia, qua inumbrare virtutes suas conabatur; illas ipsas maximè nobilitabat. Demum, breuis licet æui, nam anno duo de trigesimo occubuit; visa tamen est, expleuisse in virtutum vsu tempora multa. Agebat tum Neapoli inter Nostrates, vt in loco exponemus, Franciscus Maria Taurusius, Congregationis Oratorij, posteà Cardinalis, Vir probatissimus. Is Nostris adnitentibus, extremæ Agnetis vitæ adfuit; eiusque totius anteacti æui confessionem excepit: ac testatus ex fide est, nulli vnquam purissimam eam animam fuisse lethali culpæ obnoxiam. Ad tantæ puritatis, ac innocentiæ argumentum, priuatamque sui pietatem, præcarios eius globulos efflagitauit, impetrauitque, quod non mediocri quidem pię Virginis commendationi vertit.

Excedit è viuis Agnes Palescandela.

Eius mores.

Caritas.

Oratio.

Humilitas.

Taurusius morienti adfuit.

At enim, quando in hoc argumento versatur stylus; æquum est, vt post Agnetem, quæ agmen duxit, reliquarum hìc etiam sororum, quæ hoc Cœnobium fundauere, exitū, virtutemq; breui excursu attingamus. Iuuat nempè cognoscere, quàm cōstans, ac multiplex proseminata pietas fuerit ab vnanimi sororū industria; & quo exurgere pietatis, ac sanctitudinis fundamento S. Andreæ Monasterium Deus voluerit. Igitur, quæ proxima Agneti pietate erat, Francisca; ipsam insecuta subindè est præclara morte. Ordine siquidem inuerso excessere hæ sorores, vt quæ nouissimè in lucem prodierit, prima reliquerit; tum successiuè aliæ vsque ad grandiorem natu Mariam, quæ postrema omnium, ac longo post interuallo spiritum posuit. Et Francisca quidem ea fuit, vt teneat inter Moniales fama, prodigium quoddam virtutum eius vitam extitisse. Diuisa erat rei communis inter tres sorores administratio; vt Maria, cui, vt mox dicemus, quarumcumque rerum capax ingenium erat, externam omnem procurationem, ac negotiorum momenta obiret; Tecla, quæ secunda à Maria erat soror, rem domesticam; Francisca verò diuinum cultum temperaret.

Francisca altera soror moritur.

 Quem

Diuino cultui, ac Odeo præsertim præest.

Quem illa Dei cultum mirùm quo vrgere, atque administrare studio videbatur. Præcipuæ illi curæ Odeum erat: aderat interdiù, noctùque; ac nunquam vllo corporis incommodo detineri passa est, quo minùs interesset: recto semper inibi corporis habitu, innixa, aut acclinis nunquam: nec diurnarum precum libellum, sed breuiarium vtraque manu tenens. Certè spectari sine fructu idea illa modestiæ, religiosiq; moris non poterat; quarè componebantur ad eam normam cæteræ: ac si quam nihilominus moneri maioris quidem studij, attentionisque opus esset; adibat ipsamet inter canendum, ac singulari quadam grauitate, humilitateque redarguebat.

Regularis obseruantię zelus.

Mansuetudinem, morumque facilitatem acri quadam miscebat zeli vi: vt cætera quidem natura benignior; cùm de tuenda legum obseruantia agebatur, verborum pœnarumque asperitati vel in paruis non temperaret. Austerior secum ipsa erat: nullam vnquam sensibus indulsisse illecebram, ac voluptatem voluit: humana omnia læta, tristia, eodem illi loco erant; excipiebatque æqua fronte admirabili sui imperio; vt dicerent passim contubernales, Franciscam, haud ad communem carnis temperationem factam.

Ac secum ipsa seuerior.

Contemplationis in ea studium.

Contemplationis studio nimiùm quantùm tenebatur: vnicæ illi deliciæ cælestia meditari; ac festis maximè diebus auelli ab Ecclesia, diuinaque Eucharistia non poterat. Morbum, qui supremus illi fuit, ne choro, ac cæteræ disciplinæ deesset, diu neglexit: quo festinata illi mors. Inualuit nanque eo contemptu malum, vt tardior fuerit omnis medicorum industria; ac breuì defuncta est, incredibili pietatis, ac virtutum omnium documento: cùm interim testarentur vberrimo fletu eæ Virgines, quanta cum Cœnobij iactura communis Mater, ad omne disciplinæ incitamentum attentissima, obijsset.

Ne disciplinę deesset, morbum neglexit festinata sibi morte.

Tertia soror Tecla è viuis abit.

Hac maior natu soror Tecla duos post annos decubuit, ætate plusquàm sexagenaria. Valetudo aduersa illi semper; eoque tantummodò angebatur, quòd vacare communi, regularique obseruantiæ minùs poterat. Cæterùm ea mentis, animique firmitudine corporis incommoda tolerabat; vt non languores ferre, sed cælestibus circumfundi delicijs videretur. Choro præsertim insolita quadam capitis imbecillitate arcebatur: ac tùm quidem vix antelucanæ psalmodiæ signum dabatur, cùm exclamare ipsa, & conqueri, quòd digna non haberetur, quæ dilaudando Numini exurgeret. Interdiù verò statis diuinarum precum horis sistere se ad chori atrium consueuerat, sororesque indè transituras perurgere; ac si quæ tardiùs aduentaret, increpare. Tum aures Odeo applicabat, ac si quid fortè peccari contingeret; aderat confestim, monebatque. Vniuersim verò magistra quædam officiorum videri poterat; ita vt caueret sibi quælibet, ne exerraret: obijciebat nanque sese vbique Tecla, præsenti animaduersione, ac zelo. Porrò ea erat, vt cum pauca ab affecta valetudine obiret; plurima quidem complecti, ac magna peruellet. Etsi vigilias, laboresque omnes singulari quadam in Deum caritate egregiè compensaret. Enimuerò non intra vulgarem quandam diuinæ dilectionis mensuram contineri, sed æstuare immensis ardoribus videbatur. Testabantur passim suspiria, ac præsertim sermo; qui vbi de Deo, eiusque amore erat: mirùm quàm disertus, ac vehemens, & quàm præclari ab eo animorum motus: certè facundam faciebat amor. Atque ad eandem prorsùs rationem ardebat in proximum caritas. Flagrantissimus illi in omnes supra matrem affectus. Aderat blandiloquentia, consilio, manu omnibus; neminem contractiore vnquam fronte inspexit; quin tristitiam, angoremque animi suspicata, peramanter consolaretur. Ægrotantibus præcipuè, non ignara mali, naturali quadam commiseratione indolebat. Iam cæteras animi dotes, atque exempla virtutum prolixiùs esset, singillatim hìc exequi. Mortem visa sibi quodammodo prædiuinasse. Nam ceu vicinior iam esset, non multò antequàm supremè decumberet, ad eam intentiore se cura comparauit; oratasque seriò, atq; assiduò Virgines suas voluit, vt in eo vitæ articulo sui meminissent. Itaque breui correpta lethali morbo, receptui cecinit. Colebat principe quodam studio Dominicæ Passionis mysteria; atque, vt vario quisque affectu tangimur, ad eam potissimùm partem affici sentiebat, in qua expirasse Saluator memoratur. Quocirca frequenter per eos dies percurri sibi tristissimam morientis Numinis historiam iussit; ac visa profectò ab ea peracerbæ mortis commemoratione, quædam

Assidua valetudine tentatur.

Curabat psalmodiæ concinnitatem.

Et cæteram obseruantiam.

Eius in Deũ amor,

Et in proximos.

Mortem prędixit.

accessisse moribundæ oblectatio; vt iam suum ipsa optaret, ac perurgeret exitum; qui nec sine aliqua pendentis in Cruce Redemptoris similitudine, aut imitatione contigit. Etenim ea fuit morbi vis, vt elatis, diuulsisq; costis, Crucifixum ad viuum repræsentaret: quo habitu corporis expirauit. Adfuit pijs cohortationibus Andreas Piscaria Gastaldus, Vir ex Nostratibus quà pietate; quà cætera virtute spectatissimus; qui obitam piè mortem denarrabat posteà insigni cum virtutis elogio.

Quàm pijssimè obiuit.

Contigit hęc Virginis probatissimæ mors anni huius seculi, in quo scribimus, nono, exeunte Octobri mense: sed longè post, nempè eiusdem seculi anno tertio, & trigesimo obijt Maria; ex Sororibus, vti diximus, primò nata, postremò denata, profundiore quidem senio; & quod paucis mortalibus contigit, nempè ætatis anno octauo supra octuogesimum. Vixit firma, robustaque semper corporis valetudine, sine qua longæuitas, mortis potiùs quædam prolixitas dicenda, quàm vita productior. Iam partes, opesque animi in Maria supra fœminam fuere; sexumque ingenio potissimùm superauit. Quippè Latinis litteris apprimè instructa, non sacros modò Codices, sed elegantioris adhuc linguæ Commentarios probè intelligebat. Id quod cùm illi cum cæteris sororibus commune esset; ipsa insuper Philosophiæ operam dederat, ac quædam etiam artis medicinæ rudimenta didicerat, Galenumque percurrerat; vt admirationi profectò esset, in multiplici doctrinarum genere audire differentem facundè, docteque fœminam. Ac Beatus quidem Andreas eius eloquentiam, ac studia admiratus; dicere solitus erat, Innocentium, ac Marcum fratres, quamuis ab omni litteratura instructissimos, si cum sorore componerentur, neq; disertos, neq; doctos videri. Controuersias, quas habuisse quàm grauissimas, diuturnasq; Collegiũ, significauimus; vna ipsa administrabat, ac tuebatur. Non admodùm in patrocinio laborandum exteris fuit. Siue scripto agendum, siue voce erat; rem acu veluti tangere videbatur. Romę etiam cùm disceptaretur; Antistites, ac Purpuratos Patres, ipsumq; Romanum Pontificem ea super re appellare suis litteris non dubitabat. Planè cum excellentis ingenij capacitate quædam etiam inerat animi magnitudo, ac maiestas; qua temperandis rerum maximarum momentis facta videbatur. Id verò maximè admirandum, quòd cum magna hac indole coniuncta ingens quædam modestia, atque humilitas erat. Cùm Cœnobium regeret, nihil vnquam pro authoritate, ac imperio agere; verbis vti quàm humanissimis; monere, compellare comiter consueuerat, vel cùm corriperet. Defuncta verò munere, ac in ordinem redacta, ea quidem reuerentia Antistitam prosequebatur, vt timor videri posset; quod in grandioris æui, virtutisq; Matre tùm maximè admiratione dignum erat; cùm illis exhiberi obsequium oportebat, quas ipsamet in Monasterium exceptas, in sinu puellulas educauerat. Præter hæc, naturali in pauperes pietate afficiebatur, fouebatque largiùs. Instituti seruantissima, ac ad vnguem tenax. Summa ætate cùm canendo non esset; aderat nihilominùs choro, apposita postremo loco sellula; vt discerent iuniores præclaram in prosequenda regulari disciplina contentionem; ac deberi viribus potiùs destitui, quàm obseruantiæ studio. Grauis annis, ac meritis vltimam vitæ lineam attigit. Nec defuit veteranæ militię fœminę supremus certaminis labor, siue triumphi materia. Adfuit nanque communis hostis, ac veterator; neq; ab insidijs, sed aperto veluti marte adorta Mariam est. Obijcere, inculcare anxiùs ante actæ vitæ labes: nullum iam esse venię locũ, præclusumq; lacrymis ad Deum aditum. Ad quæ illa strenuè, ac præclaro spiritu: expiasse se pœnitentia, quę olim peccauerat: nec sua quidem niti virtute, sed Numinis clementia, quam nullæ vnquam mortalium noxæ exhaurient: quid verò in complexu tantę bonitatis pertimesceret? Audita hęc à compluribus, quæ aderant: quibus non minimùm quidem metus, horrorisq; creabant anxij, turbatique Mariæ vultus, apertumque cum hoste prælium; quod illa vbi profligasset, vnam quampiam ex adstantibus allocuta, eius rei narrationem instituit; læta, quòd pręsenti Dei ope cõmunita, infernum aduersarium superasset. Ab hac lucta ritè sacris procurata, è vita migrauit; superstite insignis prudentiæ, integritatis, ac pietatis fama. Atque hi quidem ducti breuibus lineis præstantissimarum Sororum vultus, quę S. Andreæ Cœnobium instituere. Ab his similis omninò soboles; in quam diffusus, ac propagatus idem earum ardor, zelus, pietas, sanctimonia. Planè, pretium esset, quasdam hìc ab eo numero sanctioris notę Virgines adnotare, vt luculentiùs Loci dignitas, ac sanctitas constaret. Sed non id nostri

Maria sororũ postrema.

Latinis litteris instructa. Et Philosophię, ac medicæ artis rudimentis.

Quid de eius eruditione, ac eloquentia Auellinus.

Monasterij negotia vna moderabatur

Eius cum humilitate animi magnitudo.

In Antistitã obsequium.

Caritas.

Supremum cum cõmuni hoste certamen.

Et mox victoria.

Par in reliquis S. Andreę Virginib. sanctitas.

insti-

instituti est; ac ingredi in scriptionem sanè prolixam, densamque veluti syluam esset. Extat cùm de Cœnobij institutione, tùm de priuata plurimarum virtute commentariusque sinceriore quidem stylo Maria Felix Macedonia, nobilis ex eo Cœtu Monialis, cui par ingenium, ac pietas, lucubrauit. Legimus singulari cum animi voluptate, ac mirati vehementer sumus, quàm multiplex, ac præstans florentissimo in eo Collegio virtus fuerit, atq; ad hanc vsq; diem perduret. Nullũ sine eximia generis, ac pietatis claritudine nomen; solidus vbiq; spiritus, ac non vulgaris disciplinę ardor: Virgines profectò cum prisca excellentium fœminarum sanctimonia passim cõparandę. Tanti est, præclara illa quaternarum sororum exempla, ac disciplinam facem pręluxisse. Quam sanè disciplinã, cùm pleriq; celebrioris pietatis ex Nostratibus egregiè, vti diximus, prouexerint, tùm in primis B. Andreas Auellinus illam inducere, tueriq; ad summum vsq; spiritum studuit. Adibat frequẽtissimè, ac pro libito pro facta à Romano Pontifice facultate, Monasterium, non quidem officij, aut significandę beneuolentię gratia; sed quà singillatim aliquas, quà vniuersim omnes alloquendo, de disciplinæ cultu, de profectu morum, de orationis studio, ac cætera virtute interrogaret, tùm erudire, adhortari, vrgere, increpare consueuerat. Quod sanè vt incredibili voluptati sacris ijs erat Virginibus; ita ad obseruantiæ, vitæque regularis progressionem, atque incrementum valebat plurimùm.

B. Andreæ Auellini in id Cœnobium studium.

Ad extremum, vt exploratum omninò sit, qua floruit semper obseruantia, ac sanctimoniæ opinione apud Neapolitanos S. Andreæ Cœnobium, illud hic non dissimulandum. Fundari Neapoli sanctimonialium Monasterium contigit, quod à D. Ioseph, ac nobilissima ab Gente Ruffa nuncupatum fuit, Pauli V. Pontif. initio; ac primo itẽ anno, quo administrare Neapolitanas Infulas Octauius Cardinalis Aquauiua cœpit. Quærenda sanctior quædam regula, ac disciplina, vnde propagari recens institutum posset; atque indè excellentis spiritus, absolutæq; pietatis mater deligenda, quę præclaris initijs Cœtum inchoaret, ordinaretq;. Qui in id operis incumbebant, præsertim Cardinalis Aquauiua, lustrare animo, ac circumspicere celebriora, quę Neapolitana in Vrbe sunt Virginum Collegia; nec deliberandum diù fuit: illud statim sedit, quod à primæua institutione, legumq; præstantia, ac morum cultu visum est sanctissimum; nempe S. Andreæ: quod eiusmodi esse communis sententia reputauit, à quo exprimi præ alijs regularis, præstantissimæq; vitæ rationes possent: statimque ab ea familia maturioris ætatis, ac prudentiæ Virgo postulata, quæ nouam formaret Sodalitatem, præessetq; quoad illa ad perfectam disciplinam coalesceret. Res quidem splendida, ac Monasterio perhonorifica videri poterat; quòd fœcundior eius virtus aliam iam proferret in lucem sobolem. Nihilominùs ea inerat generatim omnibus humilitas, vt cũ pleræq; ab omni virtutum genere laudatissimæ nominarentur; nullam hanc sibi arrogare dignitatem, ac titulum Fundatricis voluerit: ac prætereà vsq; adeò addictæ suæ disciplinæ, ac loco erant; vt nihil accidere illis molestiùs posset, quàm matres, sorores, socias, eosque ipsos Domus parietes deserere. At enim, quòd è re maximè excitandi Collegij esse intelligeret Cardinalis, si eo spiritu imbueretur animũ obfirmauit, nullisq; passus est rationibus exorari, vt aliud cogitaret Cœnobiũ, ac regulam, quàm S. Andreæ. Ergo Agnes Minutula Capycia, probatissimi spiritus, ac iudicij Monialis, quam inter alias nominauerant, ne aliqua è Palescandalis Monasterio acerbo cum omniũ sensu abscederet, obtulit sese muneri; maluitq; diuulsa à suis dolere sola, quàm destitui sorores simul omnes communi matre. Abijt, fundauitq; quo fructu, ac opere pretio, docet hoc ipsum S. Ioseph Gynæceum: quod hodièq; inter principes Moniali ũ Cœtus, quà religiosis institutis, quà splendore nobilitatis Neapoli floret: neque alius profectò purissimo à fonte, nisi purissimus riuus manauerit. Cæterùm Minutula cùm veteris contubernij desiderio, tùm assidua sororum interpellatione, impetrata ab Antistite facultate, expleto vix septennio, restituta postliminiò suæ stationi est. Neque sanè exiguum quid, ac vulgare ad eius laudem est, regulam propagasse; quando multarum omninò partium illas esse oportet, quæ instituendis, prouehendisque disciplinis à Deo destinantur. Verùm inter Collegia Monialium satis peregrinatus est stylus. Nostra sequenti mox libro repetamus.

S. Ioseph Gynæceum.

A S. Andreæ familia propagatum.

Fundatque Agnes Minutula Capycia

LIBRI DECIMI QVARTI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DECIMVS QVINTVS.



ANNVS seculi octuagesimus supra sesquimillesimum aperitur; cuius statim initio nihil sanè proferre historiarum nostrarum monumenta præstantius possunt, quàm Thomæ Golduelli, Episcopi Asaphensis conatus planè magnos, studiumque in suæ gentis salutem flagrantissimum. Annum & ipse attigerat octuagesimum, ac defecto penè corpore non illum animi vigor, non zelus iuuandi rem Anglicanam deseruerat; sed nec vires defecisse, institutum in Galliam iter quàm longissimum commonstrauit. Romæ, vti diximus, agebat Quirinali in Domo, citra Insulam Theatinus; ac summa ea ætate, nec Galliam, nec Angliam cogitare eum ampliùs posse quisque existimasset. Atqui incitata semel ad animorum frugem præclara mens, nunquam strenuas cogitationes, ac cœpta remiserit. Iraque cùm per id maximè tempus illam non tàm Anglorum, quàm impietatis Regina Elisabetha in Catholicum nomen, auitamque religionem detonaret; passimque proscriptis bonis viris, eorumque fortunis, ingentem animorum, ac corporum stragem ederet: submittendam strenuam militum manum Romanus Pontifex statuit, qua consultum ex parte tot malis iret. Statimque sese Golduellus, in Patriæ vtilitatem intentissimus, expeditioni, profundè licet senex, deuouit. Et quidem eo ardore animi, precumque pertinacia, vt quemadmodum Edmundi Campiani de Societate Iesu vitæ [a] Scriptor narrat, cùm minùs annueret Pontifex, longæuitatem nempè Viri commiseratus; extorserit veriùs facultatem, quàm impetrarit. Comites illi inter primos Nicolaus Mortonus, Vaticanus Pœnitentiarius, ætate, ac zelo fidei grandior, famæque in Anglia celebrioris; & è Societate Iesu Edmundus Campianus, quem nominauimus, & Robertus Personius, Viri de Romana, atque Anglicana religione optimè meriti; & ille quidem, dato etiam sanguine nobilis. Iam, præcipua Golduelli mens fuit, adire Angliam, ac vltimis curis suis cùm Regnum omne, tùm in primis commendatas sibi olim oues inspicere; ac in fide, quà retinenda, quà asserenda, si qui desciuissent, confirmare: & quando consilium non procederet, iisdemque difficultatibus, quibus non ante multos annos, præclusi aditus fuissent; persuaserat sibi fore, vt arreptum iter non vacaret suo fructu. Et verò laboriosum eò cursum cùm tenuissent; plerisque è socijs, quibus non clarum adhuc adeò nomen, & qui tegi, mutata veste, vultuque poterant, subire in Angliam, ac fallere custodiam facilè fuit. Ipse verò cùm omnia latè explorasset, tentassetque, ac cuncta circumsepta periculis viderentur; subsistere Rhemis oportuit, ibique diù morari. Id nanque optimi Pontificis consilium fuerat, vt si quando tota Anglia excluderetur, Vir nomine, ac virtute, ac de facie etiam notissimus; in finitima ea Vrbe consisteret, vt explorare propiùs, atque accuratiùs posset, quo loco, ac statu res esset Anglicana; & qui inibi Catholicorum siue numerus, siue ardor; ac certis deindè nuntijs, ac bona fide perscriberet Romam omnia. Dolebat nimirùm maximè Gregorius Pontifex, & malè esse florentissimo Regno, & nunquam certa, atque explorata nnnciari; vt consuli in medium posset, qua potissimùm ratione Catholicorum animi, viresque sustentarentur. Quo quidem officio functus egregiè est Golduellus; Romamq; transmittebat, quicquid ab intima Anglia, atque è Reginæ arcanis patere illi ex vero contingeret. At enimuerò vel ea de causa opportunissimum eius tunc fuit Rhemense

Thomæ Golduelli in rem Anglicanam studium.

Expeditionē in Galliam vi quadam impetrat.

[a] Paul. Bomben. c. 19.

Rhemis subsistit.

Quàm opportunè.

Contu-

Excitata plerisq; in locis Anglicana Collegia.
Contubernium. Instituta siquidem plerisque in locis Collegia, siue Seminaria fuerant: in quibus in spem ingenij, ac studiorum, præcipuè ad omnem pietatem eo consilio alebatur iuuentus Anglicana; vt instructa deinde sacra, solidaque doctrinarum eruditione afferre Patriæ laboranti opem aduersùs impietatem possent: prouentusque inde existere quàm vberrimi cernebantur: emissi nanque ab ijs passim Cœtibus eruditi, pijque Viri, ac presbyteri; ac per Angliam sparsim volitantes, mirùm quo fidei ardore, ac compendio ludere sectariorum studia, ac malam frugem extinguere videbantur. Ac noua semper subsidia cùm indè submitterentur, non confici tot poterant hæreticorum insidijs, ac telis; quin multò plures è transmarinis ijs Collegijs instaurandæ religioni, ac pugnæ clàm, ac maioribus planè conatibus succederent. Id quod Regina, eiusque Administri cùm aduerterent, machinas extemplò euertendis eiusmodi Seminariorum arcibus adornarunt. Edicto siquidem sub hoc tempus seuerè cautum, vt liberos quisque suos in Angliam parentes reuocarent; ij si redire abnuissent, interdicti aqua, & igne forent: non pecuniæ, non subsidia mitterentur. Tùm alia interminata fauentibus, fouentibus supplicia. Inter cætera Anglorum Collegia Rhemense erat, Gregorij eiusdem Maximi Pontificis auspicijs, nutuque excitatum, ea, quam diximus, mente; vt educata hìc in omni doctrinarum genere, ac pietate morum, elapsa è Patriæ ruinis, ac flammis Britannica pubes, eò posteà animosè redirent, restinguendo eiusdem Patriæ incendio: ac visa profectò alendæ, erudiendæque illi iuuentuti eò opportunior Rhemensis Ciuitas; quòd Angliæ vicinior cùm esset, captari occasiones ex facili poterant eò transmittendi: & qui inde tuendæ pietatis gratia transfugissent; proximum haberent contubernium, ac popularium caritatem, quæ exciperet. Ergò attigit Rhemos Golduellus eo tempore, quo perlata in Galliam isthæc furentis Reginæ decreta perculerant Anglicanæ iuuentutis animos; quòd enim peti Collegia, hoc est, florem ipsum, crescentemque spem Regni decuti eo turbine cernerent; consternari intimè oportuit. Quocirca homo Anglus, eius æui, ac dignitatis, famæque apud ipsos celebrioris, tempestiuè eò appulisse videri potuit, erigendis, confirmandi que illorum animis. Quod quidem, quandiù versari in Rhemensi eo Collegio contigit, egregiè præstitit præclaro exemplo sui, ac frequentissimis adhortamentis; vt sanè non minimum ardoris, ac fiduciæ sibi ab ea Golduelli consuetudine, atque eximij pectoris firmitate accessisse, gratulata honestissima iuuentus fuerit. Postquàm verò immoratus diù Rhemis fuit; quippè qui iam diuulsam, dissectamque rem Anglicanam, ac regnatricis fœminæ sæuitiam propiùs, atque abundè inspexerat; & quid spei superesset, tuendæ in eo Regno Romanæ authoritatis, ac fidei, attentè, atque in loco expenderat: temeriti Italicum iter cogitauit; vt cum Romano Pontifice rem omnem communicaret; eòque capi pro re, ac tempore consilium posset. Romæ in Diui Syluestri Domum, hoc est, in veterem tranquillitatis stationem; quam Anglicanis duntaxat laboribus, ac Patriæ saluti posthabebat, se recepit. Egregium in gentem suam studiū continuauit. Alumnos præsertim Seminarij, quotum pubescentem pietatem, atq; ingenia afflictæ res Angliæ spectabant, complecti flagrantissimè videbatur. Inuisere sæpiùs, alloqui, & quod caput est, vrgere pietatem, ac studia solitus erat. Id verò ad eorum commodum, ac fructum in consequentes etiam annos perutile fuit. Siquidem vnà cum Thoma Scellæo, Vito ex Anglicana nobilitate illustri, magno Hierosolymit. Ordinis, vt vocāt, Priore, per id maximè tempus curauit, vt eius Collegij administrationē Soc. Iesu Patres capesserent: rati scilicet, fore id iuuenum eruditioni, ac moribus opportunissimū; transigere apud Gregorium Pontif. negotium maturarunt, impetraruntq. Quanto verò cum rei compendio egregijs illorum Patrum curis, ac fidei commendata Anglicani Collegij institutio fuerit, æuum comprobauit: ac debet profectò ea pubes Golduelli studijs succedentes ab diligenti ea educatione profectus suos.

Cum fructu Britannicæ Religionis.

Euertere ea studet Elisabetha.

Rhemense Collegium

Reginæ edictis perculsā erigit Gold.

Romam reuertitur.

Romanū Collegium iuuat

Fuitq; in causa, vt Iesuitis traderetur.

Iam, Congregationis hoc anno Comitia Venetijs habita. Scitum nanque præterito anno fuerat, vt non semper Romæ celebrarentur; sed quæ præcipuæ, ac capaciores erant in Ordine domus, nempè Romana, Neapolitana Diui Pauli, Veneta, ac Mediolanensis id siue commodi, siue incommodi in orbem subirent. Initium nouo huic rerum ordini Venetiæ dedere: ac præter priuatas quasdam domorum opportunitates,

Venetijs Comitia ann. 1580.

nitates, ac nonnulla etiam ab ijs obseruanda, qui ad ferenda suffragia admissi fuerant, nihil præterea inibi sancitum, cautumque. Patauium inde excurrimus, vbi Caroli Cardinalis Borromæi præsentia, ac singulari comitate exigua domus nostra cohonestata non sine diuinæ prouidentiæ testificatione, ac illecebra hoc anno fuit. Venetijs Mediolanum petebat Vir sanctissimus; tenuitque Patauium, extremis Bacchanalibus, Dominica nimirum in Quinquagesima, exceptus à Friderico Cornelio Episcopo. Illum consalutare, officij duxere nostri homines, vt quem sciebant nostro Ordini cum paucis addictum. Contigitq; quòd Cardinalem adirēt quo tempore plerique è Patauinis proceribus, atque Antistes ipse Cornelius summis cum eo precibus agebant, discessum ne tàm citò adornaret, sed insequentem etiam diem Patauij consisteret: quod erat commune eius Vrbis votum. Abnuebat ille; verùm vt in eius sese conspectum Nostrates dedere; subijt animo, eo die lunæ vetere ipsos instituto solenne Quadragesimæ ieiunium auspicari. Eapropter, quòd intelligeret, non sine aliqua sui afflictatione contingere moram illam posse; procerū postulationibus dedit manus. Tùm nostros monuit, fore se postridie manè inter ipsorum commensales communi in cœnatione. Rogatos autem velle eos se, ne quid ampliùs apponerent, quàm consueta Patrum mensa apponi mos esset; cauitque, ne quid Antistes, aut proceres sui causa submitterent. Dignari insigni ea Purpura, ac Viri præstantissimi beneuolentia Theatinam Domum, perhonorificum omninò erat: at angi non minimùm cœpere Patres inopiæ conscientia. Ea nempè rei domesticæ difficultas tùm maximè premebat, vt excipere intra decentem parsimoniam, religiosamque frugalitatem Borromæum desperarent. Ergò inter eas angustias affulsit tempestiuè Numinis cura: quippè non multò antequàm ad mensam accumberet Cardinalis: ecce tibi Vir nobilis optimè de nostro Ordine meritus, Venetijs fortè rediens, pisces lectissimos, nec sanè paucos Patribus attulit; vt quando diebus ijs Lupercalibus celebrari splendidiores passim epulæ viderentur, incohoarent ipsi ieiunium non adeò ieiunè. Visus Borromæo is ferculorum apparatus, ac pompa vehementer displicuisse; ratus, aut Nostrorum sumptu instructam lautè mensam; aut Patauinos contra vota, ac preces magnificentiorem eam scenam adornasse. At enim, vbi resciuit, adportatam Venetijs annonam, atque opportunè, copiosèque arctæ rei adfuisse diuinam prouidentiam; tunc enimuerò habere Deo vnà cum Nostris ingenti cum animi voluptate, ac prolixiùs gratias: agnouitque in nostro Instituto nescio quid latentis opulentiæ: quando sola in Deum fiducia id abundè præstamus, quod amplissimi census præstant.

Patauina Domus Borromæi præsentia honestatur.

Qui excipi vult communi mensa.

Adfuitque in tempore diui næ prouidentiæ blanditia.

Funus nunc attexamus Ioannis Pauli Montorphani, quem supra non semel memorauimus: desijtque exeunte hoc anno viuere, postquàm partes suas in Ordine per omnia virtutum exercitamenta satis piè, sanctèque egit. Destitui domestico, insignique eo exemplo sine communi animi ægritudine non potuit. Quæ nanque præsens voluptati est virtus; eadem, si abeat, telum, ac mœror est. Sanè nihil in Montorphani vita non egregia prædicatione dignum: quippè qui præclaram educationem, ingenium, bonas artes, incredibilem ad res sacras propensionem, ac cætera instrumenta virtutum; quæ secum attulit, cùm nomen Congregationi dedit; vsque adeò postea in ipsa Congregatione expoliuit, vt absolutissimus in omni pietatis genere videri posset. Inerat illi præcipuè eximius quidam propagandæ religionis ardor: ac sicuti aliàs significatum est, cùm alij alias eius amplificandæ vias inirent; ipse Hebræorum sibi contumaciam frangendam suscepit. Quod sanè studium, cùm in conclamata præfractæ gentis salute versetur, penè inutile plerique putant: at non sic Montorphani curis accidit; nam quà scripto, quà voce lucem quamplurimis ex ea hominum natione, vitamque impertijt. In aliorum item salute promouenda, curandisque mortalium animis multus erat, atque ardentissimus. Eorum præsertim commiseratio illum ceperat, quos mali genij obsidebant; nullisque temperare laboribus, curisque videbatur, quominùs infernos eos hospites, hostesque diuexaret. Valebat in eo munere præcipua quadam vi, ac potestate Numinis; vt visi quàm sæpissimè fuerint, eo ritè declamante, atque imprecante, deturbari ab humanis corporibus dæmones, ac solutæ istiusmodi obsidiones.

Ioannes Paulus Montorphanus moritur.

Studium in eo religionis.

In liberandis energumenis valuit.

Hæc

Hæc ipsa caritas, qua sedulò energumenis imminebat, pauperum amantissimum fecit: in fouenda quippè eorum inopia suæ oblitus paupertatis videbatur; aderatq; adeò munifica nonnunquam manu, vt temperamento illum indigere putarent aliqui, ac refrænandam liberalitatem, instituto minùs consentaneam. Sed ipsum constans quædam, ac firma in Deum fiducia mirificè obfirmabat. In qua quidem virtute nescio an aliquis è nostra disciplina illum æquauerit. Nunquam vel in extrema egestate despondere animum, ac spe cadere visus fuit: modò orandi locus, ac tempus daretur, incredibili quadam pectoris firmitudine annonæ sibi laxitatem pollicebatur. Id enim illi solenne erat; cum supremè indigeret domus, nec esset penitùs quod reficiendæ familiæ apponeretur; ad orationem confugere; conceptisque tantisper precibus, strenua quidem spe, animique celsitudine surgere, ac monere suos, signum vt mensæ darent, sperarentque adfuturum præsenti ope Numen. Et accidit planè frequentiùs, vt simul, & vocarentur ad cœnarionem Patres; & pulsata domus ianua, accurreret fidelium pietas instruendæ epulis mensæ. Cuiusmodi extemporaneæ diuinæ beneuolentiæ, curæque instrumentum prænobile Cardinalis Borromæus fuit. Illud hìc non dissimulauerim. Preerat Mediolanensi Cœnobio Montorphanus, & quidem in summa rerum difficultate; vt cùm instaret aliquando prandium, nihil non modò obsonij, sed nec modici panis ad refectiunculam domi esset. Ergò ille ad sacram anchoram: ac pro mensæ signo, vocari campano ære ad communem orationem Patres iussit: quod vbi exterus quis, nostri Ordinis percupidus, inaudiuisset, excitatus alieno eo precum tempore, ac superiore quodam instinctu monitus, suspicari cœpit, quod reuerà esset: ac rem vbi tacitè explorauit, in vestigio temporis rectà ad Borromæum tendit, narrauitque extremam Patrum inopiam; eosque prandij tempore preces instituisse, vt præsenti necessitati, quando homines non adessent, à Deo subsidia efflagitarent. Vix narrata hæc Viro pientissimo, cùm eius iussu submissa copiosè annona Patribus: studuitque egregia Cardinalis caritas, ne eò deinceps egestatis adducerentur. Hæc singulari Montorphani fiduciæ tribuenda, eiusque etiam precum efficacitati, quibus maximè nitebatur. Enimuerò præter cætera virtutum studia, assiduus in hoc præsertim orandi exercitio videbatur; quo quidem cùm pleraq; à Deo impetraret; tùm superno quodam lumine inspergi, illustrariq. sæpiùs mentem contingebat: vt arcana etiam euenta præuideret non semel, constanterq; prænunciaret. Petenda ex a Castaldi historia raptim quædam, quæ ille summa fide accepisse se memorat. Veronica Prata Rainolda, nobilis fœmina Mediolanēsis expiandis animi noxis Montorphani opera vtebatur. Hęc igitur aliquando, vt pœnitentiæ Saeramentum obiret, adijt Confessarium: quam ille vt vidit, monere anxiùs cœpit, iret confestim domum, Antonium Rainoldum cōiugem eo loci esse, vt nisi manum extemplò præberet, nil propiùs esset, quàm vt in vitæ discrimen adduceretur. Vera locutum cognouit statim Veronica, reperto nimirum coniuge penè confecto: soluta nanque, quæ sectā manè venam obligauerat, vitta; natabat, diffluebatque vi sanguinis cubile; exhaustisque ipse viribus, vix iam verba concipiebat. Huic simile, eidemque Matronę, quæ iurata denarrauit, accidit. Monita siquidem à Montorphano, vt domum quàm citò contenderet; fore nanque vt afferret Viro opem summè periclitantis abijt: cùm ecce inter eundem coniugem offendit inter Sicariorum manus; & quando vnus ipse omninò erat, & fallente iam vestigio ceciderat; certo iam illi vulnere ferrum librabant. Nihil acerbius coniugi; at quæ fœminarum sunt arma, altis clamoribus mortalium opem euocauit; propulsauitque strictos in Viri caput gladios, ac cædem. Diuinitùs quidem pronunciauerat Montorphanus, quod nisi interna quadam allocutione sciri non poterat. Tertium adnotabimus ex eadem Veronicæ fide, ac sacramento. Morabatur ipsamet nostro in Templo, diuinis commentandis ex Confessarij præceptionibus, monitisque intenta; cùm percutis se auerso pugno adeò vehementer sensit, vt prona in pectus caderet. Nec multò, adfuit Montorphanus, qui planè intueri cadentem non poterat; ac blandè consolatam, vt porrò meditari pergeret, iussit: nefarios nempè spiritus ea moliri, vt precandi studium de more interturbarent, auocarentque à diuinis mentem.

In Deum fiducia.

Præsertim in annonę caritate.

Cum experientia diuinæ liberalitatis.

Orationis in eo efficacia.

Cuius etiam luce futura præuidit.

a vit. Montorph. Veron. impress. 1618

Semel,

Iterum.

Ac tertiò.

Iam.

Iam, addictissimus omnigenæ pietati cùm esset, tùm in Missæ Sacrificium incomparabili quodam studio, affectuque ferebatur. Leuissimum illi quodlibet corporis incommodum, modò Sacram litationem non impediret; contra, grauissimum, quòd ab ara arcebat. Sæpiùs medicorum consilijs vti balneis, thermisque oportuit: at enim quæ statim ab eiusmodi lotionibus sumi bellaria, refrigerandis visceribus solent, omninò recusabat, ne ieiunium solueret, intermitteretque eo die Missæ Sacrum: ac dicere interim solitus erat; nullum recreandis, fouendisque opportunè viribus aptius argumentum esse, quàm Sacram Eucharistiam. Acri tentari podagra consueuerat; cùmque consistere in vestigio ægrè posset, ferre nihilominùs molestiam, sensumque conabatur, quoad faceret ad aram. Chiragra item molestissimè laborabat, qua cùm corriperetur, digitos, quibus maximè conficiendæ, contrectandæque rei Sacræ vtimur, assulis quibusdam extemplò alligari, extendique volebat, ne contraherentur nerui, atque adeò defunctus eo morbo, redire statim solutis articulis mactandæ diuinæ Hostiæ posset. Quod si tantùm hisce malis interdum liceret, vt sacrificare omninò interdiceret, percurrere saltem legendo Missam in delicijs numerabat. Quod si neque id permitteret vis morbi, vt legentem audiret, curabat, temperabatque enimverò acre desiderium imago illa, ac species Missæ. Qua verò patientiæ laude has ferret corporis molestias, admirationi planè erat cùm domesticis, tùm etiam exteris. Non vna quidem sui parte, neque ad breue aliquod tempus conflictari morbo videbatur; verùm continuata per menses integros vehementiore podagra, affici per. acerbè, torquerique artus ad vnum omnes contingebat. Quam ipse dolorum vim ea vultus constantia, ac moderatione exclpiebat, vt ostenderet planè, gestare se supra omnes ærumnas animum, ac ceu sperneret omninò, salibus interdum earum acerbitatem condiebat; vt diceret, se magistra podagra in astrologum euasisse, quandò à pedum sensu æquinoctium, ac lunationum periodos probè sciret. Tolerantiam hanc porrò strenuè cumulabat, cùm præter morbi sæuitiam, aliqua etiam accederet indiligentia, aut error. Et est illud ad eius modestiæ, animique tranquillitatis specimen memoratu dignissimum. Nam quod accidere nonnunquam solet; ex duobus infirmarijs cùm vnus alterius ministerio, curæque se credidisset, neuter cœnam decumbenti, laborantique vehementer à pedibus Montorphano attulit; & quod fuit sanè molestius, nullus cellulam procurauit, ac nocturno, noxioque aeri excludendo fenestras obduxit. Ergò solidam noctem incœnatus, ac penè insomnis transegit, litauitque egregiè prolixæ cuidam patientiæ: manè verò rem comiter, atque intra vultus hilaritatem perindè narrauit, ac si non id sibi, sed alteri accidisset. Admiranda planè Viri longanimitas, quæ non modò recrudescentes identidem doloris sensus, sed ab his tandem mortem lenijt. Iam eò valetudinis deuenerat, vt captus penè membris omnibus patientissimo Iobo persimilis videri poterat. Agebat in Vico Equensi, inuitaueratque salubrioris Cæli, atque Equensis eius Virginis, cui addictus intimè erat, clementia, cùm inualescens morbus, supremæ illum horæ monuit. Vt Neapolim reducerent, curarunt statim Paulini Patres, vt incumberet studiosiùs, aut in valetudinem charitas, aut in mortem pietas. Renuit ille, quòd diceret, à Deiparæ sinu ad Cælum breuem, atque explicatissimam viam esse. Ergò vbi solennia Dominici Natalis celebrasset, consalutata corporata Numinis infantia, quòd maximè in optatis habebat, sacro Protomartyri Stephano die Cælum petijt: translatumque eius postea corpus Neapolim fuit, ac in Diui Pauli cœmeterio sepultum. Extat, vt eius imago mentis in posterorum animis, ita vultus etiam effigies, quam germanus, suusque color repræsentat. Planè ab ore fuit honestissimus, faciesque illi omninò liberalis, vt occurreret statim vultu præclara indoles, ac latens animo virtus. Libella pingi in eius manibus solet: eius nimirùm facti index, quod in loco explicauimus, cùm videlicet, vt precum vim, momentumque ostenderet, hinc illas chartula inscriptas, hinc aurum æqua lance appendit, propenditque chartula. Sed de Viro laudatissimo pauca hæc sufficiant.

Missæ sacrificio addictissimus.

Nulli impediunt morbi, quominùs litaret.

In malis tolerandis patientia.

Excipiebat lepidis etiam verbis.

Eadem in aduersis alijs hilaritas.

Piè moritur

Imago eius exterior.

Excesserat non multò anteà Venetijs, nempè pridie Kalendas Decembris Bernardus Tudertinus, laici ordinis, de quo in tempore locuti non semel sumus. Hic ille est Bernardus, qui nouo quodam genere pietatis, atque afflictationis peragran-

Bernardus Tudertinus obit Venetijs.

dam Italiam susceperat, grauissimæ nempè Crucis gestatione: quod posteà institutum cum nostri Ordinis disciplina cōmutauit, Ioanni Petro Carafæ ab solida robustioris spiritus virtute commendatissimus, quem ille Pontifex inauguratus, Romam euocauit, voluitque sibi à cubiculo esse, ac cæteris aulicis exemplo: respondit que planè in eo munere suis moribus, seruata seueriore viuendi ratione, adstrictaque disciplina, quam ad vltimam vsque senectutem retinuit; obijtque non indulgentior profectò sibi, quàm vixerat, Festo Diui Andreæ Apostoli die occubuit, eius nempè, cuius amorem, affectumque in Crucem fuerat æmulatus.

Dat se Ordini Iacobus Valdaurus.

Hic porrò annus, qui duos insigniotis virtutis viros abstulit, par item præstantium hominum reposuit. Romæ nanque Iacobus Valdaurus, homo Hispanus, Sodalitati se dedit. Vir summa integritate, ac ipso castimoniæ flore spectatus, tùm reliqua virtutum laude ornatissimus. Genuæ verò monstrum quoddam ingeniorum, ac eruditionis contigit Patribus in Ordinem cooptare, futurum profectò & nostræ iuuentuti erudiendæ, & ornandæ Sodalitati opportunissimum. Fuit is Paulus Maria Ardizzonus, Patria Genuensis, honesto vir loco: cuius insignis litteratura ideò portenti similis videri potuit, quòd editus vix in lucem, captus oculorum lumine in ipsis cunabulis fuerit. Enimverò ceu pœnituisset naturam, oculos fronti abstulisse, illos abundè compensauit luce ingenij, ac præclara vi mentis. Bononiæ artium bonarum, studiorumque spatia conficit ea laude; vt in ea frequentissimæ Academiæ celebritate palmam omnibus præripuerit; adeptumque lauream, atque insignia doctrinarum, factum regendis, instruendisque aliorum ingenijs fama, plaususque eulgarunt. Eiusmodi oculorum tenebras eodem cum disciplinarum splendore coniunxisse prisco æuo reperies Didymum Alexandrinum, qui intra pueritiam excæcatus, eam cladem studio vicit, ac virum fuisse ea tempestate longè eruditissimum [a] historiarum narrant monumenta. Immensa quadam mentis capacitate, sacrarumque litterarum studijs par Didymo Ardizzonus, cuius quidem celebriore eruditionis fama permoti nostri homines illum impensiùs efflagitantem adsciscere in Ordinem decreuere. Nam etsi non omnia Religionis munia obire cæcum posse intelligerent, ea nihilominùs studiorum momenta seriò cùm expendissent; satis illum lucis afferre, atque assiduo docendi muuere posse reliquam disciplinam satis, superque compensare, existimarunt. Et verò, quæ postea tanta cum instituti dignitate, fructuque mortalium propagatæ sunt in Ordinem litteræ, deriuasse magnam partem ab eo fonte dicendum est. Qui nanque excellentiore subindè eruditione inter nostrates claruere, auditores fuere Ardizzoni penè omnes. Vir, qui nullum non auctorem triuerat, retinebatque memoria planè incomparabili. Et quod admirandum omninò in homine cæco erat; non modò librorum paginas, numerosque singulari quadam felicitate pronunciabat, verùm etiam qua Codicis parte, dextra an sinistra, summis ne columnarum lineis, an medijs loca essent, digito statim commonstrabat; veluti legisset ipsemet, suisque oculis vsurpasset. Porrò ingenij quà facilitate, qua acumine fuit singularis; contentione verò docendi, laboreque infractus. Professus siquidem est grauiora Philosophiæ, Sacræque Theologiæ studia annos circiter quinquaginta, hoc est, ad profundam vsque senectutem, continenti curriculo disciplinarum. Dictabat ipsemet memoriter: in explicando nihil eius dictione magnificentius; vt admirarentur doctissimi quique viri solidam illam, facundamque explanandi rationem. Acciditque non semel, vt illum exteri audierint, qui stupore penè defixi, professi ex animo sunt, celebraturos se trans alpes inter præclara Italiæ decora, ac monumenta Theatinum cæcum, ea doctrinarum, ac eloquentiæ præstantia docentem. Quamquam non intra priuatam tantummodò scholæ palæstram eius contentio desudauit; sed in publica etiam laude, ac luce versatus, omnes ferè Italiæ Vrbes suis concionibus, famaque compleuit; ac numerabatur quidem inter præcipua eloquentiæ nomina cæcus Orator. Inerat siquidem dicenti eximia quædam vis, ac neruus; vt quos audiendi insoliti concionatoris studium pertrahebat, caperet deindè eruditio, ac vehemens in agendo ardor, quo theatra, animosque concitabat: illud autem in hac dicendi facultate peculiare illi fuit; quòd cùm nulla non argumenta aptè versaret, tùm in rebus describendis minutissimus planè erat, adeò vt non modò magna perquàm exactè prosequeretur, sed parua

Et Paulus Maria Ardizzonus, Cæcus.

Disciplinis instructissimus.

[a] Socr. lib. 4. cap. 25. Sozom lib. 3. cap. 15.

A quo propagata in Ordinem eruditio.

Valuit præcipue memoria.

parua etiam atque exigua exquisita quadam, minutaque ratione describeret, non sine concionis totius voluptate, atque admiratione.

Atque huius quidem muneris exercendi facta illi non multò post emissa Religionis vota facultas fuit. Nam sequenti mox anno habita Neapoli Comitia fuere, & quæ erat præcipua Patrum cura, vt administrando Dei verbo optimi quiq; ac tùm naturæ dotibus, tùm doctrinarum præsidijs apprimè instructi, admouerentur, Paulum Mariam æuo, moribus, scientia maturum, communi suffragio approbarunt; cœpitque ad frequentissimam concionem statim dicere eo fructu, ac plausu, quem diximus. Porrò secundissimo eiusdem Capituli decreto ad idem euulgandi Euangelij munus admissum par illud germanorum fratrum fuit, quos ab inflammandis, concutiendisque insigni declamatione mortalibus, tonitrui filios appellatos à Francisco Pannicarola, diximus: nempè Marcellus, & Paulus Tolosa, qui vbi dicere è superiore loco occœpere, mirum quàm secunda consecuta illos est populorum celebritas, atque admurmuratio; vt expeterent præcipuæ certatim Vrbes; illasque ipsi excurrerent, simulque & oblectarent sermonis concinnitate auditores, & terrerent vehementia. Sed sufficerit hic innuisse, in sanctioris eloquentiæ campo laxatos iam frænos nobili fratrum bigæ.

Neapoli Comitia an. 1581

Fit Ardizzone concionandi facultas.

Et Tolosis fratribus.

Accessere ab huius anni Comitijs regendæ rei communi leges aliquæ, quæ tum Visitatorum munus ritè obeundum respiciunt, tùm sacras mulierum confessiones, quas excipi priuatis in domibus interdictum; tùm solennem bonorum abdicationem, qua tyrones ante votorum nuncupationem paupertati proludunt, ac litant. Cautum nempè, ne annuos sibi, aut Congregationi reditus aut à se, aut suo nomine à suis legarentur: tùm denique alia sancita opportunè, firmandæ disciplinæ, aut corrigendæ, si quid sensim, ac tacitè prorepserat in illam vitij. Agitatum prætereà diu ac seriòde Neapolitano Sanctimonialium Collegio à Sapientia, receptumque in nostram fidem tutelamque, Sodalitati, veluti suo corpori membrum annexum fuit. Excitatam hanc familiam ad Diui Dominici leges à Maria Carafa, Pauli Quarti, nostri Ordinis Institutoris sorore, eius nempè sapientissimi fratris nutu, curisque Bonifacij à Colle, ex nostris item Conditoribus, explicauimus latiùs in loco. Enatam nostratum auspicijs, ac studio familiam tueri ipsimet studiosiùs curarunt. Præcipua nanque ea erat Carafæ mens, vt nostri homines crescentem disciplinam illam, sororemque, ac Cœnobium accuratè instituerent. Id quod euntibus Neapolim Beato Patri Caietano, & Marinonio impensè commendauerat, inculcauitque posteà in Purpura, ac Pontifex: vt assiduì ij quidem fuerint in earum Virginum pietate excolenda; designatis successiuè certis ijsdemque præstantioribus in palæstra virtutum hominibus, qui operam earum confessionibus continenter darent: quales fuere Thienœus ipse, & Marinonius, Petrus Fuscarenus, Thomas Asaphensis, Paulus Aretius, alijque eius notæ, ac sanctimoniæ viri, quorum egregia institutione, ac præceptionibus ad omnem morum laudem Cœnobium adoleuit. Ac enimverò, ita rem animorum illi temperabant, vt cætera, Dominicanis Rectoribus subiectum Monasterium esset. Nam qui Generali in eo Ordine Magistratu præerat, is supremo iure Cœnobio moderabatur, fiebatque ab eo facultas laxandi, si quando opus esset, regulas. Ad hæc festo eius Templi die, atque intrà annum aliàs, eius item Dominicanæ familiæ Patres eò accedebant, factoque agmine, & solennia sacra, & reliquam psalmodiam ritè obibant. Tùm laici eiusdem Ordinis fratres continuò aderant, qui domestica, atque externa negotia accurabant. Iam verò ipsis Monialibus insitum vel ab ipso primæuæ institutionis exortu acre desiderium fuerat, vt quando Theatini tanto cum virtutum prouentu conscientias pertractarent, ius Monasterij reliquum penes ipsos esset; ac instituum quidem, regulamque Diui Dominici obseruarent, moderarores autem regulæ, totiusque disciplinæ Clerici Regulares essent. Abhorrere quidem ab eo munere nostri videbantur, quibus contrarius omninò erat sensus, vt regerent quidem libenter conscientias, ac spiritum, cætera verò administratione, curisque rei communis abstinerent. Atque hanc fortassè caussam fuisse existimamus, cur Paulus Pontifex Quartus id minimè præceperit, ne scilicet, contra communia Patrum vota iret, quorum nouerat auersos ab ea subeunda prouincia animos. At enim, vt nullis vn-

latæ in Capitulo leges.

Sublascitur nostræ disciplinæ Sapientiæ Moniales.

Quarum duntaxat confessionibus nostri vacabant.

Reliqua penes Dominicanos cura erat.

Monialiũ vota, vt nostri regerent.

Qui renuebant.

quam difficultatibus flagrans animus vincitur, vrgere negotium sub hoc tempus vehementiùs Moniales cœpere, ac rem conficiendam omninò per Antonium Cardinalem Carafam sibi constanter persuasere. Addictus is erat magnoperè Gynecœo, in quo tot præstantissimæ è sua Gente Virgines agebant, & qui Paulo Quarto olim cum paucis carus, eiusque memoriæ gratissimus, hæreditaria quadam beneuolentia, affectuque illud prosequebatur: ac prætereà eo loco, atque auctoritate erat, vt facilè impetrare postulata à Romano Pontifice posset, & euincere item à nostratibus, vt prouinciam acceptarent: complectebatur namque Ordinem singulari quodam studio tùm sua sponte, tùm quia à Paulo; ac nostri vicissim tanti viri Purpuram, ac beneuolentiam venerabantur, quippè magni illius Pontificis, Parentis nostri, virtutem, ac quandam veluti imaginem repræsentabat. Igitur Cardinalis anno voluentis seculi tertio supra septuagesimum ea super re Pontificem ex animo interpellauit; ac plura simul vt petijt, ita & obtinuit, obsegnatis Pontificijs litteris eius anni die vigesima tertia mensis Februarij. Ac primò concessa à Paulo Quarto, alijsque olim Summis Pontificibus Monasterio priuilegia, confirmata en Gregorij Tertij decimi dieplomate fuere. Tùm exemptum iterùm ab omni minorum Antistitum potestate, ac iure, & Romanæ Sedi proximè subiectum idem Collegium fuit: postremò si nostra tùm voluntas, consensusque accederet, vt Theatinæ posthac disciplinæ, fideique commendatum in spiritu foret; quod optabant maximè Sanctimoniales. Ne desiderari in nostro hoc commentario Pontificiæ hæ litteræ videantur, illas non quidem integras, sed particulam libenter atteximus. Relicta igitur prolusione, sic habent:

Sed vigentem rem Antonius Card. Carafa.

Pôtificium ea de re Diplomaimpetratû.

Cuius particula exhibetur.

Nos igitur, qui huiusmodi Monasterium à germana sorore prædicti Pauli Quarti, nostri Prædecessoris institutum fuisse, ac plures puellas ex amplissima eiusdem Prædecessoris familia inibi nunc degere intelleximus, ac de optima illarum, ac vestrû omnium viuendi ratione, summaque probitate, & eximia temperantia, omnibusque pietatis officijs, quibus in timore Dei cogitationes vestras positas continetis, erectoque animo cælestia æternaq; spectatis, certiores facti sumus, ac propterea in his, quæ optatis, vos speciali fauore aliquo nostro prosequi, complectique cupiẽtes, ac super Monasterij vestri exemptione, & illius immediata Sedi Apostolicę subiectione, Cõfessarij electione, ac quorumcumq; Ordini Prędicatorũ concessionẽ priuilegiorum, & gratiarũ, nec non Pauli prædicti, & aliorũ prædecessorum litterarum super eisdem confectarũ tenores præsentibus pro expressis habẽtes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati Monasteriũ sub dictæ Sedis immediata subiectione conseruantes, & retinẽtes, illius curam in spiritualibus Congregationi Clericorũ Regulariũ ad vtriusq; partis beneplacitũ per præsentes committimus, assignamus, & cõmendamus, eandem Congregationẽ plurimũ in Domino hortantes, vt curam huiusmodi pro ea, qua maximè ornatos esse Religiosos decet, charitate libenti animo suscipiant, atq; ita se gerere studeant, vt ex eorum prouido, ac diligẽti gubernio, ac felici regimine Monasteriũ huiusmodi in spiritualibus nõ modò in præsenti vitæ sanctitate conseruetur, sed salubriter etiã in posterũ dirigatur, & maiora in dies in Domino suscipiat incremẽta. Quodq; Priorissa pro tẽpore vnà cum consilio Discretarum, ac voto Superiorum suorum è dicta Congregatione Clericorũ Regulariũ prædictorum, cui curam, vt præfertur, dicti Monasterij in spiritualibus cõmissimus, vt Presbyterũ ex eisdem Clericis Regularibus magis idoneũ ex approbatis, vt præfertur, ad confessiones Monialiũ eiusdẽ Monasterij audiendas eligere possit, Monasteriumq; huiusmodi omnibus, & singulis priuilegijs, gratijs, exemptionibus, immunitatibus, alijsque, quibus Ordo Prædicatorum quauis ratione gaudet, vti, frui, ac gaudere valeat auctoritate Apostolica tenore præsentiũ cõcedimus, & indulgemus; ac super horis Canonicis recitandis à Sede Apostolica obtentam, & Priorissæ concessam dispensandi facultatẽ approbamus, & confirmamus, eandemq; tam ad professas, quã ad non professas, & seruientes in dicto Monasterio existentes Moniales, quæ ad psalterij recitationem tàm ex obligatione, quàm deuotione tenentur, extendimus, & ampliamus, ac de nouo etiam eidem pro tempore riPorissæ, quatenus opus sit, impartimur. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, nec non in Prouincialibus, ac Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec noc Monasterij, & Ordinis, & Congregationis huiusmodi etiam iuramẽto.

to, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliqua roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, nec non omnibus illis, quæ in gratijs, & indultis, Ordini Prædicatorum; per prædecessores nostros concessis, aut eidem Ordini aliundè competeri decretum est non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die xxvij. Februar. M.D.LXXIII.

Apostolicas has litteras non statim publicarunt Sanctimoniales, ne præpostera festinatio negotium interuerteret, sed quæ præcipua prudentiæ laus est consilium pro tẽpore, ac re caperent. Ergò expectatam diutiùs tempestiuitatem tãdem celebrata hoc anno Neapoli Comitia attulere; ac tùm quidem quà flagrantibus Antonij Cardinalis Carafæ officijs, quà prolixis mouialium precibus, ita occupatæ præcipuorum Patrũ, qui interfuturi Capitulo erant, aures, ac animi fuere, vt & dederint ipsi manus, & alios etiam in suam sententiam pertraxerint. Scitumque Capituli consulto fuit, vt quando is iam esset inter nostrum Ordinem, ac nobile illud Cœnobium nexus, ac primæua eius à Paulo Quarto, ac sanctissima sorore origo duceretur, pro lectissimarum Virginum voto in nostram clientelam acciperetur. Sancitumque præterea, vt tertio quoque anno tùm qui regeret, moderator, quem loci Ordinarium appellamus, tùm qui confitentibus operam daret in generalibus Comitijs legeretur. Ac tùm quidem; qui primus Rectoris, siue Ordinarij munus capessiuerit, fuit Antonius Agellius, prouecti viri æui, & cui nulla procurandis Monialibus prudentiæ, ac virtutum reliquarum præsidia non suppetebant. Quę inibi obire munia Dominicani Patres consueuerant, complecti iam tùm nostri homines cœpere, sacrorum nempè cultum, ac nitorem curare, rem diuinam, diuinasque laudes statis anni temporibus solenni ritu celebrare; tùm si quam defungi vita contingeret ex eo cœtu sororem, funus ipsi ducere, sacrificio, thure, apprecationibus; qui mos hodieque frequentiore quidem Patrum celebritate obtinet, vt confluant persoluendis istiusmodi exequiarum iustis certatim omnes, atque ad aram litent; ne desit excellentior ea charitatis, quæ defunctis impenditur.

Recipitur in clienela sapientiæ Monasterium.

Eius Rector Antonius Agelius.

Dei cultum.

Et funera curant nostri.

Quædam hoc anno de Panormitana Domo fundanda agitari consilia cœpere, quæ quamuis successum non habuerint, non est, cúr eorum hic beneuolentiam, conatusque humanissimos non agnoscamus, qui gratificari hanc nostræ Sodalitati operam voluere. Et quidem periclitari rem cœpit magni nominis Princeps, Marcus Antonius Columna, cui tum perspecta in difficil.imis bellorum aleis præliaris virtus, tùm parta ad Naupactum contra Turcarum Classem victoria supra vulgarem Ducum famam bellicæ laudis celebritatem comparauerat. Is à Catholico Rege Sicilię fascibus, ac procurationi hoc anno admotus, nil potiùs habuit, quàm vt Panormi, vt princeps eius Regni, ac splendidissima Vrbs est, Theatinum institutum exciperetur; idq; tum suopte ingenio, ac studio, quo nostros vnicè complectebatur, tùm quia Hieronyma Columna, ornatissima soror, ac Montis Leonis Dux id cupere impensiùs aduertebat. Singulari nanque in Ordinem propensione ferebatur Hieronyma, quæ vt prudentiæ numeris, ac maris cuiusdam animi dotibus inter principes fœminas eminebat, ita illas egregiæ pietatis laude facilè superabat. Cœpta præclaris hisce Principum auspicijs res Panormitana cùm non successerit, putandum omninò est, esse sua rebus omnibus tempora, æterna lege obsignata, quæ vltrà, citroque nequeant euenta existere. Atenim, quæ conati Marcus Antonius, & soror fuerant, primisque veluti lineis inchoauerant, perducere ad summam manum Ioannæ Pignatellæ, Terranouæ Duci, Hieronymæ Columnæ filię, contigit; quod opportunè significabimus.

Agitatur Domus Panormitana.

Marco Antonius Columna agente.

Et Hieronyma Colũna.

At successum non habuit.

Neapoli interim præclaram operam Patres ponebant, ac nulla fermè pietatis opera instituebantur, quæ nostri non promouerent; cùm magna iam nobilium virorum, atq; illustrium matronarum pars nostras Ecclesias frequentaret; Et qui viua Dei templa, & quę in conspectum non cadunt, hoc est, animorum profectus egregiè curabant, ad instaurandam hoc anno aspectabilis, corporeique Templi structuram animũ adiecere. Paulinam Neapoli Domum antiquissimam diximus. Sarciuerant olim pro modo Patres, sed nimia tandem vetustate laborantem, cùm non minimum iam vitij, parietibus malè inter se coherentibus, fecisset excitari denuò fermè à solo oportuit. Ergò

Instauratur Diui Pauli Templum.

gò euersa hoc anno Chori abside, ac tholo, & quæ proximè ad Aram principem accedebant, extructum Odeum planè amplum vnà cum superiore Templi parte, quam laxari, atque ingentia extendi in brachia voluere ad omnem schematis elegantiam, ac decus; idque intra paucos omninò menses. Tùm non post multò reliquum corpus ad eandem recentis descriptionis formam exactum, porrectumque. In qua quidē Ecclesiæ substructione, quod ante illam concinnatum, consecratumque olim diximus cœmeterium, transferri aliò oportuit. Actùm quidem, commodùm, quædam reperta in inferna Templi parte conclauia fuere, peruetusto, atque arcuato opere, quibus nil mortuis contumulandis opportunius; quippe quæ ita Ecclesiæ innectebātur, vt seposita ab communi hominum conspectu, nulla ex parte dignitatem, ac nitorem tangerent. Igitur, vt qui capax omninò concameratus hic erat locus, nam ad Templi medium pertingebat, adornatum hic cùm nostratibus, tùm exteris, diuisa nempè area, sepulchrum fuit. Quod ideò iuimus commemoratum, vt compertum porrò sit, quo loco sacri Beati Patris nostri Caietani, ac Beati Ioannis Marinonij cineres, aliorumque præstantium virtute, ac sanctimonia Patrum, qui in hoc Diui Pauli Cœnobio spiritum deposuere, sepultique in vetere cœmeterio fuerant, modò iaceant. Et quidem tenuit apud nostrates mos, vt nullum ex nostris defunctis aut certo seponerent loco, aut aliqua consignarent pro meritis nota; siue ea fuerit viuentium modestia, siue defunctorum æqua virtus. Quocirca cùm transferri hoc tempore consepulta in veteri conditorio ossa in subterraneam eam Ecclesiæ partem deberent, visum prudenter nostris, vt præstantissimorum Patrum corpora, qui tanta cum solidæ virtutis existimatione, quiq; sepulti indistinctè fuerant, in eodem quidem cœmeterio, sed separatim conderentur, concinnatoque dextrorsum loco, illa cum eadem humo reponenda inibi curarunt. Demandata res tunc fuit Petro Caracciolo, qui & reliquam Templi exædificationem curabat: iunioris quidem, sed qui architecturæ non minimùm consultus, iudicio etiam valebat plurimùm. Atque is quidem postea multis longè post annis cū de Thienæi, ac Marinonij corpore studiosiùs inquireretur, quorum agitari iam sanctitas cœperat, ac Thienæi præsertim virtus publicum in examen reuocata, Romanis iam calculis ritè comprobaretur, testatus ex fide est, factam tunc temporis fuisse cinerū translationem; ostenditq; quo potissimùm tumulati loco fuerant: & vt certior res esset, effodi altiùs iussit inuentiq; inibi, prout ipse affirmauerat, consepulti manes, lætitia omnes affecere. Qui posteà locus dedicatus Beato Patri Caietano fuit, estque secundum ad dextram Templi partem sacellum, quod maculosi marmoris crustis loricari iam cœptum, columnisque vario item ex marmore exornari, splendidissimam planè faciem supernè repræsentat. Respondetque exterior pars hæc sacelli subterraneæ, peramplæque testudini, siue hypogæo, quod extructum, picturisque, ac emblematis magnificè excultum ideò voluere nostri, quod inibi pretiosæ Beatorum Caietani, & Marinonij reliquiæ, vti iam significatum est, iaceant. Ac prætereà excitandæ impensiùs fidelium pietati erga sacros Beatissimi Patris nostri Cineres, apertum in extima Sacelli parte nobile spiramentum fuit, quod intuentium oculos rectà ad aram transmittit, quæ in eius cryptæ medio excitata, Caietani Pario è marmore simulacrum præfert. Docetque eo illum monumento tegi, communicato nimirùm cum Marinonio Sepulcro; vt quorum eadem fuerat vita, atque vnanimis adinuicem charitas, eadem complecteretur vrna extinctos. Id quod inscriptum in superiore Sacello marmor luculento carmine declarat.

Translato alibi cæmeterio.

Vbi BB. Caietani, & Marinonij cineres repositi.

Describitur dedicatū Thienæo Sacellū.

Dum Paulinæ Ecclesiæ amplificandæ toti hoc anno sunt Neapolitani Patres, Romani ampliandæ Quirinali Sancti Syluestri domui vacant. Quod haud nobis dissimulandum, vt Gregorij Tertij decimi Maximi, atque optimi Pontificis in nostrum Ordinem beneuolentia, ac liberalitas posteritati prostet. Planè pro singulari, qua is Theatinum institutum prosequebatur beneuolentia, visus Patrum vota semper cumulasse: pronior quidem cùm votæ paupertati sustentandæ, tùm ijs præstandis, quæ ad disciplinæ incrementum, ac splendorem facerent. Hoc verò anno luculentum oppidò magnificentię specimē dedit. Nam cùm extendi percommodè, ac splendidè Romanum Cęnobium posse intelligeret, qua parte Romam, ac Diui Petri Templum prospectat, vt nobilis ea appendix accederet ædificio, spontanea quadam munificen-

Romæ Quirinalis Domus ampliatur.

nificentia adfuit, cùm sperare id quidem ab eius animi magnitudine nostri possent, minùs verò expectarent. Igitur vim auri non modicam, quæ sex aureorum millia excederet, ea fine mittit, vt pulcherrimum id membum annecterent domui, laxiùsque habitarent Patres, atque etiam magnificè; nobilissimo prospectu Vrbis, subiectisque ad omnem amœnitatem domesticis hortis. Quam Cœnobij partem ære Pontificio excitatam, à sumptuosa quidem structura, tùm multò magis à beneuola tanti Pontificis voluntate, affectuque æstimamus: testaturque, vt illius benignitatem, ita memorem, obstrictumque nostrum animum.

Gregor. XIII. liberalitate.

Hoc Pontifice annuente Marcellus Maioranus, quem diximus, Episcopum Cotronensem inauguratum, ab eo Sacerdotio ad Acerranum transfertur à Philippo Secundo Hispaniarum Rege. Traduci ad nouam Ecclesiam sine Crotonensium luctu, sensuque non potuit, qui tanta cum existimatione virtutis Episcopatum illum & inierat, & in præsentia administrabat. Ac sapientissimum Numinis consilium fuit, vt qui Cotronensem iam Ecclesiam eximijs vigilijs suis, exemploque expoliuerat, ad Acerrensem, quæ indigere solerti quadam Pontificis cura, prudentiaque videbatur, accurreret. Clerum, Ciues forma, ac disciplina morum destituerat, quos ille præclara animi contentione conformare aggressus, nil voluit prætermisisse, quo diuini cultus studium in Ecclesiasticos, exactamque in omnes pietatem induceret. Templum collabi, non secùs ac mores, videbatur, admouitque statim liberaliter manum, instaurata principe eius parte, ac ara maxima, vt testatur hodièque appositum lemma in ea verba: [Pietate Maiorana restitutum.] Ad hæc, vt exsplendesceret ab omni parte Ecclesia, nec deesset ad animorum quæstum, ac opulentiam collatæ Pontificum munificentia opes, amplissimas item indulgentias à Gregorio Pontifice impetrauit. Atque adeò quos obiecta virtutis dignitate, ac forma bonam ad frugem reuocabat, eosdem proposito etiam pretio, fructuque sacrorum propellebat.

Marcellus Maioranus ad Ecclesiam Acerranam transfertur.

Cum diuini cultus], morumque compendio.

Fuere hoc anno, qui præclara morte vitam religiosissimè exactam clausere, excepitque eorum funus non tàm ob eorum lacturam luctus, quàm pia quædam inuidia ob certam gloriæ adeptionem. In his fuit Bartholomæus Rusticus, Florentinus, qui Neapoli ante annos viginti Theatino Instituto nomen dederat, maturus æuo, atque excolendæ regularis disciplinæ percupidus. Princeps illi virtus ea fuit, quæ occultare, atque inumbrare aliarum lucem præcipuè studet, nempè humilitas. Ab ipso statim tyrocinio ad abiectissima se se Cœnobij officia demittere, perindè atque si è laicis esset, infimisque eiusmodi ministerijs addictus. Luctandum magnoperè cum eius modestia fuit, vt sacris ordinibus initiaretur. Nam qui vestigijs humilitatis insistere atque intra eius se se leges contineri sibi proposuerat, promoueri ad eam ordinum sanctitatem, dignitatemque omni ope recusabat: nec nisi pro sanctiore imperio inaugurari Sacris Epistolicis, atquè Euangelicis est passus. Vbi verò tempus adfuit, quo consecrari Sacerdos deberet, periclitari summam eius animi demissionem Vincentio Masso, Romanæ domus, vbi tunc Rusticus morabatur, Præposito, ac Viro prudentissimo, vti aliàs significauimus, placuit. Enimuerò cùm ijsdem initiandi sacris tunc essent ex Clericis item duo, hi quidem Sacerdotium vt susciperent, permisit Massus, Rusticum verò consulta opera dissimulauit; iussitque præterea ad luculentius humilitatis experimentum, vt quotidiè manè illis facientibus alternis ipse vicibus ministraret. Tenuit isthæc exercitatio biennium; compertumque interea temporis est, non eius virtutis colorem quendam extimum, speciemque] inesse animo, sed altiùs omninò insedisse, quàm vt abradi ex facili posset. Quocirca rapi illum ad Sacerdotium placuit, ingenti nimirùm cum eius animi repugnantia, ac religiosa item pro potestate. Nunquam porrò visa intendere vehementiùs neruos, ac certare in eo humilitas; quàm cùm in generalibus Comitijs factum illi ius fuit ferendi suffragium. Speciosum id munùs, & quod ad Ordinis præfecturas, honoresque gradus est. Quarè, vt acceptaret, nullis neque adhortationibus, neque precibus adduci vnquam potuit vir modestissimus; vt interminari demùm oportuerit, nisi annueret, fore vt Missæ Sacro, ac ipso pœnitentiæ Sacramento interdiceretur: qua ille denunciatione dedit manus. Sed cùm aliquot post annis cogitarent de ipso honestando Patres, & quem valere potissimùm prudentia, cæterisq. regendi artibus nouerant, administrandæ

Abit ad meliores Bartholomæus Rusticus.

In humilitatis laude præcipuus.

Supremis obedientiæ legibus adigitur ad sacros ordines.

Exploratur eius humilitas à Vincentio Masso.

Vi etiam ferenda suffragia admissus.

Quam deinde facultatem abdicat, ne præfecturam subiret.

dæ rei communi destinassent, id vbi is rescisit, facultatem ferendi suffragium protinùs abdicauit, eaque vi precum, atque efficacitate in Capitulo generali apud Conscriptos Patres egit, vt seriò, ac flagrantissimè postulanti coacti penè fuerint annuere. Scilicet, id semper contenderat, ne splendidiora exercitia humilitatem præriperent. Quocircà quicquid supererat à communi psalmodia, statisque commentationibus temporis, id exercendæ sui abiectioni impendere, spontaneam laicis fratribus operam locare, manus fullonicæ commodare, domum conuerrere: id etiam perpetuum illi munus, hostias ad Missæ sacrum curare, ac in orbem præcidere. Et respondebat excellenti huic virtuti reliquus animi cultus. Egregius quidam paupertatis amor vnà cum rerum omnium humanarum contemptu inerat. Domestica, quam propellendæ hyemi gestamus, lacerna nunquam vsus: contentus nimirùm tunica, trita ea quidem, sed cui pretium mundicies faciebat. Tolerare vim acrem frigoris gestiebat, modò paupertati bene esset, quam neque fouere vnquam igne visus fuit.

Paupertatis in eo amor.

Eximia item illi in fratres charitas, quam morum quædam suauitas, ac festiuitas cōmendabat. Abstinentissimus præterea, quæ sanè non pœnitenda in eo virtus fuit, eò quòd cùm natiuo quodam igne valeret corporis habitudo plurimo quidem cibo indigere videbatur. Iam, eius oratione, siue quæ voce concipitur, siue quæ mente lucubratur, nihil aut religiosius, aut ardentius. Psallentem illum in Odeo nullus vnquam inspexit, qui non ab ea frontis dignitate, habituque vultus intentissimum diuinis commentandis animum non agnosceret: nullibi omninò innixus, suo in vestigio hærere, ac ne vel leui falleret lapsu memoria, ac lingua, sacrarum precum codicem nunquam è manibus dimittere. In contemplatione verò prolixior planè fuit. Sæpè noctes integras commentando traduxit: passim autem à matutinis precibus ad horam prandij meditationem producebat; iuuabatque externo cultu animum: nam aut compositis indecussim manibus, aut affixis in Cœlum oculis, aut humi stratus orabat. Manabantque intereà vberrimæ ex oculis lachrymæ: quæ etiam peramantis animæ vena erumpere inter sacrificandum interdum cernebatur, vt salutarem illum calicem potumq. cum fletu misceret. Porrò hoc precandi studiū persequi vsque adeò intentè, ac mordicùs voluit, vt ante viuendi finem faceret, quàm orandi. Enimuerò interceptus grauissimo, qui supremus illi fuit, morbo, adeò non illi cessit, vt pergeret consueta meditandi, psallendique spatia peragere, quoad Maiorum imperio adactus decumberet; ac breui confectus ea febri, postquàm in eo vitæ termino amplior sese flamma, ac luce virtus explicauisset; supremum diem clausit die quinta Augusti mensis, Capuana in Domo, à qua apud exteros etiam præstantioris cuiusdam pietatis, probitatisque fama effluxit.

In fratres charita.
Abstinentia.
Orationis studium.
Assiduitas.
Atque inter preces lachrymæ.
Simul viuendi, & orandi finem facit.

Alter, qui è vita hoc anno migrauit, fuit Ioannes Franciscus Solarius, Genuensis, Cornelij germani fratris cohortationibus, exemploque ad Ordinem inuitatus exceptusque Neapoli à Beato Andrea Auellino, qui rem tunc Paulinam temperabat. Non exiguum plane egregiæ cuiusdam virtutis, solidæque probitatis documentum fuit, Auellini olim filium, eiusdem posteà rectorem, ac patrem fuisse. Placentiæ agebat Andreas, ac prouectæ licet vir sanctimonia, veluti opulentissimæ nauis gubernator eò solicitus magis, quò maiores veheret virtutum opes, cùm suo iudicio diffideret, ac tutiùs putaret alieno se regi imperio, ac nutu, circumspicere accuratè cœpit, cui se, suæquè negotium animæ crederet, ac Ioannem Franciscum Solarium, cuius indolem, exactamque prudentiam, ac rerum diuinarum sensum intimè nouerat, legit. Planè admirabili exemplo Andreas fuit, id ætatis, atque experientiæ, & qui aliorum animos egregiè procurabat, excolebatque ad omnem virtutem, ceù tùm quidem cunabula spiritus poneret, alterius se fidei committere: at Solario magnam inesse regendorum animorum peritiam, ac non publici saporis solertiam, ac vim iudicij oportuit, qui temperandas absolutissimas tanti Viri viuendi rationes susceperit. Quamquam plùs Andream Solario profuisse, quàm Solarium ipsi, putandum omninò est: regi namque Sanctissimi Viri disciplina, moresquè non poterant, nisi cum ingenti rectoris fructu, compendioque virtutis. Ergò nihil ad exactam Religiosi hominis formam, ideamque desiderari posse in Solario videri potuit. Paupertatis amor ingens. Argumento fuerit: nihil cùm è viuis excessit, sine ad cellulæ, siue ad corporis

Ioannes Fran. ciscus Solarius pie moritur.
B. Andreæ olim filius, posteà pater.
Exacta in eo paupertas.

poris cultum repertum, quo vti decenter possent alij, adeò detritæ illi vestes, ac supellex. Ad hæc, in doctrinarum studijs multus erat, vt instituendis ingenijs illum destinauerint Patres. Verùm id erat votæ paupertatis studium, vt nullum retinere in cella librum vellet, nisi quem in præsentiarum tereret. Sanè vt non statim religiosi ij viri culpandi, qui vim librorum collegerint, ijsque sua per loculamenta, classesque dispositis, splendidam quandam priuato in conclaui bibliothecam adornarint; ita magnopere dilaudandus vir studiosissimus, qui vnico libro contentus, non tàm litteris, quam quodam religiosæ paupertatis exemplo expoliret auditores suos. Aderat paupertati vnanimis comes humilitas: clarior illa quidem, ac præstantior ab eo studiorum splendore. Vilia sibi quæque officia deposcebat, ac in ijs ita multus erat, vt ostenderet profectò quantum sperneret sperni. Interdum verò ad ea se se demittebat, vt affectare videretur opinionem, famamquè stultitiæ. Innocentia prætereà, & candore vitæ illibatus omninò fuit. Tùm instituti tenax, ac disciplinæ seruantissimus; quibus ille præsidijs adeptus vitæ æternitatem est. Sed a non hic prætermittendum, quod accidisse in eius morte commentarij nostri narrant; quo compertum omnibus fuit, assertum iam Cælo virum optimum. Placentiæ morienti adfuit pijssimus è nostris Sacerdos, qui statim ac animam ille exhalauit, audire sibi visus est confligentium inter se se disceptationem, ac strepitum, putauitque quod reuerà erat, bonum, malumque genium palæstram instituisse, ac certamen de Solarij anima esse. Ergo vehementer sollicitus, incertus nimirùm, quem causa exitum habuisset, ad Præpositum adijt, rogauitque, permitteret alias præter consuetas pro eo litationes: quibus expletis, ecce tibi obiecit se se Viro Solarius, monuitque metum excutere, ac bona esse mente. Dimicasse pro se quidem acerrimè Angelos, at Tutelarem suum vicisse: proindeque potitum se iam Cælo, lustrali flamma paucas intra horas expurgatum, expeditumque. Narrauit ille, quæ viderat ad Patrum solatium; quod ipsum postea Beatus Andreas Auellinus confirmauit, qui Placentinam tùm domum administrabat, & cui idem Solarius Magistro, clientique suo spectandum se dederat.

Et humilitas.

Aliaque virtutum ornamenta.

a Tufus cap. 32. & Castel. in eius vita.

Statim à morte certamen de eius anima.

Vicit Tutelaris Angelus.

Teste Auellino.

Contigit hæc Ioannis Francisci mors Septembri mense huius anni, in quo versamur; ineunte autem vere consequentis mox anni Cornelius Solarius, germanus frater, Genuæ obijt, dum eius Cœnobij Præfecturam regeret. Lubetque fratrum hic funera coniungere, quæ paria quodammodò fecit quædam concertatio, vt modò exponemus; ac par est, vt eorum simùl obitum, adeptamque Cælo gloriam stylus narret, qui germanitate, ac virtutis cultu fuerant coniunctissimi. In Neapolitana Diui Pauli Domo nomen Congregationi dedit Cornelius prima ætatis pube, quam nullus planè infecerat illecebrarum, rerumq; secularium color; vt facilè deindè fuerit, rasam veluti tabulam præclaris institutis, ac præceptionibus imbui. Doctrinarum æquè ac virtutum percupidus, & cui seposita quædam vitæ ratio cordi erat, inter studia litterarum, ac sanctiorem animi cultum horas ex æquo diuidebat. At non illum excolendi ingenij, animique gustus affixum suis tantummodò commodis tenebat. quin proximorum etiam opportunitates curaret anxius. Ostenditque enimuerò præclarum hoc animorum studium, ac generosam in proximos charitatem popularis ea Genuensium lues. Ardentissimus in difficillima ea prouincia capessenda videri voluit. Non robustior, viresque ab assidua ingluuie acquirens pestilitas, non atrox ea rerum facies, non certum vitæ dispendium egregij pectoris impetum refrænauit; vt meritò ceu flagrantiorem consignaret vrna, ac sors, primum edidit Solarium: qui sanè non quadam contentus velitatione, ad extremum vsque morbi excursibus, vigilijs, adhortamentis, sacrorum administratione decertauit. Ac socij quidem prostrati eo malo in medio laborum cursu occubuere, adepti, vt diximus, charitatis lauream; ipse verò maior lue incolumis è medio veluti incendio emicuit, extenditque labores, ac vitam, vt palmam congeminaret. Ergò suomet martyrio, ac laureæ biennium superstes, dum Genuæ Præpositum ageret, supremo conflictatus morbo est, quo piè excessit, sed non antequam communi cum aduersario in arenam descenderit, collato cominùs pede, conflictuque planè horribili. Enimuero munitus extremis sacris, iussisque abscedere mox Patribus, vt se se paululum quieti daret; ecce audita non potest multò vox, validior quidem, ac incondita, quam minimè

Cornelius Solarius piè itè obit.

Qui antea in Genuensi lue strenue laborauerat.

In mortis articulo manus cum communi hoste conseruit.

quidem

quidem dubitarunt ab infirmo esse; attamen impar omninò exhaustisque defectisque, iam viribus visa. Occurrunt, cellam ineunt; ac eo quidem oris habitu, gestuque, Solarium reperiunt, ac si insolita cerneret, staretque iam ad diuinum tribunal. Erigere illum spe bona Patres, adhortari, vt sui meminisset, sumeretque à Diuæ Virginis, Diuorumque patrocinio animos: cùm auditus dare se in verba Vir strenuus, ac disertè respondere aduersario, qui obijcere seculi vitam videbatur. Quid? inquit, an non asserit D.Thomas, labes seculi omnes, admota veluti spongia, publico votorum Sacramento aboleri? Tùm, ceu nouam dilueret obiectionem: Non id ipse negauerim, inquit, sed confessione, iniunctoque supplicio vindicatum. Iterum, comperti accusatorem mendacij redarguit. Mentiris, ait, vt assoles: nunquam id ego piaculi admisi. Ad hoc, visus hærere, cogitabundus, dubiusque quid responderet? At oculos repentè aperiens, ac circumferens, vbi frequentes adesse Patres vidit, dimissis arbitris, vnum confessarium poscit, quo cum semel, atque iterum, ac tertiò conscientiam expiauit. Nec satis hic pugnæ. Instaurato siquidem certamine, vocatus denuò in arenam, auditusque nunc infinitam Dei bonitatem obijcere, eoque clypeo tela propulsare: nunc implorare in ea verba Numen: O Domine, iter longum est, & viam ignoro, quis deducet me? Solicitos planè diù tenuit dimicatio, addebantque vires, animosque infirmo suis precibus; etsi qui Solarij absolutissimam, exactamque ad innocentiæ amussim vitam nouerant, non dubitabant, fore, vt hostem triumpharet: vt mox accidit. Nam non ita post multò, è contractiore quodam vultu in serenitatem, tranquillitatemque se se ille induit, arreptaque Christi è Cruce pendentis imagine inclamauit: In baculo isto transibo Iordanem. Tùm iunctis, elatisque in Cælum manibus, hymnum cecinit Eucharisticum: Te Deum laudamus: ceu tùm quidem victoria potitus, artes, opesque aduersarij profligasset: obijtque post acerrimam hanc disceptationem pacatè, ac piè Cornelius, inijtque triumphali quadam morte Cælum. Quo quidem mortis genere, vt successu lætos, certosque suæ laureæ reliquit suos, ita peracerba sanè lucta monuit, neminem in difficillimo eo vitæ confinio tutum: ac peti acriùs, qui sanctiorem vitam duxerint.

Semel.

Ac iterum.

Certamen victoria excepit.

At enim continuanda adhuc sunt nostratum funera, in quibus haud grauatè quidem immoramur. Vt enim non sine quadam animi voluptate laudatissimorum hominum mors piè obita commemoratur, ita non exiguum fructus, atque emolumenti legentibus existit à præclara eorum indole ac virtutum præsidijs, quæ interim veniunt denarranda. Christophorus de Refrigeriis Mediolanensis, quem aliàs memorauimus, exuit hoc anno mortalitatē, profundè senex, hoc est, septuagenario maior; quod æui spatium, si virtute, qua vixit religiosissimè, metiare, longè prolixius fuit. Venetijs adscriptus in Ordinem, ibique solemni ritu Religionem professus, Romam paulò post immigrauit: eaque inerat illi morum grauitas, ac pietas, vt initiandum sacris ordinibus tertio à votis anno, atque intra mensem, quod insolens omninò nostris, quos nonnisi per interualla temporum, captoque diutiùs compertæ cuiusdam disciplinæ experimento admitti ad eos gradus mos est. At Christophori virtuti resigendæ leges fuere; compensauitque eximia pietate priuilegium. Enimuerò, vt aliàs adnotauimus, in diuino eo Sacrificio peragendo incredibili quodam sensu, animique cultu totus erat. Postquam operatus ad aram ipse fuerat, ministrare alijs consueuerat, idque ambitiosiùs; ita vt præriperet officium alijs. In quo quidem coniuncta videbatur insigni cum religione humilitas: quæ ipsi virtus omninò familiaris: quippe qui nil oderat certè magis, quàm in æstimatione, atque honore hominum esse, amabatque sui despicientiam vsque adeo impensè, vt id affectare maximè videretur, vt iners omninò, ineptusque haberetur. Hinc illa singularis tranquillitas, atque oris modestia, qua contumelias, ac conuicia excipiebat. Semel id sibi quidam proposuit, vt verborum asperitate Christophori patientiam, humilitatemque expugnaret; ac statim lusisse operam aduertit: quando qui malè in illum dixit, nunquam malè ab illo audijt; sed quod solenne est religiosæ demissioni, plena officij verba pro maledictis reddebantur. Composuerat nempè præclara quædam disciplina animum, eiusque impetus, ac motus, quorum pulcherrimus planè concentus externam etiam speciem conformabat; vt siue negotia pertractaret, siue sententiam priuatis, publicisque

Obijt & Christophorus de Refrigerijs.

Insignis in eo grauitas ac pietas.

Et animi demissio.

Mira in conuicijs patientia.

Ac in cæteris actibus mansuetudo.

cisque in Comitijs diceret, nihil illo facilius; inerantque verbis, ac fronti, quæ egregiam animam, pectusque adornabant, humanitas, ac mansuetudo. Paupertatem, quæ principem in nostro Instituto locum obtinet, adstrictiore quodam studio coluit.

Paupertas.

Supellex in cellula, non quæ non superflua, sed quæ nec sufficeret. Vnicus in ea liber, quem commutabat, postquàm percurrisset. Victu modicus, ad exactæ cuiusdam abstinentiæ regulam. In Diuorum peruigilijs vix exiguum quid obsonij deuexæ iam ætati indulsit, idque pro seueriore Moderatorum imperio. Aduersus Diuos obseruantia cùm præstaret, tùm in Apostolorum Principes Petrum, & Paulum ardentiore quodam affectu ferebatur. Dum Venetijs ageret, id illi vehementissimum planè votum erat, vt fieret adeundi Romam, ac Sepulchra Apostolorum inuisendi facultas. Quod vbi impetrauit, illud ad eximiæ, robustæque pietatis specimen addidit, vt longum iter pedes conficeret. Admirandum id sanè in homine, cui non ea erat firmitas laterum, ac virium, vt instituere laboriosam peregrinationem posset; fuitque enimuerò robustior valetudine religio, & qui inerat cordi eximius vigor, visus in gracile corpus transmitti. Iam egregius illi in proximos ardor: aderat consilio, manuque, etijs libentiùs, quos ex vltima quidem sorte maior premebat inopia. At nullum ardentius in eo studium, quam in solutas iam corporis vinculis animas, reuinctasque in Purgatorij custodijs nexu tenaciore. Moneri profectò à suomet cognomento videbatur, vt à flammis laborantibus refrigerio esset: proindèque pro i s fermè preces eius omnes, ac corporis afflictationes. In Sancti Syluestri cœmeterio ita assiduus erat, vt magnam diei partem quà lachrymis, qua voce earum causam perorando, in eo insumeret. Viuere planè videbatur, si cum defunctis moraretur, funderetque pro iis preces. Statim ac aut Quirinalem Domum adiret, Gregorius Pontifex, aut illùc pertransiret, aderat Christophorus, deiectusque in genua, pro mortuis supplicabat. Notissimus ab hoc genere pietatis Pontifici erat, qui elargita confestim indulgentia, defunctorum animas iuxtà, & earum interpretem recreabat. Neque prætermittendum hic, superiore illum lumine non caruisse, quo futura etiam prædiceret. Quod cùm aliàs declarauit, tùm maximè in grauissimo cuiusdam è nostratibus morbo, de quo cùm seuerè iam medici pronunciassent, ac fore vt ægrotus non videret diem crastinum, constanter assererent; ipse restituendum saluti hominem disertè affirmauit, diemque ipsum, quo lecto surgeret, designauit: respondit-que ad vnguem prædictioni euentus. Atenim exhaustum assiduis iam laboribus Christophorum, vrgente præsertim æuo, supremus inuasit morbus, cui non statim dedit manus vir strenuus, & qui corpore, non animo consenuerat. Suadentibus quidem medicis, vt decumberet, magnis se destineri curis, respondebat. Curæ autem in eo senio illæ erant, Missæ Sacrum celebrare, celebrantibus ministrare, cœmeterium de more genibus terere. Verùm, quæ suprema est necessitas, decubuit. Nec defuere tum quidem virtutum exercitationes, ac documenta. A febri accerrimè æstuanti mali punici desiderium subiit; allatum statim recusauit, libauitque Domino ea fragmina, quæ melius gemmascerent Auctori suo. Addictus verò intentiùs diuinæ litationi, eo tempore, quo ægrotauit, id vehementer doluit, non posse ad aram sisti: allatoque Missarum Codice, vnica, atque ingens voluptas erat, illum peruolutare ac legere; quod vbi morbus interpellauit, succedere vicaria prælectione alium iussit, vt eo quo posset modo ad extremum vsque vitæ Sacrificium obiret. Inter hæc expiatus Sacris, in salutaris ligni complexu pijssimè decessit; illatusque est Cœmeterio, quod mora, precumque assiduitate adeò sibi domesticum, suumque iam fecerat.

Abstinentia.

In Diuos pietas.

Religionis ergo Romanum iter pedes intendit.

Precipuum illi studium in defunctorum manes.

Futura etiam præuidet. Castald. in Quinquag.

Supremè decumbit nō sine virtutis documento.

Ac piè moritur.

Maturis planè, cùm annis, tùm virtutibus excessere hi, quos diximus. At sarciendæ huic iacturæ haud parcior fuit Dei manus. Nam hoc maximè tempore amplificari familiam contigit, ac nonnullos præcipuè, qui illam iniere, non vulgaris quædam indoles commendauit. In ijs fuere Vincentius Pagellus, Vicentinus, qui Sanctissimum Parentem Caietanum Thieneum, popularem suum, propioribus exprimere lineamentis, hoc est, obseruantiore quodam vitæ cultu studuit. Patauii Ordini se mancipauit, emensis iam in ea Academia Iurisprudentiæ spatiis, non sine laude ingenij; accessitque profectò Sodalitati excellentis Vir spiritus, & ad religiosam quandam

Institutum capescit Vincentius Pagellus.

Eximiæ vir virtutis.

dam solertiam, aliorumque institutionem factus; vt multum sanè debeat sedulæ huic virtuti, studioque educata ad præcipuam morum formam Iuuentus Theatina. Antea nec magno quidem interuallo vota Neapoli nuncupauerat Hieronymus Lanfrancus, florente nimiùm ætate, ac indole. Adolescentem vt modestia, ac cætera planè virtus, ita præcox ingenium ad inuidiam exornabat. Citatissimo siquidem Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ cursu eò statim euasit, vt antequam Sacris initiaretur, hoc est, intra annum primum, & vigesimum, dignum existimauerit Andreas Auellinus, qui has ipsas disciplinas alijs traderet: professusque ea studia est insigni cum eruditiorum hominum admiratione, atque admurmuratione, qui maturam in eò æuo doctrinam deprædicabant. Valuitque prætereà dictionis gratia, ac vi; vt antequàm consecratus Sacerdotio esset, publicas habere conciones iussus ab eodem Andrea Auellino fuerit, qui has egregij Iuuenis dotes singulari quodam affectu prosequebatur. Hunc postea præmaturum etiam fatum abstulit, vt dicemus. Romæ verò, reuersus sub id tempus è Gallia Thomas Godduellus Matthæum Cudner, hominum item Anglum, reperit, illumque suis adhortamentis, exemplisque nostræ Sodalitati peperit. Genere is erat cum paucis nobilis, sed illustri Romanæ fidei confessione nobilior planè fuit. Tentatus quippè minis, fortunisque omnibus expol atus ab impia Regina, ab eius se tandem rabie fuga proripuit, Romamque appulit, cuius egregiè religionem, & iura, maiestatemque propugnauerat. Attulit Ordini præter ingenuã, natiuamque genij bonitatem, & grauiorum disciplinarum adiumenta, quendam etiã humaniorum litterarum florem, vt æquare eius æui viros celebriores videretur. Græcè siqnidem, an Latinè doctior esset? non satis liquidò constabat; adeò vtriusque facundiæ, ac linguæ callebat articulos: cùmque valeret prosa oratione plurimùm; tùm ipsa poesis expolita ad limam elegantioris ac purioris musæ videbatur. Planè non exiguæ nostris adolescentibus vtilitati fuit, operam tanto præceptori aliquando dedisse. Huic posteà facta à Romano Pontifice amplissima facultas fuit, peccata Anglis suis vbique terrarum, ac gentium relaxandi, eosque, si qui lapsi in hæresim fuissent, in Catholicæ Ecclesiæ communionem, sinumque afferendi: fuitquè enimuerò ad suæ Gentis pietatem siue tuendam, siue instaurandam egregiè animatus.

Et Hieronymus Lanfrancus. *Excellentis ingenij,* *Ac Eloquentiæ,* *Et Matthæus Cudner Anglus.* *Fidei Confessione* *Et præsidio litterarum.* *Præcipuè humaniorum insignis.*

Iam verò Mediolanum excurrat narratio, vbi celebrata hoc anno generalia comitia fuere, lectoque, qui ijs præesset, Vincentio Masso, sancita pleraquè ad instituti conseruationem, ac tutelam reperimus. Præcipuè cùm frequentes iam in Ordinem Scholæ cœperint institui, plures de studiis habitæ consultationes. Data quędam à communi psalmodia immunitas, ne deficeret Scholasticos tempus: cautumque, ne cùm professores, tùm discipuli vltra studiorum lineam, cursumque vocationem hanc protraherent; neue concessum litteris tempus aut otio, aut nugis tererent. Religio planè est, diei particulam, quæ à sacris, choroque præciditur, ignauè, aut ineptè perdere. Tùm alia de Scholastica pube in officio continenda prudenter iussa; vt quorum mens studiorum occupationibus diuulsa, disciplinæ contentionem, neruosque remeittre ex facili potest. Ad hæc moniti Visitatores, vt in domorum inspectione cellulas potissimùm fratrum intrent, lustrentquè accuratè, nequid superflui cultus irrepserit, luceatque accersita in sacris imaginibus, librisque nim a mundicies, ac pretium. Id quod cautum seuerè posteà est in nostris Constitutionibus. Et verò, vt nihil à Theatina paupertate abhorret magis, quàm nitere ornamentis hisce cubicula, ita princeps ea Patrum cura semper fuit, vt istiusmodi quæsitus splendor, nugæque facesserent. Ac visi obstare strenuè principijs, ne serò saperent, robusta item consuetudine. Surgit nempè à leuioribus grande malum. Atque ab his certè initijs, ac rudimentis cœpere, quæ modò non sine stomacho in quibusdam Religiosorum hominum conclauibus cernimus; vt quà picturis exquisitis, auro etiam cultis, qua peregrino horologiorum opere, quà vermiculatis ebore scriniolis, aliaque procurata ambitiosiùs supellectili, quam semel, ac ritè vouere paupertatem exulare à se iusserint. Absit, vt isthæc subeat lues Ordinem: abundè nitebimus, si nitebit in propriis bonis paupertas. Illud item opportunissimè decretum in hoc Capitulo fuit, vt qui communis mensæ, choriquè obire obseruantiam, aliaque Ordinis munera, functionesquè nequiuerint, ij in vocalium numerum ne adoptentur. Itemque si qui ex vocalibus eadem

Mediolani Capitulum generale. an. 1582. *Concessa Scholasticis à choro exemptio.* *Ne quid superflui Cultus in cellis niteat, cautum.* *Quam stauit dissentaneũ ornari magnifice religiosorũ cubicula.* *Decreta item quędam de communi obseruantia.*

eadem hæc onera non subiuerit, is nulla fungi Præfectura posset. Bonum factum. Nam qua ratione regulares mores rexerit, aut emendauerit, qui exacta disciplinæ obseruantia facem alijs non præluxerit? Alia itidem sapienter statuta de nouitiorum receptione; de concionibus tempore, ac loco habendis; de infligendis pœnis; postremò de honesta animi relaxatione cùm intra, tùm extra domum; quæ sanè vt remittendæ aliquantisper exercitiorum contentioni, reparandisque ab integro viribus perneceſſaria; ita perscribendus omninò modus, ne peccet licentia, soluaturque morum rigor. Decet nanque maximè Religiosos viros, vt inter ipsa hilaria modestia, grauitas, disciplina seruetur: ita vt non abijci, ac poni, sed exhilarari duntaxat seueritas videatur. Porrò in perscribenda hac animi remissione interdictum calculorum siue latrunculorum ludum Patrum consulto fuisse, nostræ litteræ commemorant. Id quod noluimus dissimulasse, vt minutiora etiam aliquando inseramus, ac perspectum nobis sit, quàm accurati Maiores nostri fuerint, qui honestissimos etiam, & grauissimos lusus expenderint, ne curas intendat, quod leuare debuerat. Enimuerò non alio id consilio cautum putamus, nisi quod peracrem quandam vim mentis, studiumque cùm requirat hoc ludi genus, nec animum, nec corpus vegetet, recreetque: quin etiam continuato ingenij labore, defatigari magis spiritus contingat, quos feriari oportebat, ac lenioribus omninò exercitijs, otioque interiungere. Ita sanè; ac nihil tam serij est, quod attentionem adeò rapiat, defigatque, quàm hic ludus, planè non ludus; vt quicquid animo à curis grauioribus facultatis, vigorisque reliquum fuerit, videantur ludentes, certantesque hi calculi exhaurire. At enimuerò, quod vsus posteà comprobauit, consentaneum apprimè religiosis moribus ipsum esse: nam silentio, seceſſuque res agitur; estque à studiorum, grauiorumque munerum assiduitate quoddam vtcumquè auocamentum, quo tempore; bis nempè in mense extra Quadragesimæ ac Dominici Aduentus tempora, relaxandus animus est, permissum iterùm, exerceri: oblectatque plerosque vehementer id pugnæ simulacrum, vbi ludunt acriter ingenia.

Præcipuè de animi relaxatione.

Vetitus calculorum ludus.

Qui posteà inductus.

Mediolani, vbi hæc habita Comitia fuere, agebat Hieronymus Ferrus, iam inde ab anno huius seculi septuagesimo secundo, dederatque decem ipsos annos egregiam planè operam Carolo Cardinali Borromæo, qui solida Viri eruditione, atque insigni animi solertia perspecta, in grauissimis eius Ecclesiæ negotijs, curisque regendis vsus fuerat. Et ipse quidem ea sapientissimi Cardinalis, aliorumque clarorum hominum consuetudine vsque adeò prudentiam expoliuerat, vt valere singulari quadam facultate in rebus agendis, curandisque Ecclesiarum momentis sermo percrebuerit. Eapropter Nicolaus Sfondratus, Cremonensis Episcopus, excitatus Viri fama, id egit cum Patribus in Mediolanensi Capitulo coactis, vt Ferrus, qui tandiù inibi hæserat, Cremonam se conferret; impetrauitque consensu, nutuque præsertim Borromæi, qui vt ægrè diuelli à se illum ferebat, ita egregios viros, quorum ipse excellenti opera vtebatur, aliò instituendis mortalibus, excolendæque religioni euocari, maximopere gratulabatur. Cumulauit ille præsentia famam suam: & acceſſisse suis consilijs, reiquè Cremonensi præclaram quãdam mentem, quæ regeret, vsu didicit Sfondratus. Incorruptam siquidem animi integritatem; zelumque, ac rerum vsum statim illi probauit Ferrus, valuitque ijs virtutum præsidijs ea apud Antistitem auctoritate vt nihil non cum eo curarum publicè, priuatimquè communicaret: adeò vt quæ ad Ecclesiæ temperationem pertinerent, id probare ipse, aut improbare videretur, quod probauerat ille, aut improbauerat. Quocirca euectus consequenti mox anno ad Purpuram, cùm Romam galeri insignibus honestandus concederet, non alium, qui vices suas, ac Infulam Cremonæ administraret, relinquere opportuniorem posse apud animum suum reputauit, quàm Hieronymum Ferrum; nempè penes quem iam erat rerum summa, & qui curas non tàm capeſſeret, quàm continuaret. Sed de his in tempore.

Hieronymus Ferrus.

Borromei cõsuetudine ad omnem prudentiam expolitus.

Acceſſitur a Sfondrato Cremonam.

Temperandis ijs curis.

Quas paulò post Vicario munere administrat.

Neapolim hoc anno Maiorum nutu reuertitur Andreas Auellinus, expleta Placentina Præfectura; exceptusque cùm à nostratibus, tùm ab exteris singulari quodã studio, plausuque, ceu sanctimoniæ, ac virtutum omnium exemplar; excitauitque eius statim præsentia, ac vsus mirabiles animorum motus, eximio cum fructu pietatis.

Neapolim reuertitur Auellinus.

Exceptusque omnium graduum sensu. Enimverò confluere auidiùs omnis ordinis Viri, ac fœminæ, vt eius præceptionibus, ductuque vitam instituerent: creuitque breui numerosior ea clientela, vt excipiendis confessionibus, promouendæ adhortationibus pietati, inuisendis decumbentibus, alijsque charitatis operibus obeundis deficeret flagrantissimum, atque in proximorum salutem intentissimum senem tempus. Assiduus maximè in demetenda segete vitiorum, reuocandisque ad frugem nefarijs mortalibus fuit: peculiari siquidem Dei munere valebat in scelera, vt nullum omninò esset deuotum criminibus pectus, quod sua dicendi vi, ac ipso vultu ardentiore euerberatum, non frangeret.

Totus animorum procuratione est.

Aduenisse Neapolim Auellinum gratissimum præsertim accidit Marco Palescandalo, qui Paulinum tùm Cœnobium moderabatur, & qui nouerat, quàm necessaria frequentissimæ nostræ Ecclesiæ esset tàm seduli administri opera; præsertim cū præter domestica, ac nostra, externa etiam essent procurāda. Ac sub id maximè tempus conuellenda quædam errorùm semina fuere, quæ facilè perniciosam in frugem pullulassent, nisi nostratum nauitas egregiè accurrisset, comprobassetque veritatem Deus ipse luculento miraculo. Cui potissimùm ex nostris adscribendum opus fuerit, incōpertum nobis est; putamus autem Palescandalum præ alijs ea in re bene operam posuisse. Proiectæ vir impudentiæ fuit è Sacramentariorum schola, cuius adeò caligo mentem obuelauerat, vt negaret in augustissimo Eucharistiæ Sacramento vnà cum Christi Corpore adesse etiam sanguinem; iamque spargere in vulgus, ac dissiminare callidè impietatem occœperat. Insitum, ac penè hæreditarium nostris hominibus est, istiusmodi detegere nebulonum mendacia: propagato scilicet à Thienæo, ac Paulo IV. Pontifice, nostri Ordinis Conditoribus quà vestigandis, quà profligandis hæresum monstris genio. Odorati porrò scelus nostrates, per eius statim vestigia ad auctorem ipsum peruenere; atque ea quidem sedulitate, zeloque rem gessere, vt breui, atque opportunè consultum crescenti malo fuerit; impietate, ac nefario veteratore vindicato. Non altiùs, neque fusiùs narranda res est; Sed eò confestim stylus admouendus, quò ingens miraculum vocat. Diuina siquidem bonitas, ne qua eius impietatis inhæreret in piorum animis labes, abstergere erroris dubitationem omnē admirabili euentu voluit. Dum enim curabant hæc nostri, Vir quidem summè improbus, ea nimirùm Sacramentariorū perfidia delibutus, ausus ad sacram Synaxim accedere: diuinum vix epulum sumpsit, cùm egestum impio ab ore, in sudariolum reposuit: quod vbi mox reuisit, ecce tibi viuido quodam sanguine salutaris ea hostia purpurascens, eodemque item cruore illitum, respersumque sudarium. Manante diuino eo sanguine non potuit adamantinum Viri pectus non effringi. Nec mora. Facti conscientia, ingentique perculsus metu, Carolum Baldinum, Virum doctum, sedulumque Sacræ Inquisitionis administrum adit, qui deferendā ad Diui Pauli Cœnobium cruentam hostiam, remquè cum Marco Palescandalo Præposito, quem experientissimum perindè, ac doctissimùm nouerat, communicandam censuit. Ea vtriquè fuit sententia; fore grauissimum negotium Romam transmittendum, consulendosquè supremos S. Officii Censores, quid ipsi ea super re agerent, vt conscientiæ, quietique viri, quem sceleris iam pœnituisset, prospicerent. Interea verò temporis silentio opus esse existimarunt, ne lædi famam, nomenquè eius prodi contingeret, qui suum iam ciierauerat crimen. At non hæc supremo Numini mens fuit: quippè quod sanari pleraque animorum vulnera eo sanguine cum constituisset, enulgari facinus, ac miraculum voluit, eòque statim percrebuit, vt nullus iam frequentior esset apud Neapolitanos sermo. Planè adesse sub iis Eucharistiæ speciebus corpus, & sanguinem Christi, comprobatum id genus miraculo non semel fuisse, historiarum monumenta produnt: Et nos supra cùm de Paulo Pontifice IV. ageremus, meminimus, insigni in Polonia prodigio effluxisse è sacra hostia sanguinem, cùm maximè hæreticorum commentis lusa Polonorum natio, fauere Sacramentariis videbatur, ac negare, esse sub speciebus panis Christi sanguinem. Iam, Romæ agitata quàm accuratissimè causa fuit; visumque, aliquem compertæ integritatis, doctrinaque virum Neapolim amandare, qui rem coram inspiceret, reuocaretque ad examen factum, atque exploraret, an qui illud conscivierat, seriò ad pœnitentiam, frugemque redijsset, vt adesse præsenti medicina, ac ope malo posset. Igitur destinatus Cæsar Baronius, ex Orato-

Sacramentarij impietas detecta a nostris, ac profligata.

Abrasum errorem miraculum excepit.

Manante ab sacra hostia sanguine.

Quæ hostia in Paulinum Cœnobium defertur.

Monitis Romanis S. Officij Cēsoribus

Enulgata interim res.

Cui explorandæ, destinatur Cæsar Baronius.

Oratorij Congregatione fuit; morum, ac eruditionis præstantia celebris iam tùm Vir, posteà verò Purpura,& qua purpuram nobilitauit,Annaliũ scriptione celeberrimus.Is opportunis instructus monitis,profecturus Neapolim, non alio vti contubernio iussus est à Gregorio XIII. quàm Paulino,vbi asseruari cruentam hostiam nouerat; nec latebat,adesse inibi viros doctos,qui eius diligentiam,ac studium iuuarent. Exceptus humanissimè à nostratibus Baronius fuit, qui ea statim, qua valebat prudentia, audito Carolo Baldino, adhibitoque Palescandalo nostro, qui operam in grauissimum negotium conferret, breui, ac summa quidem clementia, ac benignitate ad Sacræ nimirum Inquisitionis,Romanique Pontificis præscriptum, rem explicauit, secreta eius abiuratione, qui piaculum admiserat,dolebatque intimè. Qui vna cum Palescandalo rem confecit.

Neque prætermittenda hic silentio est eximia Philippi Hispaniarum Regis pietas. Allato siquidem in Hispaniam eius rei nuncio, mirum quo affici sensu visus est. Verebatur maximè Rex religiosissimus, ne aliqua Neapoli Nouatorum Secta excitaretur, proserperetquè; & qui nouerat quanta cum Belgicæ religionis, ac Ditionis clade ea hominum natio succreuisset, metuere florentissimo Regno vehementer cœpit. Litteras ad Ioannem Zunicam, qui Neapolitanæ Præfecturæ vices tunc administrabat, confestim dedit, iussitque striĉtiore quodam imperio, quàm cùm maximè, vt quàm primùm summa fide ea super re ad ipsum perscriberet: nam si id posceret negotium, non dubitaret, fore, vt ipsemet restinguendo malo, antequàm crescerent vires, coram adesset. Zunica nihil moratus, Ioannem Baptistam Tusum, Virum ex nostris multis animi opibus spectatum, & qui vocatus in eius præsertim facti consciẽtiam fuerat accersit. Quid Philippus efflagitaret, quo animi sensu, studioque, aperuit: ac professus sincerè est, se quidem diù operam Regi nauasse; cùmque maxima sæpè curari momenta oportuisset, numquam efficaciora ab eo mandata accepisse. Ad hæc Tusus, illud vnius duntaxat capitis scelus fuisse, ac seriò vindicatum affirmauit; ac virum quidem Sacramentarium, qui adesse in Eucharistico pane Christi Sanguinẽ negabat, quippe numerosa capitum sobole euadere in hydram potuisset, profligatum iam antea, confectumque nostrorum hominum opera fuisse: quo gratulatus maximoperè Prorex ingenti quidem cura,ac solicitudine exemptum iri eo nuncio Regem dixit. Principum nempè præcipua cura, religio; quæ vbi tralatitia apud ipsos fuit, transferri imperia,ac regna contigit. Porrò Baronius functus eo munere peregregiè, Romam rediit, ac Pontificem postquam rei gestæ singillatim admonuit, plura de nostratum humanitate addidit, ac Theatinos mores, exactasque viuendi rationes apprimè commendauit. Cœptum verò tunc à nostris cum Baronio agitari de fundanda Oratorij Congregatione Neapoli, dicemus sequenti anno cùm rem fusè explicabimus. Philippi Hispaniarum Regis religio. Baronius Theatinam disciplinam apud Pontificem commẽdat.

Interim non dissimulabimus iacta à nostris hominibus quædã excitandæ item Neapoli Barnabitæ disciplinæ semina hoc anno fuisse. Euocati Melitam fuerant præstãtissimæ eius Congregationis Patres Catiliani Casati Mediolanensis, è nobilissimo eo Melitensium Equitum Ordine Commendatarij, Viri eximiè pij opera, vt Sodalitium ea in Insula excitarent vbi veluti in palæstra virtutis ad omnem religionem præclara eorum institutione Equites exercerentur. Intelligebat nempè Casatus, admodùm opportunum fore, si distractis ad militares curas, ac maritimas excursiones viris, cùm à longissimis se se velificationibus domum recipiunt, esset sanctioris cuiusdam disciplinæ locus, vbi animum recolligerent, compensarentque aliquo virtutum interiorum cultu dispendia pietatis. Ergo ex ijs S. Pauli Decollati Regularibus Clericis allegati ad id operis fuere Paulus Mallettus, & Antonius Marchesius, qui Neapolim vbi peruenissent, rectà nostrum Sanctorum Apostolorum Collegium petiere, exceptique religiosi hospites à Felice Barilio, qui tùm domum procurabat eximia quadam voluntatis significatione, ijsdem charitatis officis, ac si nostratum par aduentasset. At enim, quòd hyeme appetente iter instituissent, infestumque haberi hyberno iam sydere, cœloque mare occœperat, consistere diù Neapoli, ac nostro vti contubernio Barnabitas Patres oportuit. Quocirca Barilius, cui præclarum amplificandæ Neapolitanæ pietatis studium semper fuit, vt in loco meminimus, cùm de Con- Patres Barnabitæ Melitam proficiscẽtes. Excipiuntur Neapoli in SS. Apostolorum Domo.

stantia Caretta egimus, non hanc sibi præterlabi occasionem voluit, ac proponere ijs Patribus instituit, fore quidem suo ipsorum Instituto consentaneum, Neapolitanis verè percommodum, si domicilium inibi figerent. Neapolim vt complecti peramanter, ita & fouere munificè Religiosos viros consuescere. Hanc si ipsi mentem semel concepissent, non defuturos, qui opus ex animo proueherent, ac Theatinos quidem omni ope conaturos, vt opportuna contingeret sedes. Insedit in eorum animis altiùs hæc Barilij, aliorumque subindè ex nostratibus adhortatio; quòd intelligerent, id cum sui Ordinis dignitate fieri, nec dubitarent in amplissima; ac pijssima Ciuitate successum rem non habituram; nostrorum præsertim opera, quos nouerant, valere cum ea nobilitate plurimùm. Quam postea illorum spem Melita redeuntibus, eodemque in Sanctorum Apostolorum Cœnobio, eadem nempè cum humanitatis significatione exceptis, repetita Patrum adhortamenta egregiè confirmarunt. Et quidem ea mente in Patriam rediere, vt cùm primùm se se daret occasio, Neapolim fundando Cœnobio reuerterentur. Quod nonnisi aliquot post annis contigit; ac tùm quidem, cùm plerique ex nostris id operis curauerint, tùm maximè Iustinus Barnaba, Vir non vulgaris apud Neapolitanos existimationis, cum nobilibus è Portæ Nouæ Sedili egit, vt Aedem Diuæ Mariæ in Cosmedin quæ in ea Vrbis regione est, & quam à Porta Noua appellant, potirentur; vbi hodieque degunt insigni cum populorum compendio, atque incremento pietatis.

Agitari à nostris de Neapolitano eorum domicilio cœptum.

Quod postea contigit.

Adnitente maximè Iustino Barnaba ex nostris.

Trahitur modò Romam narratio, vbi perampla hoc anno Aedes accessere nostro Ordini, frequentissima in Vrbis parte ad celebris Cœnobij, Templiquè ædificium. Opportunè id quidem nostræ industriæ, quæ vt maximè Quirinali domicilio desudaret, non illam tamen demetere segetem poterat, quæ par esset conatibus; situ nimirùm, vt aliàs diximus ab hominum celebritate seiuncto, ascensuque non ita molli, vt postea vidimus, consequentium Pontificum magnificentia, quorum planè studium in id potissimùm intendisse videri voluit, vt actus fere in planiciem Quirinalis cliuus ad inuidiam cæteræ Vrbis, quà splendore, ac amplitudine molium, quà deliciarum Prætorijs, quà incolarum numero floreret. Igitur nobilissimæ in paucis fœminæ, Constantiæ Piccolomineæ Aragoniæ liberalitate conspicua, ac recens hæc Romæ Sedes, quam imus narratum, nostris contigit. Fuit hæc è Summorum Pontificum Pij Secundi, & Pij Tertij domo, vnica Innici Amalphitanorum Ducis vltimi soboles, Dux & ipsa Amalphis, Capistrani Marchionissa, Celani Comes, titulis, affinitatibus, splendore opum longè ornatissima; sed cui à concentu virtutum, pietate in primis, animique magnitudine magnificentior planè laus. Nupta Alphonso Piccolomineo gentili suo non quidem auspicatò fuit. Nam qui erant Mariti mores, nunquam cum elegantissima, ac prænobili Constantiæ indole conuenere. Quare abrumpi contubernium, communemque inter Coniuges vitam oportuit. Et Constantia quidem Neapoli Romam petijt, reditura ad Coniugij leges, postquàm mutasset mentem, moresque Alphonsus. Romæ nostratum opera lustrandæ conscientiæ vti voluit; insigni quippè beneuolentia Theatinum Institutum complectebatur; lectusque statim ab ea fuit, qui aures confessionibus daret, pietatemque, ac vitam in spiritu regeret, Innocentius Palescandalus, qui tunc Sancti Syluestri Domum moderabatur: cuius planè ductu, assiduisque officijs cùm virtutes in eo omnes excreuere, tùm adaucta mirificè est eius in nostrum Ordinem humanitas. Quocirca id egregiæ mentis concepit, vt opportunior Clericis Regularibus in Vrbe domus contingeret, & quam Neapoli arcam tanto cum affluxu fidelium, communisque religionis commodo tererent, eandem Romæ consequerentur, deriuarentque eximios labores suos in multitudinem, ac publicum documentum. Piccolomineorum Ædes in Vrbis penè meditullio erant, in platea, quam à Senis appellant, magnificæ illæ quidem, at laxæ, fuerantq. Maximi olim Pontificis Pij II. Has illa facere ad nostri maximè Instituti rationem censuit, addixitque magnifica quadam animi destinatione. Verùm, quod tripartitò Domus diuidebatur, ac nonnisi in tertiam ipsa partem hæreditario iure successisset, coemere duas reliquas, ad alios item Piccolomineos spectan-

Fundatur Romæ Domus altera.

Constantiæ Piccolomineæ Amalphis Duce beneficentia.

Studiosissima nostri Ordinis Constantia.

ſtantes, ſtatuit. Quod vbi, perſoluto non modico quidem ære, confecit, ineunte hoc anno menſe Ianuario Sancti Syluestri Patribus, conſignatis publicis tabulis, dono dedit; ea quidem lege, vt celeberrimo in eo ſitu Templum excitarent Diuo Andreæ Apoſtolo, quem ipſa principe cultu venerabatur, quippè cuius magni Cineres Amalphitana in Ciuitate condebantur. Inita confeſtim à noſtris poſſeſſione, nonniſi duos poſt annos agitari de ædificio, Sacroque Diuo Andreæ Templo conſtruendo cœpit: ac tùm quidem obiecere ſe ſe difficultates, ac moræ. Tenuerant iam diù Domum Seminarij Romani iuuenes, quorum educationi, ac diſciplinæ præerant Societatis Ieſu Patres, qui moniti, vt deſtinatas diuino cultui, regularique inſtituto ædes cederent, nectere longiores moras cœpere, cauſati, percommodas ſitu, ac amplitudine eas eſſe, nec reperiri conductitias Romæ domos, quæ numerum tot adoleſcentum caperent. Et valuere apud Gregorium Pontificem eorum preces, adnitente præſertim Cardinali Sabello vti Pontificis Vicario, cuius in fide, ac tutela Romana ea Seminarii pubes erat. Sed elato mox Gregorio, qui ſucceſſit Sixtus Quintus, vbi ſupplicatum ea ſuper re à noſtratibus fuit, litem iis incredibili voluntate adiudicauit; decreuitque, vt cederent ſtatim ſuis dominis ædes: Patres verò Societatis aliò inſtituendæ iuuentuti commigrarent. Non deeſſe ampliſſimas Romæ domos, & quando vna minimè ſufficeret, plures iungerent, laxarentque ad alumnorum numerum contubernium. Itaque excedere ea Sede oportuit, immiſſique in Piccolomineorum domum noſtri homines fuere, qui ſtatim exigua quadam pro modo Eccleſia in eius atrio Diuo Andreæ Apoſtolo dedicata, exactiſque ad Theatinum morem conclauibus, habitare, atque exercere inibi diuinum cultum ipſo Diuorum omnium peruigilio anno voluentis ſeculi octuageſimo ſexto cœpere. Ac fauſtum profectò id initium videri potuit ab ingenti confluentium Romanorum gratulatione, ac plauſu, qui addi id loci Templum, Romanæque pietati procurandæ eò acceſſiſſe Clericos Regulares, Singulari quodam affectu, ac voluntate comprobarunt: cumulauitque munificè eius diei celebritatem Sixtus Quintus, qui vt conſignato Pontificio diplomate nouæ Domus conſilium probauerat, ita ad inflammanda vehementiùs populorum ſtudia ampliſſimam noxarum veniam Templum ea die inuiſentibus eſt elargitus. Conſecratam verò ſolenni ritu eam Domum nulli gratius contigit, quàm Conſtantiæ Piccolomineæ, quæ donauerat, cernebatque Satis pietati ſuæ factum iis Templi rudimentis, quæ ſperabat fore, vt in ampliſſimam aliquandò Baſilicam exurgerent. Creuitque poſteà piiſſimæ Principis voluptas, animique ſenſus, cùm inſigni noſtratum ſolertia adminiſtrari ſtrenuè Sacramenta, inſtitui publicis concionibus populos, reſonare aſſiduà Odeum pſalmodia, ac florere eximio cultu, nitoreque locum vidit: vtque & nouis beneuolentiæ argumentis obſtringeret Patres, & Sacræ Ædis pietatem amplificaret, ſpinam è Chriſti Redemptoris ſerto, quod eius olim cruentauerat caput, & B. Apoſtoli Andreæ dentem, hæreditaria nempè, ac pretioſa ſuæ Domus pignora dono dedit.

Domos Piccolomineas noſtro Ordini attribuit.

Excitandæ Diuo Andreæ Aedi.

In poſſeſſione ineunda moræ à Seminario Romano.

Sixto V. Pontif. diremptalis fuit.

Ac iniere domum noſtri.

Cócinnato inibi Templo.

Iis auſpicijs adfuit cæleſtibus donarijs Sixtus Pontifex.

Gratulatã nouam Eccleſiã Conſtantia.

Sacris lipſanis adauxit.

Iam verò, ne Romanæ huiuſce Domus fundationem attigiſſe vix ſtylus videatur, proſequi & eius incrementa pretium nobis eſt. Igitur pro loci frequentia, ac celebritate fidelium ampliari ſucceſſu temporis Cœnobium, Templumq; oportuit; coemptæ proindè eorum ſubſtructioni attiguæ domus. Quæ verò ad magnificentiam, ſplendoremque loci facere quàm maximè videbatur, ea erat ſacra Diuo Martyri Sebaſtiano, Aedes, quæ proximè adiacebat. Vetuſtiſſima illa quidem, quam ſi demoliri contigiſſet; præterquàm quod Templo amplificando non minimùm accederet ſpatii; tùm nobilis quædam area explicaretur pro Aede ſacra, reſpiceretque Eccleſiæ facies celebrem Vrbis viam, quam Pontificiam appellant. Supplicatum hac de re Sixto Pontifici fuit, qui, vt erat noſtri Ordinis ſtudioſiſſimus, poſtulatis ſtatim annuit: obſignatiſque Pontificiis litteris, facultatem, ac ius eſſe noſtris voluit, Diui Sebaſtiani Aedem diſiiciendi, modò intra nouum Diui Andreæ Templum eius aram Principem complecterentur, excitarentque inibi inclyto eidem Martyri Sacellum. Quod factum ad vnguem; ac prætereà, quæ inibi erat cloaca, in quam fertur exhauſtum ſagittis coniectum D. Sebaſtiani corpus fuiſſe, indèque à Lucina, nobiliſſima Matrona, ab eo monita extractum, incluſa item intra Templi ſepta fuit, extatque in

Amplificatũ deinde Templum.

Diſiecta D. Sebaſtiani Aede.

Cui dedicatũ Sacellũ in eo Templo fuit.

 eo

eo Sacello, quod Maffæus Cardinalis Barberinus, posteà Vrbanus Pontifex Octauus visus Pontificiæ cuidam magnificentiæ prolusisse, sumptiosiùs exornauit; cultu marmorum, curiisque artificum Gente Barberina planè non indignis, vel postquàm accedente Pontificia Infula priuatam fortunam splendoremque excessere.

Barberina Magnificentia in Sacello exornando.

Piccolomineæ pietati, ac munificentiæ accessit non ita post multò liberalitas Alphonsi Cardinalis Iesualdi, Neapolitani, Viri vt è principe Domo, ita & principalibus, regijsque virtutibus instructi. Enimuerò singulari quadam mentis celsitudine construendum sibi nobilissimum ædificium à fundo suscepit: obligataque Patribus publica fide, cùm ad areæ, animique amplitudinem delineandum schema, formamque operis curasset, inchoata faustè Basilica est; eò quidem flagrantiùs, quod inter operosiores Vrbis structuras, non vltimam planè fore hanc Diui Andreæ molem ipsa descriptio, ac lineamenta pollicebantur. Primarium ipsemet lapidem iecit, Gregorij XIV. Pontificis nomine, qui facultatem, datis breuibus litteris fecit; addita exaugendæ pietati munificentissima cælestium munerum erogatione fidelibus, qui iaciendis ijs ritè fundamentis adessent. Ergò cœptum alacri, magnoque animo Templum, prosequebatur magnificè Iesualdus, cùm ad Neapolitanas Infulas, curasque translatus, abscedere Roma coactus est; ac siue multiplex Neapolitanæ Ecclesiæ negotium animum aliò auocauit; siuè quòd facilè conatus, ardoremque remittimus, vbi aspectu rerum non incitamur, abrumpi exædificationem oportuit; ac mox intercepto communi necessitate amplissimo Cardinali, innixa nostris humeris, hoc est, destituta omninò tātæ molis substructio fuit: quoad longè post Alexādro Cardinali Montalto, Sixti Quinti ex Sorore Nepoti, iniecta diuinitùs mens fuit, vt resumeret pulcherrimi operis rudimenta, adumbratumque primis lineis Templum ad summam manum perduceret. Planè & amplissimæ illi opes erant, & opibus maior omninò animus, quo fortunam suam adauxit, æquauitque Regibus. Nam quæ duo Principem faciunt, opulentia, ac largitas, inerant Montalto ad miraculum. Non intra Vrbis inopiam adstringi suarum opum vsum voluit, sed exteros, atque alio ferè ab orbe homines eius maximè munificentia complectebatur; vt nihil ad magnanimi Cardinalis laudem esset luculentius, quàm tot gentium, linguarumque concentu celebrari eius nomen. At non id nostri instituti est, honestare elogio regiam Montalti manum. Virum memorasse, ostendisse est splendidissimam quandam ideam laudis, ac liberalitatis. Gratulandum profectò nostro Ordini est, quem eius experiri benenolentiam, grandemque animum contigit, cùm in tuendo Theatino nomine, cùm in excitando percelebri Diui Andreæ Templo, quod ille, instaurato opere, continuare singulari quadam voluntate occœpit, attributo in singulos annos ære, censuque non modico; vt quod Sixti Quinti Maximi Pontificis, eius Auunculi, displomate, nutuque consecratum primò fuerat, id posteà Nepotis splendore magnificè extrueretur. Et verò ingentem præ se tulit animi sensum, cùm primùm locando cuidam fundamento adfuit, cuius ea erat inscriptio.

Card. Iesualdus ex ædificandum hoc Templum suscepit.

Fundamenta locat.

Abrupere opus Neapolitanæ Infulæ, & mors.

Successitque structuræ Alexand. Card. Montaltus.

Supra communem munificentiam Princeps.

Ac regia præcipue in exteros liberalitate.

Incredibili sēsu Templum prosequitur.

PAVLI QVINTI SANCTISSIMI PONTIFICIS ANNO QVARTO
ALEXANDER CARDINALIS MONTALTVS
IMPENSIS SVIS CONSTRVEBAT AD HONOREM
SS. ANDREAE APOSTOLI ET SEBASTIANI MARTYRIS.
AN. M. DC. VIII.

Id quod ad Templi huiusce magnificentiam, & cultum post paulò excogitauit Cardinalis Montaltus, ea fuere duo Pontificum Piccolomineorum Monumenta, Pij Secundi, & Pij Tertij Nepotis, quæ è Vaticana Basilica, Pauli Pontificis Quinti nutu huc transferenda, atque in Ecclesiæ medio, aduerso inuicem loco, sitnque collocanda curauit. Pulcherrimi ea quidem schematis, solidoque è marmore, ac sculptis egregiè imaginibus planè luculenta; ac bene mutatas sanctiorem in vsum suas domos cinerum, ac insignium tumulorum pretio ornant modò Pij Pontifices: reuersi eò postlimi-

Translata eius opera Piccolomineorū Pōtific. Sepulcra ad D.Andreæ.

liminio, vt diuturniùs habitent, inibi sui Manes. Præter antiquas inscriptiones additæ in ea translatione; & hæ fuere sua cuique Sepulcro, quas hic exscribimus.

ALEXANDER PERETTVS
S.R.E. VICECANCELL. CARD. MONTALTVS
IN PICCOLOMINEORVM DOMO,
À CONSTANTIA AMALPHIS DVCE
CLERICIS REGVLARIBVS DONO DATA
B. ANDREAE TEMPLVM AEDIFICAVIT.
PII SECVNDI P.M. MONVMENTVM RESTITVIT,
ET EXORNAVIT

ALEXANDER PERETTVS
S.R.E. VICECANCELL. CARD. MONTALTVS
SEPVLCRVM PII TERTII P. M.
ET PII SECVNDI EX ADVERSO POSITVM,
PAVLO V. PONT. M. CONCEDENTE,
E VATICANO TRANSLATVM,
MAGNIFICENTIVS REPONENDVM CVRAVIT.

Porrò vt citiùs absolueretur hæc Basilica, non tàm citò defungi vita Montaltus debuit. Vidit ipse nihilominùs citra ornatum, penè extructam; & quod summè optauerat, perductus ad vmbilicum elegantissima planè specie, ac forma Tholus fuerat, cùm vixit. Prosequi verò opus, vel defunctus voluit, superstite nimirùm munificentia, legatisque sexaginta aureorum nummum millibus, quibus vrgeri quidem substructio, atque expoliri magnam partem potuit, perfici verò non potuit; vt esset nimirùm, quod Franciscus Perettus, Cardinalis Montaltus, Alexandri Nepos, eius & animi, & opum ex asse hæres, vt inclyti Patrui magnificentiæ, ac vestigijs insisteret, moliretur. Et verò, vt Montalto non inferior Montaltus, regia virtutum indole, ac splendore animi, ita pari studio nostri Ordinis, ac Templi incrementa prosequitur Franciscus; nec dubitamus fore, vt extructa, instructaque Numini, ac Diuo Andreæ Apostolo Aede, Cœnobio etiam animum, manumque adijciat, vt eius esse mentem scimus, ac impensiùs gratulamur, tantùm debere nostram Congregationem Montaltis.

Citrà ornatũ absoluit penè Templũ Montaltus.

Legauitq; ad operis perfectionem post mortem censûs annuos.

Eius magnificentiam excepit Franciscus Cardin. Montaltus.

Interim non hic omittendum, fauere maximè huic Ecclesiæ voluisse diuinam beneuolentiam, vt magnifico operi par esset & reliquum ornamentum. Etenim non sine peculiari afflatu Numinis contigisse censendum est, vt nobiles, amplique viri Sacella hic sibi exornanda sumptu quidem profusiore, ac supra omnem elegantiam susceperint. Nam præter Vrbanum Pontificem Octauum, quem adhuc in Purpura consecrasse quàm sumptuosissimè Virgini Deiparæ Aediculam innuimus: Horatius Oricellarius, Florentinus, nostri nominis percupidus, visus facem alijs prætulisse. Sacellum is Diuo Michaeli Archangelo dedicauit, exornauitque, ea præcipui operis venustate, vt quà lectissimorum marmorum crustis, quà signorum; ac picturarum elegantia, quà gemmarum pretio superbire ambitiosiùs pietas videatur. Hunc verò, quæ est æmulationis, etiam in Sacrorum cultu vis, longè superauit Leo Strozius, item Florentinus, pijssimus iuxtà, atque opulentissimus, qui Deiparæ à Pietate Sacellum excitauit. Nihil hic temporum iniuriæ obnoxium; non pennicillus non color hic: Carystium vbique, ac Lucullcium marmor: fusa, inductaque auro æra, signa item ex ære. Recurritque statim oculis admirandum Virginis ipsius à Pietate Simulacrum, ab eo Michaelis Angeli Bonarotæ, celeberrimi artificijs, exemplari, quod in Vaticani Templi Odeo extat, expressum, planè quàm simillimè; nisi quòd illud quidem Pa-

Extructa hic magnificentissime Sacella.

A Barberinis

Ab Oricellario.

A Strozi...

rio marmore, hoc ære ductum, illud temporis, hoc æternitatis æmulum dices.

Sed de celeberrimi Templi structura, ac ornatu, qui nos huc prouexit, longè quidem ab instituto, atque à tempore, in quo narratione versamur, satis. Nunc gradum reuocamus, ac paulisper adhuc in Constantia Piccolominea subsistimus, quæ non ita post multò, quàm amplissimas extruendæ huic Ecclesiæ domos attribuisset, Neapolim reuersa, reconciliata Coniugi est, putans alios iam in eo mores. At breui didicit, non eam esse vim temporis, vt insitam natura prauam indolem ad virtutem erudiat, ac mutet. Quarè dirimi iterum Pótificis auctoritate Coniugum conuictum, nexúq; oportuit. Quo sanè ingens Monasterio à Sapientia ornamentum, exemplumque virtutis accessit. In id siquidem ingressa Constantia ad honestum cum Virginibus contubernium, illa statim consuetudine, conuictuque pulsari peracri cupiditate sensit, Deo se perpetuo votorum sacramento consecrandi. Et quod à Sixto Pontifice minimè impetrauit, obtinuit mox à Clemente Octauo, qui habita Matronæ Principis ratione contrahi eius etiam tyrocinij, ac probationis annum voluit, ac superstite etiamnum marito, vota in eo Cœnobio nuncupauit, tantò maiore cum laude pietatis, quantò rariùs edi istiusmodi exempla cernimus ab eius conditionis, fortunæque fœminis. In solenni verò tantarum opum abdicatione, cùm hæreditarias consanguineis fortunas, titulosque reliquisset, pleraque etiam pia loca cùm Neapoli, tùm Senis ingenti quidem pecuniarum summa donauit. Sapiétiæ in primis Cœnobium, eiusque substructionem censu non mediocri iuuit, instituitque insuper Sacerdotes omninò quinque, qui in ea Ecclesia quotidie facerent, legato ære annuo. In nostrum autem Ordinem, quem in oculis ferebat, egregia quadam munificentia testari affectum voluit. Enimuerò vtramque Neapolitanam Domum, diuisis æquè multis aureorum millibus, abundè, ac pro animi sui magnitudine subleuauit. Romanum verò Sancti Andreæ Cœnobium; quod ipsa fundasse visa est, Suprema hac voluntate ita cumulauit, vt illi, bene subducta ratione, supra quadraginta aureorum millia legauerit. Quæ si ijs addas, quæ donauerat iam, excessisse Constantiam in nostra Sodalitate ornanda, cumulandaque communem liberalitatis modum dices: vt sanè nunquam tantùm studij, gratique animi in tantæ Principis memoriam impendent Clerici Regulares, quod maiora Solutioni omni beneficia compenset. Porrò, quo regularis vitæ cultu, qua disciplinæ, legumque obseruantia, qua animi demissione inter Sanctimoniales vixerit, & quibus Christianæ pietatis documentis spiritum posuerit, suus erit dicendi locus.

Constantia Piccolominea Neapolim reuersa.

Monasterio Sapientiæ se addicit.

Legatis consanguineis, ac locis pijs opibus.

Præcipuè D. Andreæ Cœnobium cumulauit.

At enim Romæ, vnde modò discessimus, est adhuc, quod adnotemus de Vincentio Masso, sæpius à nobis appellato, qui præter religiosæ, perfectissimæque cuiusdam prudentiæ partes, scientissimus prisci æui, sacræ præsertim antiquitatis fuit, atque sub id potissimùm tempus eius eruditionis præclarum dare specimen contigit. Enimuerò, instaurata hoc anno Gregorius Pontifex temporum supputatione, curas suas Romano Martyrologio adiecit. Vitio nanque temporis, ac hominum quædam in sacra ea monumenta, fastosque irrepserant, quæ examinari æquo doctorum hominum iudicio, ac lance oportebat, expunctisque ijs, quæ erroris manifesta erant, ad historiarum fidem expurgandus ille Diuorum census erat. Ergò consultissimos id genus litterarum legit sapientissimus Pontifex, qui vigilias suas, laboresque graui in eo negotio ponerent; inter quos adscriptum ex nostris Vincentium Massum fuisse, consignatum suis litteris reliquit ex nostris item Comment. M. S. Michael Ghilerius, qui & illum insignem antiquarum memoriarũ, reique Christianæ notitiam eruditissimo Cœtui statim approbasse, affirmare solitus erat. In ea autem prouincia expedienda inter præcipuas, quæ negotium non sanè mediocre exhibuere ingenijs, difficultates, Sancti Felicis Pontificis secundi, & Martyris controuersia fuit. Etenim cùm eius martyrij laurea in disceptationem venisset, plerique non pœnitendæ quidem notæ Viri stylum ita exacuerunt, vt exculpendum à Diuorum Syllabo, Romanoq; Martyrologio Sanctissimum Pontificem, aut abrogandam illi appellationem, atque insignia martyris mordicùs contenderent. At contrà non defuere, qui Felicis causam disertè quidem, ac insigni cum laude eruditionis, petitis ab omni vetustate rationum momentis, perorauerint. Inter quos Massus fuit, Strenuus eius palmæ, ac sanctitatis propugnator. Atque ab his veri fides, ac Cælum stetit, irrefragabili testimonio, ac præclaro sanè miraculo.

Vincentius Massus instaurando Romano Martyrologio destinatur.

Præcipuè D. Felicis P. M. causam tuetur.

Quip-

Quippè eodem hoc ipso voluentis seculi anno octuagesimo secundo, pridie eius diei, quo agi eius Pontificis memoria ab Ecclesia cōsueuit, in AEde Sanctorum Cosmæ, & Damiani in foro Romano cùm altare quidam effoderēt, spe thesauri inueniendi, quem animo iam vorauerant, reperti Sanctorum Martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini Sacri Cineres fuere, & cum ijs eadem quidem in vrna, sed diuerso loculamento Diui Felicis, de quo certamen tunc erat, reliquiæ cum ea inscriptione. [Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui damnauit Constantium.] Quo dispulsa omnis martyrij dubitatio fuit. Planè, cùm laborare famam suam, ac periclitari meritam laurea cerneret Sanctus Pontifex, exerere è tumulo Infulatum caput voluit, vt Romano veluti in foro suam ipsemet causam tueretur: triumphauitque plaudente communi religione, ac pietate: vt fuerit profectò Felix bis martyr, semel cùm sectum illi caput fuit à Constantino Cæsare, interùm, cùm adiudicata illi lis est, atque asserta martyrij dignitas; ac tum quidem pœna illi contigit, nunc verò corona, & titulus. Porrò, vt cæteris, qui pro eo steterunt, ita & Masso accessit hinc non mediocris existimatio, ac eruditionis fama. *Et sententiam comprobauit eius corporis inuentio*

Iam insequentis anni tertij, & octuagesimi vernum tempus Comitia generalia attulit, quæ celebrata Genuæ fuere nono Kalendas Maij, Præsidente ijs consultationibus Michaele à Consulibus, qui tum Mediolanensem rexerat: ac Præsidis quidem auctoritas definitâ primò fuit, vt scilicet, non vltra Comitia extenderetur: cæterùm tàm quæ ad humanum regimen, quàm quæ ad animorum rem pertinent, suo ipsi nutu eo temporis spatio moderaretur. Eligi verò ad idem munus sequenti mox anno non posset. Tùm de Vocalibus, qui interesse Capitulo generali debent, plura sancita: decretumque tempus, modus, locus electionis, quæ fieri per procuratorem non posset. Circa Præpositi munus cautum, ne continuare vltra triennium in eadem domo, eademque Ciuitate, si plura inibi Cœnobia fuerint, rectionem quis possit; neque eius loco succedere, quocum primo, aut secundo consaguinitatis gradu fuerit coniunctus; cuiusmodi consanguinei ne in eadem simul Vrbe, diuersis licet domicilijs præsint, scitum etiam lege est. Bene id quidem, ac sapienter; nam continuare regimen frater videretur, quod alter fratrū successiuè administraret: & quæ sunt cognationis, ac germanitatis iura, si eadem in Ciuitate par consanguineorū præesset, vterque vtrique præesse domni contingeret. Præterea, cùm addubitari à nostris cœperit, standone an sedendo psallendum ritè in Odeo sit? sancitum in hisce Comitijs est, vt stantes, erectique concinamus. Id autem quàm ad ritum, moremque priscum sit, explicat latiùs noster Antonius Caracciolus, qui ita omnem vetustatem, cœtumque Patrum erectæ huic psalmodiæ adstipulari affirmat, vt miretur, à nostratibus, qui consultissimi sacrorum rituum semper fuere, reuocatum id aliquando in dubium fuisse. Sed de hoc canendi habitu fusè aliàs, si sat memini, actum. Alia item protuenda primæua disciplina decreta à Patribus, quæ censere, prætermittimus. *Genuæ Capitulum generale an. 1583.* *Præsidis auctoritas definitur.* *De Vocalium electione sancita nonnulla.* *Et de præfecturis continuandis.* *Vt stando caneretur in choro decretum.*

Agitata in Genuensi hoc capitulo Mantuana Domus fuit. Inaudiuerat Dux Mantuæ Guiglielmus Gonzaga, Princeps ornatissimus propagatum in præcipuis Italiæ Vrbibus Theatinum institutum; & quà publicis concionibus, quà vi exemplorum fructuosam in mortalium disciplina, morumque formatione à nostris hominibus operam poni. Quod cùm accuratiùs adhuc explorasset, accendi vehementiùs, ac peculiari quodam studio in nostrum Ordinem cœpit, existimauitque non mediocri futurum vtilitati populis, Vrbique ornamento, si Mantuam illud euocaret. Ergò compositis ad Patres litteris, coloniam eò deduci impensè postulauit. Cœnobium Templumque obtulit percommodum, remque omnem domesticam; suam in fouenda, ornandaque familia prolixè pollicitus beneuolentiam. Haud contemnendum pulcherrima in Galliæ Cisalpinæ Vrbe Sedem, neque fraudanda pijssimi Principis postulata modò cætera adessent, existimarunt Patres. Nihilò tamen minùs, quòd in amplificanda disciplina non impetu, sed maturè, ac lento quodam prudentiæ gradu festinandum ducerent, eius Prouinciæ Visitatoribus commendata res fuit. Irent, inspicerent coràm locum, expenderentque, an ad egregiam Principis voluntatem reliquæ Vrbis beneuolentia, ac vota responderent. Tum in Comitijs sequenti mox anno Romæ celebrandis exponerent ex fide omnia. Contigit id tunc lustrandæ Congregationis munus Dominico Miscio, *Guiglielmus Dux Mantuæ Ordinem postulat.* *Iussi Visitatores, vt locum inspicerent.*

Miscio, & Michaeli à Consulibus, qui Mantuam, vt scitum in Capitulo fuerat, adiere, excepti singulari humanitatis significatione à Guiglielmo. Locus fundandæ Domui non vnus exhibitus, vt opportuniorem legerent, ac designarent. Illi, quod suarum partium erat, nempè inspicere, atque æstimare perdiligenter oblatos in Vrbe situs, ac Ciuium propensionem, vt referrent in tempore, expleuere ad vnguem; ac nihil interim certi polliceri Principi potuere; qui & magnificis adhuc promissis vrgere cum illis rem voluit, & post paulò litteras ad Ioannem Baptistam Milanum, qui Venetam Domum procurabat, conscripsit, monuitq; quid actum vltrò, citròque cum Visitatoribus esset; vt plura excipiendæ familiæ domicilia, ac Templa, opportuna ea quidem, obtulisset; quo flagraret ipse complectendi, cumulandique Ordinis desiderio; ac demum prolixiùs rogabat, vt qua esset ipse apud Patres auctoritate, iuuaret pro virili negotium. Scripta hæc Octobri mense ad Milanum. Romana verò Comitia cùm appeterent, datis item ad generale Capitulum litteris, præcipuo efflagitare id ipsum studio voluit; adhibuitque insuper quos promouere coram, atque efficacissimè rem posse, non ignorabat. Strenua siquidem vti opera voluit Scipionis Gonzagæ, qui postea adscitus in amplissimum Cardinalium Senatum à Sixto Quinto fuit; rogauitque in primis Antonium Cardinalem Carafam, cuius quanta esset apud nostrates auctoritas, probè nouerat. Libet porrò hic dare, quas ille ad Carafam litteras misit, vt inclyti Principis cùm præstantissimam religionem, tùm eximium in nostrum Ordinem studium, intelligat lector. Sic verò habent:

Guiglielmi, ea de re studium.

Litteris appellat Ioannem Baptistam Milanum.

Et Antonium Card. Carafam.

Cum id anxiè cuperem, vt mea in hac Vrbe Theatinorum Patrum domicilium excitaretur, transigi cum ipsis præterito anno negotium volui; quod quidem exitum non habuit, ijs de causis, quas ipse à Scipione Gonzaga andies. Verùm cùm eodem ipso nunc desiderio tenear, successum à tuis officijs habiturum, facilè mihi persuadet, Cùm studium, quo res pias omnes natura prosequeris, tùm ingens in eos ipsos Clericos Regulares auctoritas, tùm illa denique tua in me singularis humanitas. Igitur, vt hoc negotium complectare, etiam atque etiam rogo. Id verò cum Patribus agas, vt iustitutis hisce Comitijs, Dei in primis, tùm mei causa recipiendum Mantuanum Cœnobium statuant; designentque, & qui domum regat, Præpositum, & quæ degat, familiam. Virum deinde destinent, qui rem omnem mecum componat, ac peragat, vti nuper cum Patribus Societatis Iesu contigit, quibus cum vno, aut altero congressu id expedij, vt ad proximam Pentecostem Sedem hic figant. Quod sanè & cum Theatinis confici pervellem, vt eodem simul tempore duos huc Ordines inductos gratuler, quos eodem planè loco habeo. At enim, quod te multis hac super re Scipio Gonzaga monebit meo nomine, ijs supersedeo. Illud tantummodò persuadeas tibi velim, quicquid in hoc negotium operæ impenderis, contulisse te in virum gratissimum, qui paribus respondere officijs cupiat. Tuas exosculor manus, tibique felicitatis incrementum opto, & voueo. Mantuæ die sextadecima Aprilis 1584.

Recitantur ad hunc litteræ.

Côtêdit strenuè Carafa, vt morem gererent Guglielmo Patres.

Quo loco hæc Guiglielmi studia habuerit Carafa, statim singulari quodam ardore animi ostendit. Nam Tusculi cùm per id tempus rusticaretur, agere primùm litteris voluit; tùm illas præsentia cumulauit; ac seu scripto, seu voce compellauerit Patres, id omninò contendit, vt non perfunctoriè se id officijs, sed perquàm seriò, volentique animo impendere illi intelligerent: id potissimùm inculcans, poscere præclaram Guiglielmi in Ordinem beneuolentiam, vt illam ipsi studijs pronioribus prosequerentur; nec minimum ducerent, eius notæ Principem demereri: quo nomine, & se quoque obstrictum ipsis fore ex animo profitebatur. Gratissimum sanè Patribus fuit, tot expeti Theatinam disciplinam votis: argumentum scilicet, non inutilem omnino esse populis eorum industriam, quando eo studio Principes postularent. Et verò cùm Mantnani Ducis precibus, tùm Cardinalis Carafę adhortationibus, tùm alijs item præstantissimorum procerum officijs indulgere, animus ijs erat. Verùm cum rem ad calculum reuocassent, ac præsentem rerum conditionem, futurasque loci progressiones, aliaque non parui sanè momenti capita diligenter percurrissent, ea fuit omnium mēs, vt gratias quidem Mantuano Duci haberent; quod eo iudicio, affectuque Ordinem honestaret. Cæterùm qua possent animi modestia significarent, iusta se teneri causa

Qui re expensa.

sa, quominus appellere ad Mantuanæ Domus institutionem animum possent. Molestissimum id planè Duci, auidè expetenti, expectantique fuit. At non propterea opus, ac se deseruit. Perurgere maioribus quidem conatibus consilium consequenti generali Capitulo statuit. Ac primò quidem cùm Venetias negotiorum causa ipsum excurrere contigisset, amicè sanè cum Ioanne Baptista Milano, eius Domus Præposito expostulauit; quod illusum ardentissimis perindè, & pijssimis votis suis à Patribus fuisset: attamen non despondisse animum affirmauit; sed qui prosequi cœpta in succedentibus mox Comitijs decreuerat, Milanum eundem rogauit, vt adesset omni ope negotio, amoueretque, si quæ suboriri inpedimenta cerneret. Id quod & litteris postea efficacissimis, quas Tusus exscripsit, ad eundem Venetijs datis repetitum anxiè voluit. Qua quidem epistola id etiam innuit, suo Romæ Procuratori iussisse, vt ea de re Gregorium. Pontificem interpellaret, rogaretque, vt vti suis adhortamentis, atque auctoritate cum Patribus vellet. Exploratumque habemus, non segnem quidem, vt morem Guiglielmo gereret, huic negotio promouendo Pontificem fuisse. Nam antequàm Laurentius Valente, Vir eximiè probus, & Cardinalis olim Valete Patruus, Roma vbi preerat, Venetias ad generalia Comitia discederet, appellatū à se voluit, ac multis rem Mantuanam commendauit, vtque eundem ipsum sensum, ac mentem suam cæteris cum Patribus communicaret, iussit: professus tamen est, gratissimum sibi facturos Patres, ita si consentanea Instituto, communique rei colonia illa esset. Guiglielmus intereà, vbi instare Comitia intellexit, vt nullum non mouisse lapidem videretur, præter isthæc officia, adesse propiùs rei voluit, allegato nimirū Venetias vno quodam familiari suo, solerti quidem viro, qui sui Principis perspectum iam abundè Patribus desiderium, & simul omnibus quàm ardentissimè exposuit, & conuenit singillatim singulos, id agens, rogansque enixiùs, vt annuerent secunda suffragatione postulatis. In quo quidem digna prorsùs admiratione, atq; eximia laude est egregij Principis pietas, quod augeri Mantuæ Sacras familias, ac viros, qui inducere bonos mores possent, tàm impensè curauerit. At non minùs profectò excusatione, siue cōmiseratione aliqua digni fuere nostri homines, qui quod ille summis cùm suis, tùm aliorum precibus postularet, & ipse Romanus Pontifex peroptabat, excussa re, efficere minimè potuerint. Enimverò cùm eædem ipsæ, quas superiore anno accuratè pensitauerant, causæ obstarent, expediri ad Guiglielmi votum negotium, haud liberum Patribus fuit. Quocirca abruptum omninò fundandæ Domus consilium fuit. Quod postea nonnisi post annos viginti Vincentius Gonzaga, Guiglielmi filius, Dux item Mantuæ instaurauit successu prosperiore, fundato nobilissima in Vrbe Cœnobio, magnificentissimi Principis auspicijs, vt in tempore, Deo dante, exponemus.

Domicilium excludit quā modestissimè.

Sed non opus destituit Guiglielmus.

Appellato etiā Pontifice,

Qui rem impensiùs commendauit Patribus.

Acta per Ducis interpretē res Venetijs.

Successu caruit.

Quod impetrauit postea Vincentius Gonzaga.

Nunc quando extendi nostrum Ordinem hoc anno non licuit, exteras familias egregia nostratum opera Neapoli feliciter propagatas, ac constitutas explicemus: Inter Monachos, ac vitæ, quam Contemplatricem vocant, Ascetas, præcipuo quidem loco numerantur Camaldulenses Eremitæ, quos in alium planè censum supra mortales transcribit secreta omninò ab hominum cœtu consuetudo. Laudatissimum Institutū, quod, Diuo Romualdo auctore, excitatum, plerisque iam in locis cum fructu insederat, Neapolim deducere religiosi eius disciplinę Viri in animum induxerant suum. Quod vbi accepere nostri homines, nauandis eiusmodi rebus assueti, admouere operi manus decreuere, præcipuè Ioannes Baptista Tusus, & Felix Barilius, qui fore, vt eximiam Vrbi tutelam, atque ornamentum assererentes persuasum habuere, si vt præclarus is Ordo figeret Neapoli sedem, operam darent. Ioannem Daualos, Aragonium, ex Vasti, & Piscatiæ Marchionibus conuenere: Virum cùm omnigena virtutum indole, tùm pietate in primis spectatū, ac nostri Ordinis cum paucis amantissimum. Hunc munifica quadam natura præditum, nouerant, eam etiam concepisse mentem, vt quando sobole, ac successione careret, piorum hominum commodis fortunæ suæ cederent. Eapropter haud illis laborandum diù fuit, vt is animum, ac opes suas Camaldulensium huic disciplinæ adijceret. Affici nanquè erga Institutum nostratum commendatione statim cœpit, probauitque vitæ rationes, quam nullis arbitris, sed Deo, & Angelis testibus transigebant, eò quidem vtiliorem hominibus, quò longiùs ab eorum conspectu recederent, vacarentque propiùs Deo.

Camaldulenses Neapolim cogitant.

Rem nostri iuuant apud Ioānem Daualos.

Ergò

Ergò nauare præclaram hanc operam, ac pietatem statuit, designauitque fundandæ eremo amplam quidem domum, quam Suburbano in vico, qui secundo circiter lapide Neapoli distat, non longè à Leucopetra, Barram vocant, possidebat. Has illis Aedes vnà cum attiguis hortis, vt suo statim vsui accommodarent, attribuit, pollicitus domestica insuper supellectili, quæ consentanea instituto foret, instruere; additisque, quo vitam tolerarent, in singulos quidem annos, quingentis aureis. Quæ nulla mora publicis consignare tabulis Daualos voluit, Tuso, ac Barilio, qui auctores præclari operis fuerant, præsentibus, plaudente, interim Neapolitana Ciuitate, quæ aucta propiore eo Camaldulensium præsidio, exemploque virtutum, cùm Ioannem, qui complexus tàm liberaliter, pièque homines fuerat, tùm nostros, qui adhortamentis, zeloque rem iuuerant, dilaudabat. At enimuerò, agente Antonio Cardinali Carafa, non id loci hæsere Monachi. Addictus maximè Carafa erat Camaldulensium disciplinæ, quam singulari quodam zelo ad strictiorem viuendi formã exactam, conseruari in primæuo eo spiritu, institutoque maiorum cupiebat. Vbi verò consistere Neapoli religiosam eam disciplinam accepit, vt non mediocrem capere voluptatem visus est, quod ad populares suos insignis ea virtus peruasisset, ita haud satis probare locum potuit. Ad amœnissimum profectò cæli tractum sita Barra est, & quà aeris temperie, quà propinqua ora maris, quà vberrimi planè soli, villarumquè delicijs eò pertrahere Neapolitanos solet; vt frequentissimus interdum is vicus sit, rusticantium celebritate. Quare veritus Carafa, ne asperiorem Religiosorum hominum cultum, rigoremque emolliret peramœna ea regio, ac disciplinam labefactaret mortalium frequentia, datis confestim ad Tusum litteris, monuit, vt opportunè rei consuleret; & quando tàm facilem suis adhortationibus habuisset Ioannem Daualos, non dubitare se, quin Vir ille pijssimus mutaret illis sedem, si sciuisset, quàm esset præstantissimæ disciplinæ rigori ab ea loci clementia metuendum. Hoc sapientissimi Cardinalis monitu compellare Daualos non dubitarunt vnà simul Tusus, & Barilius, ac paucis rem confecere. Nam probato ille consilio, quæsitoque circa Neapolim situ, qui tacito, semotoque Camaldulensium instituto faceret, ad eum locum, quem Prospectum vulgò dicunt, Eremum fundauit, libero quidem prospectu maris non iniucundam; quippè editiore cliuo sitam, sed à conspectu, accessuque hominum longè sepositam. Gratulatus aliam loci faciem Cardinalis Carafa, cum Gregorio Pontifice Tertiodecimo statim egit, vt attigua Sancti Saluatoris Cedicula, cui simplex annexum sacerdotium erat, Camaldulensibus vnà cum annuis vectigalibus cederet. Ecclesiam ibi ad Dei cultum exercendum, ac pro modo regulæ Cœnobium concinnarunt Patres, vbi hodieque degunt insigni cum laude, famaque virtutum. Et quòd diffundi bonum amat, non vno hoc contubernio cõtineri virorum sanctitas potuit; siquidem non longè ab Neapolitana hac solitudine tres item aliæ excitatæ eiusdem Ordinis familiæ fuere: vna ad Vicum Aequensem, altera propè Herculanum; tertia in agro Nolano. Floretque in ijs Eremis Camaldulensium asperitas, siue pulcherrimum pietatis, ac Sanctimoniæ ver.

Qui locum illis prope Neapolim attribuit. *Et prouentus annuos.* *Sed agente Anton. Card. Carafa.* *Qui à loci amenitate illi disciplinæ timuit.* *Mutata illis ab eodem Daualo sedes.* *Adauctæque tribus item contubernijs Ordo.*

Aliam nunc describamus inuectam Neapolim nostratum potissimùm opera familiam, non religiosam eam quidem, votisque adstrictam; sed quæ ad Scetarum omninò regulas, moresque composita, citra votorum religionem regularis profectò videri potest. Fuit hæc ex ea Clericorum Congregatione, quam ab Oratorio nuncupatam, Diuus Philippus Nerius nouo quodam instituto, instinctuque Numinis Romæ condidit; precum assiduitate, nitore diuini cultus, animorum studio, mysteriorum administratione, disciplina morum, institutionibus, habitu, conuictuque spectandam: quæ cùm plura quidem in publicæ rei Christianæ commodum, fructumque conferat, tùm id illi præcipuum munus, vt quotidianis, ijsque familiaribus allocutionibus populos erudiat; eloquentia nimirùm, quò verborum bractea, ornatuque minus conspicua, eò valentiore, & sui robustior vis inest: vt breuiore veluti quodam telo rem agat, expugnetque, nunquam fallente ictu, animos. Itaque non exiguum quidem facturos se operæ pretium putarunt nostri homines, si in id maximè incumberent, vt laudatissimæ huiusce Congregationis exempla, ac dicendi contentio Neapolitanis accederent. Cœpta res agi cum Cæsare Paronio, quem Neapolim grauissimi

Fructuosum Patrum Oratorij institutũ *Figendũ Neapoli curant nostri.*

uissimi negotij causa missum à Romano Pontifice, exceptumque à nostris in Diui Pauli Cœnobio fuisse, superiore anno diximus. Et huic quidem non sat fuit, seriò ostendisse, quanta ab eo instituto, ac domesticis Sermocinationibus extitisset populosa piaq; in Vrbe seges virtutum; verùm cùm Marcus Palescandalus, Paulinæ Domus Præpositus, & Ioannes Baptista Tusus ad Genuensia, quæ iam diximus, Comitia hoc anno pergerent, transigere cum ipsomet Philippo Nerio proximè voluere, illumque ea de re compellarunt, semel cùm Roma Genuam peterent, iterum cum Neapolim reuerterentur: idque non tralatitiè quidem, aut raptim, sed prolixa quadam cum voluntate, ac intensiùs. Planè non id deducendæ coloniæ consilium federe Philippo videbatur; siue quia non ea tunc erat illi mens, vt instituta à se Clericorum disciplina amplificaretur; siuè ne distracta in partes; minùs valeret, cùm non eo constaret numero capitum, vt abire in familias, salua exercitiorum contentione, posset. At enim nostratum studio cùm flagrantia Neapolitanorum vota accessissent, renouanda apud Philippum officia, ac preces fuere. Enimuerò Franciscus Maria Taurusius, eius familiæ Vir, cui à litterarum splendore, atque ab ea familiaris facundiæ præclara inerant adiumenta, Archiepiscopus primùm Auenionensis, mox Senensis, postremò Cardinalis, eorumdem, quos modò nominauimus, Palescandali, ac Tusi inuitamento, curandi diuturni morbi causa, Neapolim venit; exceptus à nostris, habitusque de more quàm humanissimè. Is postquàm saluberrimis Aenariæ aquis, ac fumariolis vsus, ab ischiade, qua laborabat, conualuit, subsistere Neapoli, quoad calores remitterent, oportuit, ac intereà temporis, ne feriari diutiùs vir videretur, sermocinari ad instituti rationem de inferiore loco in principe Templo instituit, ea quidem cùm è vulgo, tùm è nobilium Ordine frequentia, eaque fruge animorum, vt excitari commune omnium desiderium tàm frugiferi instituti cœperit. Quod in causa nostratibus fuit, vt insequenti mox anno negotium strenuè vrgerent. Nam cum Romam Capitulum celebraturi Tusus, & Palescandalus, & cum ijs Felix Barilius accessissent, Philippum denuò conuenere. Mirabiles animorum motus, quos eo dictionis genere Taurusius Neapoli fecerat, Ciuitatis studia, ac vota virorum præsertim principum, virtutum ab eo animorum cultu prouentum, Dei gloriam sedula verbi Dei tractatione exaugendam Viro sancto proposuere: adeòque apud illum is Patrum ardor, ac zelus valuit, vt concepta vberrima spe segetis, exorari, ac flecti passus fuerit; ac eundem ipsum Franciscum Mariam Taurusium, qui suauissima quadam suadæ medulla, ac sermonibus, sine phaleris, ac fuco gratissimis, Neapolitanorum gustum excitauerat, vnà cum paucis socijs operi destinauit. Aduentantes excepere in Cœnobio Diui Pauli Clerici Regulares, quibuscum aliquandiù commorati; mox apud Alexandrum Borlam, eiusdem Congregationis Sacerdotem, quem aliàs locuti sumus, & qui insanabilium Nosocomio tunc præerat, se receperunt, ac tùm in Aede Diuæ Mariæ à Populo, quæ adnexa illi Xenodochio est, tùm in Templo Maximo dicere ad frequentissimam concionem, ac fructuosissimè de more occepere. Quæsita quàm diligentissimè opportuna familiæ, atque instituto sedes. Verùm cùm in eo loci delectu moræ plus nimio traheretur, ac nullus se se absque ingenti, atque inexplicabili difficultate situs offerretur, abiecta spe rei conficiendæ, Neapolim discessere. Quod grauissimum planè nostris accidit, qui non minimùm cum ijs laborauerant, vt familiam eò deducerent. Quarè, vt redirent cęptis Patres, negotium omne in se recipere, atque intentiore cura incumbere, vt commodum illis domicilium contingeret. Ac visa profectò opportuna Caroli Siripandi domus, frequentissima, nobilissimoque in Vrbis situ, è regione principis Templi, ac nostrarum Aedium D. Pauli, & Sanctorum Apostolorum media. Coempta hæc statim fuit, nostris adnitentibus, collato, ijsdem impulsoribus, ære à plerisque è Viris patricijs, nostri Ordinis studiosis, consignatæque publicæ emptionis tabulæ in Paulino Cœnobio fuere. Quibus peractis rediјt non post multò Taurusius, & cum eo Antonius Talpa, vir eius disciplinæ, ac nominis percelebris, multisque animi partibus spectatus, quibus placuere omninò Aedes, ac situs, ac maximè primariæ Ecclesiæ propinquitate, in qua formare ad virtutem piorum animos peculiari eo dicendi instituto pergerent; quoad & reliquo sacrorum cultui Ecclesiam sibi adornarent. Fusiùs rem totam exe-

Agitari antea res cęperat cū Baronio.

Mox cum D. Philippo cominus.

Qui eò animū minus appulit.

Franciscus Maria Taurusius Neapolim valetudinis causa venit.

Dicit ad Concionem.

Excitanturq; Neapolitanorum studia.

Cōuenere iterum Philippū nostri.

Qui annuit postulatis.

Destinatn fundande colonię Taurusio cum socijs.

Qui cū in longum res traheretur, Neapoli discessere.

At coempta nostratū opera domo.

Rediere.

exequitur Tufus, qui hanc operam egregiè nauauit, recensetque datas à se, acceptasque vicissim litteras ea superre à Taurusio, ac Alexandro Bordino, Viro grauissimo, Cabilonensi posteà Episcopo, ac mox Aueni onensi. Ex quibus planè constat, quanto cum animi ardore, sensuque germanitatis, perindè atque si curassent sua, peragendum sibi negotium susceperunt nostri homines.

Cleric. Regul. mos, socios in Dominicæ vineæ cultura non excludere.

Quo quidem loco monere non dissimulabimus, quod monet ex vero Tufus: nimirùm id esse Clericorum Regulariũ, ingenium ac institutum, non sua quærere, sed quæ Iesu Christi, ac rei Christianæ commoda, vt non modò à vigiliarum, laborumque communione in excolenda Domini vinea socios non arceant, sed vltrò arcessant, inuitentque: nihil morati eo minùs sibi subsidij, suæque paupertati accedere à fidelibus, quò plures alendi administri sunt. Eam siquidem esse Religiosorum omnium intentionem, ac scopum debere, persuasum habemus, vt sincerior Deo cultus impendatur; vt stet, crescatque religio, vt niteant sacra, vt expolientur mores, vt facessant vitia. Cæterùm curaturum munificè Deum nostra, si sua hæc ipsi candidè curabimus, non dubitamus.

Iuuit nostrates substructionem Patrum Oratorij.

Porrò, muniuisse Patribus Oratorij ad Neapolitanum domicilium viam, ac quæsiuisse eorum instituto Aedes, non sat fuit nostris; nisi & substructionem subindè iuuassent, impetrato cùm à priuata procerum liberalitate, tùm à publico Ciuitatis consensu, subsidio, non modico eo quidem, sed quod pleraque excessit aureorum millia. Adsuitque præcipuè insigni munificentia Constantia Caretta, quæ nostratum commendatione vsque adeò addicta ijs Clericis fuit, vt

Excitata præsertim Constantiæ Carettæ liberalitate.

cùm eorum anxiè aduentum solicitauerit, impensasque ad iter largè sufficerit, vbi Neapolim posteà peruenere, & rem eorum familiarem, & ædificium egregia manu sustentauerit; testata insuper in ipso vitæ exitu beneuolentiam, luculenta voluntatis testificatione, legatis nempè Patribus vndecim aureorum millibus supra quingentos.

Floret Neapoli D. Philippi institutio.

Quibus piorum hominum ad iumentis amplificato magnificè situ, ac area, Templum ad omnem magnificentiam excitarunt: vbi cum omnigena exercitatione sacrorum, ac diuini præsertim verbi tractatione. Floret instituta à Diuo Philippo Nerio disciplina concursu, plausuque Neapolitanorum incredibili; ac iuuat modò nos incrementa isthæc gratulari; quibus præclarè insudarunt maiores nostri: sicut vehementer gaudemus, mutuam illam, quæ inter nos olim adoleu t, beneuolentiam, atque vnanimem charitatem adhuc perdurare, ac ali insigni certamine officiorum.

Atque hæc quidem, aliaque præclara pietatis opera in commune commodum Neapoli efficiunt, nauantque nostri. Quarè excrescere ibi non modò æstimatione virtutum, sed & hominum numero Congregatio videbatur, ut plures hoc anno professi nomen in Ordine fuerint, excellentis quidem spiritus, ac laude morum præcipui.

Franciscus Arcucius vocat Neapoli nuncupat.

Inter primos fu t Franciscus Arcucius, nobili loco, qui pertinaci quodam parentum affectu, ac vi oppugnatus, vt Ordinem desereret, quem ijs inconsultis capessiuerat, sex decennis adolescens, visus profectò in ea votorum nuncupatione naturæ conatus omnes

Eius cum Parentibus lucta.

egregiè tri mphasse. Planè nihil intentatum relinquere amantissimi perindè atque infestissimi Parentes, vt dejicerent de præclaræ mentis statu sobolem. Auspicatæ validissimam impressionẽ lachrymæ; quibus non mediocris quatiendo pectori vis inest. Tùm promissis onerare, atque allicere, intentare etiam minas, vt puerum terrerent. Ad hæc, rapere cum sacrificanti ad aram ministraret, in animum induxerant suum. Frangi isthæc omnia ad solidæ cuiusdam virtutis, ac constantiæ scopulũ videbantur. Quocirca mirati illi supra ætatem, ac supra omnem parentum siue metum, siue illecebram filij mentem, mutata velificatione, aliam inire viam, ac iure agere, decreuere. Sacrã, quæ Regularium negotijs Romæ præest, Congregationem, ac Pontificem ipsum Gregorium appellarunt: restitui sibi postulãtes, ceu lusum id æui adolescentulũ, & qui nõ

Et Victoria.

tàm sua, quàm aliorum voluntate id consilij ceperit. Exploranda mens fuit, quæ Romanis ijs Patribus, ac Pontifici ipsi, qui alloqui Franciscum voluit, vsque adeò constans sibi, ac consilij tenax visa est, vt magna planè ab egregia, florentiq; ea indole sibi pollicerentur. Ergò absolutus supremis hisce suffragijs iuuenis, reuertitur postliminio Neapolim, nouæ nempè luctæ: si quidem non modò abiecisse amorem omnẽ Parẽtes; verùm & abire in quandam etiam indignationem, ac stomachum visi sunt; vt illũ auersaren-

farentur, nulloque haberent loco, & cum eo etiam Theatinos homines. Quod ille multarum iam palmarum tyro insigni cum animi firmitudine ferebat, Deo, quàm hominibus obsequentior: atque his quidem obfirmatæ virtutis experimentis, ac palæstris admissus ad publicum votorum sacramentum fuit, huius anni mense Martio die Diui Gregorij Magni memoriæ sacro; respondítque præclaris initijs reliquum ætatis.

Ioannes Andreas Afflictus nobilissimus, admitti inter laicos postulat.

Alter, qui in eodem Diui Pauli Cœnobio eodem ipso die professionem iniuit, fuit Ioannes Andreas Afflictus, dignus sanè, quem inter præcipua humilitatis exempla reponamus: quippè qui ex Oreti Comitibus, & Castri Sanguinij Ducibus inter Neapolitanos nobilissimus, spreta maiorum, ac generis luce adoptari inter fratres Laicos voluit. Iniecta illi diuinitùs, dum concionatori operam daret, mens fuit. Sermo erat de Probaticæ Piscinæ languido, qui triginta, & octo annos suo malo indoluerat; cùmque argumentum aptè, ac præferuidè versaret facundus Ecclesiastes, peti arcana quadam vi, ac telo sensit: Componebat verò se maximè cum eo languido Ioannes Andreas, quòd consentire vtriusque ætas videbatur; nam is octo omninò supra triginta annos natus erat. Ergo diuino lumine superfusus meditari sanitatem cœpit, recessumque à mortalibus: confirmatusque in eo consilio, nihil habuit priùs, quàm Diui Pauli Patres singulari quodam ardore animi, ac spiritu conuenire. Habitum non quidem Clericorum, sed qui idoneis se litteris minùs instructum nouerat, ne repellerent eo nomine, vt inter laici Ordinis fratres acciperent, etiam, atque etiam rogauit. Admirari illi præclarum impetum, impulsumque Numinis. Verùm cùm non ea esset natalium, ac viri conditio, vt ad illum sese gradum demitteret, adduci non poterant, postulatis vt aures præberent. Vereri nanque videbantur, ne assidui postea labores, atque abiectissima quæque domus ministeria, quibus admouere manus oportebat, excitarent in prænobili viro generis spiritus, ac languente passim contentione virtutis, vehementius pulsarent; ac loco tandem mouerent. Ad hæc ille incomparabilem quendam vigorem animi obijcere. Lustrasse iam cogitatione cuncta; quicquid in eo hominum gradu laboriosi, ac vilissimi esset, vorasse iam animo, respondit, tantum abest, vt ea rerum facies absterreret. Tùm Patres interrogare, an Laici fratres perindè, ac Clerici animæ salutem, Cælumque consequerentur? Ita, inquiunt, & fortasse faciliùs; quippè quibus expeditiorem ad gloriam viam munit humilitas. Igitur, Afflictus ait, modò salus animi contingat, nullum neque laborem, neque mei despectum moror, aut fugio. Hac indole humilitatis Patrum voluntatem, ac constantiam expugnauit, adscitusque in Ordinem, ac susceptis publicè vocis, ostendit, subindè quàm splendidū exurgere virtutū ædificium necesse est, vbi modestia, suiq; despectio fundamentum posuit. Cuiusmodi spiritus & alterum nobilem item genere virum, & qui diù militiæ operam nauauerat, se se Congregationi mancipasse, compertum habemus, licet non hoc quidem anno. Feliciano huic nomen fuit, qui contempta & ipse stirpe, ea vi precum B. Andream Auellinum pulsauit, vt demùm recipi inter laicos impetrauerit. Asperioris cuiusdam vitæ fuit: flagris quàm acerbissimis, alijsque afflictationibus mulctare corpus solitus erat, alacri semper manu, animoque. Testis interioris huiusce gaudij fuit familiaris quidam, ac solennis illi inter abiectissima opera cantus. Obijt verò pia morte vitæ non dispari.

Eius conuersionis occasio.

Quo ardore animi numerari cum laicis voluit.

Expugnauitque nolentes Patres.

Eiusdem spiritus Felicianus.

In eadem Paulina Domo vota etiam hoc anno nuncupat Ioannes Baptista Pescara Castaldus, quem appellare supra aliàs contigit. Eius virtutem commemorare in præsenti parcimus, ne qui superstes adhuc est, octuagenario maior, peti calamo suam modestiam doleat. Hoc interim dissimulatum non ibimus, eius industriæ, ac studijs cùm priscam, tùm recentem nostrarum virtutem debere plurimum, vt qui veteres Patrum memorias stylo exceptas, dum non finit interire, vna eademque insignium exemplorum scriptione, & lucem fecit Maiorum sanctimoniæ, & facem posteritati subdidit ad eorum imitamenta. Sed & quòd Conditorem nostri Ordinis cum Paulo Quarto præcipuum, Beatum Caietanum Thienæum, Romanis adscitum Sacris, fastis publicè nunc veneremur, eius item curis debemus, qui magni Parentis Sanctitatem, ac miracula vetustate penè obruta, excussa temporum caligine, ac situ, suæ luci, famæque, ac publicæ venerationi restituit: quod suo loco exponemus. Fuere, &

Ioannes Baptista Castaldus vota nuncupat.

Scriptis nostratum monumentis clarus.

Thienææ Apotheosi operam posuit.

alij per Ordinem præstantissimæ virtutis, ac nominis, qui nostræ se se hoc anno disciplinæ authorarunt. Romæ Sebastianus Mancinus, Florentinus, adolescens indole, ac genere nobilis, de quo sequenti anno dicemus. Romæ item Ioannes Pegna, homo Hispanus, Toletanæ Diœcesis, Vir planè integerrimus, ac prudentiæ numeris conspicuus, qui Romanæ posteà Aulæ beneuolentiam sibi, amoremque conciliauit. Placentiæ Laurentius Guarinonus, Placentinus, regularis obseruantiæ laude, ac cætera virtute spectatus.

Sebastianus Mancinus.

Ioannes Pegna.

Laurētius Guarinonus.

Pergimus nunc ad Comitia Romæ habita, anno supra octuagesimū quarto, quæ moderatus Innocentius Palescandalus est, Quirinalis Domus tunc Præpositus. Quæ sancita in hoc Capitulo fuere, ad Magistratuum lectionem, eorumq; potissimùm, qui interfuturi eidem Capitulo generali essent, pertinent. Præscriptus iterum domesticus cellularum cultus, ac proscriptus ornatus in ijs omnis, ac elegantia. Communis orationis tempus destinatum, Quædam de ieiunijs scita. Cantum præterea, ne in exornandis Sacellis familiarum insignia, ac stemmata apponerentur. Quod scilicet congruum Sacrorum dignitati videretur, vt nulla præter Sacra in Aris Symbola, aut emblemata prisco ritu inspicerentur. Quæ lex emollita posteà aliorum exemplo fuit, ac permissa quidem auita eiusmodi stemmata, modò sine fastu, ac fraude pietatis fuerint. Concionatores, qui hoc maximè tempore florere in Ordine cęperant, monendi Capituli consulto fuere. Ac primò decretum, vt qui Quadragesimales habere conciones cum ieiuniorum obseruantia nequiret, is eo munere ne fungeretur: neque enim par est, vt diuinarum legum obseruantia ab ijs in vulgus propinetur, qui ab ijsdem se se præceptis eximant. Verbis nunquàm ea quis probauerit, quæ factis pernegat. Ad hæc, ne ambitiosa quædam dictionis pompa, ac lues corriperet, siue corrumperet declamatores nostros, cautum seuerè est, vt lenocinium omne, ac superfluus verborum cultus ablegetur. Simplex, ac solida quædam locutio, sententiarum momenta, ac grauitas, Patrum testimonia, neruus, ac ardor ipse dicendi, ea demum sint effectricis, sacræque eloquentiæ instrumenta: vt quemadmodùm tota Apostolica est Clericorum Regularium vita, ita & Apostolica tota sit eorum dictio. Qui secùs faxit, facultas vt ei concionandi abrogetur, eodem statuitur decreto. Et meritò, se nanque, suique amœnitatem ingenij venditare, non Christum, morumque reformationem intendere venustuli hi vocabulorum textores videntur. Perstringit pereruditè, ac facundè ornatum hunc, floremque orationis Antonius Caracciolus in nostrarum Constitutionum notis, quem qui legerit, næ ille non exiguum fecerit pretium operæ. Quo quidem dicendi genere, neruoso videlicet, non accersito, vtebantur maximè Paulus Tolosa, & Paulus Maria Ardizzonus, qui hoc anno insignē sibi dicendo populorum admirationem pepererе. Hic Genuæ, ille Mediolani, vbi præclaræ eorum eloquentiæ cum fructu plaudebatur. Et Tolosæ quidem Diacono adhuc, non est prætermittendum, factam pridem facultatem à Gregorio Pontifice fuisse, vt Infula, quam stolam dicimus, vti, sacerdotum ritu, in suggestu posset. Idque, vt Micheael Ghislerius narrabat, ob egregiam eius facundiam, ac nomen. Ad Comitia verò vt reuertamur, præscriptus itidem in ijs domorum ordo, ac locus, vt Sancti Syluestri in Quirinali colle Cœnobium principem inter alia locum haberet, tùm quod in principe Vrbe, tùm quia instituta Religio in ea fuerit, fixa inibi primùm sede. Secundum à Romano Venetum domicilium foret. Tertium Neapolitanum Diui Pauli, & sic deinceps, habita potissimum ratione temporis, de quo nonnullæ ortæ iam controuersiæ, compositæ communibus suffragijs fuere.

Romæ Comitia An. 1548.

Sancita in ijs decreta quàm plurima.

Præcipuè de Concionatoribus.

Quibus interdictæ dicendi phaleræ.

Solida Tolosæ, ac Ardizzonus eloquentia.

Præscriptus domorum ordo.

Statim ab his Comitijs Cremonam ad Hieronymum Ferrum excurrimus, cui perhonorificam iuxta, ac operosissimā subire hoc anno prouinciam contigit. Enimverò cooptatus à Gregorio Pontifice superiore anno inter Augustos Patres Nicolaus Sfondratus, Cremonensis Episcopus fuerat in celeberrima ea nouendecim Cardinalium inauguratione, Virorum quidem quà sua, quà suorum luce oppidò illustrium, ex quibus, quod splendidum omninò, ac magnum, quatuor subindè in Romanos Pontifices euasere; nempè Ioannes Baptista Card. Castaneus, Ioannes Antonius Cardinalis Facchinettus, Alexander Mediceus, & hic, quem loquimur Sfondratus, qui Romam, vt purpureum galerum Pontificis manu solenni ritu acciperet, non

Nicolaus Cardin. Sfondra. Romam petit.

ante

ante huius anni Nouembrem mensem profectus est. Insulæ Cremonensis curas, ac negotiorum cam molem cui commendaret, haud deliberandum illi diù fuit. Etenim Hieronymi Ferri solertiam, zelumque, atque eximiam in agendo dexteritatem iam diù expertus, vt quem priuatis omnibus, publicisque interesse consilijs, ac cœtibus, voluerat; & qui iam communes eius Ecclesię res tractabat penè vnus, opportunissimum reputauit, quem suis ouibus procurandis suprema cum potestate in eo interstitio imponeret. Quod ille munus, vt singulari quadam prudentia, ita insigni obiuit cum laude modestiæ, qua ita forum, iudicia, mores temperabat, vt meminerit se religiosum virum: Vicariam quidem Antistitis personam induerat, non supercilium, ac vultum, vt cætera quidem ab officij dignitate, ac pondere demissus, ac perhumilis cùm esset, curas tamen, zelumque magnoperè intenderet, strictiore quadam iudiciorum administratione, ac censura morum peracri. Id quod vsque adeò Cardinalis Sfondratius domum reuersus probauit, vt iussus non post multò à Sixto Quinto Pontifice Taurinum adire, vt Philippum Emmanuelem Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ Ducis filium eius nomine sacro è fonte leuaret, statimque ab hac muneris functione Romam contenderet, eundem ipsum procurare Cremonensem Ecclesiam iusserit; commendaueritque certa spe, fore, vt aurei à Ferro mores in eos populos inducerentur. Quinquennium operoso eo munere functus is est, æquabili tenore prudentiæ, ac per summam reuerentiam, amoremque Cleri, & Ciuium, nempè vsque ad annum huius seculi nonagesimum, quo Sfondratus, renunciatus communi Patrum amplissimorum suffragatione Romanus Pontifex est, appellatusque Gregorius Decimus quartus. Ac tùm quidem euocatum Romam Hieronymum beneuolentissimus Pontifex summo loco habuit, vsus in maximis peragendis, consultandisque negotijs eius opera. Sed hæc in loco memorabimus.

Vicariam Ecclesiæ procurationem subit Ferrus.

Cuius prudétiá probat magnus Sfondratus.

Impositaq. iterum munera.

Quodquinquennium administrauit.

Porrò antequàm Romam Cardinalis Sfondratus contenderet, vt dignitatis, ac Purpuræ insignia acciperet, excurrere Mediolanum oportuit, obeundis videlicet parentalibus sanctissimi Cardinalis Caroli Borromæi, qui quarto nonas Nouembris abstersa mortalitatis lachryma Cælum petierat. Cuius nos obitum hic ideò recensemus, quòd non minimam planè iacturam tanti Viri desiderio fecerit tunc nostra Sodalitas, quàm ille incredibili voluntate, ac studio Mediolanum euocauerat, foueratque pari amplitudine, multusque enimuerò semper fuerat in ea ornanda. Planè cùm sacros Ordines singulari beneuolentia complecteretur Vir egregiè pius; tum minimam nostram familiam singulari quadam animi propensione prosequebatur: vt in præcipua nunc laudè ponamus, probasse nostrum institutum, moresque Borremæum, di laudasse sæpiùs, dilexisse semper. Est verò, quod à lectissima, sanctissimaque ea Anima liceat adhuc nobis polliceri. Nam qui Ordinem honestauit viuens, idem nunc Concilio Diuorum, ac cœtu receptus, non dubitamus, fore, vt patrocinio, tutelaque sua dignetur. Perficitur Cælo charitas, non excidit: beatisque ijs mentibus non ampliùs curæ, ac ponderi sunt mortalia, quæ tuentur, sed augere quodammodò gustum gloriæ videntur, cùm nostra iuuant. Et verò continuare adhuc D. Carolus Borromæus beneuolentiam, affectumque in nostrum Ordinem videtur. Nam cùm postremis hisce annis eius abnepotes, germani fratres omninò quatuor, præclara è stipite Borromæo germina, nomen Sodalitati nostro dederint, id Caroli consilio, instinctuque factum putamus: vt intelligeret quisque nostrum eius in nos studium: quando quæ cariora illi, ac propinquiora cognationis iure in terris erant, accessisse nostro Ordini voluerit. Effeceritque, vt floreret inter nostrates indole, ac numero sua Gens.

Carolus Cardinalis Borromæus sanctissime moritur.

Nostræ Sodalitati addictissimus.

Domestica nunc nostratum, virtute præstantium, funera describamus. Sebastianus Mancinus, quem suscepisse superiore anno publica Religionis vota diximus, hoc anno Septembri mense moritur in Sancti Syluestri domo, in ipso flore ætatis, quē multiplici quidem, ac insigni virtute venustauerat. Decidnū pomum esse, quod citiùs maturuit, sui exemplo comprobauit Mancinus, qui adeptus perfectionem quandam, ac maturitatem morum visus est, cùm acerbius est alijs, vt ænum, ita & ingenium. Rudimentum duntaxat vitæ posuit: delineare cælestis ille Apelles non totā effigiem voluit inchoasse abundè fuit, eritque profectò admirationi hoc virtutum initium, ceu Coæ

Sebastianus Mancinus pie obit.

Matris opinio de filij virtute ab ipso conceptu.

Veneris Caput. Et verò Mater, ornatissima, ac pijssima planè fœmina bonam sobolis indolem visa vel ab ipso conceptu æstimauisse. Eo siquidem tempore excitari se impulsu quodam, ac rapi, seusit ad commentandos peracerbos Christi Domini cruciatus non sine cùm animi, tùm corporis etiam sensu, quem voluptas postea consecuta est, ac certa persuasio, concepisse iam præstautiorem quandam sobolem, ac virilis quidem sexus, vnde & Sebastiauum animi sui destinatione iam appellabat; pro quo & supplicatum assiduò Numini aliorum precibus volebat; & ipsamet Dominicam quotidiè Passiouem percurrebat, vt occuparet animulam pietas, cruciatique Redemptoris amor. Is autem, vt lucem aspexit, visus profectò Matris opinionem, ac spes minimè lusisse. In ipsis nanque incunabulis quædam statim emicuere plusquam præludia, ac rudimenta virtutis. Coæua illi modestia fuit, quam lachrymis tuebatur biennis adhuc, si fortè expoliari minus decenter contingeret, ac tegere manu anxiùs conabatur eas corporis partes, quas nondum ætas, ac pudor aspici erubescebaut.

Respondítque Matris persuasioni Mancinus.

Eius à cunabulis puritas.

Specimen quidem insignis eius castimouiæ id fuit, quam semper coluit, ac verbis, gestuque præsetulit. Nihil profectò in eius pueritia spectabilius, quàm isthæc animi mundicies, & candor. Si quando loqui turpia coætanei incœptassent, is obstruere ipse sibi aures suis digitis solitus fuit, ne pudicitiam adflarent, libarentque admissa penitus verba: quod vbi illi animaduertissent, imponere vicissim ori suo digitum consueuere, cùm adesset Sebastiànus; quasi iuuicem monerenter, vt nonnisi castigatissima eo præsente verba pronunciarent, aut nulla. Parentibus obsequentissimus.

In parentes obsequium.

Solenne illi erat, siue abesset domo, siue rediret, se se Matri sistere, vt bene illa precaretur. Victus temperantiam, quam nesciuut omninò pueri, visus adstrictiùs coluisse. A prima nanque ætate die Veneris, ac Sabbatho rigorosiore quodam ieiunio ad panem fructus tantummodò adhibebat: per reliquam verò hebdomadam, portionem cum pauperibus ex æquo diuidebat. Frequens ad Xenodochia adibat, nunquam planè vacuus. Pietati in primis addictus; Horas Canonicas ad Romaui Breuiarij formam recitare, ac diuina commentari admodùm puer, adulto planè animi seusu, affectuque cœpit. Secretiora domus loca fundendæ orationi petebat; ac interrogatus aliquando, quid inibi rei ageret, lugere se noxas suas constanter respondebat; quod rigantes ora lachrymæ testabantur. Lucubrabat nocturnis etiam temporibus preces. Nec suam tantummodò alere pietatem, sed excitare & alienam studebat. Concinnauerat siquidem domi aram, ad quam fratres, ac domesticos, vt recitandis Deiparæ, Diuorumque litanijs adessent, enixiùs adhortabatur. Idque ad ingenium, atque artem quandam zeli in Ephebulo facit. Nam si quos ex seruis verrentes domum, aut quid aliud domestici operis nauantes comperisset, statim ad illos, prosequar hæc ipse, aiebat, at vos fundite interea temporis ad Christi vulnera preces: singulari nanque obseruantia in affixum Cruci Saluatorem ferebatur, atquè affici mirifice ab eius conspectu, habituque oris videbatur. Par illi in Deiparam religio.

Religio.

In Christi passionem pietas.

Ac in Deiparam.

Ieiunium singulis hebdomadis, preces verò in eius laudem horarias, & corouarias singulis diebus persoluebat, dedicabatque. Gestabat quandam eius imaginem pectore, quam exosculari identidem cernebatur: tùm matri seriò dictitabat: Hæc est Mater mea: tu quidem non mater, sed nutrix. Quamquam & Mater, & nutrix esse reuera illi magna Virgo videbatur, quippè quem ijs diuinorum sensibus, eoque lacte pietatis imbuebat. Planè persuasum habuit aliquando Mater eò iam virtutis, piæque mentis illum peruenisse, vt cælestia etiam ostenta promeruerit. Excidit quippè semel puero, obiecta sibi, cum Diuæ Mariæ à Campo Aedem inuiseret, duo è Cælo brachia, eaque linteata, quæ efformato crucis signo benedictionem impertirent.

Dignatus aliquando cælestibus ostentis Mancinus.

Ad hæc, præcipuæ illi curæ insectari acriùs otium. Quicquid à ludo litterario superat temporis, non ludis, nugisque, puerorum ritu, sed pia librorum lectione terebat; multusque præsertim erat in exscribendis Sanctorum vitis, ex quibus extat etiam nùm in maiorum suorum domo transcripta ab eo Eremitarum Principis, Pauli Vita. Quæ ipse exempla virtutis exprimere imitatione, ac moribus, ijsque informare etiam alios nitebatur. Enimuerò habere interdum supra id æui ad puerorum cœtus conciones è superiore loco videbatur, eaque vi exemplisque Diuorum adhortabatur ad

Nunquam otiosus.

bonos

bonos mores, vt admirarentur planè Viri graues, si qui fortè in dicentem inciderent; fratrum præcipuè indolē iisdem documentis promouebat, monebatque officij. Discere à Religiosis viris rationem expiandi ritè peccata consueuerat, tùm fratres edocere, hortarique, vt accuratè obirent. Ex ijs, qui vix infantiam excesserant ac pro modo instruere, instillabatque perbellè sacrorum sensum: ac in Ecclesijs quidem, si fortè interturbare suis lusibus diuina inciperent, componere munusculis, quæ dedita opera secum afferebat, solitus erat.

Quæ hactenus memorauimus, aliaque satis multa, quæ laudanda vel in viro, ac senes essent, intra vndecimum fermè eius ætatis annum concludebantur. Quo tempore amandatus Romam à Parentibus fuit; ceu posceret grandior iam virtus grandioribus exponi theatris. Admirari illum primùm contigit Philippo Nerio, cuius se se Mancinus clientelæ tradidit. Fidem penè sibi ipse abrogabat Vir Sanctissimus, vt vix indolem crederet, quam ipsemet in puero spectabat. Tantulam siquidem ætatem ijs virtutum gradibus, ac spiritus incrementis adoleuisse supra hominum fidem videbatur. Porrò, ne Dei munera ipse contraheret, ac progressiones retardaret, laxare currenti frænum constituit; permisitque præsertim, quod rarò prouectis Viris contingit, vt quotidie ad Sacram Synaxim accederet, communicatetque Christi Corpori. Id quod & Florentiæ item decenni puero indulserat is, qui eius pietatem formabat; vtpotè quem supra annos capacem diuinorum existimabat. Philippi ductu grassatus ad perfectionem virtutum via est Sebastianus; statimque dedicandi se se Numini mentem concepit, vt flos ille innocentiæ inter regulares disciplinæ sepimēta floreret pulchriùs, ac tutiùs. In familiæ delectu ab Sanctissimi Rectoris consilio minimè deflexit; elegitque nostrum Ordinem, quem Philippus præcipuo commendare studio solitus erat; ac si quos solidioris probitatis conspicaretur, qui renunciare mundo vellent, illos ad Quirinales Theatinos amandabat, incitabatque ad eas viuendi rationes capessendas. Planè haud memoratu facilè est, quo spiritu propositum sibi Religiosi instituti stadium decurrere, ac veluti exhaurire statim visus est. Admirationi, ac documento Magistro ipsi erat. At breuis omninò æui magna virtus fuit. Conceptis nanque vix votis, qui illum corripuit morbus in phtisim statim abijt, quo, florente quidem ætate, ac virtute, corpus confestim emarcuit. Modestiam, humilitatemque, ac cætera animi ornamenta in extrema vitæ periodo egregiè præsetulit, ac sacris expiatus, flexo ad hilaritatem vultu, ac planè ridenti, ceu iam suam gloriam auspicaretur, animam efflauit, communi quidem persuasione non hominem, sed Angelum ad pauciores abijsse. Ac Florentiæ quidem Catharina Riccia, percelebris in Sancti Vincentij Cœnobio sanctimoniæ fama Monialis, fertur Matri dixisse; esset bono animo; filium Deo iam frui inter Beatorum cœtus. Hæc de religiosissimo Iuuene, qui hoc anno die quarta, & vigesima mensis Septembris Romæ decessit, libasse, è re sanè legentium erit, qui & secum ipsi reputare facilè poterunt, ideò celerrimè vitam exuisse Sebastianum, quod è summo virtutum culmine ad Cælum breuis via est.

Romam amandatus vndecennis.

Philippo Nerio instituendum se tradidit.

Cuius nutu Quotidie Christi Corpori communicat.

Religionē cogitat.

At Philippo auctore nostram inijt.

Ac breui moritu.

Catherina Riccia Cęlo receptum Monialium affirmat.

Eodem hoc anno, eodemque Septembri mense, atque in eadem Quirinali Domo supremum diem clausit Vincentius Lucatellus, Mancino, quem modò locuti sumus, natu quidem grandior, sed qui cursū in Religionis circo celeriùs absoluit: ipso si quidem anno, quo solennem professionem emisit, occubuit. Quæ mors non potuit non ingenti quidem luctui, ac de damno Sodalitati esse, vt quæ virum æuo, doctrinis, ac non mediocri planè virtute iam maturum, insigni futurum ornamento communi rei sibi persuaserat. Bononiæ is natus est nobili loco, cumulauitque genus ingenio. Egregia nanque litteratura, Cæsarei præsertim, ac Pontificij iuris scientia insignem sibi famam nominis peperit. Neapoli summa cum laude eiusmodi studiorum interpres, ac professor fuit. Tum Romæ vtriusque signaturæ, vt aiunt, Referendarium egit, Gregorio Tertiodecimo Pontifici, quà spectata morum bonitate, quà Iuris prudentiæ facultate, ac splendore percarus. At breui Aulæ, rerumque humanarum omnium pertęsus, receptum cogitauit, applicuitque præsertim ad nostram Sodalitatem animum. Id quod Pontifex, etsi egregium consilium nostrique instituti rationem prolixè di laudaret, probare minùs videbatur, quòd cùm non perindè robustiores, firmasque in eo corporis vires cerneret, eius valetudini metueret, quam regulari disciplina,

Vincētius Lucatellus.

Vir à litteris instructissimus.

Vtriusque signaturæ Referendarius.

Vota inter nostros concipit, ac moritur.

plina, eiusque asperitate fore breui atterendam non dubitabat. At ille, qui perennitatem æui, non fluxam hanc vitam spectabat, Pontificem, obfirmata in Dei obsequio mente, exquisitis adeò precibus pulsauit, vt nutum, consensumque euicerit. At Religiosæ vitæ obseruantiam instituit vix, perstrinxitque Vincentius, cùm fatiscere corpus sensit; vt animus quidem vegetari in dies exercendæ virtuti, ac obeundis Religionis muneribus videretur, vires autem, ac membrorum vigor pessum irent. Quocirca id habere solummodò in votis, ac poscere impensiùs à Deo cœpit, vt tantùm sibi temporis permissum vellet, quoad Religionis se se votis illigaret. Et impetrauit quidem, emisitque ritè vota, ac non post multò vitam commutauit: præclaros solummodò conatus, ac mentis impetum ostendens in eo stadio, in quo strenue desudandum sibi præposuerat.

Benedictus Ferrerius piè obit.

Tertius in Romano item Sancti Syluestri Cœnobio, in quod visa hoc anno mors collimasse, in Cœlum abijt. Fuit is Benedictus Ferrerius, è nobili planè, ac prædiuite domo Sauonensis, qui Neapoli à Ioanne Marinouio in Ordinem admissus, plurimùm sub eius disciplina in morum, ac virtutum cultu profecerat. Hunc, vt aliàs meminimus, cùm plerisquè animi dotibus præstaret, tùm præcipuè remotior quædam vita, ac solitudinis amor tenuit. Rarò extra cellulam pedem extulit, secumque assiduò habitabat, diuinorum contemplationi addictissimus: vt percrebuerit inter nostrates opinio, Benedictum in ea laude arcanæ, tacitæque consuetudinis Carthusianos ipsos Monachos superasse. At enim, quamuis laudandum in Viro innocentissimo sit hoc viuendi genus, fatendum nihilominùs est, fraudi aliquatenùs fuisse cõmuni rei; quando cum ipso auctore latuere etiam præclara exempla, quæ non minimùm valuissent ad alios informandos, ac erudiendos.

Solitudinis pertcupidus.

Narrationem nunc ad Andream Auellinũm conuertamus, qui in exterorum salute procuranda assiduus, atque oppidò solicitus, auctus domestica etiam nostratum cura est, & quidem ampliore. Siquidem cùm superioribus Comitijs constitutum à Patribus esset, vt vbi duo essent nostræ disciplinæ domicilia, inibi non duo, sed vnus vtrique Rector præficeretur; celebrato Venetijs hoc anno generali Capitulo, admotus Neapolitanis domibus Andreas est, planè inuitus. Quippè cùm virorum, ac fæminarum numerus, in quorum ipse institutionem sedulam impendebat operam, plùs nimio excreuisset, vacare communi rei nostræ, ac vtriusque Cœnobij rectioni ægrè omninò posse sibi videbatur. At cui viridis senectus, ac animus, inijt quidem grauatè prouinciam, sustinuit verò strenuè. Eius autem initio excitatæ Neapoli ab infimæ sortis hominibus turbæ materiam exercendæ virtutis bono seni præbuere.

Venetijs Comitia generalia an. 1585.

Auellinus Neapolitanarum Domorum Præpositus.

Neapoli tumultus.

Subitarius quidam vulgi furor fuit, vt breuis, ita vehemens, detonuitquè is nimbus communi quidem formidine, sed vnius duntaxat interitu, nempè Ioannis Vincentij Staracij, Neapoli Populi Decurionis. In causa annonæ caritas fuit, qua nihil ad concitandos popularium animos valentius; nulla siquidem ieiunæ plebi reuerentia, aut timor legum. Igitur manare in vulgus cœpit, & credi ex facili, rei frumentariæ angustia, quæ mox in extremam populosæ Vrbis famem erumperet. Accendere concepta calamitas vilissimum, atquè audacissimum quemquè vehementiùs potuit; statimque ad arma conclamatum, vt quod auerti periculum desperabant, facto impetu, cæde, & sanguine vindicarent. Arma plebi quæcumque sors obtulerat, & quæ excitandis turbis satis essent; cæterùm multitudo, & furor, & inconditus quidam clamor, quàm arma, aut apparatus magis terruere. Effusus is illicò impetus in Staraciũ, in cuius auaritiam, artesque malas publicus rumor crimen refundebat. Nulla tegendo Viro religio, aut secretior locus valuit. E tumulo, vbi abdiderat se se, extractũ, in vestigio temporis conficiunt, discerpuntque. Nec visa placari immani ea litatione rabies. Sæuitum nanque in mortuum atrociùs, ac ne lateret in angulo facinus, imposita hastis caput, brachia, manus circumferre per celebriora Vrbis compita, ac fora, atque vnà raptare truncum corpus occœpere. Nec loci dignitas, aut Principis reuerentia improbam plebem prohibuit, quominùs solenni eo agmine per regias etiã Aedes transeundo, scelus cumularent. Præerat rei tunc Neapolitanæ Petrus Gironius, Dux Ossunensium, qui ne adaugeret ijs initijs flammam, si ferro scalperet, consumi in ea criminis pompa, ac ostentatione lymphatæ plebis impetum sapienter permisit.

Ob annonæ caritatem.

Staracius Populi Tribunus petitur, discerpitur.

Per Vrbem cõcitus circumfertur.

Petri Gironij Proregis prudentia.

misit. Et verò is erat in Vrbe communis omnium metus, ne valesceret per eam velitationem seditio, atque eo gustu sceleris accenderetur in perditissimo quoque auri fames, quam exciperet mox direptio, ac cætera deinde clades. Andreas Auellinus, qui vtrique, vt diximus, Neapolitano Cœnobio præerat, & qui turbas, earumque maximè causam intimè dolebat, id statim consilij flagrantissimæ charitatis instinctu quodam cæpit. Neapolitanæ Ciuitatis Magistrum adijt; quicquid suis in domibus frumenti, earum vsui, ac sustentationi esset; aperuit, obtulitque intrepidè; vt quid in publica calamitate alij facerent, edoceret, suumq; interea in Ciues affectum, qua posset præsenti ope ostenderet. Metiri ab vltronea ea liberalitate ingentes Auellini animos, ac supra omnium mortalium prudentiam charitatem Neapolitani proceres potuere. Verùm, quòd ijs familijs sufficere vix annonam illam cernerent, peractis Viro sancto gratijs, recusarunt, ac precibus vt laborantem Vrbem iuuaret, etiã, atq. etiã rogarunt. Ille ne non subleuasse communem inopiam in tanta rerum difficultate videretur, distributum magnam partem, id frumenti pauperibus voluit; iussitque interea plebeium, atrumque panem pro suis confici; hoc ipso sibi omninò interdicto, vt insigni exemplo, atque afflictatione sui strenuè domesticam tolerantiam animaret. Tumultus verò qui gliscere plebis contumia videbantur, priuatæ primùm orationi commendauit: tum vt irato Numini solenni ritu, ac pompa supplicaretur, publicam ad præcipuas Vrbis Ecclesias indixit supplicationem. Quæ cum insolens nostris res esset, excitare nouitate mirabiles in Neapolitanorum animis motus visa est. Institutum hoc agmen altero statim die fuit; cœptoque inter, primas faces itinere ex Diui Pauli Templo rectà ad Principem Ecclesiam inter pias apprecationes itum. Deindè Diuæ Mariæ Annuntiatæ, tùm Virginis à Carmelo Templum obiuere. Ad extremũ emensi Vrbem omnem, viasque frequentiores ad Diui Ludouici, quæ proxima Prætorio Ecclesia est, profunda iam nocte peruenere. Quod vbi Prorex intellexit, instructam Patrum aciem inspicere ipsemet è regijs Aedibus voluit, legauitque mox Andreæ suum à secretis, qui gratis illi prolixiùs haberet suo nimine de instituta ea supplicatione, à qua sperabat, fore, vt subsiderent procellæ, ac turbæ, rediretque Neapolitanæ rei tranquillitas. Et verò, quamuis visæ quidem intempestiuæ preces illæ nonnullis fuerint, qui abstineri à publicis eiusmodi pietatis argumentis satiùs ducebant, ne aut aut irritari acriùs multitudinem, aut consternari plùs nimio pusilli animi homines contingeret, nihil tamen minùs excepta fecundissimo bonorum omnium plausu res fuit; vt qui scirent, oratam à Deo opem nunquam non opportunam. Probauitque consilij rationem euentus. Nam cum sibi post paulò tumultuantium furor, inductaque pristina rerum facies visa fuerit, id cùm Diuorum Tutelarium patrocinio, tum indictis maturè ab Andrea supplicationibus acceptum retulere Neapolitani. Porrò in ea Vrbis lustratione noctem penè integram insumpsere Patres, vt statim ac domum rediere, continuatis vigilijs, ac precibus recitare matutinas horas oportuerit, quòd iam penè dilucularesceret.

Auellinus domesticam annonam Magistratui offert.

Mox pauperibus distribuit.

Interdicto sibi pane.

Misit Prorex, qui gratias Andreæ egeret

Sedata procella.

Andreæ supplicationibus attributa.

Præclaro hoc Beati Andreæ exemplo moniti iidem ipsi nostrates eadem religione excepere tumultus initia, qui hoc anno, quo hæc scribimus, septimo, & quadragesimo supra millesimum, & sexcentesimum Iulio mense ineunte, Neapoli exarsit, erupitque in apertam mox defectionem, mordente, ac recusante Austriacos frænos perduelli Populo. Enimuerò quo die ab immodica vectigalium exactione efferbuit, atque excussa patientia, volitare per Vrbem armata plebs cœpit, conspicati nostri homines semina, ac rudimenta grandioris mali, accersere è Cælo præsidium, ac frangere ipsũ statim popularem impetum publica prece decrenere; atque adeò cæteris facem prælucere propulsandæ calamitati. Ergò, probante etiam, atque etiam rem Ascanio Cardinali Philomarino, Neapolitano Antistite, Vrbem, sibi composito agmine, Diui Pauli, & Sanctorum Apostolorum Patres diuisere. Illi quidem ad omnem pietatis, ac modestiæ speciem compositi, visi Toletanam, celebrioresque vias alias supplicantes terere, ac iter ad Diui Ludouici intendere. Hi verò ex altera parte Ciuitatem obire, ac per Curiam ad Diuæ Mariæ Annuntiatæ Diuorum Litanias concinentes deuenere. Habitæ vtrobiq; in rẽ præsentem conciones; quàm breuissimè illæ quidem, sed quæ flagrantiore quadam vi dictionis quatiendæ multitudini opportunissimæ videri poteiam

Recurrentibus altero seculo Neapoli motibus.

Instituta item à nostris supplicatio.

Diuisa sibi Paulus, & SS Apostolorum Patribus Ciuitate.

rant. Cœpere quidem cùm aduesperasceret iam, supplicationes, atque adeò adulta iam nocte, prælucente syderibus cælo, rediere domum eodem prorsùs ordine, & cantu. Porrò suum quisque Præpositus vt eundo, ita & redeundo agmen duxit grandiore cum signo Redemptoris in Cruce pendentis. Et præerat tum quidem Diui Pauli Cœnobio Gregorius Carafa; is, qui eodem hoc anno defunctus generali Ordinis Præfectura fuerat; nunc Episcopus Cassanensis, doctrina, ac scriptis etiam voluminibus clarus. Sanctorum verò Apostolorum Domum moderabatur Lodouicus Antinorius, Vir ab celebri per Italiam eloquentia præclari nominis. Qui posteà cùm intenderet vehementer se se malum, alia pietatis adiumenta publicè, priuatimque singulari cum laude prudentiæ adhibuere. Cæterùm quàm luctuosè subindè luserit Neapolitana hæc scena: quantùm præcipui, vulgarisque sanguinis datum, haustumque; quot prostare in foro suis auulsa ceruicibus capita, ac discerpta miserandum in modum corpora visa passim fuerint; vt non tantùm tremere, sed pulsari, ac ruere Vrbem non vna quidem Arce tonante, ac fulminante, assidua tormentorum explosione contigerit; vt intestino, externoque milite perindè grassante, exulare pietas, ac misceri sacra, profana omnia visa sint: denique quæ ciuiles, diuturnioresque eos motus tranquillitas exceperit; vsquè quod excusserat in Regē obsequiū, fidelissimus Populus Neapolitanus, instaurauerit, nos quidē perstrinximus in hoc opere aliàs, nec deerit planè stylus, qui pro dignitate, ac fusè excipiat, dignamque posteritate historiā lucubret.

Licium in Messapia Vrbs ornatissima.

Sed ad lineam reuertamur, excurratque ad extremos Neapolitani Regni fines vnà cum Sodalitate narratio. Licium Vrbs est in Salentinis, Prouinciæ, quam Messapiam, siue Pencetiam vocant, caput, & quæ amplitudine, ædificijs, opibus, ac numero capitum reliquis Regni totius Vrbibus facilè præstat. Peruaserat eò nostrum Institutum, & quæ est gentis ardentior indoles, ac pietas, affici in illud mirificè cœpere Viri proceres; atque ea statim familia, quam dilaudariā vitæ rationibus, à proximorum studio, à nitore diuini cultus inaudiuerant, augeri suam Vrbem voluere; ac superiore quidem anno litteras Romam, vbi generalia habebantur Comitia, dedere, id summis omninò precibus efflagitantes, vt aliqui eò amandarentur Patres, qui sedē figerent. Inuitare flagrantissime populorum studia: adiumenta concinnandæ Ecclesiæ, ac domuī quà publico, quà priuato nomine in promptu esse: cætera alendæ familiæ non defutura, prona Ciuium pietate. Postulatis visum Patribus minimè annuere; quòd is fuit semper nostratum mos, vt cunctabundi, ac mora, & nonnisi repetitis votis Sodalitatem dilatarent. Desiderium repulsa exacuit, ac vertentibus hoc anno Venetis Comitijs, vrgere efficaciùs rem statuere, datis à plerisque è proceribus litteris, quos instituti ratio, ac mores nostri vehementer incenderant. Qui negotium inter primos strenuè promouebat, is erat Alexander à Montibus, ex Coriolani Marchionibus, Vir in ea Prouincia, ac foris spectatus, magni posteà nominis, bellicis nempè laudibus, ac præfecturis in Hispania, Gallia, Belgio, Italia percelebris, Thomæ à Montibus, Viri ex nostratibus multarum partium, Cotronensis deindè Episcopi germanus frater. Valuit eius præcipuè apud Patres auctoritas, lectique Felix Barilius, ac Ioannes Baptista Tufus, qui Neapoli se se in Vrbem Licium conferētes, exploraret perquàm diligenter omnia, vt nonnisi probato situ, loco, studioque Ciuitatis eò nostri concederent. Demandatam sibi prouinciam iniere Octobri mense Barilius, & Tufus, instituto ad Salentinos itinere, eosque ipsemet Alexander à Montibus deduxit, vnà cum Thoma fratre. Incredibilem planè sui expectationem concitauerant iam in ea Vrbe nostri homines, licuitque statim omnium ordinum beneuolentiam, ac propensionem cognoscere; nullis quippè officijs, honestandis ijs Patribus, atque explicandæ flagrantissimæ in Ordinem voluntati Licienses defuere. Ipse in primis Annibal Saracinus, Antistes, defecta iam ætate senex, gratulari summoperè visus est, quòd ipso adhuc superstite excolendam Ciuitatem illam susciperent Theatinæ industriæ, iuuandoque operi exhibuit se se prolixiùs. At non ea Ciuium vota, ac plausus satis fuere Patribus: cætera, quæ pernecessaria constituendæ eo loci Sodalitati essent, studiosè, ac maturè ad examen reuocarunt: reputaruntque apud animum suum, fore, vt inibi cum proximorum vtilitate, fructuque pietatis, & cum Ordinis etiam dignitate familia consisteret. Perfuncti suo munere, dum Neapolim Patres

Ordinem postulat.

Abnuunt nostri.

Rem pro virili vrget Alexander à Montibus

Valuitque eius auctoritas.

Inuisendæ coloniæ destinātur Barilius, et Tufus,

Qui excepti ingēti Ciuium studio.

Et Annibalis Saracini Antistitis beneuolentia.

Locum accuratè expendūt.

Patres reuertuntur, Thomas primùm Coriolani periculosè decubuit; sed eo conualescente, felicem Barilium longè grauissimus, ac supremus corripuit morbus. Nullis nec sumptibus, nec beneuolentiæ, pietatisque officijs pepercere eius Oppidi Marchiones Ioannes à Montibus, Alexandri, & Thomæ Patruus, & Teresia à Tufo. At lusit medicorum consilia, atque exquisita remedia morbi contumacia; vt breui conclamata eius salus fuerit. Qui quidem vt extremam aduentare horam sensit, occurrere egregia quadam animi constantia, ac religione suæ morti visus est, expiatusque supremis sacris, Nouembri mense, die Diuæ Catharinæ Martyri sacra, fato concessit: peracerbo quidem cum sociorum mœrore, eorumquè Marchionum sensu, qui nauatam in infirmum insignem pietatem, illustri mox funere cumularunt. Exequiarum siquidem iusta quò potuit pro loco magnificentiùs, soluenda Viro religiosissimo curarunt: & quidem geminatis, cùm ad amplius defuncti subsidium, tùm ad splendidiorem pompam funeris, parentalibus; semel Latinum in morem, accersito è vicinis oppidis Latinorum Sacerdotū ministerio; iterùm Græco ritu à Coriolanis Presbyteris, quibus Græcè obire sacra, mos est. Dixitque ad tumulum quidam è Franciscana familia, quam ab obseruantia appellant, perquàm appositè, luculenta virtutum, morumque laudatissimorum commemoratione. Tùm depositum in maiori Templo corpus propter Eram principem fuit; quod sæpiùs postea, vt in nostrum Liciense cœmeterium transferretur, cùm operam dedissent nostri, impetrare ab oppidanis nunquam licuit, eximiæ scilicet probitatis, pietatisque opinione, qua tenebantur, obnitente, ne eo pignore, monumentoque virtutis destituerentur. Porrò tanti Viri iactura etsi communis nostratum mœror fuerit: attamen exulcerare acriùs exteros visa est; præcipuè Constantiam Carettam, Sulmonæ Principem, quæ Barilij ductui suæ vitæ rationes omnes iam diù temperandas permiserat; vt non egregium aliquod opus aggrederetur, non opes effunderet, nihil profectò diceret, ageret, cogitaret nisi ab eo nutu. Is verò quandam, vt cum Constantia, ità cum cæteris singulari cum humilitate, comitateque coniunctam potestatem exercebat: placebatque eo vel maximè auctoritas, quod nonnisi profectum virtutum, animique cultum intenderet: vt nihil velle sibi, nihil Sodalitatis commodo videretur, admirabili plane cum laude modestiæ.

Curatum Latino, & Græco ritu funus.

Funebris laudatio a Franciscano.

Corpus Coriolani iacet.

Carettæ mœror ab eo funere.

Barilij in clientes suos auctoritas.

At de spectatissimi Viri animi dotibus sparsim hactenus, ac plura quidem diximus; corollarij vice pauca hic addenda ad perfectam præclaræ imaginis delineationem. Et verò inter cæteras eius laudes non postrema ea fuit; quòd cùm prouecta iam ætate Religiosum Institutum capessiuerit; trigesimum nanque annum excesserat, ità regulari se se disciplinæ, minutisque præsertim obseruantijs attemperauerit, vt inijsse à puero Sodalitatem, ijsque innutritus legibus videretur. Quocirca nihil à Barilio vnquam factum, dictumue, quod non regulis consentaneum fuerit; ad earum amussim, ac libram suos actus omnes exigebat, absolutissimum omninò Theatini moris exemplar. Externo oris habitu grauissimus. Verba illi, nisi quæ vsui forent, & quæ sincerus candor conciperet; vt qui fucum, artemque omnem, ac vel ipsam mendacij speciē, vt vmbram oderat. Diuini cultus apprimè studiosus, Ecclesias quàm diligentissimè procurabat. Exquisita illi in Diuos, ac sacra pietas. Caritas cùm in omnes, tùm maximè in ægrotos, quibus consolandis, iuuandisque sua manu nullus Barilio pronior. Externis proximorum curis magnoperè licet, distractus, eripi sibi orationis spatia nunquam patiebatur, cuius studio cum paucis addictus. In obeundis Congregationis muneribus, ac præfecturis prudentiam, mansuetudinem, zelum eximiè miscuit. Sed de Barilij virtutibus, animique ornamentis satis, quibus desiderari profectò diuturnitas potuit, vt quod serò Congregationi contigit, serò amitteremus.

Theatini instituti seruantissimus.

Eius in verbis parsimonia.

ac cętera virtus.

Cœptam nunc Liciensis coloniæ narrationem repetamus. Delatum ad Romanos Patres penes quos Capituli repræsentātis auctoritas tunc erat, negotiū fuit, ac Ciuium præsertim ardor expositus. At cum illi ea super re quicquam decernere abnuissent, expectanda Neapolitana insequentis anni Comitia fuere; in quibus quæ coram inspexisset, ac sanè multa de ciuium indole, pietate, ingenijs, tùm de Vrbis splendore, situ, ac propositis nostræ familiæ locis cum disseruisset Tufus, admissa communi omnium suffragatione ea domus fuit, ac destinati, qui eam incolerent Patres. Fuere hi

Acceptatur Liciense domicilium.

Petrus

Cui destinatur familia. Petrus Caracciolus, Thomas ipse à Montibus, Dionysius Anisius, Ignatius de Aloys nondum Sacerdos, & ex fratribus laicis Ioseph Mangrella, Capuanus. Qui omnes ineunte Nouembri mense viæ se se commisere, excepitque aduentantes quàm humanissimè Ioannes Philippus Pratus, è patricio eius Ciuitatis ordine Vir frugi, nostræque Sodalitatis summè cupidus. Quæ sedes sacris peragendis, exercendisque institutis muneribus primò nostris contigit, sacra Diuæ Mariæ Nouæ Aedes fuit, hæreditarium Palmerici Comitum Sacerdotium. Inde consequenti nimirum anno in frequentiorem profectò locum, ac penè Ciuitatis meditullium, translati, excitandum inibi à fundamentis Cœnobium, ac Templum designarunt. Adfuitque substructioni publico ære, ac nomine Magistratus, qui Diuæ Irenæ, quæ inclyta eius Vrbis Patrona est, ac Tutela princeps; exurgere, ac dedicari Aedem illam voluere. Atque eo quidem nomine peramplam omninò describendam Templi aream curarunt, vt ingens, ac longè luculentissimum extaret suæ Tutelari Diuæ publicæ obseruantiæ, pietatisque monumentum. Quod sanè extructum posteà, absolutumque ad omnem magnificentiam vidimus; ita vt præcipuis etiam per Italiam basilicis palmam amplitudine, cultuque præripiat. Cælaturis maximè, ac splendore artis præstat. Enimuerò mira quædam in eius regionis lapide facilitas cùm sit, sequi pronior artificis manus, atque ad omnes operosioris ingenij elegantias erudiri, atque exornari cernitur. Id quod videre præsertim est in Ireniana huiusce Aedis interna, externaque facie. Hæc autē Templi dignitas, ac magnificentia adaucta insigni postea ornamento fuit: translato eò è Romano Callisti Cœmeterio Diuæ Hireniæ Virginis, & Martyris corpore, quod inibi repertum cum ea inscriptione: [Sanctæ Ireniæ in pace.] Quod quidem ornando splendidissimo Sacello, quod, vt meminimus, in nostro B. Andreæ Templo extruxerat Horatius Oricellarius, Clementis Pontificis Octaui auctoritate extractum inde fuerat. Verùm, quod par esse, atque omninò consentaneum visum est Nostratibus, vt Sacri Hireniæ cineres in Diuæ Irenes Aede reponerentur, impetrarunt ab Oricellario quidem, vt munificè eos cederet, à Pontifice verò, vt Roma extracti Irenianum in Templum transferrentur. Et verò licientes Ciues perindè atque si Tutelaris suæ corpus missum eò fuerit, similitudine adamati, magnique nominis, Hireniam nullis non lætitiæ, atque obseruantiæ argumentis excepere; exculta quà syrmatis, quà lemniscis, ac festa fronde Vrbe, quà traducendum sacrum Virginis Corpus erat; explosis triduum æneis tormentis, missis, ceu lætitiæ nuncijs, festiuis in Cælum ignibus, ac celebrato omnium ordinum concursu Templo, quod instruxere nostri quàm magnificentissimè, vt prosequi exquisita honoris testificatione, omnique officiorum genere suam veluti hospitam Irene Hireniam videretur. At isthæc longè post multò contigere; nempè anno succedentis seculi quinto, procurante rem Christianam Paulo Pontifice Quinto. Ad caput iterum reuertamur. In eo rerum initio, antequàm Templi, ac Cœnobij fundamenta iacerent nostri homines, præcipua eorum cura fuit, vt excellenti sacrorum ministerio, ac sedulo proximorum cultura existimationem Ordini, famamque conciliarent, adaugerentquè Ciuium studia, quæ nimium quantum à præclaris ijs curis excreuere, perspecta præsertim propiùs instituti ratione, cui non rerum humanarum commoda, non opes, ac fundi curæ sunt, sed Dei duntaxat cultus, reique Christianæ dignitas, ac mortalium salus.

Quam excepit Io Philippus Pratus.

Quæ primo sedes nostris contigit.

Commutatur in frequentiorem locum.

Vbi Templū describitur D. Irenę sacrū.

ac planè magnificum.

Eò Virginis Hireniæ sacri cineres transferuntur.

Insigni pompa, ac studio ciuium.

Sacrorum cultus princeps nostratum cura.

At enim supremam quandam in ijs rerum rudimentis tolerare inopiam Patribus contigit; idque communi quadam persuasione, ex vano ea quidem, sed quam permisit Deus, vt prosperiores eius domus progressiones, fundaret de more ærumnis, ac strictiore rei familiaris angustia. Enimuerò cùm Constantiæ Carettæ singularem in Sodalitatem beneuolentiam, ac liberalitatem probè scirent, manauit in vulgus rumor, elargitam ab illa Patribus cùm Neapoli discederent, tùm domestico vsui, tum Cœnobio exædificando non modicam auri vim fuisse. Quod adeò à verò alienum, vt neque eius itineris impensas pijssima princeps iuuerit. Siquidem cum anno superiore in eo negotio conficiendo, ac in ipso itinere decessisset Felix Barilius, cuius illa obitum, ac desiderium peracerbè diù tulerat, decreuerant Patres ad Salentinos ea insalutata discedere, ne in eo officio, iniecta amantissimi Patris memoria, vulnus, doloremque retractarent: atque adeò neque longissimo itineri munificæ Principis

Principio angustia rei familiaris Licij.

manus adfuit. Obtinuit nihilominùs apud Licienses opinio, de ducendæ, fundandæq. illi coloniæ non minùs octo aureorum millibus cumulatos ab ea Patres. Quocircà cùm persuasum omnes haberent, bene illis esse, nec indigere aliena ope, quos benè nummatos Constantia dimiserat, nullus profectò erat, cui subiret, nostram inopiam sublevare: quæ cùm in dies excresceret; nec piorum liberalitatem postulando excitarent, sed vltroneam vetere instituto Patres expectarent; nihil propius fuit, quàm vt loco cederent, satius rati stationem deserere, quàm Theatinæ paupertatis silentium, regulamque infringere. At illuxit in tempore Dei bonitas; & postquàm aliquandiù tenuit allatæ pecuniæ rumor, ac rei domesticæ difficultas, certiores tandem facti Licienses sunt, nil attulisse familiam illam, præter supremam inopiam, quæ peramplam Ciuibus exercendæ pietatis materiam præberet. Quapropter effundere se se piorum charitas satis liberaliter cœpit, vt non modò fouendæ Patrum egestati, sed domus etiam substructioni spontaneæ eleemosynæ abundè sufficerent. Quod non ita post multò coram inspicere Ioanni Baptistæ Milano, primo nostri Ordinis Præposito generali, contigit, qui dum Congregationem vniuersam lustraret, ad eam Vrbem adijt, non alio planè consilio, quàm vt familiam inde reueheret. Allatū illi nanque fuerat, pressos summa egestate Patres, haud intendere animos, atque industriam suam posse ad sedulam animorum procurationem, Deique cultum, ac reliquam legum obseruantiam; proindèque ceu sterile cœlum, ac solum contigisset, auellendum omninò, aliòque transferendum stirpem, reputabat. Verùm cùm eò peruenisset, obiecta profectò est alia rerum facies. Etenim flagrare cùm priuata, tū publica in nostros studia aduertit: præterea lautam domi rem, frequentissimam Ecclesiam, alacres, incumbentesque in commune commodum Patres; denique florere quàm pulcherrime Theatinam disciplinam singulari cum animi voluptate, sensuq. inspexit; alioque planè, quàm accesserat, consilio discessit. Sed de hoc fundato ad vltimas Italiæ oras Domicilio, ingenti quidem cum fructu hactenus.

Vt penè loco desererent.

Sed affulgente in tempore Dei prouidentia.

Occurrit Præposito generali alia domus facies

Stylum vocat Thomas Golduellus, Episcopus Asaphensis, qui hoc anno Romæ in Sancti Syluestri domo supremum diem clausit Aprili mense, profundè quidem senex nempè ætatis anno quinto supra octuagesimum, Sed cui adhuc vt virtus, ita & corpus vegetum. Qui publica Romæ munia cum laude, ac singulari probitatis fama exercuerat, communi etiam cohonestatus mœrore fuit, obiuitque maximè funus præcipua Anglorum nobilitas, qui in Romano eo exilio illum, ceu commune perfugium, ac parentem venerabantur. Nec facile dictu est, quo prosecuti sensu doloris, ac lachrymis exequias illas fuerint. Se nanque grande præsidium, ac decus Romana in Aula amisisse intelligebant, Angliam verò virum, cui nulla potior cura, quàm Anglicana dignitas, eiusque auita religio. Et quidem vsque adeò flagrabat vel in extrema ipsa ætate ardentissimum eius in Patriam studium, vt si post quatuor omninò expeditiones, noua se se defecto seni eò transmittendi dedisset occasio, vicisset profectò animi ardor effœtas corporis vires. Planè maturior iam æuo, ac tempestinæ occubuisse videri poterat; tamen deteriorē in dies patriæ religionis statum, iuratam in Romanum nomen Reginæ rabiem, atque interclusos pietati, ac Catholicis viris in Angliam aditus, festinasse optimo Antistiti mortem existimarunt plerique omnes. vt quamuis non illum persecutio, ac gladius abstulerint, dici tamen bono iure possit, pro Patria, ac pro fide Orthodoxa mortuus; exhaustus nempè nimio dolore commutatæ in Anglia religionis, & confectus ea clade sacrorum. Iam verò tanti Viri virtutes non vno planè in loco huiusce historiæ disseminauimus. Illas hic denuò ob oculos ponere, ac veluti in vnum corpus diuulsa membra componere, vt totum simul Asaphensem repræsentemus, esset sanè lectoribus non iniucundum, nec omninò infructuosū; sed parcimus, ac satis erit ad eius imaginem describendam quædam ab aliorum calamo, ac iudicio lineamenta ducere, vt eò luculentior accedat solidæ præstantissimi Episcopi virtuti opinio, quò maior haberi exteris, quàm domesticis testimonijs fides solet. Et quidem non minimum eius nominis, morumque famæ momentum affert Cæsar Cardinalis Baronius, qui in eruditissimis ad Romanum Martyrologium vigilijs, cùm de Sancta Venefrina agit, complures quidem auctores laudat, à quibus præclara Virginis ac Martyris acta hauserat, sed vberiorem eorum testem fuisse

Romæ diem obit Thomas Godouellus.

Luctu præcipuè Anglorū

A studio, Zeloq. Patriam.

Destinatus eius obitus.

Extera de Golduelli indole testimonia.

Cæsar Card. Baronius.

A Nort. Mart. ad diem 11. Nouemb.

Asaphensem, ait, illūq; honestatū hoc elogio voluit, candidissimè quidem quod in obierat: (Maiora, inquit, his accepi à fidelissimo teste oculato Reuerendissimo Thoma, Episcopo Asaphensi, Romani Pontificis in obeundis Episcopalibus functionibus suffraganeo Vitæ sanctitate, fidei confessione, atque doctrina conspicuo, nuper Romæ dolore omnium optimorum ex humanis sublato). Hæc ille. Sanè quod fortè memorare in loco prætermisimus, inter viros doctissimos, quos Romani Martyrologij reformationi destinauerat Gregorius Pontifex Tertiusdecimus adlectus & Asapensis fuerat, atque adeò in ea Congregatione, in qua Baronius primarum partium actor erat, cognosci ab eo intimè ipsius virtus, sanctitas, eruditio potuit. Baronio ad nectimus Nicolaum Sanderum, rerum Anglicarum Scriptorem, qui vbi Golduellum inter proscriptos ab Elisabetha Episcopos numerauit, hæc statim de illo: (Thomas verò Golduellus Asaphensis plenus pietatis, & dierum viginti sex postea annos Romæ vixit, & non ita pridem felicissimè, & sanctissimè in Domino obijt.) Ac in eandem sententiam Polinus, alter Anglicanæ rei, ac tragædiæ textor, illum virtute, ac meritis cumulatissimum obijsse memorat. Qui verò habenas in eius laudes visus maximè laxauisse, is fuit Robertus Turnerus, homo Anglus, doctrinarum splendore, sed eloquentia in primis celebratissimus, qui datis Ingolstadio ad Asaphensem litteris, nobilissimum quà genere, quà indole iuuenem, natione Germanum, qui admitti in nostrum Ordinem postulabat, illi commendat. Disertissima ea quidem epistola est, ac in Golduello dilaudando planè multa, sed quæ, vt Gentis morem, candorem que ostentat, ita citra omnem assentationem est, à qua nullum Viro graui simo pretium. Habetur inter eiusdem Turneri opera, Ingolstadij edita, & nos hic integram exscribemus, vt qua floreret apud optimos viros opinione Vir optimus, in hoc breui veluti Commentario legat, quisquis volet. Sic verò habet.

A De Schism. Angl. lib. 3.

Nicolaus Sanderus.

Polinus.

Robertus Turnerus.

Scripta ad eū epistola.

Robertus Turnerus Reuerendiss. in Christo Patri Thomæ Golduello Episcopo Asaphensi S. P. D. Romam.

Diuinæ beneficentiæ vis magna est in magnos, bona in bonos. Nam nec magnorum ingenia vult latere in angulis, nec bonorum virtutes includi angustijs. Non ostendo hoc in Syluestris, Antonijs, Paulis, quorum virtutes latentes in cauernis tamquàm triumphos Cæli Deus protulit in aspectum, & in huiusmodi quendam quasi currum imposuit: sed noto in te. Voluisti latere in solitudine Syluestri; sed non potuisti magnus: voluisti in sanctis Monasterij septis esse bonus tibi, sed debuisti esse bonus multis. Radix tuæ bonitatis posita est in Italia, rami sparsi sunt per Angliam, fructus decerptus est à toto penè mundo. Italia te fecit Episcopum, Anglia habuit; sed hoc nō fuit satis tuæ virtuti. Deus voluit, Angliā te repudiare Episcopū, vt totus mundus te coleret Episcopum. Notior res est, quàm vt debeam digito notare. Sparsos per Italiam, Angliam, Galliam, Hispaniam presbyteros, quos tua manus inunxit, tua virtus excitauit, tua virtus complexa est mundum, seu potiùs mundus tuam virtutem. Non hoc scribo, vt adulationes influam in tuas aures, sed vt in gloria tua prædicem Deum, qui sic est largus in bonos, vt in egregiè bonos semper velit esse egregiè largus. Vide quæso Deum bonum, & vide in Te. Vult Germaniam, optimam mundi partem, esse tuæ vitæ, tamquam Comœdiæ extremum actum. Nam tibi venit Germania de N. Viro locuplete, & nobili, ac supplex venit per virtutem tuam, per merita Sancti Syluestri. Non est, cur repetam altè rem. Nostri virum, rem mentem. De Viro vis apertiùs? Nihil est in Sueuia eo Sueuius, idest, candidius, doctius, suauius. De mente, vis clariùs? vult. De re? potest. Qui vult sincerè, & potest liberè in re Religionis, omne tulit punctum, si benè intelligo Diuum Bernardum. Hæc sunt interna, externa illa. Nihil est in eo ambitionis, multum honoris. Aulæ maximæ ambierunt eius virtutem, Aulas contemnit, quærit solitudinem. Habet agnationem prædiuitem felix, clientelam numerosam locuples, amicitiam florentem doctus. Vno verbo in mundo est magnus, siue narrem honores, siue pecunias, siue doctrinam, siue personam, quam apud Principes tuetur magnam multos iam annos summa cum gloria. De morbis

morbis nihil est, cur timeas: optimè est habitus, atque ita valet, vt nihil penè viderim, aut in tantis laboribus firmius, aut in tot virtutibus pulchrius. Non pergo magnus est, doctus est, sanus est, vester vult esse: potest esse; non recipitis anhelantem, inhiantem inuestrum gremium: Adde, eum, me suadente aliud, ita pertinaciter velle esse vestrum, vt planè putem, hanc mentem esse non haustam, sed instillatam è Cælo. Quare si eum incitetis vnis modò litteris, facietis planè, quod est dignum & vestra charitate, & illius virtute. Nam non vult ingredi tantum iter nulla spe; ne qui in mundo est magnus, hac repulsa fiat nullus. Vale Ingolstadij.

Hæc Turnerus, ac de Germano quidem iuuene non deliberandum nostris fuit, quippè quem fatum maturiùs, intercepit. Golduellum verò fatis hæ Turneri laudes cohonestarunt: neque de illo postremò hic dissimulandum, quòd paulo antequàm animam efflaret, diuino quodam spiritu afflatum, disertè pronunciauerit, fore, vt Gregorius Pontifex è viuis intra paucos dies excederet: quod eo prædixit tempore, cùm ita valebat, Pontifex, vt proximo die lunæ Patrum amplissimorum Senatum, quod Consistorium vocant, habuerit; sed insequenti Metturij die, septimo videlicet à Golduellii obitu, posita mortalitate, prædictionem probauit. Quod excellentis omninò cuiusdam virtutis argumentum in Golduello fuit. Siquidem cumulari prophetiæ dono, raro nisi optimis viris contigit. At nos hac etiam de causa id recensuimus, vt commemorato Maximi, atque optimi Pontificis obitu, peracerbum vniuersi nostri Ordinis sensum, summamque in illum gratitudinem, atque obseruantiam litteris consignemus. Ingens profectò Gregorij laus fuit, ea magnitudine, ac vi mentis Orbem, Christianum, eiusque publicas opportunitates procurasse: verùm ab illa cura terrarum ad priuata etiam aliorum commoda descendisse, non exiguum magni animi specimen fuit. Peculiarem hanc eius prouidentiam, humanitatemque experta non semel nostra Sodalitas est, vt aliàs innuimus: proindèque, & profiteri sæpiùs debitum par est, ac rependere beneficium, qua possimus, historiarum nostrarum perennitate, ac fama. Testatam hac porro Magni Pontificis in nostrum Ordinem voluntatem, satis hic fuerit. Nam in eius ingredi laudes, non est nostræ facultatis. Præterquàm quod, cuius imperij fasces, Religio, iustitia, magnanimitas, pax tenuit, is quo plausu regnasse dicendus sit, est adeò compertum, vt nostro aut testimonio aut elogio non egeat. Gregorium in rei Christianæ administratione secundis Patrum suffragijs excepit Sixtus Quintus, Pontifex renunciatus die vigesima quinta mensis Maij, qui visus eiusdem in nostrum Ordinem beneuolentiæ, ac liberalitatis hæres fuisse. Atque hoc potissimùm anno cùm Sancti Syluestri Patres amplissimis indulgentiarum muneribus cumulat, tùm alteri Romano nostro Cœnobio impensiùs fauet, edicitque, vt Piccolomineorum domum, Diuo Andreæ mox dicendam, vacuam relinqueret Seminarij pubes, quod memorauimus; eidemque Domui à vectigalibus immunitatem sequenti anno perbenignè indulsit. Ab eo autem propagatus postea in gentem suam hic amor est, fuitque Perettis, ac Montaltis, vti significatum est, institum, fouere, atque ornare Theatinos.

Gregorii XIII. mortem prædixit Golduellus.

Libatæ eiusdē Pontificis laudes.

Cui successit Sixtus V. nostri Ordinis studiosus.

Transmissa in suam gentem beneuolentia.

Huius Pontificatus initio, hoc est Nouembri mense eius anni, Vir quidem nostri Ordinis amantissimus, atque inter primas Augusti Senatus Purpuras, magnique nominis Cardinalis, Romæ obijt. Fuit is Guiglielmus Sirletus, sæpè memoratus, inferendus planè nostris Commentarijs, fine beneficia, quæ à nostris accepit, siue quæ in nos contulit, numeres. Enimuerò cùm in tenui quidem fortuna Romæ ageret, paucis; ac bonis notus, sapientissimus nostræ Congregationis Parens, veræque virtutis æstimator, Paulus Quartus, raptum ad Infulam, inter Protonotarios, quos Participantes vocant, adscripsit: eoque postea iudicio, affetuque insignem Viri virtutem, moresque incorruptos, ac præstantiam omnigenæ quà sacræ, quà profanæ eruditionis, cum exacta præcipuarum linguarum peritia coniunctæ, est prosecutus, vt destinauerit iam animo, tot meritorum nomina splendore Purpuræ honestare, quam secuta eius mors distulit illi, non abstulit. Ac interim inter Pontificios familiares nullus Sirleto Paulo carior. Illum super mensam de diuinis rebus, Sacræque Scripturæ locis differentem audire: illum priuatis colloquijs in con-

Card. Sirletus moritur.

Honestatus olim à Paulo Quarto.

filiorum, curarumque partem vocare: illum domestico in facello ad alternam psalmodiam cum paucis adhibere. Eo vti magistro in sacrarum litterarum, linguarumque studiis Alphonsum Cardinalem Carafam, nepotem, & Antonium Carafam à poculis, posteà item Cardinalem, voluit. Illum denique in extrema vitæ periodo adesse sibi nouissimis officiis, piisque adhortamentis iussit. Quam beneficentissimi Pontificis voluntatem abundè compensauit Sirletus singulari in nostram Sodalitatem studio, acceptasque à Parente gratias, referre soboli voluit. Erudiendæ præsertim in Hæbraicis, Græcisque litteris, sacraque omni eruditione Iuuẽtuti nostræ operam dedit in Quirinali domo, vbi à Pauli Quarti morte inter nostrates aliquandiù vixit, Præceptor Infulatus, ac victu, cultuque penè Clericus Regularis. Cumque plerosque ex ea pube præclara eiusmodi litteratura imbuerit, tùm Antonius Agellius ab eius schola, vt diximus, prodiit, qui eximiis planè lucubrationibus suis Magistri nomen, doctrinamque apprimè commendat. Continuauit postea in Purpura, nunquam abrupto beneficiorum cursu, in nos, ac nostra humanitatem suam vir magnus; eaque affectione, atque ardore animi curabat res nostras, ac si è Theatina disciplina esset. Nostratum verò eiusmodi in illum obseruantia vicissim erat, vt communis nostræ familiæ Parens, ac Tutela videri posset. Is porrò, postquàm plura in Catholicæ rei decus, nitoremque contulisset, consilio, studijs, vigilijs, exemplo etiam innocentissimæ vitæ, consensuque virtutum incredibili, septuagenario maior vita fungitur, prosecutusque est funus communis mœror, ac persuasio, Purpuratos quidem alios posse à Pontifice subrogari, non autem Sirletos.

Nostræ Iuuentutis magister in Quirinali domo.

Ab ea schola Antonius Agellius.

Transimus Neapolim, vbi vertẽte anno cœpta generalia Comitia Kalẽdis ipsis Maij in Diui Pauli domo. Præfuit Marcus Palescandalus, singulari quidem prudẽtia; eoque agente declaratum in primis est, nostris legibus, etsi vindicari acriùs earum transgressores debeant, nullam tamen adnexam culpam esse; nisi moderatorum præceptum accedat, aut subditorum contemptus. Commune, ac solenne id est plerisque sacris Ordinibus, ne grauari plus nimio conscientias contingat. Huic decreto illud affine, vt quam habent Præpositi, potestatem, ac vim obligandi sub mortali, disertè nimirùm præcipiendo, ea ne passim, sed per quàm raro vtantur; idque ne ex vna quidem parte occaleant præceptorum assiduitate subditorum aures; ex altera verò atteratur frequẽti vsu Rectoris auctoritas, fiatque breui, vt prudenter ille, continuo telorum iactu inermis. Consultum præterea rei familiaris administrationi. Tùm abrogata exterorum officijs vis omnis, ne potentiorum interpellationibus, quàm sua potiùs virtute, niteretur nostri. Præter hæc, aliaque prudenter sancita, facta nostris domibus facultas, oratoria, cætusq; piorum hominum excitandi; formandæ nimirum, promouendæque pietati, quæ alitur maximè priuata in eiusmodis locis communicatione sacrorum, ac familiaribus præsertim colloquijs, neruorum plenis, ac citra omnem cultum, ac fucum fructuosissimis. Facta hac à Comitijs potestate, omnium primum in eodem Diui Pauli Cœnobio erectum Oratorium est, quod à Domino Cruci affixem nominatum voluere. Et enata tùm quidem admodum opportuna occasio cogendæ honestissimæ perinde, & pijssimæ multitudini. Floret etiamnùm Neapolitana in vrbe Sodalitas, Alborum vocant, multis retrò annis instituta, memorata à nobis aliàs, & quam frequentasse olim sanctissimum Parentem nostrum Caietanum Thienæum, diximus. Eius partes sunt, capitis damnatòs omni pietatis officio prosequi, sacrisque procuratos ad supplicij locum, instructo agmine, alternaque cohortatione deducere. Percelebris profectò numero, ac splendore capitum is erat tum cœtus, quem Neapolitanæ nobilitatis, ac virtutis flos, Ecclesiastici, profanique ordinis implebat. Iam verò, quòd indecorum omninò videretur, seculares viros eo fungi munere, quod dicendi facultatem, rerumque diuinarum sciẽtiam cùm requirat, non nisi doctos homines, ac sacros decet; cautũ hoc anno à Philippo secũdo Rege est, vt posthac nullus è secularibus neque authorari in eo cœtu, neq. id obire ministerii posset, relicta Ecclesiasticis prouincia. Hac pronione quidem studio arripuere occasionẽ nostri homines, statimq; ab diuulsa ea Sodalitatis parte, conuentũ ipsi cõflare in Paulina Aede cogitarũt; maximè quòd viri proceres illi fermè omnes nostratũ opera in expiãdis conscientijs vtebãtur; idque vehementiùs expetebant, ne incitatus semel in pietatis opera, atque exercitamenta virtutum eorum animus,

Neapoli Cap. generale an. 1586.

Sancitæ in eo leges aliquæ

A Ouid. citat. à Sacr. Can.

Fit erigendi oratoria facultas.

Crucifixi Oratorium in D. Pauli domo excitatur. Occasio.

animus, languesceret; sed mutato licet studio, eidem pij Instituti cursum tenerent, essentque qui monitis, exemplisque calcaria, ac faces admoueret. Igitur, Præpositum agête Andrea Auellino, die quartadecima mensis Septēbris, exaltatæ Cruci sacra, in qua & cōditum olim nostrum Sodalitium, instituta noua isthæc acies, ac Sodalitas sub Christi Cruci affixi auspicijs, ac nomenclatione. Qui primus regendi eius coetus prouinciam Suscepit, fuit Paulus Tolosa, cuius iam ab insigni eloquentiæ facultate percrebuerat Neapoli nomen. Instituit is porrò eo spiritu rem animorum administrare, eaque efficacia sermonis æternorum commēdare gustum, ac pretium, vt breui auctus magnopere odalium numerus, ac loci pietas fuerit, confessumque prænobiles quique viri, incensi virtutum studio, Celebrarent. Qui quidem quam, Pectore Tolosa, flammam caritatis concepere, non intra suos tantummodò profectus, Deique amorē concludi, sed diffundi, ac veluti diffindi in proximos voluere. Eorum nanque miserias, ærumnasque pro virili propulsare, imperata inter se se, collataque stipe occœpere: peruenitque huiusce statim pietatis fructus ad carceres, ac Xenodochia, tùm ad id maximè miserabiliū personaum genus, quarum fortunam, paupertatemque adauget pudor. Horum autem operum sanctitas vbi in vulgus permanauit; mirum qua excepta commendatione est, inflammauitque vsque adeò aliorum pietatem, vt cùm effundi in eiusmodi caritatis officia opes suas constituerint, id nonnisi Oratorij Crucifixi fidei commendauerint. Ex ijs prima fuit Constantia Caretta, quæ nullam non piæ erogationis laudem complexa, decem non minùs aureorum millia huic Sodalitio legauit; quorum prouentus, qui postea ad quingentos supra mille nummos aureos peruenere, eorum asserendæ liberati impenderentur, quos aut contractum æs alienum carceri mancipatos detinebat, aut in triremibus, elapso iam tempore agebant. Constantiæ vestigia secutus Horatius Lanoya, Sulmonæ item Princeps, nostro quidem Ordini addictissimus, ex eo Alborum olim Albo, qui eidem pietati exercendæ solni non exiguam in singulos menses pensionem Paulino Oratorio, cuius ipse Sodalis erat, ex testamento iussit. Accessere mox & alij peramplo itidem censu, qui inter præclaras Sodalitij curas & illam adiunxere, vt puellarum pudori consuleretur, legato in earum dotem prouentu annuo. Quos hic omnes singillatim appellare vt superuacaneum videri poterit, ita vnus non prætermittendus Paulus de Curtis, Episcopus Iserniensis, vir & primaria suorum toga in Neapolitanis subsellijs, & sua Infula, doctrinaque cum paucis spectatus; vitæ in primis innocentia, ac religione cum Neapoli, tùm Romana in Aula commendatissimus. Is luculentum quidem patrimonium supra quinquaginta aureorum millia pijs visibus cùm addixisset, non alteri, quàm Paulini Oratorii Rectoribus administrandum, distribuendumque permisit: certus nempè, fore examussim voluntatem suam implendam, si incorrupta ea Sodalium fides, ac diligentia destinata à se pauperum commoda procuraret. Hoc omninò diues, quòd sciuerit suis opibus pretium facere: neque enim à sua luce venit auro nobilitas, ac splendor, sed à præclaro vsu: vt quod vile alioqui ex se est aurum, tunc demum in pretiosum se se induat metallum, si miserabilium hominum, ac inopum puellarum manus tangant. Iam lautis hisce optimi, pijssimique Antistitis fortunis, ac vectigalibus, si facultates deindè addas, quæ tùm ab Institutæ Sodalitatis initio, tum legatæ postmodam successu temporum fuere, subducta ratione, excedere hoc patrimonium reperies centum, & quinquaginta aureorum nummum millia, certa nempè adiumenta egenorum, ægrotantium, pupillorum, viduarum, ac pudicitiæ præsertim percilitantis firmamenta. Vt autē stet sua cuique laus, non hic dissimulādum, qui huiusce Sodalitij incrementis, ac splendori egregiam operam nauauit, fuisse Iustinum Barnabam, sacerdotem ex nostris absolutissimæ virtutis, atque ie rectione præsertim animorum experientissimum. Enimuerò, cùm demādatum subindè illi administrādæ Sodalitatis munus esset, singulari quadam in agendo solertia, ac suauitate ita sibi Sodalium beneuolentiam, voluntatesque adiunxit, vt planè dominari in eorum animis videretur, eosque quamcumque in partem vellet, flectere. Eius quidem hortatu; nutuq; pleraque eorum operum, quæ tanto cum mortalium commodo, ac miserorum subsidio hodieque exerceri diximus, instituta sunt; eoque temporis spatio, quo prouinciam illam tenuit; tenuit autem quoad vixit; & frequentia procerum, & exercitatione virtutum, & officiorum varietate; & pietatis fama amplificata mirum in modum Paulina

Paulus Tolosa primus Oratori Rector.

Charitatis officia ab eo Coetu.

Quibus exercendis legat cēsus annuos Constantia Caretta.

Et Horatius Lanoya Sulmonę Princeps.

Pauperum itē puellarum dotes distributū.

Paulus de Curtis in eo genere pietatis largus.

Crucifixi Oratorij opes

Iustinus Barnaba eius Sodalitatis Rector.

A cuius industria.

Excreuit ea pietas.

hæc Sodalitas est. Vt autem capitum celebritati par etiam esset & loci dignitas, id impensiùs curauit Barnaba, vt commutato in commodiorem domus partem situ, non opportuna modò, sed magnifica etiam contingeret huic Larario structura, ac species. Et verò præter amplam omninò aream, exornata perquàm splendidè eius facies est, picturis quidem elegantissimis fornix, solido vero, parioque ex marmore, & columnis Ara: elaboratis vtrinque pulcherrimi operis, atque ingenti quidem sumptu subsellijs; vt nullus profectò extet Neapoli Oratorij locus aut amplior, aut magnificentior.

Commutato etiam loci situ.

Ac magnificè exornato.

Hæc, aliaque hoc anno à nostris, qui Neapoli in D. Pauli domo agebant, efformandæ, augendæque communi pietati. Quo tempore ijs, qui in sanctorum Apostolorum domicilio degebant, Patribus in eadem pietate expurganda egregiam ponere operam contigit. Memorauimus supra aliàs, hoc videri nostræ Sodalitati insitum, subodorati illicò vestigia hæresum, easque accuratè peruestigare, ac feliciore quidem successu detegere, siue peculiare id Dei donum fuerit, siue transmissa à nostris sanctissimis Parentibus, præcipuè Paulo Quarto Pontifice, & Caietano indoles, qui vt peracri quadam vi, atque ardore animi in eiusmodi ipsi valebant monstra, ita traduci in posterorum animos hoc idem aduersùs impietatem odium, sensumque voluere. Igitur sacerdos quidam Ludouicus nomine, fixa non longè Neapoli, in edita eius montis parte, qui Stabijs imminet, sede, Eremita videri poterat, volebatq; cultu quidem, victuque aspero, & qui crassiori cuidam tunicæ adpressam nudo corpori ferream catenam addiderat, eodemque fermè habitu familiam sibi aggregauerat, ne solus esset malus, habebatque suæ impietatis emissarios, ac sui similes administros. Enimuerò corruptus intimè hæresum lue erat vir deterrimus; idque austeriore ea specie cōtendebat, vt sanctitatis aura emendicata, proueheret feliciter acatholicam doctrinam, militaretque in Christianam religionem sub ijs sanctimoniæ signis. Collegerat planè excellentis cuiusdam virtutis, ac spiritus famam non modò apud Stabias, aliaque vicina oppida, sed Neapoli etiam, cùm apud vulgus, tùm apud proceres, ac præstantioris notæ, vitæque viros, qui externa veteratoris Eremitæ pompa decepti, illum supra hominem esse, ac peculiari quadam diuinorum consuetudine, vsuque frui reputabant; vt ponerent quidem in lucro, ac laude eius vti familiaritate: cum interim ipse conciliata omnium opinione, ac gratia propinandi pestilentissimos errores suos occasionem minimè præteriret. Virum sepositæ vitæ rationi, ac eremo, vt videbatur, mancipatum, populosa in Vrbe agere tàm frequenter, visi minùs probare nostri homines; præsertim Innocentius Palescandalus, qui tunc sanctorum Apostolorum domum moderabatur. Quid enim cum frequentia viro solitario? Certè virorum principum domos, atque amicitiam adfectare vltra institutum ac syluas esse. Atque hinc quædam de viro suspicio. Tum oblata alloquendi occasione, appellare illum, ac monere perbenignè ipsemet Palescandalus voluit. Quid posceret vitæ genus, quid is Eremitæ habitus, insinuare. Eremicolis lubrica oppidò esse quæcumque vrbana commercia; corrumpi, atque interuerti id instituti facilè posse existimatione Ciuium, Si saperet: ne quam collegerat in Eremo frugem, in Vrbibus dissipet. Plura ille in hanc sententiam, ad quæ Ludouicus latere minimè potuit, aliena licet intectus tunica. Enimuerò qui modestè dare ijs monitis aures debuerat, ambitiosè omninò, ac superbè respondit; vt facilè cognouerit Palescandalus, esse quidem illum eo habitu, fameque indignum, & quando in eam verborum insolentiam erupisset, vt catena corpus, ita & animum tenaciore quodam scelere obligatum gestare. Hisce indicijs deprehensa viri superstitio, ac deprauata erroribus fides: tùm culti impijs sacris dæmones, aliaque dictu fæda. Quarè plerisque cum socijs comprehensus, ac violatæ religionis manifestus, pœnas impurissimæ vitæ, ac scelerum dedit. Quo nostratum potissimùm opera restincta ea lues, quæ propagari latiùs poterat: præsertim quòd vltrò illum exciperet ignara mali, ac venerandæ externæ sanctitati pronior, vulgi fides.

Insitum nostris hæreses detegere.

Ludouicus Eremita.

Hæresi corruptus.

Externa austeritatis specie Neapolitanos capit.

Suspecta eius sanctitatis species nostris.

Mox ab Innocentio Palescandolo detecta impietas.

Ac mulctatur.

Cœptum hoc hæreticorum iudicium Neapoli fuit, absolutum verò à supremis Quæsitoribus Romæ: quò nos vocat Matthæus Bencius, compertæ vir prudentiæ, ac probitatis, qui ad motus hoc anno Tyronum institutioni, mirum quàm strenue solertiam, vigilantiam, charitatem, coniunctumq; singulari cum mansuetudine seuerioris disci-

Matthæus Bencius præclarè rem gerit Romæ.

plinæ

plinæ Zelum in grauissimo fingendæ iuuentutis munere probauit. Quæ nos documenta virtutum aliàs exponemus, atque ad externa nunc procurata ab eo commoda transimus. Sub hoc namque Sixti Quinti Pontificatus initium par hominum religiosorum Congregationis, quam Fulienſem vocant, Romam appulit, amictu quidem rudi, at niueo, nudis pedibus, calceis ligneis, & qui toto corporis cultu vitæ asperitatem præseferebant. Auctor eius Congregationis Ioannes à Barrera, homo Gallus, diues perindè, ac nobilis, qui rerum humanarum pertæsus, iisque valere iussis, in Fulienſi Galliæ Cœnobio, quod in Bricenſi Diœceſi est, Deo se se mancipauit, ea planè regularis vitæ obseruantia, vt dilapsam in eo Monasterio Diui Bernardi disciplinam ad priscam Cistercienſis regulæ, ac seueritatis formam restituerit; excitata per summos labores noua hac familia, in qua & vixit ipse sanctissimè, & spiritum non sine miraculorum testimonio posuit. Ex hac igitur Congregatione figendo Domina in Vrbe domicilio, Romam cum peruenissent, quos diximus, Monachi, quorum vnus Iacobus à Bucca vocabatur, alter Ioannes à Sancto Mauro, Abbas posteà Fulienſis, totiusque Ordinis Præfectus, in Diui Bernardi AEde ad Columnam Traianam primùm consedere. Et quod exteri, ignarique Romani, atque Itali moris essent, Religiosos viros, quorum se se clientelæ committerent, eorumque ductu, atque auspicijs ad religionis maximè vsum sua regerent, diligenter peruestigarunt; ac visi mox Theatinos Quirinali in Colle Patres deligere, quorum passim commendari sanctioris vitæ famam inaudiebant. Placuitque nostratibus hæc Fulienſium in nostrum Ordinem propensio, ac fides; statimque illos prosequi studijs omnibus, ac præcipuis beneuolentiæ argumentis occœpere. Demandata in primis eius rei cura Matthæo Bencio fuit, qui ob insignem, qua in Diuum Bernardum ferebatur, pietatem, beneficij loco tulit, hanc eius Instituti Patribus nauare operam, ac beneuolentiam posse. Ac primò quidem, vt A Michaelis Ghislerij fide compertum habemus, in id visus maximè incumbere, quod ipsi optare maximè videbantur; nempè vt à Romano Pontifice is Ordo confirmaretur, quod eo adnitente, vnà cum plerisque alijs in communem rem beneficijs, ac priuilegijs, impetrarunt. Tùm adesse opportunè Bencius præclaris monitis, atque ad Italicam omninò consuetudinem, illibata quidem eius Instituti ratione, illorum mores conformare. Quod eo candore animi, ac peculiari quadam in agendo suauitate confecit, vt eorum omnium, qui excrescere subindè cœperunt, affectum sibi, amorem que mirificè deuinxerit; viuitque etiam nùm in posterorum animis Bencij nomen, ac virtus.

Congregatio Fulienſis.

Quam Ioannes à Barrera instituit.

Romæ figitur.

Ac nostræ se fidei permittit.

Bencius præcipue illam demeruit.

A Commentar. M.S.

Impetrata à Pontifice Ordinis confirmatione.

Conformatique ad Italicum morem institutis.

Inuiserat hoc anno de more Apostolorum Limina Marcellus Maioranus, Acerrarũ Episcopus: at Roma Neapolim vix peruenit, cùm graui correptus febri post paulò extremum diem clausit, ea quidem animi constantia, ac pietate, qua & religiosum virum, qui diù cum fama virtutum vixerat, & optimum Antistitem decebat. Parentatum illi à nostris priuato quidem funere, ac Theatinum in morem, vti ipse testamento cauerat, sepultusque est in Cœmiterio Diui Pauli. Quis fuerit Maioranus, qua laude ingenij, qua diuinarum, humanarumque rerum litteratura, qua item Ecclesiasticorum rituum peritia præditus; vt nauiter religiosas præfecturas temperauerit; vt eximio deindè zelo geminam Ecclesiam Cotronenſem, ac Acerrenſem rexerit, suisque expoliuerit vigilijs, singula suis in locis explicauimus. Ex quibus colligere profectò est, eiusmodi fuisse illum, vt & laudatissimi Religiosi, & præstantissimi Antistitis partes egregiè impleuerit.

Marcellus Maioranus Episcopus.

Neapoli obit, ac sepelitur in Paulino Cœmeterio.

Acerrarum Sacerdotium, quod eius obitu vacauit, collatum iterum Clerico Regulati, Philippi, Hispaniarum Regis Secundi, regijque Consilij suffragio fuit: nempè Ioanni Baptistæ Tuso; viro, quà rerum gerendarũ vsu quà doctrinarũ præsidijs dignitati peridoneo; cui, vt ipsemet in rerum nostrarum historijs, quas texuit, sincerè, ac multis affirmat, aliena tùm quidem ab Infula mens erat; & qui assertum se Dei beneficio in beatæ cuiusdam tranquillitatis sinum à mundi fluctibus intelligebat, manere in ea vocatione ad supremum vitæ spiritum constituerat: tantùm abest, vt votis, officijsque grauissimas illas, plenasque aleæ curas solicitauerit. Et verò, suspensis omninò vestigijs, ac mora incedendum sibi in ea deliberatione cum duceret, non antea regiæ munificentiæ manus dedit, quàm & prudentissimorũ hominũ consilio, & suis, aliorumq. precibus rẽ expendisset explorassetq an à Deo dignitas, ac suo,

Acerrarum Sedem Capiſ. fit Io: Baptista Tusus.

Expensa maturius dignitatis grauitate.

suo, proximorumque fructui esset. Certè, qui Numine in consulto, suisque auspicijs, ac nullo virium examine Episcopales Sedes capessunt, incidere hi potius, quàm inire legitime dicendi sunt; vt maximis deindè pulsati molestijs, quas fert secum Infula, polliceri sibi præsentem Dei opem minùs possint: quippè qui in eas se se animi angustias ipsi induerint. Ergò post imploratam, exploratamque Dei clementiam successit muneri Tusus: & vt solenne est, cum Deo perficere, quod cum Deo cœperis, Ecclesiam insigni cum animi solertia, zeloque administrauit: Cumq; non sibi, sed aliorum suscepisse commodis Cathedram illam persuasum haberet, nihil omninò prætermisit, quo rem animorum bene gereret, exornaretque traditam sibi Sponsam non modò Ciuium, & Cleri moribus, sed externo etiam cultu. Acerrenses curas diù rexit. Verùm qui secum, sibique aliquantisper viuere ante supremùm diem peroptabat, ea se se prouincia exsolui demùm impetrauit, cùm maximè ad Sacerdotium longè luculentius regia Philippi Tertij benignitate inuitaretur. Quod in tempore.

Sed non omittendum omninò est, quod dici priùs de Tuso debuerat, qui sub id tempus, quo prouocatus ad Infulam est, rem Neapoli conficere contigit, Ciuibus perutilem, & quam è re quidem erit adnotasse. Degebant in Neapolitano Sancti Seueri Cœnobio è Prædicatorum Ordine Patres, eius nempè præstantissimæ disciplinæ cultores, quam ad exactam, strictioremque Diui Domini regulam nuper instaurauerat Paulinus Lucensis, vir ex ea familia eximiæ sanctitatis, ac nominis, de quo libet hic exscribere, quod [A] Cæsar Cardinalis Baronius, dum de Diuo Seuero ad pridie Kalendas Maias in Martyrologij rotis agit, consignatum litteris de eo voluit. (Extat, inquit, Neapoli Sancti Seueri Episcopi nomine vetus Ecclesia, quæ annis præteritis concessa est fratribus Prædicatoribus, qui ibidem sub piæ memoriæ, ac spectatissimæ nostrorum temporum sanctitatis viro, Reuerendo Magistro Paulino Lucensi, Restitutore pristinæ obseruantiæ Regulæ S. Dominici, summa cum laude sanctissimæ vitæ institutum, sicut in alijs plerisque locis, in ea vrbe primùm aggressi, felicissimè propagarunt.) Sic ille. At enimuerò, quòd peranguftam eam Sancti Seueri domum, proindèque exercendo instituto minùs idoneam Sixtus Faber, vniuersi Dominicani Ordinis generalis Magister existimaret, deferendam sedem censuit; maximè quòd nulla amplificandi situs affulgere spes videretur. Id quod toti illi viciniæ accidit planè molestissimum. Ea nanque Neapolitanæ Vrbis parte situm id Cœnobium est, quæ populosior cùm sit, popularior item est, ideoq; Sacrorum, morumque institutione maximè indiget, neque aliæ in ea Diuitatis regione Religiosorum hominum familiæ sunt, quæ doceant, dentque excolendis animis operam. Interpellatus frustra Faber, qui abscedere Patres iusserat, & cui obfirmata mens erat, vt si reduci eos vellent, coëmpta priùs affigua domo, loci aream ampliarent: quod haud quidem facile factu erat; deterrebatque ingens eius domus pretium, cui soluendo, haud planè erat, vnde vis illa pecuniæ conflaretur. Communicare rem cum Ioanne Baptista Tuso quidam eius viciniæ viri statuunt; vt quem studiosum communis boni nouerant, negotium cum eo excuterent. Tusus adhortari primum eos cœpit, vt quod agitare consilium instituerant, strenuè pergerent. Dignitati, ac fructui quàm maximo id loci fore egregiam illorum Patrum operam, erudiendæ præsertim infimæ plebi opportunissimam, si redirent. Tum rationem cum ipsis inire perfacilem eius pecuniæ conficiendæ, quæ soluendis ijs AEdibus satis esset: si nempè Sodalitij, quod in Diui Seueri Ecclesia erat, Stauritam Neapolitani vocant, prouentus, qui aliàs distribuendi inter eius Diœcesis pauperes essent, in id operis impenderent: quod citra dubium omne fieri posse, ostendit: tùm quia pauperum nomine meliore quidem titulo venire Dominicani ijs Patres poterant, qui voto paupertatem suam obsignauerant, tùm quia quicquid illi familiæ reuocandæ impenderent, accedere eius vicinitatis pauperibus videbatur; & quidem tanto cum maiore eorum compendio, quantò nobiliores sunt corporibus animæ, quibus erudiendis præclaræ Patrum curæ vocabantur: nec dubium, quin si viuerent, qui pia illa opera fundauerant, spiritualia ea pauperum commoda corporalibus anteferrent. Hæc, aliaque in rem Tusus, quæ cùm alijs etiam ex nostratibus, in consultationem vocati, viri quidem docti, adprobassent, decretum inter eius Sodalitij Rectores, non modicam pecuniarum summam Diui Seueri Cœnobio

[Marginal notes:]
S. Seueri Cœnobium Domicanæ familię.
A Not. Mart. præd. Kal. Maij.
Paulinus Lucensis Dominicanæ Regulæ Restitutor.
Facessunt D. Seueri Cœnobio Patres.
Cum viciniæ sensu.
Res cum Tuso communicatur.
Qui facilem inire rationem Dominicanos reuocandi.

nobio amplificando repræsentare. Quo restituti postliminiò Dominicani Patres pristinam in Sedem fuere, ingenti cum omnium lætitia, atque vtilitate, rudiorum præsertim hominum, in quorum instructione, morumque formatione tota modò est Dominicana sedulitas, doctrina, zelus; debetque ea vicinia nostris plurimùm, qui egregiam in eo negotio perficiendo operam posuere: vt planè quicquid ab eo religiosæ disciplinæ additamento accesserit inibi splendoris, pietatis, ac moris boni, magnam partem sibi vendicet Clericorum Regularium intentus in commune bonum ardor. Insita nimirum, vt alibi significatum est, ea nostratibus indoles, vt modò publicæ rei iuuent, nulli officio parcant, ac sua etiam negligant. Contigit siquidem ea plerumque molitos ad aliarum Congregationum commodum, quæ pro sui certè Ordinis incremento, bonoque minùs nauassent; & quæ suas etiam lædere rationes, atque opportunitates viderentur: rati scilicet, hoc demum laudabile, ac religiosum esse, non communi hominum ritu agere, sed charitatis iustinctu, quæ non quærit, quæ sua sunt.

Redijtque Cenobio familiæ.

Vsitata nostratum opera.

Porrò sub id tempus, cum gliscerer apud omnes regularis disciplinæ, ac doctrinarum opinione Sodalitas, submittebat in illam Deus optimæ indolis adolescentes, qui eandem posteà opinionem spiritus, ac studiorum fama alerent. In his fuit hoc anno Antonius Caracciolus è Sancti Bomi Principibus, vt genere, ita & ingenio, ac virtute prænobilis, professus nomen, ac solennia vota in Sanctorum Apostolorum Domo. Certarunt in eo posteà, ac mutuo se se splendore nobilitarunt vitæ innocentia, ac rerum diuinarum eruditio: sacræque præsertim antiquitatis apprimè sciens fuit; vt videre est è scriptis eius volumiuibus, quæ partim ipsemet publicauit, partim prodiere curis, ac vigilijs Francisci Boluiti, Viri ex nostris eruditissimi, qui monumentis Ecclesiæ Neapolitanæ, posthumo eius operi, & addidit ipse pluscula, & conscriptæ à se eius vitæ commentarium appinxit. Vnà cum Caracciolo eadem die, eademque in Sanctorum Apostolorum Domo Religionis habitum induerat Hieronymus Pignatellus, qui nobilissima è Domo ad Dei sortem, ac familiam vocatus eximio quidem Neapolitanæ nobilitati exemplo fuit: at non eodem postea die cum eo vota nuncupauit; fuitque in causa nimius Isabellæ Caracciolæ, eius matris amor; quæ mancipatum Religioso instituto filium nimiùm quantùm molestè tulit; nullumque sanè non lapidem mouit, quo illum de statu moueret. Gregorium ipsum Tertiumdecimum Pontificem appellauit, quem studuit etiam virorum principum gratia circumuenire. At ille, qui præclarum consilium maturè susceperat, animumque egregiè obfirmauerat, studia, ac vim matris nihil pensi habuit; Romamque adire, atque ad sanctissimos Summi Patris pedes abijcere se se, non dubitauit, constantissimè affirmans, quam consultò conceperat mentem, retinere se firmiter; nec esse, cur abrogare propositum, quod altè in animo insederat, contenderet mater. Explicari tàm citò negotium quòd minimè potuit, difficultatibus veluti reflantibus, retardari publica vota oportuit, ac differri in sequentem annum. At enim, quoniam moris nostri est, vt Solennis professionis ordine suum quisque locum obtineat, statuere Patres, haud esse consentaneum, vt Hieronymo, cui materna cum beneuolentia, ac vi luctari strenuè, ac diù contigerat, fraudi esset mora illa, ac pugna; proindèque locum illi tribuendum, ac si hoc anno vouisset Fuit is posteà excellentis Vir prudentię, ac nostrarum rerum, legumque tenacissimus; ac postquam præcipuas Ordinis præfecturas obiuisset, honestatus à Paulo Pontifice Quinto Rossanensi Archiepiscopatu fuit. Sed tedibit aliàs de eo sermo. Paulina verò in domo ante annum nomen Congregationi dederant par iuuenum, quæ in præcipuam posteà doctrinam, virtutemque adoleuere. Fuere hi Thomas Gueuara, & Andreas Piscara Castaldus. Ille ob eruditionem, rerumque agendarum peritiam præclara cùm apud nostros, tum apud exteros in laude, ac fama fuit. Hic verò per omnes nostri Ordinis gradus supremo etiam Magistratu positus, nullas non in re communi administranda optimi Moderatoris pares probauit: cui non tantùm nostra Congregatio sed vniuersus penè Christianus orbis diuini cultus splendorem, exactumque Ecclesiastici ritus vsum debet, edito Sacrarum eçremoniarum volumine, quod omnium manibus teritur, nulli non Ecclesiasticorum gradui opportunissimum. Sed egregia viri virtus, atq; obita piè mors non exiguam planè segetem calamo dabit suo loco. Concepere item hoc anno vota Marcellus Surgentius, & Aloysius de Franchis, Neapolitani: ille in Diui Pauli Domo, Vir posteà prudentiæ laude cla-

Auget Sodalitatis numerũ Antonius Caracciolus.

Pietate, ac stylo clarus.

Et Hieronymus Pignatellus.

Cui luctandũ in eo consilio cum matre fuit.

Hinc in nuncupandis votis mora.

Thomas Gueuara, & Andreas Piscara Castaldus ordinem capessunt.

clarus; hic in Sanctorũ Apostolorum Cœnobio, cuius spectatæ subindè indoli duplex accessit à Paulo Pontifice Quinto Infula, Aequensis primùm, mox Neritonij, quas strenuè administrauit. His & Alexandrum Mamolum Venetum adnectimus, qui solida iam ætate, ac virtute Ordinem inijt, emisitque Venetijs vota ineunte consequenti mox anno. Vir planè grauis, insigniq; regularis disciplinæ cultu commendatissimus. Quo etiam sequenti anno professionem emisére, Genuæ quidem Matthæus Santomangus, Salertinanus, Neapoli, verò in Paulino Cœnobio Vincentius Gilibertus, vterque posteà Congregationis Præpositus Generalis, non vulgaris famæ, virtutisque viri: nam Santomangum, vt morum grauitas, ita illibata quædam vitæ innocentia, ac singularis in Deum pietas, orandique studium commendarunt; Gilibertum verò præter pietatem, publica etiam, atque insignis facundia, suæque litteræ, ac sacræ lucubrationes cohonestarunt: sed de eis suus erit dicendi locus.

Porrò Neapoli, vbi augeri nostrorum hominum numerus videbatur, augeri & domos sub id tempus contigit, approbatione, nutuque generalis Capituli, quod Mediolani celebratum sequenti anno fuit; vbi Ioanne Scorcouillo, Comitiorum moderatore, cùm pleraque communi obseruantiæ perutilia decreta fuerint, tùm id præcipuè omnium suffragatione scitum, vt nouum hoc Neapoli Cœnobium acceptaretur, quod mox fuit sub Diuæ Mariæ Angelorum nomine, tutelaque excitatum. Auctor eius operis ea fuit, quæ amplificari maximè res nostras peroptabat, iuuabatque regia sua manu, nempè Constantia Caretta. Habitabat hæc in ea Neapolis regione, quam Eglen vocant. Infrequens is olim situs; at fertur disertè pronunciasse Diuus Franciscus à Paula, fore omnium in Vrbe celeberrimum, ac splendidum. Id quod planè accidit. Siquidem inædificatis proximè regijs Adibus, sumptu, ac forma magnificentissimis, nitere operosa ea Prætorij mole is primùm locus cœpit. Tum excitata passim toto eo tractu sumptuosa item ædificia, cultumque, ac nobilitatum præcipua cùm Hispanæ, tum Neapolitanæ nobilitatis sede extremum id Vrbis latus fuit: iuuitque frequentandæ viciniæ purioris aeris, cælique temperies, ac peramœnus pelagi prospectus: cuius saluberrimi, lætique situs gratia huc se transtulerat Constantia, ac libenter morabatur, hoc solùm merens, quòd longè admodum à Diui Pauli, ac Sanctorum Apostolorum Cœnobijs distaret, nec tàm essent ad manus diuinorum exercitia, in quibus piè versari nostratum ductu, ac disciplina solita erat. Quocirca explere defectum hunc, constituta inib Clericis Regularibus sede, cogitauit: & quod ante quatuor annos flagitauerat, nec obtinuerat; quòd nimiùm videretur nostris, duabus in eadem Ciuitate domibus tertiam accedere, impetrauit hoc anno in Mediolanensibus Comitijs, in quibus re iterum ad lancem reuocata, visa tantæ, tamque beneficæ Principis beneuolentia, ac vota propendere: presertim cum adeò remotus à reliqua Ciuitate locus is esset, vt penè extra Vrbem esse videri posset. Domum iam Constantia coemerat, extruendo Monasterio, ac Sacræ Sedi peramplam, situ verò, aspectuque pulcherrimam, quam hortorum insuper amenitas, ac laxitas exhilarabat. Hanc consignatis publicè tabulis donauit hoc anno nostris, vt Ecclesiam ibi Deiparæ Angelorum dedicarent. Quod statim, ac perquàm concinnè peractum, adornato nimirùm Templo pro modo; quoad magnificentior surgeret à solo magnæ Matri Aedes. Domum etiam conformari ad Theatinum morem suo sumptu iussit, eademque liberalitate cùm supellectili domicilium, tùm sacro instrumento Ecclesiam instruxit. Quibus ita constitutis, designataque domus familia, inita eius possessio fuit die vigesima nona Septembris, venerabili Diui Michaelis Archangeli memoriæ sacra. Ceptum faustis auspicijs à solenni Sacro, quod Innocentius Palescandalus, qui Neapolitanam rem nostram omnem tunc administrabat, alacri, frequentique nostratum præsentia, gratulantibus item effusè populis, concursuque procerum incredibili celebrauit: ipsa in primis Constantia, quæ Marianam hanc Aedem fundauerat, suos plausus, congestasque in singularem pietatem laudes excipiente. Quæ quidem quò processisse rem feliciùs, atque à diuinorum officiorum penso, à concionum celebritate, à Sacramentorum tractatione, à nitore diuini cultus excrescere in dies magis piorum in eam Ecclesiam obseruantiam videbat; Eò maiore accendi in impigram illam familiam studio sentiebat. Aderat ampliore quidem munificentia; vt siue domesticæ indigentiæ supplendæ, siue ornando, augendoque sacris, quà velis, quà ami-

Mediolani Comitia An. 1587.

S. Mariæ Angelorum Domus Neapoli fundatur.

Constantia Caretta fundatrix.

Remotiore vrbis parte, quæ mox frequentior.

Diuerterat eò Constantia salubrioris cæli gratia.

Cœnobiũq. cogitauit, ne longe esset à nostris.

Annuere Mediolanensis Capituli Patres.

Coemptaque a Constantia domo.

Cóparatoq. sacro, ac domestico instrumento.

Templum, ac domus patuit.

Aderat subindè eius liberalitas.

culis

culis Sacrario, nunquam defatigari generosior ea manus videretur. Atque hanc quidem liberalitatem non post multò, hoc est, quatuor abhinc annos, cùm obire diem suum contingeret, cumulauit. Enimuerò, vt in Deipara Virgine ornanda, cohonestandoque nostro Ordine viueret etiam post fata pietas, construendæ nouæ Ecclesiæ ad viginti aureorum millia legauit. Inchoari porrò templum nonnisi anno seculari sacro, ineunte videlicet nouo seculo, qui annus nonus fuit ab eius morte, potuit. Ac tùm quidem alterius domus, quæ Gentis Rotæ erat, emptione, laxata area, descriptaque ad omnem amplitudinem, ac magnificentiam Basilicæ forma, admoueri operi manus cœpit, iacto, die vigesima tertia Aprilis mensis percelebri quidem cum omnium ordinum concursu, ac studio primario lapide; cuius ea erat inscriptio.

Quam post mortem cumulauit.

Legatis opibus.

Quibus excepta à fundamentis Basilica.

HVMANAE SALVTIS ANNO M.DC.
CLEMENTE OCTAVO PONT. MAX.
REGNANTE PHILIPPO TERTIO,
REGE CATHOLICO,
ECCLESIAM TIT. S. MARIAE ANGELORVM,
LEGATO AD ID AB ILLVSTRISS. D.D.
CONSTANTIA DE CARETTO DE AVRIA,
FAEMINA RELIGIOSSIMA, PIE FACTO,
A FVNDAMENTIS AEDIFICANT CLERICI REGVLARES.
DIE XXIII. APRILIS.

Celebritati adfuit Andreas Auellinus, qui, vt innuit Tufus, festam illam diem consignare miraculo voluit; eritque planè opportunum hic illud, ceu suo in loco recensere. Cum precipua matronarum manu ad illa positi Templi solennia confluxerat Catharina Luxania, illustris fœmina, Aloysij Henriquez, à regijs bellorum consilijs, ac Neapolitanæ militiæ Præfecti coniux, quæ cum laborare à dextri oculi dolore solita esset, ea præsertim die, infesto nimiùm sole, acriùs solito vexabatur. Accidit, vt osculo Andreæ manum libaret, quæ cùm fortè affectum oculum tetigisset, eius confestim dolorem omnem sedauit. Facessiuisse casu malum reputauit Luxania, ac nobilium fœminarum officijs, ac sermonibus distracta, nihil de Auellino cogitauerat, cum ecce redijt, ac sæuijt dolor; ac tum quidem illa Aloysij Bertrandi exemplo, quem solitum imperare morbis manus, aut vestium attactu nouerat, persuasit sibi, fore vt eadem item vi, ac sanctimonia Andreas valeret, ingentique fiducia illum adijt, vt iterum bene precari vellet, rogat, tùm apprehensa dissimulanter manu, oculis non dubia fide admouet; quo restituta sua affectæ parti sanitas, ac tranquillitas in vestigio temporis fuit, idque adeò certa, constantique incolumitate, vt neque eius diei sol ampliùs læserit, neque consequentis posteà noctis crepusculum, quod aduersum, atque hostile oculis experta semper fuerat, noxæ quicquam intulerit. Hæc illa fusè testata autographo voluit, suoque à sacris confessionibus, qui tunc Ioannes Petrus Feulus erat, Vir ex nostris eximiè probus, ea lege tradidit, vt non nisi post Andreæ mortem euulgaretur, quo tempore non dubitabat, fore vt & alia patrata ab eo mira publicari contigisset. Hæc porrò Diuæ Mariæ Angelorum Aedes, qua de agimus, quà Carettę, quà aliorum auro producta ad summam manum est. Et verò si descriptionem, formamque, & quicquid est perfectissimæ artis species, nescio, an concinnior, ac pulchrior extet Neapoli Ecclesia; nempè à Francisci Grimaldi ingenio, Viri ex nostris, Architectonices consultissimi, quem aliàs me minimus: Accedit autem huic Basilicæ maiestas, ac splendor in dies ab excultis peregrino marmore, omnique picturarum, ac auri cultu Sacellis. Est & Cœnobio, quod posteà excitari cœptum, sua laus. Percommodum illud quidem, nec sine illecebra oculorum. Impetrata siquidem à Neapolitanorum procerum beneuolentia non modica publici soli parte, ductum continenti opere ad Vrbis muros ædificium, aspectu quidem hinc acclinium Hermi montis amęnitatum, hinc maris, quod suburbanam illam oram maritimam

Ad fuit solennis miraculo Auellinus.

Diuæ Mariæ Angelorum AEdes ad omnem magnificientiam exculta.

Et Cœnobium per amplum extructum.

ritimam, quæ ad Coccejanam Cryptam ducit, villamq; Mergellinam alluit, ac Pausilypum: subiectis insuper amplissimis hortis, honestę Patrum deambulationi, atque ab assiduis Templi, studiorumque occupationibus remissioni.

Agebantur hæc Præposito Domorū nostrarum Innocentio Salescandalo, vt significauimus, quo tempore Marco Salescandalo, germano fratri, maius opus moliri eadem in Ciuitate Neapolitana contingebat. Erat is quidem in omnium existimatione, ac laude, famamque potissimum illi conciliauerat Sacrarum Virginum Monasterium, quod Diuo Andreę nuncupatum, vt sanctissimis legibus fundauerat, ita eius præsertim ductu, solertique cura eximio regularis obseruantię cultu florebat. Nec Neapoli modò celebris eius erat prudentia, religiosique instituti zelus, sed Romę etiam, habebaturque in ea Aula inter præcipuæ cuiusdam notæ viros: Ergò delatum hoc anno ad Sixtum Quintum fuit, Neapolitanas Moniales, quæ est labentium temporum clades, humanæque conditionis, præsertim in virtute retinenda, vitium, desciuisse ab instituto, ac prisca legum suarum sanctitate: & quando iniecto maturiùs fræno, instaurari vetus disciplina facilè adhuc posset, incumbendum strenuè in eas curas esse, priusquam obfirmatæ vis consuetudinis remedia prorsùs omnia recusaret, Pontifex, quem non latebat, potissimum esse Ecclesiæ Christi decus, ac ornamentum emendatos sanctimonialium mores, ac nihil item esse earum fama, ac flore delicatius, visus flagrantissimè negotium complecti; statimque communem ea in Vrbe Monasteriorum inspectionem sanciuit, datisque Pontificijs litteris, tres omninò ætate, moribus, atque experiētia viros probatissimos ad id muneris designauit. Fuere hi Prosper Vitalianus, Episcopus olim Bisinianensis, Carolus Baldinus, quem aliàs nominauimus, Ecclesiæ Neapolitanæ Canonicus, & Marcus Palescandalus: quibus suprema lustrandi Moniales Apostolica auctoritate facta potestas fuit, ac seriùs inculcatum, vt rem quàm diligentissimè accurarent, significarentque subindè sacræ Cardinalium Congregationi, cui prouinciam demandauerat Pontifex, quid moris praui tempus induxerit, & quæ forent opportuniora explandæ disciplinæ remedia. At enimuerò cùm repurgare inueteratos iam prauos vsus perarduum ex se planè sit, tùm in fœminis id accidit difficillimum; quippè quas obstinatior quædam opinio in suscepta semel mente obfirmat, & quæ imbecillioris etiam captus cùm sint, non ea accuratè expendunt rationum momenta, quæ rectum, honestumque suadent. Eapropter mirum quot in ipso rei aditu obiecere se se præstantissimis Viris difficultates à Monialium repugnantia, quæ laxioribus iam vitæ rationibus assuetæ, coerceri se fræno meliore, ac duriore ægrè patiebantur: ac nobilissimæ fermè omnes cùm essent, consanguineorum potentiam, ac virorum principum patrocinium, fidemque implorauerant, qui sanè studio, affectuque in cognatas, ac præcipui sanguinis Virgines nectere non exiguas præclaro operi moras visi sunt. Romæ præsertim agere, eaque de re conqueri cùm decreuissent, communibus statim suffragijs Sarni Comitem, Virum strenuum, ad Pontificem legauere, qui quantum turbarum id inspectionis consilium Neapoli attulisset, exponeret, curaretque inspectores amouendos, ac nihil subindè innouandum. Porrò magnam huiusce inuidiæ partem ad Palescandalum pertinebat, illumque ingentes cùm Sacrarum Virginum, tùm procerum querimoniæ petebant; vt qui eo, quo valebat zelo, vrgere maximè negotium videbatur. Nam Baldinus mitioris ingenij opinione odium facilè declinabat; & Vitalianus Episcopus causatus senium, ac valetudinem, munerise, laborique subduxerat. Hac verò procella in ipsum concitata, quos potissimùm molestiæ sibi esse intelligebat, nostri homines erant. Veriti siquidem illi, ne ab ea Vrbis penè totius offensione ingens crearetur Congregationi periculum, ac malum, pulsabant illum precibus, vrgebantque anxiùs, vt quando sine communi discrimine administrari difficilis ea cura minimè posset, dimitteret: præsertim quod cùm regia etiam monialium Cœnobia subiici visitationi recusarent, à regijs administris, quorum sub tutela Conuentus ij erant, conflari ipsi, totique Ordini longè grauior pernicies posset. At nulla isthæc fuit apud Palescandalum nostratum formido; neque Monialium, procerumque indignatione dimoueri loco Vir intrepidus passus est. Nam qui rem honori Dei, communique Monasteriorum bono, ac dignitati cedere sibi persuaserat, cœptis strenuè insistere constituerat: præsertim quod obfirmatam in eo reformationis consilio Pontificis mentem nouerat; missusque à Ciuitate

Marcus Palescandalus.

Reformandis Neapolitanis Monialibus admouetur.

Obijcere se se difficultates.

A Consanguineorū odijs.

Metuuntque filii ab ea multa nostrates.

Vrget rem nihil minus Palescandalus.

tate Neapolitana legatus nihil impetrauerat. Quocirca vnà cum Baldino summa diligentia, ac fide prosequi demandatum munus. Quicquid accurari sua opera, studioque poterat, ipsi conficere; grauiora Sacræ Congregationis iudicio, ac momentis examinanda, suo Capiti, hoc est, Cardinali Sanctæ Seuerinæ, Viro quidem excellenti prudentia, rerumque Ecclesiasticarum vsu longè spectando, transmittebantur. Quædam etiam cùm non satis bene, nisi coram, ac voce Romani Patres edocerētur, confici possent, ter Romam adire Palescandalo contigit magno quidem cum operæ fructu, dilaudata sæpiùs à Pontifice, cœtuque Angustorum Patrum Viri peritia, curaque intentiore. Iam verò etsi magnis conatibus diligentissimi inspectores rem proueherent, non ea tamen contigit negotio felicitas, vt absolui Sixto Quinto Pontifice, posset; cuius morte abrumpi oportuit; quoad Romanæ Sedi impositus Clemens Pontifex Octauus fuit, qui pro eo, quo Christianæ rei reformationis, ac dignitatis zelo flagrabat, instaurari Neapolitanam Monialium visitationem iussit: datis eius nomine à Cardinali Alexandrino ad Carolum Baldinum, tunc Archiepiscopum Sorrentinum, ac Palescandalum ea de re litteris, qui eadem animi contentione præclarum opus repetiere. Ac tum quidem quartùm iussus est Romam concedere Palescandalus, exceptus quàm humanissimè à Pontifice, qui vt grauissimum tandem negotium perficeret, condocefieri ab eo ad vnguem voluit, quo loco ea res Monialium esset; quinam praui vsus irrepsissent, quæ essent admouenda malo remedia, quid inducendum, quid abrogandum; vt rediret prisca sanctitas, atque exsplendescerent suis iterum moribus, ac spectato regularis obseruantiæ cultu ea Virginum claustra. Et verò prosperiorem omninò exitum res habuit. Iubente siquidem Pontifice, Sacra Congregatio editis opportunissimis decretis non minùs vno supra quinquaginta, communi Monialium reformationi egregiè consuluit. Quibus profectò ordinationibus, vt auulsæ omninò prauæ, inueteratæque consuetudines fuere, inuectique mores boni, ac totius religiosi instituti decus; ita nulli dubium, quin earum pleræque, ac ferè omnes à Palescandali mente, sensuque fluxerint. Congruunt nanque adamussim cum ijs legibus, quas ipsemet Collegio Diui Andreæ sapientissimè dictauerat; ita vt excerpta ab ijs videantur hæc decreta, aut omninò eadem.

Cuius gratia ter Romam adit.

Ac Sixto Quinto dato, demandata illi eadem à Clemente VIII. prouincia.

Quam strenue aggreditur.

Romamque adit quartù.

S. Congregationis ea super re decreta.

Ad Palescandali mentem.

Vt verò sanctissimæ hæ leges in morem inducerentur, demandata iisdem item inspectoribus prouincia. Et planè, hic opus, hic labor. Assuetas nanq; alijs vitæ legibus Moniales, attemperari nouæ nūc disciplinæ, nimiùm quantū graue ijs accidit. Admurmurare, conqueri, miscere omnia; veluti supra vires, suique instituti formam sancitę ordinationes fuerint. Lectus iterum earum opera ad Romanum Pontificem Neapolitanæ Ciuitatis nomine legatus. Fuis is Cæsar Miroballus, Braciliani Marchio, qui postquàm pro earum siue abrogatione, siue temperamento apud Pontificem diù, multumque egisset, aliosq; itidem Sacræ Congregationis Patres non perfunctoriè quidem apellauisset, vix pauca; & quæ seueriorem quandam faciem præseferebant, impetrauit. Ceterùm obseruari ad vnguem omnia, ceu Neapolitanę Sanctimonialium disciplinę apprimè necessaria Clemens iussit. In quo maximè desudarunt Apostolici ipsi inspectores, quos pręcipuo quodam vri vigore animi, constantiaque oportuit; vt quę languerat, reflorescеret tandem disciplina Monialium. Ad fuitq; conatibus Alphonsus Cardinalis Iesualdus, Archiepiscopus Neapolitanus, qui suarum Virginum decus, cultumque virtutum acerbissimo earum sensui, ac procerum studijs antehabuit, solertemq; reformationi operam, manumq; commodauit. Illud verò ad Palescandali existimationem, ac laudem non minimùm facit. Nam cùm sub id tempus, hoc est, anno eius seculi nonagesimo secundo renunciatus à generali Capitulo Genuensis Prępositus fuisset, iamque Romam cœptum iter persecturus, peruenisset, iussus à Pontifice, ac Sacra Congregatione est, ne pergeret, sed Neapolim rediret, vt summam pręstantissimo operi manum imponeret. Nempè intelligebant, quantum afferret momenti rebus Viri prudentia, vsus, zeli ardor, atque ipsa emendatissimæ vitæ opinio, ac documenta. Iussum autem Clementis auctoritate, nutuq, reuerti Palescandalum ob eandē Monialium repurgationem, quam Salerni vnà cū Baldino instituerat, non est hic omittendum. Enimuerò quo tempore cœpta Neapoli istiusmodi reformatio ingenti cum Monialium fructu est, Ioannes Zunica, Mirandæ Comes, Neapolitani Regni Prorex, cùm Salerni etiam defluxisse Sacrarum Virginum mores inaudiuisset, ac valdè

Cui demandata ordinationum obseruantia.

Acrioribus cum monialibus quæstibus.

Quarum nomine mittitur Romam legatus

Qui pauca impetrat.

Reformationi adest Card. Iesualdus.

Palescādalus Genuam iter intendens, Neapolim reuertitur.

Vt Salernitanis etiam Monialibus Consuleret.

dè profuturam eandem inibi visitationem, existimaret, ab eodem Sixto Pontifice impetrauit, vt eò se se ijdem Apostolici Visitatores conferrent, dilapsamque disciplinam restituerent · Quod bono cum Deo, magnoque cum pietatis compendio occępere viri probatissimi; abruptumque deindè opus, vti Neapoli contigerat, resumendum iterum sub Clemente Octauo fuit. Proindèque vt illud continuaret, absolueretque Palescandalus, remetiri iter, quod Genuam intenderat, hanc etiam ob causam debuit. Et verò quod vigeat modò Salernitana in Vrbe Sanctimonialium pietas, institutio, sanctitas, huic reformationi, ac positæ ab egregijs ijs viris operæ ciues debent. Multum quippe ijs emendandis, instanrandisque Ginecæis insignis eorum nauitas, ac studia desudarunt; deletis funditùs omnino quinque ex octonis, quæ in ea erant Ciuitate, Virginis Collegijs; vt purior quædam remaneret inibi floreretque instituti ratio. Et Palescandalus quidem non ante Gennensem Præfecturam petijt, quam Neapolitanas, ac Salernitanas eas curas expleuerit.

Instituta Pontificis auctoritate inspectione.

Iam, habuit hoc anno nostra Sodalitas, vnde non mediocriter doleret, à gemino videlicet funere duorum præstātissimæ virtutis Patrum, quorum alter Romæ, alter verò Neapoli decessit. Primus Andreas Blondus fuit, Romanns, eximiæ planè integritatis Sacerdos, Theatini præsertim moris cum paucis seruantissimus, vt vel minimam nostrarum legum obseruantiam prætermittere, piaculū duceret. Orationis studio adeò impensè addictus, vt cùm interdiù prolixiùs oraret, produceret subindè ad multā noctem preces: quasque inde dilicias in secreta sui pectoris copiosè deriuabat, cùm deindè coercere sinu nequiret, vel inuitus priuatas inter allocutiones fundebat: vt intelligeret statim quisquis aderat, beatam illam suauitatem, qua Blondi spiritus madebat. Huic diuinorum sensui respondere humanarum rerum omnium fastidium, & contemptus videbatur. Tùm animi demissio, paupertas, obedientia, charitas, quæ præcipuæ religiosi viri partes, ac opes sunt, in ipso statim eins vultu elucebant. Desijt hoc anno viuere in Sancti Syluestri domo. Et quidem quam de se virtutis famam excitauerat viuens, confirmauit pulcherrimo exitu, ac morte planè iustorum. Valuitque vsq; adeo sanctioris eius vitæ inter nostrates opinio, vt Valetudinarius, laici Ordinis frater, qui in eo maximè vitæ extremo insignia quædam supra communem virtutē probitatis, ac Sanctimoniæ indicia inspexerat, vehementiore quodam spiritu ductus, instinctuq; pietatis, qui nimius certè videri potuit, insignem quandam corporis partem clàm defuncto præciderit, vt sibi, ceu pretiosum quid sacrumque asseruaret, coleretque priuato cultu: id quod ex Michaele Ghiselerio accepimus, qui Blondum nouerat, ac præsens eius morti adfuit, commendauitque prolixiùs viri virtutem, quam & suis litteris, breuique commentario consignauit.

Andreas Blōdus Romæ obit.
Vir legum nostrarum tenacissimus.
Orationi præsertim addictus.
Ac cætera virtute instructus.
Insignis nostratum de eo opinio.
Præcisa illà valetudinario insignis corporis pars, deuotionis ergo.

Qui verò Neapoli desūctus hoc anno est, Ioseph Barbulia fuit, Barolitanus, Vir planè absolutissimus; acciditq; profectò cùm nostris, tùm exteris, quos ad pietatē erudiebat, molestissima eius mors: vt nullus non priuatam sensus acerbitatem, communemq; iacturam ingenti quadam tristitia significauerit. Religionem is inijt grandi quidē natu ac iam Sacerdos; attulitq; Ordini pleraq; ingenij adiumenta: quendam præsertim politioris litteraturæ florem, quem statim in longè vtiliorem virtutum culturam, fructūq; ommutauit, euasitque breui in virum omninò aliū, nullis non religiosæ disciplinæ partibus instructus. Vitæilli cultus asperimus: multus quippè in corporis afflictatione erat, quod ferrea catena duriùs accipere, ac mulctare consueuerat. Nihil naturæ, aut genio indulgere, omnem prorsùs voluptatem, sensusq; illecebram recusare sibi proposuerat, vt vilia etiam sibi cibaria interdixerit, quòd saperent. Semel quod cibum sale condiuerit, & se conscientiæ morsu peti sensit, vt fateri publicè noxam oportuerit. Christi Domini Aduentum, qui mos est Religiosorum Ordinum, ieiunio excipimus: qua ipse vsitata abstinentiæ lege minimè contentus, strictiore victus seueritate vtebatur, totumque id temporis spatium herbis duntaxat aliquando traduxit, postquàm integrum antea bimestre cum herbarum item obsonio, pane, & frigida ieiunasset. Semel vis gulæ visa virum temperantissimum transuersum egisse. Ficum nanque domestico in horto, quòd leges nostræ seuerè cauent, nescio qua rei opportunitate decerpsit: id quod vellicare acriùs eius statim animum cępit; ita vt interquiescere mens conscia minus posset. Quarè vt strenuè intemperantiam vindicaret, appensa ad collum ficu, pulcherrimum sui spectaculum media in cænatione præbuit, euulgataque coram Patribus cul-

Seruatur Neap. in Tabul. D. Pauli.
Ioseph Barbulia Neapoli diem claudit.
Austerioris vitæ disciplinę.
Herbarum obsonio contentus in Christi Domini Aduentu.
Gulam acriter mulctat.

pa, admissi erroris pœnam intimo quodam sensu efflagitauit. Quod etiam sine insigni quadam modestia, suique demissione fieri minimè potuisset; qua quidem virtute nihil Barbuliæ familiarius. De se namque nihil vnquam dicere, aut cogitare, nisi quàm abiectissimè nouerat. Si quem aliquid in se officij impendere conspicaretur, admirari consueuerat, veluti si in peccatoris obsequium Angeli descenderent. A sui cognitione hic illi eximiæ humilitatis sensus. Hoc nempè princeps illi studium, vt superbiæ impetus, ac librata eius manu tela eluderet, seipsum noscere. Semel monenti, vt caueret, ne mali dæmonij instinctu, pulcherrimorum operum plausu, quæ ageret, ambitiosiùs efferretur, respondit: quid si me inspiciam! quasi diceret, istiusmodi communis hostis conatus vnico se obtutu frangere, nempè si in sui cognitione paululum immoraretur. Affinis modestiæ paupertas, eodem apud illum loco erat, elucebatque cùm in corporis cultu, tenuique, aut nulla cellulæ supellectili, tùm maximè in exquisita quadam, minutissimaque eius obseruantia. Nam exiguæ ipsæ cuiusque rei reliquiæ curæ illi erant; nihil perire, vel modici fili patiebatur: lucernæ concinnandæ ne plus olei, mixique cum paupertatis dispendio insumeretur, gossipina fila numerabat. Iam verò, in res diuinas præcipua illi pietas. Sacram in primis Eucharistiam incredibili quodam sensu affectuque venerabatur: eaque illi erat vultu hilaritas, cū Christi Corpori cōmunicaret, ceu Diuorum tùm quidē mensis accumberet. Ad aram cùm faceret, nihil attentius: peculiari quadam emphasi, atque ardore animi concipere sacri Euangelij verba videbatur, vt afficeret mirificè, inflammaretque, qui aderant. Nunquam illi sine lachrymarum imbre preces: simulq; & madere ora fletu, & exhilarari cælestium affusione animus cernebatur. In Odeo, vt assiduus, ita attentissimus significabatq; immoto corporis habitu affixam Cælo mentem. Nullam diuinarum laudum partem, siue quæ publica, siue quæ priuata religione persoluebat, labi sine præsenti animi attentione, sensuque patiebatur. Si quid precum effluxisse sine gustu cognouisset, toties repetere, quoad mens aduerteret, ac perfundi contingeret suo nectare. Semel quatuor omninò horas in vltimis precibus recitandis insumpsisse, pertinace quadam contentione visus est: non quòd scrupuli virùm anxiè sollicitarent, qui in ijs persanandis mirificè valebat; sed ne aduersarij conatibus succumberet, qui mentem aliò auocabat. Multiplex illi quotidianæ orationis pensum, quod vt conficeret, ad mediam interdum noctem lucubrabat. Neque matutinas proindè laudes stata hora prætermisisse vnquam voluit. Id etiam solenne illi, Romanum Martyrologium, sacrosque illos Diuorum fastos, quotidiè sæpiùs percurrere: inflammari vehementiùs in Dei amorem ab ea martyrum commemoratione sentiebat, manabantq; mox ab oculis lachrymæ, vice sanguinis, quem fundere peroptaret. Pulsabat illum, cùm mortis, tùm supremi Iudicij metus, dubium; quæ demum ipsi sors contingeret: propendere nihilominus in Deum amor videbatur, cui adeò se, animumque permittebat, vt visus semel fuerit stipitem quendam quàm arctissimè complecti, ceu Numero ipsum teneret, atque in ea verba erumpere: Par est, Domine, mori me, quoniam quæ mecum ipse sensa communicas, cui vicissim ego effundam, non habeo. Quo sanè & eius in Deum ardor, & Dei in illum illapsus, blanditiæque apertè significabantur. Porrò ad hanc etiam amussim pietatis conformare alumnos suos, quos instituendos susceperat, contendebat: cum quibus nullus præterea nisi de morum disciplina, ac virtutum cultu sermo. Valebatque vi quadam dictionis incredibili, vt alibi significatum est, qua aliorum conscientias mirificè temperabat, expoliebatque ad omnem pietatem animos. Et Romæ quidem ab ea sermonis blandiloquentia, atque efficacia, Animorum piscator aliquando audiuit; cuiusmodi olim Beatissimo Parenti nostro Caietano attributum cognomentum fuit. Singulari item auctoritate cum omnibus vtebatur; cum primarijs maximè viris, quorum non dignitatem, ac fastigium pertimescebat, quo minùs moneret in loco, ac redargueret: vt Neapoli cum virorum principum manu accidit. Confluxerant hi quidem ad Diui Pauli, septima hebdomadæ maioris luce, vt solennibus ijs sacris interessent: quo verò tempore prophetiæ legebantur, vt moram fallerent, receperunt se in sacrarium. At instante jam sexta Baruch Prophetæ lectione, in qua illa habentur: *Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus Cæli ludunt, qui argentum thezaurizant*, &c. Correptus zelo Barbulia eò illos conuenit, ac summa vultus firmi-

Eius animi demissio.

A sui cognitione.

Exactæ paupertatis studium.

Pietas in Sacra.

In diuinis laudibus recitandis attentio.

A Martyrologii lectione ardēs illi affectus.

Dei amor.

Fingendis aliorum moribus valuit.

Audiuit animorum Piscator.

Auctoritas in viros proceres.

Expertus Zelū Dux Atripaldensium.

firmitudine, dicendique libertate ire in Ecclesiam iussit, nempè, si haberent aures audiendi, de se loqui, suamque describi graphicè conditionem audiuissent. Nec mora: visi confestim obtemperare proceres, veluti pro suprema quis auctoritate iussisset. Eadem hac cum Domitio Caracciolo, Atripaldensium Duce, libertate vsus, quem noluit paluillo de more vti, cùm conscientiam expiaret: dilaudauitque Vir princeps subpercilium, ac zelum. Quo etiam zelo ductus id in domo primariæ cuiusdam fœminæ magnæ quidem auctoritatis, seueriorisque disciplinæ specimen dedit, planè non sine fructu. Fortè ad illam inuisendam aduerat. Verùm adsidere propè ipsam conspicatus adolescentulam, perquàm eleganter, atque ambitiosè nimis ornatam, illa insalutata, visus statim abire velle. At summis precibus reuocatus, inuehi continuò in fœminarū pompam grauissima oratione cœpit; seriò demonstrans ab eo mulierum cultu, inductaque ori purpura extitisse in Christi corpore verbera, liuorem, vibices: quibus excitata virgo, colorem à vultu omnem, aurumque, ac ornamenta à vestibus abdicauit: ac mox per sacram totius anteactæ vitæ confessionem expiata, totam eius sese disciplinæ fideique commisit; cuius ductu breui magnos in virtutum via progressus fuit; nec post multò vota in Virginum Cœnobio ritè dixit. Planè in effingendis ad pietatem, Christianamque perfectionem animis insignis quædā illi inerat facultas; compertumque communi tunc fama erat, diuino quodam lumine valuisse, quo secreti etiam pectoris arcana nouerat: vt enunciaret sæpè, corrigeretque ad frugem, quæ quisque latere in fundo sui cordis existimabat. Atque de hac secretorum conscientia illud accepimus. Romano Cœnobio præerat, egressumque domo ex nostratibus quendam vehemens cupido incessit videndi triumphalem Marci Antonij Columnæ pompam, qui ad Naupactum rem benè gesserat, inibatque ea ipsa die Romam inter festas Populi Quiritium acclamationes. Fluctuàuit enimuerò aliquantisper eius animus; at vicit insolens ea spectaculi species: reputabat siquidem secum ipse, aut latere posse Rectorem suum, aut veniam facilè ab eo impetraturum, vbi illam positis posteà genibus postulasset. Igitur publicos eos Columnæ honores vidit: at domum redeunti statim Barbulia, non modò quid vidisset, sed & quid apud animum suum cogitasset, non sine ipsius admiratione aperuit. At de præstanti Viri virtute satis hæc perstrinxisse. Illud ad vitæ commendationem adiungimus, totum in eo fuisse, vt sese morti compararet: gnarus, qui suprema ea momenta cogitat, illum nisi laudatissimè viuere non posse; neq; mortem oppetere nisi præclaram. Et ille quidem hoc anno ita obijt, vt semper vixisse sui memorem ostenderit, & euolasse statim ad premium nullus non affirmauerit. Sepultus is est in Diui Pauli cemeterio, quà verò opinione, famaq; probitatis apud omnes esset, funeris celebritas declarauit. Certatum nanq; qui prius pijssimi viri manus exoscularetur. Idque notatu dignum accidit. Inter præcipuas fœminas, quæ veneratæ defunctum sunt manuum osculo, filia Ioannis Villani, Marchionis Pollæ fuit, quæ vt florenti ætate Virgo, oderat penè illum, dum viueret, quòd seculi fugam suaderet. At vix honorem illum extincto corpori habuit, cùm mutari intimè sensit, ac statim quod anteà maximè auersabatur, dare religioso instituto nomen decreuit; lusitque præclaram eam mentem Barbulia: obiecit nanque, se se Virgini, atque in suscepto consilio confirmauit, erexitque, vt pauló post Cœnobium Sapientiæ iniuerit, in quo nuncupatis votis, audiuit Maria Ioanna; vixitque in omnium laude, ac oculis. Altera item fuit in Collegio, quod à Conceptione appellant, Virgo, cui iusserat ille, vt à nugis, nescio quibus, abstineret. Paruit illa, quoad monitor vixit. Eo autem vita functo, quod abesse ab ijs lusibus grauem noxam duceret, redijt ad morem. Cùm ecce nocte quadam videre sibi visa est librare se è Cęlo Barbuliam, iratoque ad ipsam vultu cùm accessisset, colaphum impegisse. Quo illa acriter monita, nugis iterum temperauit. Eodem in Conceptionis Monasterio quædam etiam fuit, quæ illum candida indutum veste ad splendidissimas gloriæ epulas cum Diuorum plerisque accumbentem vidit. Et accumbet his mensis vltra æuum, bibetque æternum nectar. Iam verò, quando consequenti anno mutato nostræ Congregationis regimine, ac renunciato, Sixti Quinti Maximi Pontificis nutu, Præposito generali, nouus nobis rerum nascitur ordo, huiusce Quintidecimi libri, primæque nostrarum historiarum partis finis hic esto, ad Dei, ac Deiparæ, Beatique Parentis nostri Caietani Thienæi Laudem.

Et Princeps quædam fœmina.

Secreta pectoris nouerat.

Emulgauitque cuidam è nostratibus.

Totus in meditatis mortis fuit.

Quā pie obijt.

Incredibili populorum studio.

Ioanna Maria Villana mentem religiosi instituti induit.

Corrigit post mortem Monialē Barbulia.

Visus ab alia Cælitum mensæ accumbere.

Libri Quinti decimi Finis.

INDEX RERVM NOTABILIVM

Quæ in hoc opere continentur.

B

In

Ayeiba

Con-

Ere-

Hæ-

I

Oppi-

non

Pudi-

Tal-

T

V

Vicen-

FINIS.